CONSPECTVS

# MEDICINAE

THEORETICO-PRACTICAE,

## TABVLIS CXXXVIII

OMNES PRIMARIOS MORBOS

## METHODO STAHLIANA

TRACTANDOS,

EXHIBENS:

TERTIA VICE EDITVS, CORRECTVS ET AVCTVS,

CVM

INDICE SATIS LOCVPLETE

ET

PRAEFATIONE

## EXCELL. STAHLII,

CONSILIARII ET ARCHIATRI REGII,

*AVCTORE*

## D. IOANNE IVNCKERO,

PROF. PVBL. ORD. ET MED. PRACTICO ORPHANOTROPHEI HALENSIS




*CVM PRIVILEGIO.*

HALAE, IMPENSIS ORPHANOTROPHEI, MDCCXXXIV.

2 JUL 2004

## LECTORI BENEVOLO,

# GEORGIVS ERNESTVS STAHL,

## FELICITATEM.

SApientiam Diuinam ex operibus eius luſtrare geſtientibus, illud cynoſuræ loco inſeruire poſſe arbitror, vt procul ab omni diſtractione, & in varios calles exerrante ſpeculatione, quantum fieri poteſt, ſimplicem & rectam viam perueſtigent; in quam omnes alii tramites deſinentes, non aliunde ſecurius ſpectari, imo perſpici poſſunt, quam ab illa regia via, ad quam ſemper reſpectando, ſecurius receptus pateat, ab omni erroris periculo. Cui, ex aduerſo, neceſſe eſt expoſitum iri, quando non ſolum diuiſos & diuerſos tramites percurſare libido inceſſit, & magis magisque deuia ſectari; ſed prorſus auia quærere, perreptare, & tan-

dem limites migrando, alienas regiones ingredi, & in uerſa propoſiti curſus meta neceſſario confundi. Facile vero fuerit intelligere, quod viam, qualem laudamus, ingreſſuro, & in illa feliciter progreſſuro, apprime neceſſaria ſit vigil atque perſpicax animi aduerſio; tranquillus, inquam, & bene compoſitus animus, auidus non ſolum cognoſcendi, ſed & ordinatum, & nihil interruptum proceſſum, patienter atque circumſpecte proſequendi. Alieniſſimus imprimis a polypragmoſyne, ſeu multarum diuerſarum rerum fugitiua perluſtratione; quarum vel nullam penitus perſpicere obtingat: vel inter plures implicari atque ita confundi neceſſe ſit, vt inde non modo ſingularum, ſed & omnium, vſus amittatur. Nihil autem magis atque certius in hos labyrinthos ſeducit, quam temere de ſua ſapientia ſibi blandiens opinio, & immatura fiducia funditus atque penitus perſpecta, non magis habendi, quam dandi, eiusmodi Diuinæ ſapientiæ ſpecimina, & velut in ſyſtemate in conſpectum producendi, prius, quam pleraque, nedum omnia, eo pertinentia documenta, cognita ſint, & in debitum ordinem, redigi potuerint. Ex aduerſo, ſi cum debita animi applicatione, quotquot poſſunt, phænomena conquiruntur, animo bene compoſito, & iudicio, vti certe abſolute neceſſario, ita etiam horum auſuum recte compote, perpenduntur, & iuxta illum ordinem, quem in rei veritate inter ſe obſeruant, circumſpecte colliguntur; fieri aliter non poteſt, quin multo euidentior agnitio & cognitio inde reſultet. Sicut autem huius generis contemplationes de integro ſuſcipere, inſtruere, & proprio marte abſoluere, profecto non omnium eſt ingeniorum; ita neque, in pleriſque talibus negotiis vlla neceſſitas hoc poſtulat: cum vtique Divina benignitas, iam inde ab omni æuo non dedignata ſit, hinc inde induſtriorum hominum ſolertiæ radium aliquem fulgidisſimi illius iubaris ſuæ ſapientiæ obiicere, cuius animad-

ver-

verſione non ſolum oblectati fuerunt, ſed etiam poſteris ſuis obſeruandum, & magis magisque ad ſuos vſus applicandum, commendarunt. Cum autem nihil in ſui initio perfectum eſſe poſsit, facile vtique eſt intelligere, quod monumenta, ab anteceſſoribus ad poſteritatem transmiſſa, non poſsint aut debeant pro tali perfecto ſyſtemate æſtimari, cui abſolute acquieſcere ſufficiat. Qui certe error, a multis iam ſeculis, vt varias alias, ita medicam quoque ſcientiam, impediuit, ne amplius, quam antiquisſimis temporibus factum erat, excoleretur & locupletaretur: imo ipſæ præconceptæ opiniones interceperunt pasſim etiam vtilisſima vetuſtiorum annotata, monita, atque documenta, vt vſibus, quibus inſeruire poterant, nusquam admouerentur. Subſtitit itaque medica ſcientia ſeu theoria, vsque ad præteriti ſeculi confinia, vbi nouæ aliquæ contemplationes, partim ex antiquiorum placitis, partim e propriis æſtimationibus variorum phænomeνων (Fernelio, Argenterio, &c.) in mentem venerunt; a medio vero eius ſeculi, cum anatomia caput efferret, & fermentationis nomen putredinem priſcorum antiquaret, rude donatis propemodum plerisque vetuſtatis ſententiis, nihil niſi nouæ opiniones, magno agmine eruperunt; quæ ad hunc vsque diem, quid emolumenti aut detrimenti arti attulerint, peritorum & æquorum arbitrorum æſtimationi lubens relinquo. Poſtquam autem ab Helmontio decantata, & a Williſio latius ebuccinata, fermentatio, a Tachenio, per breuem manum Acidi & Alcali, ad varias commodiores explicationes & applicationes quadrare viſa eſt; & tale ſyſtema Syluio imprimis in mentem venit, & a fidelibus aliquot eius Diſcipulis, non ſolum per Belgium, ſed & Germaniam ſuperiorem, propagabatur: quod quidem tempus in meorum ſtudiorum Academicorum initia excurrens, ſollicitum de ſolido fundamento medicæ Doctrinæ capeſſendo, animum

non potuit non percellere, & in trutinandis, pro viribus, diſcrepantium dogmatum ponderibus, vigilem & attentum exigere. Cum autem iam ab ipſa teneriore iuuenta mea, chymicarum rerum, & imprimis fermentationis experimentalis, illa ad minimum notitia mihi ſuppeteret, quæ tam late per ipſum latifundium ſanguinis protenſam fermentationem, adhuc magis autem tales eius effectus, ſimpliciter exundatorios & eruptorios, quales, pro ſtatis etiam, imo in exquiſitas periodos diſtributis, commotionibus & excretionibus, allegabantur, pro veris atque ratis agnoſcere, nequaquam permitteret: imo magis magisque penſitati omnes actus ſtricte & proprie Vitales, longe ſimpliciore methodia, nempe ſola, tempore & loco conueniente, adminiſtrata gubernatione motuum ſecretoriorum & excretoriorum, fieri & abſolui ſolere comparerent: inſtiti proinde potius illi viæ, vt fermentationem quidem, ſeu in animali corpore, omnino veriorem Putredinem, (non tamen tam factam, quam fientem, imo, vt ſcholæ loquuntur, in fieri,) in febribus præſertim, pro ſubiecto ſeu vera materia morbida; tempeſtiuam & maturam eius amotionem, pro obiecto; ſecretiones & excretiones, pro medio formali; viarum & meatuum idoneam conſtitutionem, imo & humorum iuſtam craſin in reliqua ſui maſſa, pro inſtrumento materiali; directionem autem motuum illorum, pro cauſa efficiente, agnoſcere, neceſſarium ducerem. Hoc ipſo vero non poteram non ſimul deprehendere, quod Vita ſtricte ſumta, corporis inquam vita, qua corpus viuere, & ſecundum illam viuum dicitur, nihil aliud ſit, quam conſeruatio eius ab omni corruptione, in quam tamen ex vniuerſa ſua craſi totum præceps eſt, & propendet. His certe contemplationibns nihil noui, neque vero etiam quicquam difficilis, vel afferre mihi videbar, vel inferre: quandoquidem ſimpliciſſimum hoc ſyſtema, vt

ipſi

ipſi corporis animalis manifeſto conſpicuæ conſtitutioni, ita quoque antiquiſſimorum medicinæ deſcriptorum vero ſenſui conſentaneum eſt. Conueniebat etiam apprime, imo inædificatum videri poterat, recentiſſimæ ſententiæ: Quod omnia in corpore animali fiant mechanice: dum exquiſite commonſtrabat, quod vtique tota Conſeruatio vitalis abſoluatur, & ad vltimum ſuum finem perducatur, nullo, (præter inſtrumenta) materiali, ſed ſimpliciter formali, Mechanico Actu, nempe Motu, exquiſite ad materiarum ſuſpectarum proportionem, gubernato, vt materiæ illæ alienæ, partim ſemoueantur, (ſecernantur) partim tandem ex vniuerſo corpore emoueantur (excernantur.) Confidebam autem, totum hoc negotium, ad medicum vſum atque ſcopum, tanto luculentius inſeruiturum, dum ex eo diluceſcit, quod vniuerſa ita conſiderata vitalis conſeruatio ſit vera & indeſinens Therapia interna ſeu ſpontanea; cuius rationi plane conformem energiam, pro certiſſima cynoſura: & ſynergian, pro fideliſſimo adiumento, medicus obſeruare & aſſeruare debeat. Vbi ſimul, aut certe magis magisque, ſuæ luci vindicare atque ſtabilire laborabam, impeditiſſimam illam, & nusquam pro merito & pondere ſuo, tactam, nedum deductam diſcretionem, quinam actus & motus, in morbis, reuera ſymptomatici, œconomiæ corporis obiiciantur, & illi damna minentur: quinam autem contra, actus atque motus vere Energici, contra morbum incumbentem, plane ſalutariter, pro eius depulſione, inſtruantur & exerceantur. Id quod omnis æui Medici per pugnam Naturæ cum morbo, vix leuiter adumbrare, ſatis habuerunt; quibus vero conſiliis, auxiliis, atque machinis, illa geratur, deſignare, nedum demonſtrare, nusquam condigne curæ cordique habuerunt. Id quod, ex aduerſo, mihi quidem apparuit, ſatis ex eo elucere poſſe, quod dicti hi actus Energici, aduerſus mor-

morbos iam præſentes atque incumbentes, ſalutariter militantes, nullius alterius generis ſint, quam illi, qui etiam cetera tranquillis corporis rebus, perpetuo præſidio præſto ſunt. Adeoque in morbis, ſolo, (præſenti neceſſitati maiori, conveniente,) gradu, tempore, atque ordine, & tandem loco, ita inſtruuntur, vt expugnationi morbidæ materiæ, & plenariæ exturbationi, adeoque ſyſtematis corporei, eliminatis alienis reſtitutioni in ſui homogeneitatem, (amotis heterogeneis,) ſatisfaciant. Dum autem hanc conſiderationem, Medico imprimis vſui commendaturus, illud vbique indicare atque ſtabilire laboro, quod hæc vitalis conſeruatio, atque vindicatio, omnino ſanæ rationi exquiſite conſentanea ſit; vtique ab ipſo corporis animalis primo ſupremo Architecto ſapientiſſime inſtituta, & ita conſtituta, vt ſana ratio, ſcitiſſimum hunc ordinem, vtique percipere & agnoſcere poſſit: Tanto magis autem debeat, quo medicæ methodi iuſtam & vere legitimam cynoſuram hinc formare liceat: Totam rem altius, & ab ouo, quod aiunt, exorſurus, antiquiſſimam illam, & ipſa veritate ſimpliciſſimam, ſententiam, pro fundamento ſubſterno, quod vera cauſa efficiens, (directionum illarum, quas pro pure medico ſcopo, pro efficiente cauſſa agnoſcere, ſufficere poterat,) ſit in homine ipſa Anima. Agnoſco, quod hac propoſitione, vtpote non tam ad medicam, quam phyſicam anthropologiam, plane ſuperſedere potuiſſem. Intempeſtiuo vero metu, ne tam motus in abſtracto, quam inſuper directio in abſtracto (ſicut hoc ſenſu reuera ſunt,) pro metaphyſicis gryphis, & nudis mentalibus ideis, tanquam Actus ſine Agente, mihi imputarentur, conſultum duxi, Agens ipſum diſerte nominare, & Animæ has partes deferre, imo aſſerere, atque vindicare. Tædet autem merito, atque piget, imo profecto pudet, altercationum, quæ ſuper hoc negotio, intentatæ, & per aliquod iam

fu-

ſupra viginti annos, vix non ſingulis diebus, recoctæ appoſitæ, laſſata tandem patientia, ad logicorum atque metaphyſicorum in ipſis triuialibus ſcholis ſcabella litem hanc reiicere extuderunt. Vbi facile decernetur, quid abſtracte metaphyſici, vel in hac antiquæ veritatis ſententia inſit; vel in opinionibus illis, de motu (vt actu, ſine agente) materiæ inſito; de ſpiritibus animalibus, motus hos non ſolum dirigentibus, ſed & ad finem, proportionate, gubernantibus: de motuum horum, ſiue abſolutorum, ſiue inſuper directorum, momentaneo obſequio, ſine reliquo nexu, ad animæ voluntates; & nude fictitias, & per errorem patheticas, animæ ideas, (non ſolum in animi pathematibus, corporis motus in inſtanti, & profunde, turbantibus; ſed & in impreſſionibus pure patheticis & fictitiis, in monſtroſos næuos fœtuum, exeuntibus &c.) & quæ ſunt plura huius commatis poſtulata. Inſuper habitis inanibus huiusmodi oblocutionibus, non deſtiti nexum veritatis, vtiliſſimarum depletionum & ventilationum, prudenti & peritæ conſiderationi commendare; præſertim in negotio ſpontanearum hæmorrhagiarum, ſeu ſanguinis exonerationum. Vſus ſum pro hoc ſcopo Hippocratis monumentis, quæ de morbis diverſarum ætatum ſucceſſui magis peculiaribus, & quaſi propriis, conſignata reliquit ſub finem tertiæ ſectionis Aphoriſmorum. Quam rem complexus ſum Diſſertatione de fundamentis morborum ætatum: oſtendente, quo modo omnibus ætatibus quidem communes ſint abundantis ſanguinis depletiones in genere; varient autem Loco, per quem emittantur. Et pariter communes omnibus ætatibus, apparatus, congeſtiones, & contentiones, ad eiusmodi eruptionem reſpicientes & tendentes: dum autem, pro diverſitate ætatum, verſus & circa peculiaria illa loca eruptionis inſtruuntur, hoc ipſo etiam illos Hippocrati notatos, peculiares, & ſingulis ætatibus magis proprios, (ſecundum & per regiones pe-

culiares corporis) morbos introducant: ſi nempe ſincera perruptio in impedito hæreat, & ad effectum difficulter, aut plane non pertingat. Moui vero omnem lapidem, vt hæc iam ab ipſo Hippocrate prudentiſſime notata veritas, quemadmodum non aliunde, quam e conſtanti experientia, deſumpta eſt, ita perennis experientiæ euidentiſſimis teſtimoniis illuſtraretur & confirmaretur: vnde etiam apud practicos peritos, nempe experientiæ quotidie obſeruandæ compotes, ſine vlla difficultate, paſſim, imo, quod ſine vanitate dictum velim, longe lateque liberalem aſſenſum obtinuerunt huius generis commentationes. Ego vero nullam occaſionem prætermiſi, qua hanc eandem experientiam, in varii generis morborum ſchematibus, oſtendere, ad vera illa ſua fundamenta reuocare, adeoque aliis aliisque exemplis rem totam demonſtratam dare, opportunum videbatur. Tandem autem, quod eo vsque ſparſim & per ambages egeram, iuſtiore ordine, & magis concinno ſyſtemate, ob oculos ponere ſuſcepi, tractatu, quem medicam Theoriam veram nuncupare iuſtum & æquum duxi. Sicut autem medicina ſcientia ſola non abſoluitur, ſed ad experientiæ certam notitiam, & conſultam adminiſtrationem, tendit; ad quam vera medica pathologia Artificem futurum inſtruere debet; propterea omnino animo ſemper ſedit, Phyſiologiæ medicæ, & Pathologiæ, conſentaneam Therapiam ſubiungere: quæ nempe ſolidis deductionibus monſtret, quæ conſilia & auxilia talibus læſionibus corporis ſalutariter adhiberi poſſint atque debeant. Poſtquam autem Diuinæ directioni humanarum rerum placuit, ab huiusmodi propoſito, qualemcunque quietem & aſſiduitatem poſtulante, ad longe diuerſos labores me auocare, nihil antiquius mihi omnino eſſe debet, quam huic humiliter acquieſcere, & eo vsque promoti curſus, vix medio in ſtadio, pedem ſiſtere. Sufficit non in vanum laborauiſſe, dum, ſimplex & ſincerum teſtimonium veritati perhibendo,

do, non in vna ſola regione, aut gente, excitata ſunt, ſcientiæ atque conſcientiæ ſatagentia ingenia, ad eandem viam gnauiter ineundam, & magis magisque complanandam. Quod mihi, Divina benignitate adſpirante, & cum alacritate atque oblectatione, ſucceſſit, laborioſum multis aliis viſum eſt; & quæ ego prolixe deducere oblectamenti loco habui, vel audire, nedum legere, perpendere, & prudenter examinare, operoſum apparuit. Interim plenus ſum bonæ ſpei, & habeo eius rei non contemnenda indicia, viuere & vigere paſſim honeſtos & ſolertes viros, qui vel de integro hoc ſtadium decurrere & infinitis Mæandris inuolutum Labyrinthum doctrinæ & artis medicæ, Ariadneo veritatis filo expedire, non faſtidiuerint. Si qui vero etiam illis veſtigiis inſiſtere non dedignentur, quæ, inter aſpreta, ſentes, atque ſalebras, adnitens, hinc inde impreſſi, ſpero fore, vt nec ipſos pœniteat, indicem ſecutos eſſe. Laborioſius, quam propemodum credere potuiſſem, hoc iter ingreſſus eſt nobilisſimus ſcriptor præſentium Tabularum; quas maximam propemodum partem, e qualibuscunque meis ſcriptis adornare, non graue duxit. Laudare hanc eius induſtriam, qui ſunt mores hominum, vitio mihi verti poſſet, & iam propemodum antiquato ſcommate mihi tribui, quod hoc ipſo per obliquum, mearum animaduerſionum laudem celebrare, cordi habeam. Sed fruſtra, profecto iam dudum, ſunt tales ineptiæ; poſteaquam pridem ſincere teſtatus ſum, me nihil horum, quatenus meum ſit, ſed vnice quatenus verum, vlli mortalium ratum aut commendatum eſſe velle. Conquiſiuiſſe, quæ vera eſſe agnoui, in laudis materiam non arripio; officii certe mei duxi, cum Theoriæ medicæ docendæ ſparta mihi demandata eſſet, cum fide & bona conſcientia, hoc agere: neque, niſi quæ pro veris comperta haberem, aliis commendare. Quicquid autem horum ſit, de quo honeſtorum & prudentium virorum arbitrio ſemper liber erit locus, imo ius fas-

que; illud certe, de præſente Tractatu ante ipſos oculos poſitum eſt, quod labori atque ſtudio nihil pepercerit Dn. Autor, tam in reuoluendis meis, etiam extra puræ connexionis ordinem, Diſſertationum forma, in medium propoſitis, quam aliorum, eodem tendentibus, ſcriptis. Eadem euidentia liquet, quod ordinem euoluendi atque deducendi perſpicua cum peritia ſeruauerit; quo quidem cœpto non poterit non mereri laudem, & gratiam inire, apud omnes, qui euolutiones thematum, per cauſas ipſo nomine expreſſas, intelligunt & amant. Quamobrem ego illam methodum, cauſas inquam nominibus ſuis exprimendi, non amplexus ſim, ſequentes fuerunt rationes. Quo tempore ad docendi officium admouebar, & in hac noſtra inprimis Academia, non bene audiebant ſcholaſticæ λεπτολογίαι; quod etiam, quando (vt fere fit) creperæ ſunt, nulla iniuria ipſis euenit: imo vero deriſui erant ipſæ voces, apud peritiores quidem, inanes ſcholarum tricas, apud imperitos autem, metaphyſicam in genere, aut logicam redolentes. Imo vero, vt nihil diſſimulem, in plerisque, ad medicum ſtudium nomina ſua dantibus, minorem, triuialibus ſcholis allatam, peritiam deprehendebam, cognitionis, nedum veri vſus, primæ & inſtrumentalis philoſophiæ, quam vt expeditum conceptum ipſius ordinis cauſalis, nedum per ipſa nomina, formare valerent. Quid? quod etiam tot annorum decurſus, non ſine iuſto faſtidio, docuit, quam moleſtas lites hic defectus inſpirauerit, etiam illis in locis, a quibus minime omnium exſpectari debuiſſent; & quam tardis, (licet etiam aliæ cauſæ ad repugnandum inſtigarent animum,) ſucceſſibus, tandem pleraque dogmata, a me inde abinitio, demonſtrata, in priſtinarum opinionum locum ſubſtituerentur: elucente tamen perpetuo adhuc, ex inſanabili hoc defectu, veri atque firmi nexus vario hiatu. Interim certe nunquam neglexi, quin ſecundum verum & realem ductum cauſandi ordinis,

res

res ipſas, quas producere animo ſederat, euoluerem. Subiit autem reuera mirari, quomodo fieri poſſit, vt paſſim adhuc, circa ordinem contemplandi, eluceant offenſiones, verum de talibus rebus conceptum hinc inde turbantes. Id quod imprimis in ita dictis febribus acutis eueniſſe video. Putaueram, Diſſertatione de Morbis acutis veterum, ſublatam eſſe omnis implicationis occaſionem: tanto magis, cum etiam alio ſchemate, Diſſert. de Febre per ſe nunquam mortifera, veram mentem meam, quin potius ipſius rei conſtitutionem, liquido monſtraſſe conſiderem. Imo aberrationem ipſius Hippocratis detexiſſe, vbi, dum recenſet, quos Morbos Veteres Acutorum nomine notauerint, inauſpicato ſubiicit: quorum Morborum Febres hominem plerumque occidunt. Cum tamen luce meridiana clarius ſit, quod ipſi illi morbi, nempe veræ inflammatoriæ ſtaſes ſanguinis in viſceribus, per ſe, & ſibi relicti, ſine vllo interventu Febris, hominem neceſſario occidant. Ab hoc effectu vero, ſolius Naturæ viribus, (largiatur autem Divina clementia, vt Ars in ſolidum multo plus auxilii afferre poſſit!) nulla alia ratione impediri poſſint, quam tempeſtiua adhuc ſtaſeos diſcuſſione; quæ fieri non poſſit, niſi inſigniter aucto & continuato motu locali, ſeu circuitu, ſanguinis: qui tamen iterum aliter fieri nequeat, niſi per pulſum auctum: quem fero inſeparabilis comes, calor auctior totius, ſtipat: qui (eo gradu & duratione,) Febris appellatur: & ſumma iniuria, non ſolum pro morbo, ſed ipſo ſolo morbo, & mortis autore, proclamatur, cum ſit vnicum ſalutaris ſpei & euentus ſubſidium & inſtrumentum. Ita enim peſtis, & iterum febris miliaris, formalis cauſa indicatur ipſum principium vitale. Certe non e mea porticu; imo veræ conſtitutionis rei ipſius, ſuffragio deſtituente. Cum Peſtis coryphæus morborum acutorum quidem ſit; nequaquam vero, proprie, & ſua eſſentia, ſit Febris. Ingens vtique paradoxon, ſed tamen genuinum;

 nem-

nempe rem ipſam aliter ſe habere, quam minus exquiſito aſpectu, & externa ſpecie, videatur, demonſtrans. Sane vero audeo ſperare, quod genuinus conceptus de Variolis, experientiæ & rei veritati conformis, prudentes contemplatores, ſi quid vsquam aliud, de veritate harum rerum luculentiſſime inſtituturus ſit. Recte itaque Peſtis cauſa materialis arguitur miaſma efficaciſſime putrefaciens: formalis vero cauſa nulla alia nominari poteſt, quam ipſe actus huiusmodi corruptionis, iam incipiens: & niſi miasma illud tempeſtiue, ipſa halituoſa forma, iterum eiiciatur, aut alicubi arctius, in ignobiliores partes externas, iterum dico, tempeſtiue (minime vero præcipitibus turbidis motibus,) e latifundio maſſæ ſanguineæ, condenſatum ſeponatur, (cauſa, inquam illa, materialis,) incoërcibili impetu longe lateque ſanguinem deſtruens. Vnde Febris, huic morbo, ſalutari ſpe, (imo, per Dei gratiam, non parui numeri effectu,) opponenda, non, vti vulgo creditur, vehemens & magna, ſed lenis, æqualis, aſſidua, eſſe debet: quando vero, inter anxiam trepidationem Naturæ, alia methodo, aut inconditis conſiliis & artificiis, turbulentius commouetur, aut excuſſionibus, materiæ expellendæ indoli non quadrantibus, inſtruitur, non poteſt non illa in genere ſalutari intentione excidere. Vnde recte quidem Hippocrates iam ipſe obſeruauit, quod morborum acutorum, (ſeu morbis acutis occurſantes,) febres, συνεχεῖς ſint: quod vulgo interpretantur, continuæ: rei vero veritas magis probat, continentes intelligendas eſſe: nempe æquali tenore, ſine exacerbationibus aut remiſſionibus, aſſiduas; eo magis, quanto magis ſalutari ſpei locum relinquunt; dum omnis impetus, tanto magis vagus & inordinatus, trepidæ & fluctuantis adminiſtrationis ſoboles, ab optato ſcopo non poteſt non aberrare. Commendo iterum variolarum, veræ experientiæ conformem, obſeruationem & contemplationem. Sicut autem adhuc prolixius hæc diducere

re neque locus fert, nec certe animus; ita propterea tamen attingere libuit, ne vel ipſa huius ſcopi contemplatio ſiniſtris iudiciis occaſionem præberet, vel illi ſuperſtruenda inuentio iuſtæ methodi, vel in exæquanda proportione cauſali, vel in ipſo omnino effectu practico, aliqua deficiat. Quemadmodum autem Dn. Autor, in hoc opere, non tam ſimpliciter meas contemplationes & animaduerſiones, ſed aliorum etiam, quibus fidendi rationes ſuas ſine dubio habuit, placita, præſertim in remediorum penu, ſecutus eſt, ita tanto minus Lectorem quisquam ſimplicis præiudicii ſuſpicionem concipiet: ſed potius e ſedula lectione, & prudente penſitatione, totum opus æſtimabit. Illud certum eſt, quod in longe maxima parte operis omnino mecum ſentiat; neque vero etiam vsquam propemodum diſſentiat: hic illic autem, ſupplendo, quæ a me non prolixius tractata ſunt, alia quædam, quam mea, adferat: præſertim autem in numero remediorum, qui mihi ſummopere placet, quantum vnquam fieri poteſt, ſuccinctus: & effectus ratione, niſi plane peculiares circumſtantiæ ſuadent, per indiuidua, ab omni commotione, aut præmatura expulſione abſtinens. Vbi præuiſſimis, quod febrem miliarem attinet, (ſimpliciorem, non peſſimam illam, petechiis aut morbillis accedentem,) illud moneo, quod alias benignior in deteriorem ſtatum adducatur, per præcipitem expulſionem; communisſime ægrorum propriis inconſultis auſibus: ſed & per totum decurſum, medicamentis & regiminibus ſanguinem calefacientibus. Vbi imprimis voluntariæ ſudationes in lecto malæ ſunt: ſpontaneæ modeſtiſſime tolerandæ, & non-niſi pari modeſtia, moderandæ potius, quam augendæ: alexipharmacis calidis nullum hic agnoſco aut reperio locum; imo ne fixis quidem diaphoreticis, quorum in talibus affectibus maior, quam vulgo credatur, eſt ſenſus. Nitri, parcis, ſed repetitis doſibus, quatuor ad ſex horarum interualla, præcipuum hic cogno-

ui

ui vſum, præſertim in ipſis etiam puerperis: diarrhœam non inducent; cui tamen vndecunque incidenti, Caſcarillæ puluis, a 10. ad 12. grana, ſine regimine affectato, commodius, quam quidquam aliud, conſulet: in quauis ætate, præcipue tenera, vitentur de gemmis participantia, pretioſa, hic nullius pretii, & in omnibus exanthematibus noxia. Quamuis aliis forte parum ad rem pertinere videri poſſit, certe tamen non contemnenda eſt pectoris priuatim, imo ad vmbilicum vsque, defenſio ab omni ſenſu frigoris: etiam in orthoſtadia ſub talibus efflorefcentiis. In quali præterea omnibus modis præſtat, a deſidia abſtinere, quam illi indulgere: imo motus corporis, citra laſſitudinem aut æſtum, ad lenes ſudores vsque, minime formidare: a medicamentis autem, quantum licet, ſibi temperare &c. Hæc ſunt, quæ per occaſionem tangere, non abs re viſum eſt. In reliquis autem plerisque omnibus, nullum eſt dubium, quin Dni Autoris diligentia, illis, qui cum ſtudio medicam ſcientiam & artem ſyntagmatico ordine comprehendere voluerint, certisſimo emolumento inſeruire posſit. Quo nomine, talibus hoc opus commendare, nullus dubito. Deus autem, fons & autor veritatis, largiatur omnibus, medicam ſcientiam & artem, quod profecto decet, vt Diuinorum inſtitutorum, contemplationem, obſeruationem, & ſubſidiariam adminiſtrationem intueri cordi habentibus, vt veræ, cognitionis compotes facti, ſapientiam Eius venerabundi agnoſcant, intellectus ſui manuductionem ad prudentia conſilia, & pro cœptis ſuis auxiliaribus omnipotentem Eius bendictionem exorent, & feliciter aſſequantur.

Dabam Berolini VII. Cal. Octobr.
M DCC XVII.

PRAEFA-

## PRAEFATIO

# AVCTORIS.

QUindecim anni, BENEVOLE LECTOR, iam circumacti ſunt, cum primum deliberarem, qua fieri poſſet ratione, vt egregiæ illæ obſeruationes practicæ, quæ e collegiis STAHLIANIS ab Excellentiſſimi huius Viri auditoribus præteritis annis paſſim collectæ ſunt, in commodiorem ordinem ac vſum redigerentur. Manu enim ſcripta, quorum non pauca proſtant, per tot deſcriptiones, a rei medicæ imperitis plerumque peractas, tempore progrediente ita deprauata ſunt, vt in quam plurimis illorum locis vix ſenſum aliquem perueſtigare poſſent tirones. Poſt multas deliberationes laborem hunc, ſatis diffuſum, bona fiducia adgrediebar, & iam diuinam veneror benignitatem, quæ, illius finem attigiſſe, clementer conceſſit. Vrgent autem prægnantes quædam rationes, vt, quæ circumſtantiæ ſpeciales opuſculum hocce ambiant, paucis ſignificentur. Cum enim numeros meos oneri huic ferendo ſolos ſufficere dubitarem, quia in praxi medica plurimum temporis conſumere cogebar, aliorum auxilia quærere in animo habebam.

Elaboratam itaque tabulam de variolis & morbillis ſpeciminis loco transmittebam præclaro cuidam Practico, Domorum aliquot illuſtriſſimarum Archiatro: cui quidem maximam oneris partem imponi poſſe putabam, quia certum quemdam ſtudioſorum numerum eo tempore in res medicas manu ducebat, qui ſub ipſius cura atque moderamine negotium hoc facile perficere poſſe a me iudicabantur. Sed hic Vir, quem cum iucunditate animi ſincerum amicum nominare licet, difficilis erat ad laborem hunc ſuſcipiendum, & maxime contra germanicum idioma, quo prædictam de variolis tabulam conſcripſeram, ob abuſum inde metuendum, dubia ſua mouebat. Non diffiteor, quod, audito tali repudio, id, quod cœptum erat, frigide poſthac perſecutus ſim. Quum vero breui poſt tempore audirem, laborem hunc, mutata ſententia, vni e numero memoratorum medicinæ ſtudioſorum, & quidem tali, qui aliquamdiu amice mecum vixerat, & iam munere Archiatri Illuſtriſſimæ cuiusdam Domus dexterrime fungitur, eſſe commendatum, nouam ſpem de votis obtinendis concipiebam. Iuuenis hic eruditiſſimus, poſt annuum circiter decurſum triginta, & quot excedunt, tabulas, iudicio non infimo elaboratas, & ab Archiatro reuiſas, mihi exhibebat. Transportans domicilium meum in hanc ciuitatem, has, vt & reliquas meas intentiones, cum amicis quibusdam communicabam, qui definitiones, cauſſas, & plures obſeruationes practicas in hiſce tabulis deſiderabant. Otium mihi datum erat ob loci, vti dictum, mutationem: hinc labori huic omne meum tempus deſtinare decernebam. Diſſertationes STAHLIANAS omnes, theoriam eiusdem medicam, & manu ſcripta, tantum non omnia, perlegebam, tabulas octoginta, & quæ excedunt, non ſolum conſcribebam, ſed & omnes fere illas, quæ ab amico, ſuperius laudato, exhibitæ mihi erant, de nouo prorſus elaborabam, reliquas pauciſſimas ſupplebam, donec

tan-

tandem hoc, quod vides, BENEVOLE LECTOR, opuſculum prodiret. Non diſſimulo, ſub ipſo labore animum me ſæpius abieciſſe: tantas enim difficultates paſſim inueniebam, vt vel tres aut quatuor hebdomadas in tabulis quibusdam conſcribendis inſumere cogerer, neque tamen mihi ipſi vbique ſatis facerem. Sed Deo humillimæ ſint laudes, cuius auſpicio id, quod factum eſt, quantulumcumque ſit, fieri potuit. Ceterum ſilentio præterire heic nolo, quod ab illo vsque tempore, quo laborem huncce ſuſcipiendum decreueram, aliquot eiusdem fere conaminis ſpecimina in lucem prodierint: videlicet compendia quædam medica, quorum alia plures, alia pauciores morbos, methodo STAHLIANA tractandos, exhibent. Atque in his non ſolum multæ res, ſed & ipſæ ſubinde phraſeologiæ, quæ in præſentibus hisce tabulis leguntur, occurrunt; cuius rei tamen, BENEVOLE LECTOR, nulla Te miratio capiet, ſi conſideraueris, ex vno fonte eadem vtrimque eſſe deriuata. Opus ſane non fuit, ab aliis deſumere, quod & dulcius, & omnino perfectius ex primis fontibus petere licebat: & certe hoſpes eſſet in ſcriptis STAHLIANIS, qui cuiquam alii has res tribuendas eſſe cogitaret. Itaque ſi quis me plagii vellet accuſare, ſolus Excellentiſſimus STAHLIVS facere hoc poſſet. Hic autem hanc mihi culpam non tantum liberaliter remiſit, ſed & publica, vt vides, præfatione teſtatus eſt, quam minime inuideat illis, qui e ſcriptis ſuis vſum capere, & cum aliis communicare intendunt: quem paternum adfectum vt pia mente recondam, mearum omnino erit partium. Denique de paucis illis, quæ, præter res STAHLIANAS, in quibusdam locis inuenies, notare conuenit, quod illa non adieciſſem, niſi peculiaribus plane effectibus probata mihi fuiſſent. De quibus notabilia exempla ſubiungere in animo habebam; ſed temporis anguſtia intentionis meæ effectum excluſit. De altera editione dicendum eſt, quod incrementa ſatis notabilia,

 &, meo

&, meo quidem iudicio, vtilia, immo certo reſpectu neceſſaria acceperit. Priores enim CXVI tabulæ non tantum paſſim auctæ, ſed & XXI nouæ additæ ſunt; vti ipſe adſpectus docet. Optarunt quidem amicorum nonnulli, vt hoc additamentum *adpendicis* loco ſubiungeretur, ne illi, qui primam editionem iam poſſident, geminis ſumtibus onerati indignarentur. Quum vero ſcopus ille, quem tabulis ſynopticis reſpicimus, eius modi diſtractionem materiarum non permittat, iuſta hæc vota expleri non potuerunt. Confido autem quam certiſſime, nouum hoc opuſculi augmentum exiguos illos ſumtus ſatis eſſe compenſaturum. Ceterum cautelas illas, quas Excell. STAHLII *præfatio* ratione *purpuræ* tractandæ continet, ſecundæ quidem editioni adieci, tabulam autem de *vertigine*, neſcio vnde prætermiſſam, tertia hac editione reſtituere & priores mendas corrigere nouasque paſſim obſeruationes interiicere neceſſarium putaui.

Vale & faue

AUCTORI.

TAB. I.

# TABVLA I.

## DE

# MORBIS IN GENERE.

I. D*EFINITIO.*

*Morbus* eſt ſtatus præternaturalis corpŏris viui,in partibus tam fluidis, quam ſolidis, vtrarumque craſin & mobilitatem lædens: concurrentibus variis *ſymptomatibus*, quæ vel a *materiali* noxa, vel a *motibus* principii vitalis conſeruatoriis,materiali noxæ oppoſitis, vltra gradum naturalem plurimum auctis, rarius remiſſis, dependent.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Symptomata* non ſolum ab ipſo *morbo*, verum etiam a *ſe ipſis* ſollicite diſtinguere, vniuerſæ medicinæ, tam theoreticæ, quam practicæ, maximam lucem adfundit.
2. Eſt autem *ſymptoma* præternaturalis *actionum* conſtitutio, quæ vel tamquam vere *morbida* & *paſſiua læſio* actionum, vel tamquam *actiua, proportionata* & ſalutari intentione ſuſcepta alteratio motuum ſecretoriorum & excretoriorum, conſiderari debet.
3. Præter ea morborum differentia petitur
   a) vel a læſione *quantitatis*, vbi humores vel excedunt, vel deficiunt.
   b) vel a læſione *qualitatis*, quando humores nimis ſpiſſi, vel rarefacti ſunt.

c) vel a vitio *motuum*, quando hi vel vltra conſuetum gradum augentur, vel deficiunt, vel peruerſe inſtituuntur.
d) vel ab *accidentalibus circumſtantiis.*
Harum reſpectu morbi ſunt
1) Chronici, acuti, peracuti.
2) Continentes, continui, intermittentes,
3) Epidemici, endemii, ſporadici.
4) Contagioſi, non contagioſi.
5) Benigni, maligni.
6) Legitimi, nothi, regulares, irregulares.
7) Habituales, nondum obfirmati.
8) Corrupti, non corrupti.
9) Idiopathici, ſympathici.
10) Salutares, lethales.
11) Curabiles, incurabiles.
12) Simplices, compoſiti.
13) Periodici, vagi.
14) Vernales, æſtiui, autumnales, hyemales. conf. *Hippocrat. Sect. III. aphor. I. ſeq.* it. *de natura hominis Sect. III.*
15) Certam ætatem occupantes, vbi
a) in iunioribus caput,
b) in iuuenibus pectus,
c) in ſenioribus abdomen magis adficitur. Conf. *Stahl. diſſert. de morbis aetatum.*
16) Secundum initium, incrementum, ſtatum & declinationem differentes.
17) Certis diebus & horis mutationes ſubeuntes, e. gr. die indicatorio, critico, circa horas paroxyſmorum.

III. *SIGNA.*
1. Motus, ſiue vltra gradum & ordinem naturæ aucti, ſiue a vigore, quem principium vitale ordinarie ſeruat, remittentes.
2. Actionum, non ſolum vitalium & naturalium, ſed & ipſarum animalium & rationalium perturbatio, exacerbatio, aliqua neglectio, ceſſatio.
3. Variarum anxietatum & dolorum ſymptomata.

IV. *SVBIECTA* morborum

1. Ge-

1. *Generatim* homo viuus, qui tamen a morbis raro infeſtatur, licet ſecundum mixtionem & ſtructuram ſuam ad eosdem ſummam habeat procliuitatem. Nam multi per totam vitam a morbis prorſus immunes viuunt. Vnde *Democriti* aſſertum, quod *Hippocr.* epiſt. 2. ad *Damaget.* refert, hominem totum a natiuitate eſſe morbum, de corpore quidem *mixto* ſatis verum, de *viuo* autem falſiſſimum eſt.
2. *Speciatim* morbis præ aliis obnoxii
   1) qui a motibus corporis laborioſis immunes ſunt, pleno tamen & lautiore victu gaudent; inter quos litterati, lucubrationibus dediti, & molliter educati, principatum tenent.
   2) Adfectibus animi grauioribus expoſiti, e.g. iracundi, admodum ſenſibiles, meticuloſi, ſuſpicaces.
   3) Intemperantes, qui cibis non ſolum variis, ſed ſæpius etiam aduerſis, corpus ſuum nimium replent.
   4) Qui diætam ſcrupuloſam & exquiſitam ordinarie quidem obſeruant, data autem occaſione eamdem negligere coguntur.
   5) Feminæ præ viris, ob maiorem inprimis animi ſenſibilitatem, molliorem corporis texturam, præcipue etiam ob negotium menſium, geſtationis, partus & lactationis. Quæ conſiderationes haud dubie *Hippocratis* elogio, quod femina bis patiatur morbum, anſam dederunt.
   6) Homines præ brutis. Licet enim eamdem corporis habeant conſtitutionem, bruta tamen tales exceſſus in cibo, potu & adfectibus non committunt. Quo magis autem bruta cum corruptis hominum moribus commercium habent, eo facilius etiam morborum ſubiecta euadunt e. g. canes delicatuli, die Schoos-Hündchen, ſo die leckere Speiſen eſſen, und auf weichen Küſſen ſchlafen.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa morborum *remota* eſt materialis corporis conſtitutio, quæ ad morbos facile ſubeundos ſummam habet procliuitatem.
2. Cauſſæ *proximæ* ſunt
   1) vel *generales*: nempe plethora & ſpiſſitudo humorum.

2) vel *ſpeciales*: vitia ſcilicet lymphæ, ſeri, ſaliuæ, vrinæ, bilis, muci, fæcum aluinarum &c.

3. *Cauſſæ procatarctica*, quæ diſpoſitionem ad morbos in actum perducunt, ſunt præcipue vitia ex ſex rebus, *non naturalibus* dictis, prouenientia, nempe aëre, motu vel quiete, ſomno vel vigiliis, cibo & potu, excretis, retentis, maxime omnium animi pathematibus, quorum efficacia omnes *materiales* cauſſas longo interuallo poſt ſe relinquit.

4. Cauſſæ etiam certorum morborum obſeruantur periodi *ætatis*, diuerſitas *ſexus* & *temperamentorum*.

5. Præcipue autem *adſuetudo* ægrotandi & *ſenſibilitas* ſubiecti multum valent ad morbos fouendos & reuocandos.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quo delicatius eſt ſubiectum, eo difficilius curatur morbus, & contra.

2. Plenariam viſceris cuiusdam aut partis organicæ deſtructionem reparare, nec arti, nec naturæ conceſſum eſt.

3. Morbi, a cauſſis *immaterialibus* dependentes, longe ſunt pertinaciores, quam qui a *materialibus* proueniunt.

4. Morbi haereditarii raro perfecte & prorſus auferuntur, cumprimis ſi per crebrum recurſum in habitum & conſuetudinem deducti ſunt, qui proinde mitigari tantum poſſunt.

5. Morbi *epidemici*, niſi malignitas complicata ſit, facilius tolluntur, quam *endemii*.

6. Item morbi *periodici*, quam vagi.

7. Porro morbi *ſimplices*, quam *compoſiti*.

8. Morbi a *motuum defectibus* prouenientes, maius periculum inuoluunt, quam qui a motuum *exceſſu* oriuntur.

9. Morbi certis *aetatibus*, *temporibus* & *tempeſtatibus* familiares, ſi eiusmodi circumſtantiis reſpondent, minus periculoſi ſunt, quam qui multum inde deflectunt.

10. *Motus* morborum *extraordinarios* ſi ſenſibiles non ſequuntur excretiones, melioris notæ non exſiſtunt.

11. Morbi *vernales* benigniores plurimum ſunt, quam reliquorum temporum.

12. *Morbi* ſine omni medicatione *ſibi relicti*, longe manifeſtius indolem ſuam oſtendunt, longe certius ſtatas periodos & dies

dies criticos obſeruant, longe felicius & conſtantius conquieſcunt, longe etiam tranquillius, ſi omnino ſuperari nequeant, ad mortem deflectunt, quam qui variis medicationibus, præcipue manifeſte operantibus tractantur.

13. Morbi ſub initium cauſſam materialem pro fundamento habentes, in conſuetudinem autem degenerati, ita plerumque inſoleſcunt, vt, ſublatis licet cauſſis materialibus, pertinaciter tamen durent & recurrant.

14. Multi morbi curantur ſine Medico & medicina per αὐτοκράτειαν naturæ.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quoniam natura in plurimis morbis per ſecretorios & excretorios motus materiam noxiam e corpore eliminare allaborat: Medicus, qui illius miniſter eſſe debet, hoſce motus ſecretorios & excretorios quouis modo imitari, & omni prudentia adiuuare ſtudeat. Huic ſcopo inſeruiunt remedia
   1) *Pharmaceutica* e. g. emetica, purgantia, diaphoretica, diuretica, emmenagoga.
   2) *Chirurgica*: venæſectio, ſcarificatio, hirudines, veſicatoria, fonticuli, ſetacea, inciſiones, paracenteſes.
   3) *Diætetica*: prudens regimen circa ſex res non-naturales, præcipue circa cibum, potum, calorem moderatum & animi tranquillitatem.

2. Ante autem, quam moueat Medicus, materiam prius mobilem reddere & vias aperire debet, per præparantia, incidentia, reſoluentia, digeſtiua.

3. Pauciores etiam morbi obueniunt, vbi non conuenit, materiam noxiam directe & immediate *euacuare*, ſed *corrigere*. Quare & in his, licet rarioribus caſibus, prudenter ſe gerat neceſſe eſt. Corrigunt autem remedia alterantia, præcipitantia, temperantia.

4. Et quoniam non raro *motus* ſiue exceſſu, ſiue etiam nonnunquam defectu in morbis peccant, Medicus firmiter ſibi perſuaſum habeat, *medicinam motuum* præcipuam eſſe partem praxeos felicis, & diſcat
   1) motus *excedentes placide* ad *mediocritatem reuocare*.
   2) motus *erroneos corrigere*.

3) motus *deficientes excitare.*

Remedia, quæ motus excedentes & erroneos corrigunt atque ſedant, ſunt: ſpecifica, anodyna, paregorica.

Motus autem exſtimulanti: pleraq; euacuantia ſuperius nominata, i em analeptca ſeu roborantia.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Si natura noxiam materiam eliminare intendit, vel actu iam euacuat, caueat ſibi Medicus, ne addito ſtimulo fiat nimium.
2. Euacuationes *particulares* non adhibeat, niſi præmiſſis vniuerſalibus, h. e. inſtituta prius, vbi opus eſt, venæ ſectione, catharſi, ſudatione &c. Non vero hæc omnia ſimul in quouis indiuiduo, ſed pro ratione circumſtantiarum adhibenda ſunt.
3. *Quantitas* humorum pluribus morbis anſam dat, quam *qualitas*; quod eo magis conſiderandum, quia vulgata praxis circa *correctionem qualitatis* materiæ potiſſimum occupata eſt.
4. Moderata autem durant, & omnes *tumultuariæ* euacuationes tantum nocent, quantum *moderatæ* proſunt.
5. *Motuum* magis quam *materiæ* reſpectum in omnibus morbis habere conuenit: qui proinde, ad euitandum errorem ſatis communem, non temere ſiſtendi ſunt.
6. Ad tempora morborum ſemper etiam reſpiciendum eſt, videlicet num curſu anni legitimo inuadant, ætati ægrorum quadrent, debitasque periodos exhibeant.
7. Denique Medicus dictum ſibi putet, quod facilius ſit, prorſus motus ſupprimere, quam moderari. Cauendum igitur eſt a falſo illo elogio, quod *opiata* ad moderamen tantum motuum, non autem ad completam ſuppreſſionem propinari poſſint & debeant.

TAB.

# TABVLA II.

## DE

# PLETHORA.

Felettéb való Nedveség

I. DEFINITIO.

Plethora eſt abundantia ſanguinis, ordinariam & debitam proportionem excedens, atque multis morbis anſam præbens. Deriuatur a πλήττω, impleo.

II. *DIFFERENTIA.*

Plethora eſt vel

1. *Simplex*, vbi ſanguis quantitate quidem excedit, ſed nondum deprauatus eſt. Vel
2. *Complicata*, ſeu cum cacochymia coniuncta, id eſt, vbi vel notabilis ſpiſſitudo, vel alia dyſeraſia humorum accedit.
3. Plethora porro diuiditur in eam, quæ eſt
   a) ad *vaſa*, quando ſanguis ſimpliciter abundans vaſa turgida reddit, ſine vlla notabili moleſtia.
   b) ad *vires*, in qua inſignis laſſitudo artuum, ac torpor membrorum accedit.
4. Plethora *ſibi relicta* bene diſtinguenda eſt a *commota*, vbi ebullitio & orgaſmus ſanguinis concurrit.

III. *SIGNA.*

1. Conſtitutio corporis plerumque florida & ſana.
2. Vſus rerum, non naturalium dictarum, ſatis tolerabilis.
3. Speciatim tolerantia optima ciborum & ſomnus bonus, profundus ac quietus.
4. Quando autem plethora commouetur, vel corpus calore externo moleſtius adficitur, iactatio inquieta ſomnum turbat.
5. Et tum inſomnia anxia ac præfigurationes effuſionum ſanguinis, pluuiæ, tranſitus per profundas aquas, vulnerationis per bombardas & gladios accedunt.
6. Adſpectus faciei rubicundus in *ſanguineis*, ſpongioſis; in *cholericis* autem & *melancholicis* notabilis vaſorum inflatio.
7. Artuum grauitas & ſtupida adflictio, vulgo obdormitio.

8. Vn-

8. Vnde ſegnities ad laborem, & repentina ſub qualicumque motu inconſueto fatigatio, palpitatio cordis, atque reſpirationis difficultas oritur; præcipue quando ſcalas vel alia loca accliuia ſcandunt. Quando autem poſt motum ad requiem veniunt, ſenſum contuſionis perſentiſcunt.

9. Capitis vertiginoſa aut temulenta adflictio, quando verſus terram incuruatur, & repente iterum tollitur.

10. Sub leui excalefactione, quam cito plethorici incurrunt, obtingit ſenſus in cute leuiſſimæ punctionis, quaſi ſeta compungeretur.

11. Facilis ſenſatio a frigore & æſtu.

12. Oculi continuo humidi.

13. Senſatio illa in feminis hyſtericis, ac ſi fruſtum glaciei capiti impoſitum eſſet, de plethora etiam teſtatur.

14. De reliquo plethorici continenter fere pulſum habent magnum & plenum.

IV. *SVBIECTA.*

Plethoræ plerumque expoſiti ſunt homines

1. Otioſi & de diæta plena atque lautiore gaudentes.
2. Aetas iuuenilis præ ſenili.
3. Sexus femininus præ virili.
4. Qui euacuationibus ſanguinis, ſiue naturalibus ſiue artificialibus, largiter antea adſueti fuerunt, iam autem illas, ſiue ſuppreſſas, ſiue omiſſas, negligunt.
5. Qui vitæ genus laborioſum in otioſum & ſedentarium mutarunt, ratione nutrimenti autem corpori nihil detraxerunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *efficiens* eſt ipſa prouida natura, quæ in iunioribus corporis incremento, in viris viribus ad labores perferendos, in feminis autem negotio generationis proſpicere intendit; vbi omnino aliqua penus adeſſe debet. Hinc erroris non accuſanda eſt natura, dum abundantem ſanguinem generat. Quando autem hi fines non obtinentur, quid miri? ſi morboſa conſectaria introducuntur.
2. Cauſſa *materialis* in ſubiectis iam indicata eſt, nempe
   a) diæta largior cum otio & vita ſedentaria coniuncta.
   b) Suppreſſio hæmorrhagiarum conſuetarum.

VI. *PRO-*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Plethora *morbus* quidem adpellari nequit, eſt autem multorum morborum *mater.* Impedit enim ſanguinis circulum, & energiæ motus multum negotii faceſſit. Hinc debitæ ſecretiones & excretiones impediuntur, & varia craſeos vitia ſenſim introducuntur, donec tandem organa vitalia labem contrahant.

2. Plethora per exagitationem corporis vel animi *commota* v. g. per celerem motum, regimen ſudoriferum, potum ſpirituoſum, partum difficilem, iracundiam &c. ineffabile damnum adferre ſolet.

3. Præcipue facile oriuntur congeſtiones, oppletiones, infarctus, ſtaſes, inflammationes, febres acutæ, ſpasmi, efferæ hæmorrhagiæ.

4. Leuiores morbi plethoricis obuenientes contumaciores ſunt, quam in aliis ſubiectis; multo magis autem grauiores & periculoſæ febres.

5. Quoniam plurimi plethoricorum motum corporis laborioſum, ceu remedium efficaciſſimum, renuunt, morbi etiam, præcipue chronici, a plethora dependentes, funditus in illis non poſſunt exſtirpari.

6. Plethora, quæ ab hæmorrhagiis ſiue naturalibus, ſiue artificialibus ſuppreſſis vel neglectis, oritur, facilius morbos producit, quam reliqua.

7. Incommoda, quæ a plethora dependent, certius & citius ſoluuntur per hæmorrhagias naturales, quam per artificiales.

8. Plethora cum *ſpiſſitudine* & *cacochymia* coniuncta, non ſolum plures morbos, quam *ſimplex* generat, ſed & varias morborum anomalias inuoluit.

9. *Nimia obeſitas* ſeu *corpulentia*, quæ præcipue ſanguineis ex plethora interdum prouenit, actiones animales & vitales, interdum etiam naturales, offendit, atque multis incommodis & periculis ſenſim inferendis par eſt. Facile enim adfectus rheumatico-arthritici, catarrhales, anguſtiæ præcordiorum, palpitationes cordis, aſthmata, ſuffocationes, apoplexiæ ſuccedunt.

10. Ipſe *Hippocrates* paſſim adnotauit, quod in hoc *athletico* cor-

poris habitu, tamquam ſummo ſanitatis gradu, diu ſubſiſtere non poſſimus, & eiusmodi ſubiecta repente ſaepius moriantur.

11. *Feminas* plerumque facit *ſteriles*, & ſi omnino conceperint, abortum non raro experiuntur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Plethoram *ſimplicem* imminuunt duo remedia ſatis efficacia, nempe
   1) *cibus* parcior, &
   2) *motus corporis* ſufficiens, placidus & continuus.
2. Hæc duo autem remedia efficaciſſima, imo fere vnica, quia a multis plethoricis repudiantur, Medicus *duo alia*, ſed minus efficacia, ſubſtituere cogitur, nempe
   a) *laxationes* & *ſudationes* leniores, ſingulis fere menſibus, exceptis calidis & frigidis, repetendas. Noti ſunt hoc nomine *noduli laxantes* cum *elleboro nigro* combinati. Sed quam parum poſſint, experientia docet.
   b) *Venæ ſectiones* æquinoctiales, luna decreſcente, in pedibus alternatim inſtituendas. De plethora prægnantium, venæ ſectione ſubleuanda, *videatur tabula de adfectibus grauidarum.*
3. Plethora *commota* expoſcit
   a) Orgaſmum ſanguinis temperantia; quo nomine egregie conducunt nitr. depurat. ocul. cancr. acido citri ſaturat. conch. præparat. &c.
   b) Hæmorrhagiarum naturalium ſuppreſſarum, præcipue autem menſium & hæmorrhoidum ratio habeatur. His enim reuocatis artificiales ſæpiſſime poſſunt omitti.
4. Plethora cum *ſpiſſitudine* ſanguinis & *cacochymia* complicata, quomodo tractanda ſit, ſequentes duæ tabulæ docebunt.
5. De *obeſitate nimia* tractenda ſub *cautelis* pauca dicemus.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quod plethora detur, atque corpori detrimento ſit, ipſe iam *Hippocrates* obſeruauit, dicens libr. de ſanitate tuenda: *ſanguis quum abundat, valetudinem vitiat.* Et ſane tam ratio-

rationes ſolidæ a priori, quam experientia practica a poſteriori faciunt, vt flacceſcant floſculi illi rhetorici, quos *Helmontius* & ipſius aſſeclæ de *theſauro & balſamo vitæ*, cuius non poſſit dari exceſſus, in medium proferunt.

2. *Venæſectiones* & *ſcarificationes*, quam ſalutariter plethoricis eueniunt, ſi legitimo tempore & iuſta ratione inſtituuntur, tam notabilia damna iisdem ſuccedunt, quando immature & peruerſe adminiſtrantur. Hinc cauendum

a) ab inſufficiente ſanguinis emiſſione, quia facile adfectus ſpaſtico-arthritici, eryſipelacei, febres acutæ & inflammatoriæ proueniunt.

b) ab immatura venæ ſectionis inſtitutione. Quando enim eo tempore ſuſcipitur, quo variæ ſanguinis commotiones a quibuscumque cauſſis inductæ ſunt, ſæpisſime morbi, inprimis acuti, ſiue inducuntur, ſiue augentur. Præſtat igitur ebullitionem ſanguinis per nitr. & temperantia prius placare, vel decurſum præſentis morbi exſpectare. Sic etiam minus conducit venæ ſectio circa ſolſtitia.

3. *Venæſectio* omnibus generatim hominibus, vtrique ſexui, & cuiuis ætati conuenit, exceptis fere admodum iunioribus. *Plura videantur tabula chirurgica de Venæ ſectione.*

4. *Scarificatio* minoris eſt efficaciæ, & non niſi in ſubiectis ſpongioſis, in adfectibus intercutaneis, item per paroxyſmos repullulantibus laudatur, ſub hac autem cautela, vt frequentius, ad minimum ſingulis anni quadrantibus, repetatur. *Conferatur tabula chirurgica de ſcarificatione.*

5. Quando incommoda plethoræ per euacuationes ſanguinis artificiales ſublata ſunt, & æger ad plenam reſtitutionem peruenit, caueat ſibi, ne temere easdem prætermittat, quia certius inde damnum ſubſequitur.

6. Plethora *commota* quia grauia damna producere poteſt, vti ſub *prognoſi* indicauimus, quam maxime caueat ſibi ægrotans ab omnibus remediis calidis & orgasmum ſanguinis inducentibus; cuius cenſus ſunt alexipharmaca calida, cumprimis ſub regimine coacto propinata, olea deſtillata, purgationes vehementes, emeſes, diæta ſpirituoſa & aromatica,

balnea & pediluuia nimium feruida, & motus corporis repentinus ac violentus.

7. Plethoræ euacuatio per interna medicamenta directe & immediate fieri non poteſt, ſed vel agitando & mobilem reddendo ſanguinem, vel naturam ad excretionem ſtimulando, efficaciam ſuam edunt; vnde *Paracelſi* adſertum de *helleboro* & *chamaedri*, quod ſcilicet *tantum* ſanguinis e corpore expurgent, *quanto pondere* propinata fuerint, cum grano ſalis accipiendum eſt.

8. Non imminuta prius ſanguinis *quantitate*, nemo in animum inducat, *qualitatem* cacochymicam corrigere.

8. Incommoda plethoræ, quando infimas corporis partes infeſtant, venæ ſectio in brachio inſtituatur, ſi vero ſuperiores partes obſident, in pede adminiſtranda eſt, non vrgentibus autem incommodis, ad ætatem reſpicitur. Hæc obſeruatio hodie prorſus fere exoleuit. *Vid. tabul. chirurgica de venæ ſectione.*

10. *Nimia obeſitas* vti totam vitam ſatis moleſtam reddit, ita & in Medicis multas deliberationes excitauit, qua fieri poſſet ratione, vt eiusmodi ſubiecta ab hoc onere liberarentur.

11. Sed ſi dicendum quod res eſt & experientia docet, irrita & manca ſunt conſilia plurimorum. Secundum enim *veteres hepar calidum* temperare, vel ſecundum *recentiores* illud *fermentum* aut *ſal* ſubigere & corrigere, quod lympham pinguem coagulat, id vanis ſpeculationibus ſuperſtructum eſt.

12. Immo ne illa quidem methodus, quæ ſanis rationibus innititur, hic ſufficit. Licet enim blandæ laxationes & venæ ſectiones æquinoctiales inſtituantur, excretiones naturales promoueantur, & diæta tenuiſſima imponatur, hæc tamen omnia obeſitati nihil detrahunt. Hinc curioſa quidem, ſed ad hunc finem inepta eſt *Sanctorii medicina ſtatica*, licet celeberr. *Boerhaue* de hoc libello iudicet, quod nullus in re medica liber ad eam perfectionem ſcriptus ſit.

13. Multo minus operæ faciunt pretium illa remedia, quæ *ſpecifica* paſſim celebrantur, e. gr. piper, ſal abſinthii, ſuccus citri, acetum ſquilliticum, decoctum ligni ſancti, maſticatio foliorum tabaci, & quæ alia auxilia vulgo laudantur.

14. Per

14. Per *ſaliuationem*, fortiſſima *purgantia*, frequentes *ſudationes* &alia impetuoſa remedia corpulentiam nimiam remouere, temerarium & periculoſum eſt tentamen.

15. Exiguum etiam emolumentum adferunt *chirurgica præſidia*, videlicet veſicatoria, fonticuli, puncturæ cum acubus, vt pinguedo effluere debeat.

16. Moderatus vſus *thermarum* & *acidularum* ſalutaris quidem ſubinde obſeruatur, ita vt corpulentiæ quid detrahat & ſpeciatim ſterilitatem in obeſis feminis auferat, breui tamen poſt priſtinum pondus reſarcitur.

17. Sic & *febres acutæ* atque *intermittentes* auferunt quidem ſæpius obeſitatem ad ſummam vsque corporis extenuationem, non raro autem id, quod conſumtum eſt, mox recuperatur.

18. Hinc niſi vita otioſa & ſedentaria in laborioſam eamque *ſufficientem* per prudentes ſucceſſus & gradus mutetur, reliqua omnia erunt manca & inepta. In laborioſis enim, quamquam habitus corporis pinguis nonnumquam reperiatur, ad excedentem tamen corpulentiam non pertingit.

---

# TABVLA III.
## DE
# SPISSITVDINE SANGVINIS.

I. D*EFINITIO.*

*Spiſſitudo* ſanginis eſt *conſiſtentia* humorum juſto craſſior, a plethora & motuum defectu originem ducens, variisque morbis occaſionem præbens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Spiſſitudo eſt
   1) vel *ſimplex*, quæ a dyſcraſia humorum adhuc libera eſt.
   2) vel *complicata*, quæ variis ſpecialibus inquinamentis & ſpiſſitudinibus humorum coniuncta, &, vt vulgo dicunt,

dicunt, qualificata eſt. Eiuſmodi ſpecificæ ſpiſſitudines occurrunt v. g. in ſcorbuto, lue venerea, item in febribus quibusdam malignis.

2. Hoc loco de *ſimplice* tantum ſpiſſitudine, aliis autem in locis de *complicata* dicemus.

3. Ceterum diſtinguunt etiam inter ſpiſſitudinem *generalem*, vniuerſam ſanguinis maſſam occupantem, & *ſpecialem*, in certa corporis regione, vel in certis viſceribus obſeruandam.

III. *SIGNA.*

1. Laſſitudo & grauitas totius corporis, præcipue autem artuum.
2. Animus torpidus & anxius. Schweres Blut, ſchwerer Muth.
3. Frequentes pulſus & motus tonici mutationes.
4. Vnde caloris & coloris viciſſitudines dependent, & habitus corporis modo ſtrictior, modo laxior adparet.
5. Reſpirationis difficultas cum anguſtia præcordiorum, & cordis palpitatione.
6. Excretionum naturalium omnium qualiscumque retardatio.
7. Somnus inquietus & anxius cum inſomniis terrificis.
8. Sanguis per venæ ſectionem, vel alio modo emiſſus, eſt nigricans, & nexu ſuo firmiter cohæret, ita vt ſeroſa portio cito & facile non ſecedat.

IV. *SVBIECTA.*

Spiſſitudini ſanguinis præcipue obnoxii ſunt

1. Melancholici, vel ſanguineo-melancholici.
2. Populi ſeptentrionales præ meridionalibus.
3. Seniores præ iunioribus.
4. Feminæ præ viris.
5. Præcipue ſedentarii, otioſi, litterati.

V. *CAVSSAE.*

1. Origo ſpiſſitudinis humorum a *motus circulatorii ſegnitie* dependet: ſanguis enim floridus & optimus ſegni quiete ſpisſeſcit, & longa mora concreſcit.
2. Motus autem circulatorii ſegnities quam maxime & primario dependet

1) a *plethora*, quæ mole ſua proportionem & vim motuum ſuperat, & vaſa nimium replet.

2) *a motus voluntarii neglectu*, præcipue quando natura ſimul per profundas meditationes & ſpeculationes ab actionibus vitalibus auocatur.

3. Hæ cauſſæ primariæ quando adſunt, reliquæ, quas iam indicabimus, iniuriam facile vlteriorem inferre poſſunt. Abſentibus autem illis, parum iuris habent

1) Refrigerationes immodeſtæ.

2) Diæta craſſa, acida, potus parcior.

3) Animi mœrores.

4. *Venena* & *philtra* repentino & violento quaſi modo ſanguinem inſpiſſant, eoque ipſo periculoſos immo lethales adfectus producunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Spiſſitudo ſanguinis non tantum ſonticos morbos producit, ſed & alios, aliis ex cauſſis natos, pertinaciter ſuſtentat.

2. Sæpius morbos chronicos parturit, rarius acutos, rariſſime repente funeſtos, niſi quidem ex veneno, philtris & aliis repentinis cauſſis inducta ſit.

3. *Venam portæ* ſpiſſitudo præ aliis adficit, & vniuerſum apparatum mali hypochondriaco-hyſterici cumulat. Quo maiora itaque incrementa ſumſit ſpiſſitudo, eo grauiora quoque per eamdem pathemata producuntur.

4. Et quoniam talis inueterata ſpiſſitudo tam internas, quam externas corporis regiones occupat, paucis diebus non poteſt auferri; id quod contra tumultuariam & impetuoſam methodum in adfectibus melancholicis & aliis probe obſeruandum eſt.

5. Spiſſitudo vti a motus ſegnitie primum dependet, ita liberum circulum reciproce magis magisque impedit. Vnde oppletiones, inflationes, diſtenſiones, ſtagnationes inducuntur, ita vt ſpiſſitudo *ſimplex* in *complicatam*, id eſt, *cacochymiam* tandem deuoluatur.

6. Et quem ad modum plethora rarius per ſe, ſed per ſpiſſitudinem demum in morbidum ſtatum transmigrat, ita viciſſim ſpiſſitudo in ſeroſos humores eminentius & quaſi ſeorſim

ſe

ſe extendit, & ſine plethora peculiares morbos generat.

7. Et hæc ſunt communiſſima pathemata, quæ a ſpiſſitudine tamquam cauſſa *materiali* producuntur. Præter autem ea eſt ſimul cauſſa *impulſiua, propter quam* varii motus vitales *extraordinarii ſpaſtici* a natura ſuſcipiuntur, vt vlteriores noxæ, nempe ſtaſes & corruptiones, præſcindantur.

8. Ab his ſpaſticis motibus reſiſtentibus dependet, quod veræ *obſtructiones*, quæ ex cauſſis phyſicis in vaſis exiliſſimis frequentes eſſe deberent, multo rariores ſint, quam vulgo venditantur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Alnus* per moderatiſſima laxantia, diluentia, ſalina, aperiatur, & aperta ſeruetur.

2. *Plethora* per venæ ſectiones, vel etiam in ſucculentis per ſcarificationes imminuatur. Quantitatis enim remotione non præmiſſa, fruſtra erunt omnia reſoluentia & attenuantia.

3. *Euacuationes ſanguinis* naturales ſuppreſſæ reuocentur, & ſpeciatim hæmorrhoides in viris per iuſtam hirudinum applicationem reſpiciantur.

4. Præmiſſis euacuantibus *corrigentia*, nempe diluentia & reſoluentia temperata ex radicibus & herbis forma infuſi vel decocti ſubiungantur.

5. *Diæta* humectans, parum edendo & multum bibendo, côniungatur: calida aromata & ſpirituoſa excludantur, vinum, modice ſumtum, in vſum trahatur ab iis, quorum circumſtantiæ ſumtus tales tolerant.

6. Præcipue autem *motus corporis* placidus & ſufficiens eligatur. Hoc enim neglecto, reliqua omnia vel nihil vel parum efficient.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Eſt quidem *motus corporis* præſtantiſſimum & tantum non vnicum ſpiſſitudinis corrigendæ remedium, notandum autem quam maxime, quod ſubiecta, hoc adfectu laborantia, quia labori non adſueta ſunt, plus ſub initium incommodi, quam leua-

leuaminis ex hoc remedio percipiant, atque eam ob cauſſam illud mature omittant. Hinc quouis modo cauendum, ne motus corporis impetuoſe, fortiter & nimis diu primis temporibus ſuſcipiatur, & damna illa, quæ a plethora commota proueniunt, producantur: Moderate potius & conſtanter omnia ſunt peragenda.

2. Sic & omnia remedia pharmaceutica, quæ *impetuoſe* agunt, plus damni, quam emolumenti adferunt, e. g. emetica, purgantia fortiora, diaphoretica calida cum regimine coacto, volatilia, ſpirituoſa, oleoſa & reliqua, quæ ſanguinem exagitant.

3. Euitetur error ille crasſiſſimus & vulgatiſſimus, qui ſpaſmos illos, quibus natura ſtaſes craſſorum humorum impedire adlaborat, per *anodyna opiata* tractare ſolet.

4. Non minus euitentur *martialia.* Vis enim aperiens & reſoluens, quæ vulgo illis tribuitur, multa diſcretione accipienda eſt.

5. *Thermarum* & *acidularum* circumſpectus vſus hic non reiicitur, ſi modo reliqua paria ſint, & præcipue ſufficiens corporis motus coniungatur.

6. Minoris efficaciæ ſunt *balnea*, tepide adhibita, quibus humores copioſius ad peripheriam inuitantur, & fluiditatem quamcumque ibidem nanciſcuntur.

7. *Chirurgia infuſoria*, quæ aliquando ſanguini ſpiſſo cacochymico emittendo, & nobiliori infundendo deſtinabatur, hodie exoleuit. Neque etiam facile locum inuenit, quia talia ſubiecta plerumque ſunt tenerrimo ſenſu prædita. *Conf. tabul. Chirurgica de transfuſione ſanguinis.*

# TABVLA IV.
## DE
# CACOCHYMIA.

I. DEFINITIO.

*Cacochymia* eſt deprauatio *craſeos* in maſſa ſanguinea, varias humorum inquinationes inuoluens, atque a ſuppreſſione debitarum ſe- & excretionum frequentiſſime originem ducens. Deriuatur a κακὸς, malus, & χυμὸς, ſuccus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Cacochymia ſtrictiore quidem ſignificatione *mixturam humorum* innoluit, videlicet quando impuritates ſalinæ, bilioſæ, acidæ, fæculentæ, mucoſæ maiore quantitate cum humoribus mixtæ ſunt.
2. Latiore autem ſenſu prauitatem etiam *conſiſtentiæ* comprehendit, quando ſcilicet humores vel nimis ſpiſſi, vt in ſcorbuto incipiente, vel nimis tenues, vel nimis oleaginei exſiſtunt.
3. Et quoniam partes *ſolidæ* pedetentim ſimul infeſtantur, adparet inde arctum vinculum, quod *cacochymiam* & *cachexiam* connectit.
4. Diſtinguunt vulgo cacochymiam
   1) in *benignam*, quæ iterum diuiditur
      a) In *bilioſam*, quæ e. g. in ictero occurrit-
      b) *Salſam*, quam v. g. in ſcabie obſeruamus.
      c) *Mucoſam*, quæ in plurimis ſic dictis catarrhis apud phlegmaticos obſeruatur.
      d) *Aquoſam*, quam hydropici adfectus ſiſtunt.
   2) In *malignam*, quæ in lepra, lue venerea obſeruatur, & de qua ſuo loco dicemus.
5. Porro etiam diſtinguunt cacochymiam
   1) in *ſimplicem*, quæ nullo alio morbo iuncta eſt, raro autem occurrit.
   2) *Compoſitam*, quæ cum aliis morbis e. gr. plethora ſpaſmis

ſmis, adfectibus hypochondriaco hyſtericis complicata eſt.

6. Ceterum *impuritas* ſanguinis, quæ in cacochymici ſpræſto eſt, differt a vera illius *corruptione*, ti *cauſſa* ab *effectu*. Eius modi enim deprauatio humorum ſæpe excurrit in effectus vlcerosos; id quod in ſcorbuto, lue venerea &c. obſeruamus; quorum morborum effectus corruptiuus ipſum malum pertinaciter poſtea ſuſtentat.

III. *SIGNA.*

1. Quando *craſis* & *conſiſtentia* humorum deprauata eſt, *organa colatoria* ſenſim læduntur.
2. Hinc impuritates debite neque ſecernuntur, neque excernuntur.
3. Speciatim excretiones *alui* & *ſudoris* langueſcunt.
4. *Appetitus* eſt deprauatus.
5. *Somnus* turbatus.
6. *Habitus corporis* plerumque eſt pallidus & tumidus, ſubinde etiam flaueſcens aut liueſcens.
7. Quando *ſanguis* quocumque modo emittitur, vitioſa illius craſis ipſis adeo oculis exhibetur.
8. *Vrina* eſt pallida & interdum turbida.
9. *Animus* etiam eſt torpidus & commotionibus facile expoſitus.

IV. *SVBIECTA.*

1. Hic eadem primum ſubiecta accuſanda ſunt, quæ *præcedente tabula* nominauimus.
2. Poſt hæc ſpeciatim cacochymia corripiuntur, quæ cum ſcabioſis, leproſis, lue venerea correptis &c. intimius commercium habent.

V. *CAVSSAE.*

1. Cacochymiam deriuant vulgo ex intricata illa theoria de *generatione ſalium* in corpore noſtro, & quem ad modum multas ſalium ſpecies ſupponunt, ita etiam ex quauis ſpecie ſpeciales morbos fingunt.
2. Ne vero in diffuſum illud & confuſum chaos dilabamur, in quod vulgaris pathologia tantum non omnes morbos, tamquam in ſuam originem, reſorbet, & *cacochymiam* ſuam *ſcorbuticam* vbique ebuccinat, bene hic repetenda & digne conſide-

 ſide-

ſideranda ſunt, quæ ſub *cauſſis praecedentis tabulæ* diximus.

3. Certiſſimum enim eſt, quod plurimi *qualitatum* morbi a *quantitate*, & hæc a *vita otioſa* dependeant. Atque hæc notanda ſunt præcipue contra *Helmontium*, qui, negans cacochymiam, dicit: *ſi datur cacochymiã, exoptat purgationem, non venæ ſectionem.*

4. Confirmatur hæc res toto die. Notum enim eſt, quod laborioſi homines, licet diæta vtantur cruda, fælina, fæculenta &c. meliorem tamen ſanguinem habeant iis, qui ſunt otioſi; licet cibos molles, euchylos optime nutrientes ſumant, & omnia in diæta ac vſu medicamentorum impendant, vt ſanguinem purum accipiant.

5. Itaque dicimus, quod *læſa proportio motus ad humores, & humorum vice alterna ad motus* palmarium fundamentum ſit cacochymiæ. Sic enim impuritates ſufficienter non poſſunt ſequeſtrari & excerni. Speciatim ſerum retentum inſpiſſat lympham, atque humores ſalinos & tilioſos in conſortium ſuum trahit, vnde reliquam ſanguinis maſſam, intrando hanc, conſpurcat.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. Cacochymia tam frequenter quidem non occurrit, quam vulgo accuſatur; vbi autem re vera adeſt, malum ſonticum deprehenditur. Quem ad modum enim lentis ſucceſſibus introducitur, ita altas agit radices, humoribus laudabilibus intime inhæret, & ipſas partes organicas ſolidas pedetentim lædit.

2. Subitanea hinc & tumultuaria curatio plus nocet, quam prodeſt. Hac enim ratione heterogeneitates ſalino-mucido-bilioſæ ex vinculo maſſæ ſanguineæ non eliminantur, quia maſſæ laudabili, vti dictum, tenaciter adhærent.

3. *Complicata* deterioris eſt conditionis, & multo longiorem expoſcit curationem.

4. Cæterum ſi *Ettmullerus* dicit: *Cacochymiæ proles eſt cachexia*, explicatur id per ea, quæ num. I. de partibus ſolidis dicta ſunt.

VII. *ME-*

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Quid ars in abſtruſo hoc negotio valeat, ſequentia docent.

1) Impuritates ſunt *corrigendæ*, & quidem

1) *Mucidæ* per diluentia, attenuantia, incidentia & reſoluentia, vt eo melius per loca excretoria euacuari posſint. Faciunt hoc

a) *Radices* temperatæ ſulphureo-reſinoſæ, e. g. ari, vincetox. pimpin. alb. zingib. drac. eſculent. ſquill.

b) *Herbæ* eiusdem commatis.

c) *Gummata* temperata: e. g. amm. galb. ſagapen.

d) *Salia* media: tartarus vitriolatus, nitrum antimoniatum, arcan. duplicatum.

e) *Tincturæ* alcalinæ: e. g. antimonii, ſalis tartari.

2) *Salino-acres* & *bilioſæ* per abſorbentia cum nitro miſcenda, it. mucilaginoſa & gelatinoſa.

2. Facta correctione & præparatione *euacuatio* mox ſubiungenda: hac enim non ſubiuncta, fruſtra eſt correctio. Nam *nullæ impuritates ita poſſunt corrigi, vt pro humoribus laudabilibus poſſint reputari.* Hinc

1) Blandæ *laxationes* corrigentibus ſubinde interponantur, vel *laxationes per epicraſin*, quæ vtrique ſcopo ſatisfaciunt, inſtituantur.

2) *Diaphoreſes* & *diureſes* promoueantur per ſuperius indicatas radices, herbas &c. Efficacisſime autem per placidum & ſufficientem *corporis motum.*

3) *Hæmorrhagiæ* naturales ſuppreſſæ reuocentur e. g. menſes, hæmorrhoides.

3. Denique *tonus roboretur*

1) per neruina temperata e. g. per mixturam tonico-neruinam *Stahlii.*

2. - Martialia e. g. tincturam martis *Ludouici.*

3) - Diætam moderate aromaticam & vinoſam.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Communisſimum & vulgatisſimum deſiderium eſt ægrotorum, vt Medicus *ſanguinem purum* medicamentis ſuis reddere debeat. Sed hoc opus, hic labor, quoniam cauſſa

 prin-

principalis, nempe vita otioſa, in quam, plurimis ægris non poteſt remoueri. *Conſ. num. 5. & 6.*

2. *Veteres* per cacochymiam ſubaudiebant *genericam ſanguinis depravationem*, in varias ſpeciales inquinationes propendentem, atque hæc cacochymia tolerabili effectuum numero ab illis circumſcribebatur; *recentiores* autem *cacochymiam* ſuam *ſcorbuticam* in *figuras* ac potentias *innumeras* extendunt, & *modos materiæ* ita multiplicant, vt in qualibet ſpeciali parte certam materialem figuram quærant, cuius acumina obtundi debeant.

3. Conceptus *Hippocratis* de *mille ſaporibus* huic conceptui anſam dediſſe dicitur, ſed *ſenex* ille magis, quam rimatores illius excuſandi ſunt: monet enim prudentisſime, nihil omnium horum ſaporum alterare corpus, niſi in ſuo genere plane *excellat* & energia ſua *excedat*.

4. Cæterum negari non poteſt, quod natura ſatis compos ſit innumeras nouas mixtiones, quas nos ne mente quidem adſequi valemus, formare.

5. Quoniam optimus & floridus ſanguis ſub motu ſuo circulatorio in dies & horas ita reſoluitur, vt bonus eſſe deſinat, corpori noxius euadat, & hinc impuritatem humorum augeat, neceſſe quoque eſt, vt ſingulis diebus & horis tale remedium ad manus ſit, cuius ope hæ inquinationes remoueantur.

6. Quis autem hic non videt, decantatas ſanguinis depurationes, quas vulgo circa æquinoctia præſcribimus, hic non ſufficere. Sic etiam transfuſio boni ſanguinis, quam olim in hunc finem laudabant, & ex vno corpore in aliud deriuabant, huic rei non ſatisfacit. Si enim omnino per ſubiectorum quorumdam minorem teneritudinem fieri poſſet operatio, ſæpisſime tamen repetenda eſſet, ob dictam inquinationem, in maſſa ſanguinea quotidie exorientem.

7. *Euacuatio* impuritatum plus valet, quam *correctio*, cuicumque etiam ſpeculationi ſuperſtructa. Hæc enim, niſi euacuationem habeat ſubiunctam, magis auget, quam tollit cacochymiam, quia per remedia talia, quæ corrigentia audi-

audiunt, multæ terreſtres, ſalinæ & ſulphureæ partes in corpus ingeruntur.

8. *Thermarum* & *acidularum* vſus, qua circumſpectione indigeat, *præcedente tabula* indicauimus.

9. Cæterum valent hic eædem cautiones, quæ *præcedente tabula* indicatæ ſunt.

---

# TABVLA V.

## DE

# HÆMORRHAGIIS GENERATIM.

I. D*EFINITIO*.

Hæmorrhagia naturalis eſt vitale negotium naturæ, ſeu principii agentis in corpore humano, quo ſincerus ſanguis, quantitate plurimum excedens, euacuatur, ad motum ſanguinis progreſſiuum facilitandum, & incommoda grauia, quæ plethora inducere valet, præcauenda. Deriuatur ab αἷμα, ſanguis, & ῥήγνυμι rumpo.

II. *DIFFERENTIA*.

Hæmorrhagiæ ſunt vel

1. *Naturales*, quæ ab interna cauſſa, directione, & tacita quaſi commotione, nempe ab ipſa natura, dum per motum tonicum ſanguinem ad ſpecialem locum congerit, excitantur. Hic excluduntur quidem cauſſæ violentæ, non autem aliæ occaſionales externæ. Species ſunt

1) Hæmorrhagia narium.
2) Hæmoptyſis.
3) Hæmorrhoides.
4) Fluxus menſium.
5) Fluxus lochiorum.
6) Vomitus cruentus.
7) Mictus cruentus.

2. *Præternaturales*, quæ a cauſſis externis & violentis originem ſumunt, e. g. a lapſu, adliſione, vulneratione, corroſiuis. Huc etiam pertinent hæmorrhagiæ artificiales, per venæ ſectionem, ſcarificationem, &c. inductæ.

3. Hæmorrhagiæ naturales poſſunt etiam dici *actiua*, & præternaturales *paſſiua*.

4. Naturales dicuntur, non quod de natura & eſſentia hominis ſint, nam multi ſexus maſculini per totam vitam ab hæmorrhagiis immunes viuunt, ſed quod *natura* hoc remedio vtatur, quando per corruptos hominum mores plethora inducta eſt.

5. Sunt adhuc aliæ ſanguineæ excretiones, quæ extraordinariam & pertinacem agentis intentionem indicant, nempe

1) Quando e. g. in *brachio* vel *pede* ſanguis ſponte erumpit, de qua re notabile exemplum reperitur in *diſſert. Stahlii de motu tonico vitali*.

2) Et notæ ſunt abunde *varicum* in cruribus fluxiones.

3) De mirabili quadam hæmorrhagia per *vmbilicum* legi meretur *Hildanus cent. 3. obſ. 37.*

4) De *ſudore ſanguineo*, modo vniuerſali, modo particulari, multa exempla paſſim leguntur, quæ ſingulæ ad *naturales* fluxus omni iure referendæ ſunt.

6. Hæmorrhagiæ differunt ratione *ætatis* e. g.

a) Hæmorrhagia narium familiaris eſt iunioribus:

b) Hæmoptyſis mediæ ætati,

c) Hæmorrhoides & mictus cruentus ætati prouectae,

Ab his per aetatem differentibus haemorrhagiis dependent *morbi ætatum*. Vid. *Stahlii diſſ. de morbis ætatum.*

7. Differunt etiam ratione *indolis*, aliae enim ſunt *modicæ* & bonae, aliae *nimiæ* & *malæ*.

8. Differunt denique ratione *temporis*.

a) Aliae certa tempora obſeruant, & hinc *periodicæ* dicuntur; ad quas etiam referri poteſt haemorrhagia *critica*, in febribus continentibus contingens.

b) Aliae ſtatas periodos non obſeruant, & hinc *vagæ* dicuntur.

III. SI-

III. *SIGNA.*

1. Hæmorrhagiæ *ſimplices*, a cauſſis *mere internis* prouenientes, *tacite* quaſi, & ſine vllo notabili ſenſu, impetu & incommodo plerumque oriuntur.

2. Quando autem omnino ſenſus aliquis præcedit aut concurrit, eſt ille plerumque tantum tendens, grauans & premens.

3. Quo *inſignior* autem plethora adeſt, eo difficilius cedit negotium, & eo facilius dolores pungentes & lancinantes circa illam regionem ſeſe exſerunt, in qua excretio ſanguinis intenditur.

4. Ceſſant autem hi dolores & reliqua incommoda, quam primum hæmorrhagiæ legitime ſuccedunt.

5. Cæterum *moderatæ* hæmorrhagiæ ſponte ſua poſt ſufficientem euacuationem ſubſiſtunt; quæ vero *turbantur*, multas anomalias & eruptione & progreſſione & ceſſatione inuoluunt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Hæmorrhagiæ omnibus fere ætatibus ſolemnes ſunt, cuiuis tamen ætati per peculiaria loca, vti ſub *differentia* indicatum eſt. *Conf. Hippocrates III. Sect. 27. & 29. aphor.*

2. Inprimis tamen hæmorrhagiis obnoxii ſunt iuniores, qui ſanam & floridam habent conſtitutionem.

3. Plethorici, indolis *agilis* & *ſenſibilis*, id eſt, temperamenti ſanguineo-cholerici, ſanguineo-melancholici, vel cholerico-ſanguinei & melancholico ſanguinei.

4. Magis illi, qui ſanguinem fluxilem, ſanum & floridum habent, quam alii, qui eiusdem dyſcraſia laborant.

5. Qui de aromatica & vinoſa diæta gaudent.

6. Maxime omnium, qui vehementibus animi commotionibus, præcipue autem iracundiæ expoſiti ſunt. Hinc

7. In brutis hæmorrhagiæ ſatis raro obſeruantur.

V. *CAVSSAE.*

1. Hæmorrhagiarum cauſſa *materialis* eſt plethora, conſentientibus pleriſque antiquis.

2. *Simplex* autem plethora non exhaurit vniuerſum negotium

nam multi plethorici ab hæmorrhagiis & aliis *ſymbolicis* adfectibus prorſus immunes viuunt.

3. Sed *commotio* plethoræ plurimum valet ad hæmorrhagias concitandas.

4. Commouent autem plethoram, & ſic ad hæmorrhagias ſuſcipiendas naturam excitant

a) Calida, aromatica, ſpirituoſa, fermentatiua, ſanguinem rarefacientia.

b) Exagitatio *corporis* vehemens, & conniſus fortior ad pondera tollenda.

c) Conſtitutio aëris calida.

d) Repentina refrigeratio, corpore calente.

e) Commotiones *animi* inſignes.

5. Cauſſa *efficiens* omnium hæmorrhagiarum naturalium eſt *principium agens*, quod per tales excretiones plethoram imminuere, & ſic multa incommoda auertere intendit. Adſueſcit etiam facile hiſce excretionibus, & easdem, licet plethora abſit, continuat. Huc pertinent hæmorrhagiæ ex *hæreditate* pullulantes.

6. Exſulent itaq; cauſſæ ſtaſium paſſiuarum, fermentationum, acrimoniæ, vaſa arrodentis, item etiam ſpiſſitudinis, a cuius intercepto tranſitu venæ obſtruantur & diſtendantur, vt dehiſcere neceſſe habeant; quæ omnia ſimplicibus hæmorrhagiarum phænomenis & circumſtantiis repugnant.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Hæmorrhagiæ naturales ſecundum *intentiones agentis* conſideratæ, omnes quidem ſalutarem finem reſpiciunt, ob varias autem circumſtantias, præcipue ob loca periculoſa, per quæ ſanguis excernitur, optatum effectum non ſemper attingunt.

2. Hinc hæmoptyſis, vomitus & mictus cruentus periculoſe ſæpius exeunt. Interea tamen non conſiderandæ ſunt hæmorrhagiae, vt accidens praeternaturale, quod theſaurum vitae perdat. Licet enim non nullae haemorrhagiae excedant, ob hos tamen errores vniuerſum negotium non poſſumus damnare.

3. Re-

3. Reliquae autem haemorrhagiae, legitime & moderate ſuccedentes, eximiam adferunt vtilitatem. Praecipue
   1) Multos morbos, qui plethoram ſequuntur, praecauent.
   2) Soluunt illos, qui ex eodem fonte originem ſumſerunt.
   3) Multa mala chronica, eaque pertinacia, auferunt, e. g. haemorrhoides tollunt pathemata hypochondriaca & plures alios abdominis adfectus.
   4) Non ſolum non debilitant, ſed trahunt etiam poſt ſeſe manifeſtam corporis alacritatem.
4. Immo, licet haemorrhagiae copioſe & impetuoſe ſuccedant, non facile tamen inſignis debilitatio ſentitur, multo minus tam frequenter phthyſici & hydropici effectus ſequuntur, vti vulgo traditur.
5. Quando autem haemorrhagiae, vt moris eſt, per varia incongrua artificia, praecipue adſtringentia, cohibentur, ſuccedunt ſtagnationes, ſtaſes, inflammationes, febres peſſimi moris, & alia ſontica mala.
6. Haemorrhagiae, quo magis ſtatas periodos formant, eo certius etiam moderate ſeſe gerunt.
7. Omnes haemorrhagiae, quae laborioſo *naturae* conamine & inſigni *niſu* exprimuntur, plerumque ad *exceſſum* inclinant, principium enim vitale non facile a tali excretione deſiſtit, quae multo labore fuit obtinenda.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Haemorrhagiae moderate, legitime & per loca conuenientia fluentes, nulla indigent medicatione.
2. Quando autem contrario modo ſe habent, prudenti ratione illis occurrendum eſt.
3. Ante omnia intentioni naturae, quae plethoram imminuere intendit, ſatis fiat
   a) Per *venae ſectiones extra paroxyſmum*, circa aequinoctia, conueniente loco inſtituendas.
   b) Per *ſcarificationes* vel *hirudines*, pro diuerſa circumſtantiarum ratione admouendas.
   c) Per *motum corporis* laborioſum, modeſtum, perennantem.

4. *Quantitate* ſanguinis imminuta eiusdem *qualitas corrigatur*, & quidem iterum extra paroxyſmum.

a) Ad craſin ſanguinis *ſulphureo-acrem* corrigendam adhibeantur *nitroſa* & *abſorbentia*; item etiam *emulſiua* & lenia *acida* e.g. nitr. depurat. lap. prunellae, ocul. cancr. conchae praeparat. mater perlar. ſuccus citri, berberum, ribium,

b) Ad craſin ſanguinis *ſpiſſam* attenuandam conducunt *reſoluentia*, *incidentia*, *attenuantia*; e.g. ſalia media digeſtiua, antiſcorbutica temperata, & radices alexipharmaco-diureticæ. Ex his & lenioribus laxantibus vinum medicatum parari, & per octo circiter dies vſurpari poteſt.

c) Commendetur potus ſatis dilutus & parcior victus.

d) Iniungantur ſimul cautelæ de cauſſis occaſionalibus & procatarcticis euitandis, præcipue animi commotionibus.

5. *In paroxyſmo* exhibeantur

a) Pulueres *orgasmum* ſanguinis contemperantes e nitroſis, abſorbentibus & cinnabarinis parati v. g.

Recip. Nitr. depurat.
Ocul. cancr. acido citri ſaturat. ana drachm. ij.
Cinnabar. opt. præparat. gran. XXX.
M. & duarum horarum interuallo exhibeatur ſcrupul. i.

b) His pulueribus interponatur ſubinde mixtura tonico-neruina *Stahlii*, quæ ſimul effectum habet diuretico-diſcutientem.

Recip. Spirit. C. C.
Tinct. antimon. tartariſ. vna vnc. ſemis.
M. doſ. gtt. XXX.

c) Si his non cedit hæmorrhagia, tum vel cortex caſcarillæ, vel cinnabaris larga doſi cum pulueribus temperantibus propinetur, vel *moderate ſiſtentia*, & *ſedatiuo-anodyna* in vſum trahantur, dictisque pulueribus immiſceantur e. g.

Recip.

Recip. Pulueris iam deſcripti drachm. I.
Specier. de hyacinth. gr. XVI.
MP. de cynogloſſ. gr. IV.
M. D. in 4. partes, & verſus noctem vna vel altera propinetur, non neglectis per diem pulueribus *ſimpliciter* temperantibus.

d) *Adſtringentia* autem *fortiora* non exhibeantur, niſi ſumma vrgente neceſſitate, de quibus ſub *ſpeciebus* hæmorrhagiarum plura dicentur.

e) Poſt paroxyſmum, ſi ingens ſanguinis quantitas euacuata eſt, analepticis, emulſiuis & gelatinoſis, non autem ſpirituoſis, æger reficiatur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Facilius eſt *hecticam* per *adſtringentia* prouocare, quam hæmorrhagias per eadem ſiſtere; nam in *parua* doſi exhibita fluxum non ſiſtunt, ſed potius augent, quando autem *copioſe* ingeruntur, ſuccedunt viſcerum obſtructiones & harum conſectaria, nempe ſtaſes, ſuppurationes &c.

2. Vt itaque error, pluribus communis, euitetur, ſequentes regulæ, quæ errare non permittunt, de vſu adſtringentium obſeruentur.

 a) Non exhibeantur, niſi omnia prius adplicata ſint, quæ ſuperius commendauimus.

 b) Quando autem caſus neceſſitatis eorum vſum efflagitare videtur, tum potiſſimum *externe*, raro autem, nec affatim *interne* exhibeantur.

3. Nam abſurdum & rationi contrarium eſt, per talia remedia hæmorrhagiis occurrere velle, quæ ſanguini, vaſa & vias prementi, *exitum* ſolum, ſed non *aditum prohibent.*

4. Adſtringentia, vtpote paucis ſæpius granis exhibita, non perueniunt ad locum *diſſitum* e. g pulmones, vterum, ſed ipſi naturæ, ſenſu tali adſtrictorio cum ventriculo communicato, motum ſimilem imprimunt, quæ deinde eumdem non ſolum in locis periclitantibus, ſed facile etiam in aliis viſceribus adminiſtrat.

5. Ex *amuleticis puluis ſympatheticus Dygbæi* ſatis probatus eſt, & in *extremis* ſacra ancora: Scrupuloſa autem vitrioli ad eumdem

eumdem parandum electio, nullum habet vſum: ſufficit vitriolum bonum, leuiter contritum, diebus *canicularibus* ſub ſolis radiis ad albedinem calcinare. Soluitur huius pulueris drachm. I. vel II. paucioribus aquæ cochlearibus, cui ſolutioni ſanguis deinde inſtillatur, ſeu inſpuitur, & ſub exiguo calore ſpatula lignea agitatur.

6. Radix *pſeudo acori*, ſeu *irid. vulgaris, paluſtr.* in taleolos conſciſſa, & fruſtulum ſub lingua detentum, admodum notabilem adſtrictionem efficit, & experientia ſatis probata eſt. Modo obſeruetur, quod amuletica non *ſub impetu* fluxus, ſed ſtatim ſub *initium*, vel in *declinatione* adhibenda ſint.

7. Radix autem *nigellæ*, quam *Simon Pauli* admodum deprædicat, manu vel ore detinendam, eſt quidem *ſubadſtringens*, ſed ſine ſucceſſu ab aliis exhibita.

8. *Bufonis exſiccati* adplicatio, quæ *Helmontii* temporibus admodum inclaruit, bene ſe commendat; inprimis in hæmorrhagia *vteri*, quadantenus *narium*, non æque adeo in *hæmoptyſi*. Inuoluitur linteo, &, ne aperiatur, ſigillo munitur, atque ſub axillis geſtatur. Iuuit aliquando, vbi adſtringentia ſine effectu adhibita fuerunt.

9. *Borellus* quam maxime commendat vſum *iaſpidis rubræ* amuleticum, ſub axillis detinendo, de collo ſuſpendendo, ſeu fronti adplicando.

10. Vulgus loco *iaſpidis* laudat concretum illud minerale, *hæmatitem*, nec irritum ſemper.

11. *Sanguis* ægri *toſtus*, contritus, & inſtar pulueris ſternutatorii, adplicatus, bonum etiam effectum edere dicitur.

12. Hæmorrhagia, quæ per adſtringentia, ſpecifica, amuletica, ſympathetica, ſuppreſſa eſt, mox expoſcit vſum *diluentium* & *temperantium*, ne ſtricturæ contumaciter continuent, atque alia damna producant.

13. Circa *ligaturas* partium ſequentia ſunt obſeruanda.

a) Fieri illæ debent in partibus *extremis*, pedum ſcilicet & manuum.

b) Pars ligata non penitus opprimatur, ſed maneat aliqualis ſanguinis concurſus.

c) Ne-

c) Neque nimis *cito* ligatura eſt ſoluenda, neque etiam nimis *diu* in illo gradu detinenda ne ſphacelus producatur.

14. Ex *euporiſtis topicis*, ſed ingratis, *ſtercus ſuillum* ſeu *equinum* commendatur.

15. Mixturam tonico neruinam, de ſale volatili participantem, in hæmorrhagiis commendare, in quibus ſanguis iam notabiliter fluxiiis & exagitatus eſt, videtur rationi planiſſimæ repugnare; ſed volatilia *ſola* non commendantur, verum cum *alcalicis fixis* combinata, vtpote optimo effectu ſæpiſſime confirmata.

16. *Salia* autem *volatilia*, quando *ſola* & inſuper largis doſibus adhibentur, in hæmorrhagiis æque ac in febribus tumores œdematoſos facile relinquunt.

17. Multo ſegnior eſt efficacia remediorum in *paroxyſmo*, ſi *extra eumdem* venæ ſectio non fuit adminiſtrata, & tamen manifeſta plethora concurrit.

18. Hæmorrhagiis nimiis quando vires exhauſtæ ſunt, caueat ſibi æger a multis *lectionibus*, quia oculi quam maxime per eamdem tum debilitantur.

19. Contingit, rarius tamen, vt hæmorrhagia ex *arteriolæ* cuiusdam extremitate proueniat, actum quidem ad exceſſum facilius incliner. Et quemadmodum talis fluxus plerumque a cauſſis paululum vehementibus excitatur, ita & celeriorem quodam modo curationem expoſcit.

20. *Hæmorrhagiæ* ab hæreditatis cauſſa dependentes eadem quidem methodo tractantur, maiorem autem expoſcunt patientiam, & regimen animi temperatiſſimum. Præterea recurſus paroxyſmi per temperantia & ſedatiua mox præſcindendus eſt, vt natura hunc euacuationis actum tandem obliuioni tradat.

21. Falſus eſt conceptus vulgaris, quod ſanguis vel optimus vel peſſimus per hæmorrhagias excernatur. Licet enim conſiſtentia ſpiſſa & color nigricans interdum obſeruetur, haec tamen a diuturna illius mora in locis excretoriis dependent.

22. Hæmorrhagiæ *paſſiuæ* quo modo tractandæ ſint, *tabula chirurgica* LIX. docet.

TAB.

# TABVLA VI.

## DE

# HÆMORRHAGIA NARIVM.

I. DEFINITIO.

Hæmorhagia narium eſt euacuatio ſanguinis, modo per hoc, modo per alterum narium foramen, a natura ipſa, motu tonico ſpeciali, & eum quidem in finem ſuſcitata, vt per illam plethora imminuatur & motus ſanguinis progreſſiuus facilitetur. Deriuatur ab αἷμα, ſanguis, & ῥήγνυμι, rumpo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differt hæmorrhagia narium ratione *indolis*,

a) Eſt enim vel *boni moris*, quæ *placide*, & proportionate accedit, ſuccedit, & ſponte ſua ſalutariter iterum ceſſat.

b) Vel eſt *mali moris*, quæ laborioſo molimine & impetu effero erumpit, quantitatem ſanguinis vero nimiam emittit, & varia incommoda producit.

2. Hæmorrhagia narium, quando in morbis *acutis* contingit,

1) vel eſt *critica*, quæ poſt commotiones ſanguinis inſignes in febribus *continentibus* exquiſito temporis ambitu circa dies criticos, immo ſtatas horas erumpit, & hoc quaſi proprium habet, vt *copioſe* profluat, vnde antiquum Medicorum dicterium enatum: *nullum criticum eſt paucum.*

2) vel eſt *ſymptomatica*, quæ extra dies criticos morbis accedit, ſed euentu non ſemper ſalutari e. gr. febribus petechizantibus, variolis &c.

3. Quando autem hæmorrhagia hominibus *extra morbos* conſtitutis euenit, dicitur illa *chronica*, quæ vel ſtatas periodos ſeruat, vel incerto tempore erumpit.

4. *Phlegmatorrhagia* narium, a *Salmutho* commemorata, ipſo quidem nomine ſub primo auditu ſe diſtinguit ab *hæmorrhagia*

*gia narium*, ratione tamen cauſſarum nulla inſignis intercedit *differentia*; ſicut etiam ipſa *coryza*, ſi modum *fiendi* & *ſuccedendi* conſideremus, iisdem cum hæmorrhagia narium rationibus innititur, *Conf. tabula de coryza*.

III. *SIGNA*.

1. *Mitior* hæmorrhagia narium *ſponte* & quaſi *tacite* plerümque erumpit, & ſine vllo incommodo ſuccedit; idque frequentius æſtiuo quam hyemali tempore.
2. *Minus* autem *talis* laborioſis plurimum moliminibus ante eruptionem conſpicua eſt, nempe
   1) accedunt *congeſtiones* ſanguinis modo verſus vnum, modo alterum, modo vtrumque capitis latus, admodum *moleſtæ*.
   2. *rubor* genarum.
   3) faciei &
   4) vaſorum colli temporumque inflatio.
   5) *tinnitus* & ſonitus aurium.
   6) *Oculorum dolor* grauatiuus cum prominentia, ſiccitate & ſcintillulis.
   7) *Capitis* vertiginoſa adflictio, cum pruritu narium & ſenſu grauatiuo, præcipue circa naſi radicem.
   8) *Inſomnia* de ſanguine, incendiis &c. in nonnullis præcedunt.

   In partibus autem *oppoſitis* & *remotis* a motu tonico nimis aucto proueniunt
   1) adſtrictio *alui*.
   2) *vrinæ* non tantum imminutio, ſed etiam tenuitas.
   3) *tenſiones* in hypochondrio, præcipue dextro.
   4) *ſudoris* ſuppreſſio.
   5) *frigus* partium inferiorum.

IV. *SVBIECTA*.

1. Hæmorrhagia narium competit plerumque *iunioribus*, intra ſecundum & tertium ſeptenarium adhuc conſtitutis.
2. Sexui magis *virili*, quam feminino.
3. Plurimum manifeſto *plethoricis*.
4. Vbi autem ab hæreditate diſpoſitio adeſt, vel *adſuetudo*, aut externæ inſolentes *commotiones*, ibi etiam extra plethoræ

inſignem præſentiam euenire ſolet.

5. Quibus autem *poſt annum XXX.* & quidem ſæpius contingit, illi etiam ſimul ſolent vexari *rheumaticis*, *arthriticis* aut *ſpaſticis* aliis congeſtionibus.

6. Nonnumquam per *palindromen* ætate iam adultiore accidit illis ſubiectis, quæ iuniore ætate eidem hæmorrhagiæ ob-noxia fuerunt, deinde alias vicarias euacuationes experta, ab his autem iam libera ſunt.

7. Subiecta hæmorrhagiæ narium *criticæ* per ſe nota ſunt.

8. Quod *ſcorbutici* hæmorrhagia narium ſubinde corripiantur, non eſt mirum, nam ſcorbutus natales ſuos plurimum debet plethoræ.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens remota* eſt *ætas puerilis*, huic ſanguinis eruptioni præ aliis fauens.

2. Cauſſa *proxima* eſt plethora & quidem commota.

3. Cauſſæ *occaſionales* ſunt

1) *corporis* & *animi* commotiones vehementes, præſertim exercitium memoriæ in pueris, it. eiulatus, lacrymæ, & ſub hoc plorandi actu copioſa in nares deriuata humiditas, vnde, ſtricto collo & pectore, facies rubore perfunditur & venæ capitis inflantur.

2) *adſuetudo.*

3) diſpoſitio & cauſſa hæreditatis.

4) *violentæ* ad liſiones, contuſiones, ictus narium & corroſiua.

5) *abuſus vini* & aliorum ſpirituoſorum ad inebriationem vsque, vel aromaticorum.

6) ingens *feruor ſolis* aut conclauium calefactorum.

7) immo ſubinde leuiſſimæ cauſſæ hic ſufficiunt e. g. ſternutatio, refrigeratio, capitis ad terram inclinatio, agitatio narium inter lauandum earumque leuis pruritus, ſcalptio & fortior emunctio.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Per vulgus notum eſt, quod hæmorrhagia narium moderate & proportionate ſuccedens, alacritatem adferat, & ab artuum grauitate, ante eruptionem in plethoricis ſæpius præſente, liberet.

2. Quan-

2. Quando autem hæmorrhagia narium *adſuefacta*, ſub conſtitutione plethorica, iterum ceſſat, vel adſtringentibus perverſe tractatur, ſuccedunt grauitas corporis, congeſtiones circa caput, inflationes vaſorum, oculorum rubores & dolores, ophthalmiæ, capitis tendentes, pulſantes & æſtuantes dolores, lucis liberioris impatientia, *conf. tabul. de hæmorrhagia narium ſuppreſſa.*

3. Metus ille vulgaris ſubſecuturæ phthiſeos, poſt largiorem in puerili ætate hæmorrhagiam narium, ſæpius quidem fruſtra, interdum tamen non plane de nihilo cenſendus eſt. Si enim accedente ætate hæ congeſtiones a capite in pectus deſultant, nec tempeſtiuis ſanguinis euacuationibus natura ab hoc loco auocatur, molimina hæmoptyica & tandem phthiſis ſuccedere poſſunt.

4. Hæmorrhagia narium *critica*, largiter profluens, febrem ſalutariter ſoluit cum vniuerſali euphoria; *minore* autem quantitate ſuccedens, criſeos nomen non promeretur, & peius cedit totum negotium. Quando autem per adſtringentia ſupprimitur, phrenitidem & vitæ periculum efficit. *conf. tabul. de febre ſynocha.*

5. Hæmorrhagia narium *ſymptomatica*, in febribus petechizantibus, variolis & aliis malignis, optimæ non eſt prognoſeos; in variolis tamen & morbillis, præcipue ſub initium, non æque ac in reliquis periculoſa.

6. Ita adſueſcunt facile hæmorrhagiæ, vt non ſolum a naribus per ætatum gradus ad quaelibet alia ſanguinis emunctoria tendant, ſed etiam tanto promtius iterum ad nares recurrant, quando ſucceſſus illarum in aliis viis impeditur.

7. *Habitualis* autem illa narium haemorrhagia, quae aetate minus congrua contingit, labem cuiusdam viſceris abdominalis ſaepe coniunctam habet. Vnde

8. Hypochondriacis tandem, cachecticis & hydropicis haemorrhagia narium nihil boni praeſagit, inprimis ſi e latere oppoſito ſtillat ſanguis.

9. In *ſenibus* narium haemorrhagiae altioris ſunt conſiderationis, quam quidem in iunioribus; praecipue quando

 hae-

haemorrhoides ſuppreſſas excipiunt. Dum enim congeſtiones ad caput contingunt, fluxus autem ſecundum mores illius aetatis non legitime ſuccedit, vertigini & apoplexiae porta aperitur-

10 *Nimiae* haemorrhagiae narium vires admodum proſternunt, & cachexiam, hydropem, tabem, rarius autem mortem praeſentaneam inferunt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quoniam voluntaria haec ſanguinis eruptio ſponte plerumque iterum ceſſare ſolet, abſit in paroxyſmo omnis medicatio, ſi fluxus legitime ſuccedit, nempe
   a) Quando *moderate* fluit.
   b) ſanguinem *floridum* ſub ſatis conſpicua plethora exhibet.
   c) aetati *congrua* reſpondet.
   d) praecipue ſi iam in conſuetudinem abiit, & alacritatem potius, quam virium iacturam inferre ſolet.
2. In *effera* autem narium haemorrhagia, quae nimis *copioſe* profluit, ob leuiſſimas, non euitandas occaſionales cauſſas, *ſaepius recurrit*, *aetatem* minus congruam occupat, & *vires* proſternit, ſequente methodo incedendum eſt.

A. *in paroxyſmo.*

1. Ad orgasmum ſanguinis ſulphureo agilioris contemperandum exhibeantur
   1) Pulueres nitroſo-abſorbentes cinnabarati e. g. nitrum depurat. lap. prunell. mater perlar. ocul. cancr. conch. praeparat.
   2) Item acidula, emulſiua & gelatinoſa v. g tinct. flor. bellid mixtura ſimplex, tinct. papau. erratic. decoct. C. C. decoct. raſur. ebor. ſerum lact.
   3) Quod ſi vero in caſu quodam *rebelli* temperantia non ſufficerent, lenia anodyna iisdem immiſceantur: vbi M. P. de cynogloſſ. ad gr. j. ij. pro doſi reliquis praefertur, & verſus ſomnum cum puluere temperante propinatur.
3. Aequalis *motus tonici* diſtributio promoueatur, inprimis ſub declinatione paroxyſmi.
   1) *interne* conducunt: mixtur. tonico-neruina *Stahlii* e ſale

ſale volatili & alcali fixo parata. It. infuſa ex herbis millefol. ſanicul. plantag. pyrol. virg. aur. anguſt. fol. it. lenia laxantia.

2) *externe*: frictiones, ſignaturæ veterum, ſinapiſmi, ligaturæ extremorum, adſplicatio ſpir. vini camphorati, pediluuia tepida, quæ reuellendi ſcopo bene ſe commendant.

4. *Diæta* conueniens iniungatur, nempe

1) abſtinentia a cibis aromaticis & potu ſpirituoſo.

2) euitatio æſtus nimii ſolaris & hypocauſtorum.

3) moderamen animi pathematum.

5. De *ſpecificis* & *adſtringentibus* in deſperatis caſibus, externe adhibendis, *vid. cautel. ſub hæmorrhag. generatim*. Præ aliis autem in hac fluxus ſpecie laudantur: iaſpis rubra, bufo exſiccatus, puluis ſympathet. dens hyppopot. rad. irid. vulgar. paluſtr. *vid. etiam ſubſequentes obſeruat. practicæ.*

B. *Extra paroxyſmum.*

intentioni naturæ ſatisfaciendum

1. in *adultioribus* per vicarias *venæſectiones* in pede, verno & autumnali tempore inſtituendas, vel pro re nata, per *hirudines* ad hæmorrhoidalia loca adplicandas.

2. in *iunioribus* vero loco venæ ſectionis, ad ſanguinem a capite deriuandum, ſingulis menſibus exhibeantur *laxantia* blandiora ex rhabarb, ſenna, manna, tamarind. parata; circa æquinoctia vero poteſt etiam infuſum laxans per aliquot dies præſcribi, vbi antiſcorbutica temperatiora præcipue addenda ſunt, quia in effera hac hæmorrhagia, de qua loquimur, plerumque dyscraſia ſanginis concurrit.

3. Conducunt etiam *pediluuia* alternis hebdomadis adhibenda.

4. Ad *æqualem diſtributionem* ſanguinis conſeruandam mixtura tonica & eſſent. alexipharmaca *Stahlii* ſubinde in vſum trahantur, & motus corporis placidus, ceu *optimum tonicum*, non negligatur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quæ ſub cautelis hæmorrhagiarum *generatim*, ratione adſtringentium, ſpecificorum, amuletorum, ligaturæ partium, monuimus, illa quam maxime hic in animum reuocanda & adplicanda ſunt. Hinc

2. *Adſtringentium internus vſus* tanto magis abſit, quia in nulla hæmorrhagiarum ſpecie minoris, quam in hac, eſt efficaciæ.

3. *Externus* etiam vſus prius locum non habeat, quam poſt inefficacem præſcriptæ methodi adplicationem. In tali deſperato caſu turunda ex alumine, vel ſolutio illius commendatur, ſubiunctis tamen diſcutientibus ſeu diaphoreticis temperatis. *Vitriolica* autem & *æruginoſa* nimis acria ſunt, & ozænam producere ſolent.

4. Ligatura partium extremarum in caſu tali neceſſitatis eadem circumſpectione ſuſcipiatur, quæ dicto loco commendata eſt.

5. *Specialis* in hac hæmorrhagiarum ſpecie commendatur *ſuccus millefol.* inprimis a *Borello* ſuccus *vrticæ minor.* fronti adplicandus; quem tamen alii in hæmoptyſi magis laudant.

6. *Lapis carpionum* triangularis, ſub lingua detentus, num efficaciam aliquam exhibeat, vlterius obſeruandum eſt.

7. *Lintea madida*, regioni *hepatis* ſuaſu veterum imponenda, magis obſunt, quam proſunt.

8. Idem etiam ſentiendum eſt de *ventoſis* cum magna flamma eidem regioni adplicandis.

9. Ab *opiatis* vbique abſtinendum, præcipue vbi vires iam multum exhauſtæ ſunt, quo in caſu potius analepticis temperatis ſuccurrendum eſt.

10. Poſt *enormes* narium hæmorrhagias caput ab *æſtu* & *frigore* nimio defendere, oculisque parcere quam maxime commendatur.

11. De hæmorrhagiis narium *criticis tabula de febre ſynocha* plura dicemus.

12. Quando *arteriola* in ſummitate narium rupta & magna ſanguinis quantitas iam effuſa eſt, efficacia remedia, ob periculum, quod in mora eſt, mox ſunt adhibenda. Conueniunt hic pulueres temperantes largiter cinnabarati & cum ſpeciebus de hyacintho atque maſſa pilularum de cynogloſſa mixti

TAB.

# TABVLA VII.

## DE
# SVPPRESSIONE HAEMORRHAGIAE NARIVM.

I. D*IFFERENTIA.*

1. Suppreſſio hæmorrhagiæ narium eſt vel *critica*, vel *non critica*.
2. *Non critica* ſuppreſſio triplici modo conſideranda eſt
   1. vel enim narium hæmorrhagia numquam adfuit, & tamen *motus* adſunt moleſti, qui eamdem reſpiciunt, & exprimere conantur;
   2) vel hæc excretio antea familiaris fuit, per datas autem occaſionales cauſſas ſuppreſſa eſt, & varia pathemata infra alleganda, produxit;
   3) vel ceſſauit hic fluxus per *ætatis* rationem.
3. Hæ diſtinctiones vſum practicum in tractatione therapeutica exhibebunt.

II. *SIGNA.*

Hæc deſumuntur a ſymptomatibus, quæ hanc ſuppreſſam hæmorrhagiam excipiunt. Sunt hæc

1. congeſtiones & reſtrictiones ſanguinis verſus *caput*, vnde proueniunt
   1) Varii adfectus cephalalgici.
   2) Ophthalmia, immo cataracta.
   3) Otalgia & tinnitus aurium.
   4) Odontalgia.
   5) Eryſipelas faciei.
   6) Tumores parotidum.
   7) Adfectus faucium inflammatorii.
   8) Tumores vuulæ & tonſillarum.
2. Translationes huius ſanguinis ad *pectus*: hinc ſequuntur
   1) Palpitatio cordis.

2) Aſthmata, præcipue ſicca.
3) Catarrhi ſuffocatiui.
4) Hæmoptyſis.
5) Phthiſis.
6) Pleuritis & peripneumonia.
7) vel aliæ febres acutæ aut hecticæ.
8) Diffunduntur etiam nonnumquam congeſtiones in *artus*, vnde adfectus rheumatico-arthritici exoriuntur, præcipue in illis, in quibus diſpoſitio ab hæreditate ſubeſt.
9) vel mali hypochondriaci adparatus inuitatur.

III. *SVBIECTA.*

1. Hanc ſuppreſſionem facile incurrunt, quorum temperamentum ante ſanguineum vel cholericum, iam in phlegmaticum aut melancholicum degenerauit.
2. Perſonæ, quæ diætam *vinoſam* in cereuiſiariam vel plane aquoſam mutarunt. Dantur enim exempla, vbi hæmorrhagia narium, per aliquot annos ſuppreſſa, reuerſa eſt, quam primum priſtina diæta vinoſa iterum electa fuit.
3. Item quæ vitæ genus laborioſum in ſedentarium permutarunt.
4. Quæ ad ætatem conſiſtentem accedunt, vbi partes, antea huic excretioni dicatæ, magis iam denſatæ ſunt, vnde natura motus hoſce aliorſum dirigit.
5. Speciatim quæ ſequentibus cauſſis obnoxiæ fiunt.

IV. *CAVSSAE.*

1. Cauſa *interna* eſt
   1) vel *ſpiſſitudo* & *mucoſitas* ſanguinis.
   2) vel non raro *orgaſmus* ſeu expanſio illius.
2. Cauſſæ *occaſionales*, quæ ſanguinem reddunt *ſpiſſum* & mucoſum, ſunt
   1. *Triſtitia* continua, quæ etiam ſimul naturam facit abiectam.
   2) *Adſtringentia* & *ſtyptica*, præmature ſub ipſo fluxu adhibita.
   3) item etiam *refrigerantia* externa, *opiata* &c.
   4) domicilia humida.

3. Caus-

3) Cauſſæ autem, quæ *orgaſmum* ſanguinis producere,& hinc hæmorrhagiam impedire ſolent, ſunt
1) Excandeſcentia animi.
2) vehementes corporis motiones. Huc etiam pertinent.
3) motus ſanguinis progreſſiuus *auctior* in febribus, &
4) abuſus ſpirituoſorum.

V. *PROGNOSIS.*

1. Suppreſſio hæmorrhagiæ narium *critica* facile parit delirium & funeſtos plerumque euentus, *conf. tab. de febr. ſynocha.*
2. Suppreſſio autem hæmorrhagiæ narium *non critica* niſi alius ſalutaris fluxus ſubſtituatur, *turmam* pathematum, ſub *ſignis* iam allegatam, in conſpectum producit.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quæcumque ſubiecta hæmorrhagias narium numquam habuerunt, congeſtiones autem & dolores circa caput experiuntur, in illis *craſis* ſanguinis reſpicienda eſt:
1) Quando ſanguis nimis *ſeruſus* eſt, blandæ *laxationes* vſui eſſe poſſunt, e.gr. pilulæ *Becheri*, per 6. circiter dies continuatæ, quibus coniungi poteſt eſſent. alexiph. *Stahlii* bis per diem ad gtt. XX. XXX. propinanda.
2) Vbi autem ſanguis iuſto *ſpiſſior* eſt, ibi conducunt attenuantia, incidentia & reſoluentia, cum laxantibus combinata e. g. infuſum laxatiuum ſequens

Recip. rad. ari.
vincetox.
pimpinell. alb. ana vnc. ſemis.
Herb. cent. minor.
card. benedict.
verben. ana manip. ſemis.
Fol. ſenn. elect. vnc. ſemis.
Rhabarb. drachm. III.
Rad. helleb. nigr. drachm. II.
Tart. vitriolat. vnc. ſemis.

Inciſ. contuſ. f. ſpecies, adfundantur aqua & vinum, ſumatur mane, quantum ſufficit ad lenem laxationem.

3) Si vero *orgaſmus* ſanguinis peccat, poſt lenes laxationes ſubiungi poſſunt puluercs nitroſo-præcipitantes, & denique mixtura tonico neruina *Stahlii*.

2. Quibus autem ſubiectis hæmorrhagiæ narium antea familiares fuerunt, in illis

1) non tantum craſis ſanguinis reſpicienda, & methodo iam indicata corrigenda eſt,

2) ſed conuenit etiam vitæ genus antecedens cum præſente conferre, & commiſſos forſan in mutatione quadam errores emendare.

3) Si vero fluxus hac medicatione reuocari nequit, conducit venæ ſectionem ſubſtituere.

3. Vbi demum hæmorrhagia narium per *ætatis* rationes ceſſat, ibi venæ ſectio adhuc magis neceſſaria eſt, ne ſanguinis reſtrictio verſus *pectus* contingat, & periculoſas eruptiones moliatur.

4. *Alui obſtructio*, ad quam talia ſubiecta inclinant, numquam toleretur, minime omnium, quando ſymptomata vrgent. Huic ſcopo dicta laxantia & dilutiones ſufficientes inſeruiunt.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Altum apud pleroſque pathologos eſt ſilentium de *incommodis*, e ſuppreſſione hæmorrhagiæ narium pullulantibus: hinc tanto magis in hoc negotium inquirendum eſt, vbi ſymptomata ſub *ſignis* enarrata *in iuniore* ætate occurrunt.

2. *Medicamenta*, quæ ſanguinem euacuare vulgo commendantur, agunt vel eundem exagitando, & mobilem reddendo, vel naturam ad excretionem ſtimulando, quæ vero in hæmorrhagia narium ſuppreſſa minime locum habent.

3. Annus viceſimus circiter quartus quando deceſſit, ſollicite vigilandum eſt, quorſum natura motus, quos antea verſus caput inſtituit, iam dirigere intendat, vt per tempeſtiuam venæ ſectionem in pede periculoſa congeſtio ad pectus poſſit præcaueri.

TAB.

# TABVLA VIII. DE HAEMOPTYSI.

I. **D**EFINITIO.

Hæmoptyſis eſt euacuatio ſeu excretio ſanguinis per vaſa pulmonaria profundiora, a natura ipſa ope motus tonici ad plethoram imminuendam, & reliquorum humorum liberiorem circulationem promouendam, ſuſcitata. Deriuatur ab αἷμα, ſanguis, & πτύω, ſpuo.

II. *DIFFERENTIA.*

Hæmoptyſis differt

1. a *ſputo cruento*, nam in hæmoptyſi *ſanguis floridus* & purus e pulmonibus eiicitur, placido magis, quam violento conamine; in ſputo autem cruento reiicitur *ſaliua* cruore tincta, aut *mucus ſanguineis* ſtriis commixtus, cum multo laborioſo ſcreatu. Sputum inſuper cruentum etiam aliunde ortum ſuum ducere poteſt, nempe ex infundibulo, e receſſu narium ad vuulam terminante, e gingiuis, aut ad ſummum, e ſummis faucibus, abſque tamen vitio pectoris complicato. Eſt enim ſputum cruentum plerumque conſectarium imperfecti moliminis, hæmorrhagiam narium reſpicientis.
2. a *ſputo cruento peripneumonicorum* & phthiſicorum, vbi ſanguis craſſus, vel pus ſanguine tinctum cum tuſſi ſenſim eiicitur.
3. a *vomitu cruento.* Per hæmoptyſin enim eiicitur ſanguis *arterioſus*, rubicundus, & quidem, vti modo dictum eſt, conamine magis placido, quam laborioſo; per vomitum vero cruentum excernitur ſanguis *venoſus*, plerumque craſſus, nigricans, coagulatus, ſub anxio vomendi conamine & ſine vlla tuſſi.
4. Diuidi de reliquo hæmoptyſis poteſt
   1) in *periodicam* & *vagam*.
   2. in *voluntariam* & *violentam*.

III. *SIGNA.*

Hæmoptyſis vti eſt motus naturæ *actiuus*, ita generalia duo ſigna, quæ hic attendi poſſunt, ſunt *motus* & ipſe *actus*.

1. Procedunt plerumque tonicæ extremitatum corporis ſtri-cturæ & occluſiones, quibus ſanguis ad interiora copio-ſius reſtringitur. Hinc
2. Notabilis congeſtio & oppletio pectoris cum anguſtia exo-ritur, coniuncto ſenſu ſpaſtico in thorace, ſcapulis, im-mo & hypochondriis.
3. Præcurrit quoque interdum temulenta & grauatiua capi-tis oppletio, primarum viarum diſtenſio, & horripilatio-nes in extremitatibus & pectoris confiniis.
4. *Tuſſis* in aliis antecedit non aſpera, ſed *clangoſa* & ſonora, *parua* magis, quam impetuoſa, maxime omnium *ſicca*. In aliis autem *citra* vllam *tuſſim* ſanguis erumpit.
5. Sanguis dum erumpere minatur, ſenſus profundioris re-niſus in *pectore* plerumque ſentitur.
6. In aliis vero, maxime qui hæmorrhagiis narium antea ad-dicti fuerunt, *tacite* magis & tranquille cum ſenſu tan-tum alicuius titillationis pruriginoſæ per longitudinem arteriæ aſperæ erumpit, quaſi calidum quid e pectore in fauces ſcaturiret.
7. Sanguis, qui excernitur, *floridus* eſt & *ſpumoſus*, cum *copia* a-liqua *notabili* conſpicuus.
8. Ipſa autem *excretio* tam placide plerumque procedit, vt illi, qui ante eruptionem vehementi tuſſi correpti fuerunt, ſub ipſa ſanguinis excuſſione ne exiguam quidem mole-ſtiam ab illa perſentiſcant.
9. In *ſputo cruento* exſerit ſeſe in *capite* ſenſus tendens, oppri-mens, grauans, æſtuans cum inſolita ſiccitate, aut ſentitur moleſta preſſio in *fronte* & narium radice, idque præcipue horis matutinis, quo tempore cum ſcreatu aliquoties ſan-guinem, plerumque in grumis, eiiciunt, quod tamen bre-ui iterum ceſſat.

IV. *SVBIECTA.*

1. Hæmoptyſis ſatis raro contingit, & quæ ſubiecta occupat, ſunt

ſunt plerumque *iuuenilis ætatis*, ab anno XVIII. ad XXV. rarius ad annum XXX. rariſſime vsq; ad annum XXXV. *confer. Hippocrat. aphoriſm. XXIX. ſect. III.*

2. Obtingit maxime plethoricis, pleno victu, vino & liquoribus ſpirituoſis vtentibus.

3. Qui ſunt *temperamenti* cholerico-ſanguinei, magis adhuc cholerico-melancholici, aut ſanguineo-melancholici, habitus corporis gracilioris, & qui plus ſanguinis in *venis* habent, quam in *poris*.

4. Sexus *femininus* num hæmoptyſi magisquam virilis obnoxius ſit, ambiguum eſt. Plura de hac re videantur *tabula de phthiſi.*

5. Illi quoque, qui ſub aëre denſo ac craſſo nati ſunt & educati, poſtea autem in aëre ſubtili degunt, ac plethoram motu inſolito commouent, hæmoptyſi exponuntur.

6. Quam ſæpe etiam iis euenit, qui clamando aut cantando pectus percellunt, vel perpetuo arctius compreſſo abdomine ſedent, quo ipſo reſtagnatio ſanguinis ad pectus contingit.

7. Porro qui ex agili vitæ genere in ſedentarium & otioſum tranſierunt, hæmoptyſi corripiuntur.

8. Maxime omnium, quibus aliæ adſuetæ hæmorrhagiæ ceſſarunt, inprimis narium, tum menſium, rarius hæmorrhoidum: quo etiam pertinet venæſectionis & ſcarificationis conſuetæ neglectus, & ipſa denique diſpoſitio hæreditaria.

9. Ad *ſputum cruentum* quod attinet, occurrit illud tam iunioribus, quam paullo adultioribus ſubiectis, præſertim quæ moliminibus & adfectibus narium hæmorrhagicis obnoxia fuerunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens remota* eſt ætas iuuenilis & temperamentum, ſanguinis excretionibus præ reliquis expoſitum. *vid. ſubiecta.*

2. Cauſſa *propior* eſt plethora; nam nemo alius (exceptis cauſſis violentis) hæmoptyſi corripitur, quam qui ſanguine, inprimis non ſufficienter diluto, ad ſenſum abundat.

3. Cauſſa *proxima* eſt vaſculi alicujus ſanguiferi disruptio, modo in aſpera arteria, & præcipue ſuperiore eius parte, modo profundius intra bronchia contingens.

4. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, ſanguinem motu tonico copioſius ad pulmones dirigens, & moliminibus qualibuscumque ſpaſticis ibidem exprimens.

5. Huc etiam *conſuetudo* referri poteſt; nam natura huic eruptioni ſemel adſueta, haſce congeſtiones & expreſſiones repetere ſolet, licet cauſſa materialis ſubtracta ſit.

6. Cauſſæ *externæ, occaſionales* & *procatarcticæ* ſunt

a) *Niſus enormis* in tollendis & geſtandis oneribus, praecipue in iis, qui talibus non adſueti ſunt, it. plagae, caſus ab alto &c.

b) Reſpirationes vehementes in tubis, cornubus, item clamores, cantationes, cachinnus.

c) *Spiritus* nimis contentus & tum repentino *impetu* eliſus.

d) Commotiones *animi* vehementes, inprimis iracundæ.

e) *Corporis* exagitationes æſtuoſæ, currendo, ſaltando &c. contingentes, compotationes quoque, inebriationes & vomitiones, præcipue in minus adſuetis.

f) Admiſſio quoque *auræ* inquinatæ & corroſiuis fumis deprauatæ.

g) Vehemens *tuſſis* hæmoptyſin quidem etiam efficere poteſt, ſed non tam frequenter, vti vulgo creditur, & vbi omnino coniuncta adparet, eſt potiſſimum hæmoptyſeos effectus.

h) Quibus tandem nonnulli adnumerant piſcem illum venenatum, *leporem marinum*.

7. *Cauſſæ ſputi cruenti* ſunt

a) vel ſanguinis *ſpiſſitudo*, vel *motuum deſuetudo*, vel *erronea motuum exercitatio* & *adplicatio*. Huc enim faciunt

b) Variæ *animi* perturbationes, & errores, progreſſas narium hæmorrhagias excipientes. Maxime vero

c) *Sanguinis commotiones* qualescumque, præſertim ex cerevisia ſaturata, potu ſpirituoſo, vinoſo.

VI. *PRO-*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Hæmoptyſis eſt adfectus maximæ conſiderationis, & ratione periculi, ob teneram pulmonum texturam, quæ ſanguini copioſum adfluxum concedit, inter reliquas hæmorrhagias principatum tenet.

2. Hæmoptyſis repente ſubſiſtens, adfectus pectoris ſuffocantes aut inflammantes & febriles poſt ſe trahit, *impetuoſius* vero & e profundo pectoris erumpens, aut ſæpius recurrens, phthiſin producit funeſtam. Et

3. Licet ſanguis non ſemper tanta quantitate profundatur, vt *præſentanea mors* ſuccedat, a remanente tamen cruore extrauaſato facile *putrefactio*, pulmonum exulceratio, & phthiſis oritur. Præcipue

4. Quando fortiora *adſtringentia* aut *præmature repellentia* in paroxyſmo adhibentur, tam *phthiſis*, quam *hectica* abdominalis producitur; phthiſis quidem, a portione ſanguinis per talem adſtrictionem concluſa corrupta, & in vlcerationem deducta, hectica autem abdominalis ob effectum, quem adſtringentia prius in *venam porta*, quam in pulmones exſerunt. Vel

5. Hæmoptyſis iterum repullulat, eo ipſo autem periculum non minuit.

6. Hæmoptyſis *periodica*, quando tuſſim aut dyſpnœam ſuſpectam non relinquit, eſt quidem periculi minoris, eiusdem tamen, quod ad curationem attinet, difficultatis.

7. A cauſſis tandem *externis*, aut *vaporibus* corroſiuis orta hæmoptyſis, omnium periculoſiſſima. Item

8. Morbis *chronicis* ſuperueniens, plerumque funeſta.

9. *Sputum cruentum* hac pectoris hæmorrhagia longe benignius eſt, & tantum periculum non inuoluit.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus curandi.*

1. Quando eruptio ſanguinis non cum magno impetu & quantitate, verum moderate ſuccedit, ſufficiunt plerumque medicamina *orgaſmum* ſanguinis temperantia; ex quibus *nitrum* cum *abſorbente ſimplici*, interdum etiam *citrato* & *cinnabari* combinatum, omnibus palmam præripit.

2. Quan-

2. Quando maiora paullulum quantitate hæmoptyſis erumpit: lene *anodynum* hiſce temperantibus addatur; vbi *M. P. de cynogloſſa* reliquis præfertur, doſ. gr. j. vel ij. Electuarium ſemin. hypoſc. alb. corall. rubr. & caſcarilla etiam bono cum effectu dictis temperantibus miſcentur.

3. In *effera* autem ſanguinis *profuſione*, & vbi temperantia non ſufficiunt, *adſtringentia*, vrgente ita ſumma neceſſitate, in auxilium vocanda ſunt, quibus tamen ſemper lene anodynum commixtum eſſe debet. Hic *crocus* ex minera martis ſolari paratus, tinctura corall. & de catechu, liquor mineræ martis, tinctura vitriol. martis, it. *crocus martis antimoniatus adſtringens*, qui e craſſioribus ſcoriarum partibus paratur, adhiberi poſſunt e. g.

Recip. Croc. martis antimoniat. adſtringent. ſcrup. j.
M. P. de cynogloſſ. gr. V. M. diuid. in 5. part.

Item *puluis ſympatheticus Dygbæi* præ aliis hæmorrhagiis, in hæmoptyſi momentariam efficaciam habet. *Conſ. caut. tabul. de hæmorrhagiis generatim.*

Item *ſpecies* de *hyacintho* a gr. VI. ad VIII. cum anodyno conueniente & cinnabar. iunctæ placidiſſimam ſæpe ſedationem operantur.

Tandem e numero *ſpecificorum* paſſim laudantur ol. lini, vrtica, centinodium, & bufo exſiccatus.

4. *Reuulſio* & æqualis diſtributio ſanguinis per totum corporis habitum reſpiciatur.

a) Efficiunt hoc *diapnoica* temperata e. gr. *potiunculæ diapnoicæ*, vel, ſi nihil febrilis concurrit, doſis *eſſent. alexipharmacæ.*

b) *Mixtura tonico-neruina* e ſalibus volat. & tinctur. alcalin. parata, effectum nonnumquam præſentaneum, cumprimis paroxyſmo repullulante, exhibet; quæ proinde in caſu non adeo vrgente cum temperantibus pulueribus combinata ſufficere ſolet.

c) *Reuellentia* etiam *externa* hic locum & vſum habent e. g. *ligaturæ, frictiones, ſinapiſmi* extremorum, *fotus calidi* manibus & inprimis plantis pedum adplicandi.

d) *Venæſectio* in brachio aut pede optimum quidem reuellendi

lendi effectum haberet, ſi conſectaria abeſſent, quæ ſub *cautelis* indicabuntur.

5. *Aluus* ſemper ſuccedat, quod per præparata e tamarind. paſſul. minor. ſenna, rhabarb. cum cremore tartar. vel per clyſteres lenientes obtinetur.

6. In *declinatione* adfectus, præcipue quando tuſſis vel dyſpnœa remanet, propinentur *pectoralia abſtergentia*, ad reſtitantes forte grumoſas in parte adfecta portiones reſoluendas, & motum tonicum reſtaurandum.

a) Laudantur in hunc finem *flor. bellid. pratenſ. heder. terreſtr. veronic. vrtica min. ſcordium, ſaluia, charefol. ſanicul. menth.* ſaracen. &c. in forma decocti vſurpanda.

b) Item *ſanguis hirci* exſiccatus, temperantibus puluenibus admiſcendus.

c) item *lixiuium* ex vncia oculorum cancri & libra vini paratum.

d) Pro ſcopo balſamico & conſolidante vſum *myrrhæ, ſuccini* & *turis* in forma electuar. non quidem reiicimus, differentiam autem ſubiectorum & moderationem ſummam commendamus. *vid. cautel.* 10.

7. Ad *vires* tandem refocillandas conducunt emulſiones, aut potiones ex aquis analepticis paratæ, maritatæ cum ſpeciebus aut confectione de hyacintho, præſertim ex cinnamomo: coniuncto corporis & animi regimine tranquillo.

8. In *ſputo cruento* eadem curatio locum habet, quæ *tabula de ſuppreſſione hæmorrhagiæ* narium indicata eſt.

B. *Methodus præſeruandi.*

1. Suppreſſio *fluxus menſtrui* vel hæmorrhoidalis, ſi anſam huic malo dedit, reuocetur per prudentem methodum, ſuo loco commendatam.

2. Speciatim adplicatio *hirudinum* ad *hæmorrhoidalia* loca quam maxime commendetur iis, qui huius fluxus *molimina* vel *ipſas excretiones* vnquam habuerunt: hæmorrhoides enim legitime fluentes, hæmoptyſin optime præoccupant.

3. Præcipue autem *venæ ſectio in pede* circa æquinoctia non prætermittatur, nec in adſuetis *ſcarificatio.*

4. Ad æqualem diſtributionem ſanguinis conſeruandam *efficax* quidem eſt *mixtura tonica polychreſta Stahlii*, ſubinde propinata, efficacior autem *motus corporis* placidus & perennans.

5. *Laxationes* quoque moderatæ & repetitæ nonnumquam inſtituantur, praecipue quamprimum congeſtiones *verſus pectus* obſeruantur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quoniam natura in *haemoptyſi* ita pertinaciter plerumque ſe gerit, vt e leuiſſimis cauſſis occaſionalibus haſce ſanguinis excretiones repetat, tanto magis methodum praeſeruantem Medicus ſibi habeat commendatam.

2. *In tempore venire* & fluxum repente ſupprimere, primarium eſſe in haemoptyſi, teſtantur quidem omnes auctores, *remedia* autem, quae e penu ſua in hunc finem proferunt, maiorem ſaepius noxam, quam haemoptyſis ipſa, inferunt.

3. Alii enim repentinam fluxus ſuppreſſionem per *adſtringentia* commendant, ſed quam grauia damna per illa producant, ſub *prognoſi* iam indicauimus.

4. Alii *opiata* & vulgata *narcotica* promiſcue adhibent, quo infelici autem effectu, experientia teſtatur.

5. Alii *venæ ſectionem* in ipſo paroxyſmo, nec ſine ratione, commendant, inuoluit autem hoc conſilium aliquas non minimi ponderis conſiderationes.

a) In *vigore* paroxyſmi, praeſertim in iunioribus ſucculentis, ſine effectu inſtituitur, niſi ſanguis copioſe educatur, quod tamen, ob multam illius iam perpeſſam iacturam, difficultate minime caret.

b) Adfectus facile repullulat, nam natura venae ſectionem, ceu remedium ipſi exoptatum, denuo efflagitat, & *antecedentem* actum haemoptyſeos cum *ſubſequente* venae ſectionis ſaepius connectit, id eſt, haemoptyſin ſuſcitat, ſub ſpe ſecuturae venae ſectionis.

6. Docent haec manifeſtiſſime, quod magis ſit neceſſarium

*motus*

*motus naturæ* praeoccupare, quam ad *pondus* & *menſuram materiæ* corroſiuae, quae vulgo ſupponitur, animum aduertere.

7. *Nitrum* in temperanda & coërcenda haemoptyſi incredibilem ſaepiſſime efficaciam praeſtat, coniunctis *abſorbentibus* & *cinnabarinis*; quoniam autem effectum non prius edit, quam poſt vnius vel alterius horae ſpatium, in *effera* haemoptyſi, vbi periculum eſt in mora, ſatisfacere non poteſt: quare in tali caſu ſtatim *ſubadſtringentia* cum *anodynis* e. g. *ſpecies de hyacintho* & *M. P. de cynagloſſa*, vel fortiora *adſtringentia* in ſubſidium ſimul vocanda, & cum pulueribus nitroſo-temperantibus coniungenda ſunt.

8. Quando hæmoptyſis *tuſſim* vel *dyſpnœam* relinquit, iuſta ſuſpicio ſubeſt, quod portiones congrumatae remanſerint. Hinc tanto magis neceſſarium erit, remedia illa *pectoralia abſtergentia* adhibere, quae ſub *methodo in declinatione mali* commendata ſunt.

9. Admodum notabile eſt, quod antiqui, quando haemoptyſeos mentionem faciunt, ſimul quoque *prognoſin* phthiſeos ſubſecuturae adiiciant; id quod methodo illorum adſtringenti apprime quadrat.

10. Caueatur, ne ſub praetextu balſamicorum, vulnus conſolidantium, *myrrha* vel alia *calida* & *concentrata*, quae ſanguinem in maiorem orgasmum concitare poſſent, in haemoptyſeos paroxyſmo adhibeantur.

11. Immo ne ipſae quidem *pilulæ Stahlianæ*, licet leniſſimae, in vſum trahendae ſunt, niſi plethora per VSnem imminuta fuerit.

12. Abſint tandem remedia valde *incraſſantia*, conſueta *refrigerantia*, & tuſſiculoſas commotiones excitantia.

13. In *diæta* abſint cibi aromatici, eligantur autem molliores & analeptici, multa digeſtione non indigentes. Potus quoque ſit dilutus, vitanda ſpirituoſa.

14. Ante omnia *venus* exſulet, parum aegroti loquantur, & corporis atque animi tranquillitatem conſeruent.

15. Conferantur *cautelæ*, quae *tabul. de hæmorrhagiis generatim* traditae ſunt.

# TABVLA IX.

## DE

# VOMITV CRVENTO.

I. D*EFINITIO.*

*Vomitus cruentus* eſt euacuatio ſanguinis ſtricte dicti, plurimum grumoſi, e vaſis breuibus in ventriculum prius effuſi, & deinde vomitu per motum ventriculi tonicum reiecti; qua via, licet incongrua, principium vitale portionem ſanguinis, circa venam portae moleſti, excernere, & reliquum illius curſum facilitare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Vomitus cruentus* quomodo ab *hæmoptyſi* diſcernendus ſit, *tabula præcedente* iam indicatum eſt.
2. Differt vomitus cruentus *ratione cauſſarum*:
   a) alius enim a cauſſis *internis* ſponte prouenit, & hic *ſtata tempora*, inprimis vero *menſtrua* plerumque ſeruat, vnde *periodicus* vocatur.
   b) alius autem a cauſſis *externis* & *violentis* producitur e. gr. *vomitoriis*, *purgantibus* fortibus, *corroſiuis*.

III. *SIGNA.*

1. Præcedunt *anguſtiæ* & *anxietates* præcordiorum, cum tenſionibus, & valde grauatiuis, ſuſpirioſis preſſionibus.
2. Præcipue ſpaſtica pathemata in *hypochondrio ſiniſtro* per interualla inſultant, quæ interdum cum vertigine, lipothymia & deliriis coniuncta ſunt.
3. Succedit *nauſea* & mox *conatus vomendi*, isque maior, quam qui ſimplicem vomitum reſpicit.
4. Tandem excutitur *verus ſanguis*, plurimum copioſus atque congrumatus, quem nonnumquam vomibunda reiectio ciborum antecedit.
5. Tempore intercedentis quietis *ſenſim* in ſtomachum colligi ſentitur ſanguis, qui deinde nouis ſuccedentibus conatibus euacuatur.

6. Quo

6. Quò citius ſanguis in ventriculum collectus, excernitur, eo clarior exiſtit; quo diutius autem ibi moratur, eo ſpiſſior magisque nigricans, & cum fruſtis coagulatis eiicitur: præcipue quando multæ aciditates in ventriculo contentæ ſunt & ſanguinem effuſum per moram coagulant.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Vomitus cruentus* omnium hæmorrhagiarum ſpecies eſt rariſſima.
2. Familiarior eſt *ſexui feminino*, quam *virili*, præcipue feminis plethoricis, quæ ſunt animi agilis, temperamenti *ſanguineo-cholerici.*
3. *Puellis* iunioribus *rarius* euenit, quam illis *adultis*, quæ intra fluxus menſtrui periodum adhuc conſtitutæ ſunt.
4. Plurimum illis euenit, quæ fluxus menſium ataxia, aut completa ſuppreſſione laborant; item quibus menſes *mature* ceſſarunt: Præcipue
5. Quando feminæ plethoricæ poſt præmaturam menſium ceſſationem magnas *turbas* & impetus in *abdomine* experiuntur, tum vomitus cruentus non raro erumpere ſolet.
6. Ceſſantibus autem *iuſto tempore* menſibus, vomitu cruento non facile mulieres corripiuntur.
7. *Viri*, quando vomitu cruento corripiuntur, ſunt plerumque *hypochondriaci*, præcipue tales, quibus *hæmorrhoides* emanſerunt, vel ſuppreſſi fuerunt, & poſtea *congeſtiones* ſpaſticosque adfectus, inprimis autem *dolores* prementes & pungentes in ſiniſtro hypochondrio experti ſunt.
8. Qui *venæ ſectionem* in pede adſuetam intermiſerant, ſæpe etiam vomitu cruento infeſtantur.
9. Quin & ipſæ *prægnantes* ex menſibus retentis interdum adfliguntur tali vomitu, idque fere ſine periculo. conf. *Ettmuller.*
10. *Scorbutici* etiam vomitum cruentum nonnumquam incurrere obſeruantur, poſt multas catarrhales adfectiones iam ceſſantes.
11. Sic etiam, qui *febre quartana* diu laborarunt, vomitum cruentum ſubinde experiuntur.

12. Quibus *vlcera antiqua conſolidata* fuerunt, vid. *Etmüll.*
13. *Omnibus* denique ſubiectis & *cuiuis* ætati, vomitus cruentus a cauſſis violentis *externis* obtingere poteſt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis remota* eſt ſpiſſitudo ſanguinis circa venam portæ, ſiue ab impeditis menſibus, ſiue hæmorrhoidibus, ſiue aliunde originem ſumſerit. Hinc vomitus cruentus a nonnullis fluxus menſtruus aut hæmorrhoidalis e ventriculo adpellatur.
2. Cauſſa *propior* eſt ſanguis hypochondriacus venæ portæ, ſpeciali congeſtione *e ramo meſenterico* in ramum *ſplenicum* reſtrictus.
3. Cauſſa *proxima* eſt diſruptio aliqua in *vaſis breuibus.*
4. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, a quibuscumque cauſſis turbatum, & in hos erroneos motus concitatum; & hic quidem iracundia, item abuſus potuum ſpirituoſorum multum contribuere ſolet. *conf. Foreſt. Libr. XVI. obſer.* 24. 25. vbi notatu digna exempla occurrunt.
5. Quod cauſſæ ſimpliciter *mechanicæ* non ſufficiant ad hoc negotium explicandum, eluceſcit præcipue ex illa vomitus cruenti ſpecie, quæ certis periodis recurrit.
6. Cauſſæ *externæ* violentæ, procatarcticæ, e. gr. *vomitus vehemens* arte excitatus &c. poſſunt quidem vomitui cruento anſam dare, præcipue in plethoricis, ſed longe minorem in illum habent potentiam, quam *internæ.*
7. Cæterum quando anguſtiæ præcordiorum, vomitum cruentum comitantes, iam adſunt, facile per *motum*, *potum*, & *animi pathemata* adfectus exacerbatur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. *Vomitus cruentus* periculo non vacat: licet enim ſanguis tam copioſe rarius eiiciatur, vt *mors* ſtatim ſuccedat, abit tamen facile in *conſuetudinem*, & tunc plerumque *tabem* in *viris*, *cachexiam* autem in *feminis* producit.
2. Celerius autem vitæ periculum minatur, ſi ἄνω καὶ κάτω ſimul ſanguis, & quidem floridus, reiicitur. *vid. Foreſt. loc. cit.*
3. *Reuellentia* etiam *externa* in vſum trahi poſſunt, licet mi-

3. Si per vomitum non omnis in ventriculum effuſus ſanguis eiaculatur, tum ibi ſtagnans facile abit in *putrefactionem*. Vnde talia ſymptomata proueniunt, quæ vix a *veneno adſumto* exſpectanda eſſent.

4. In iunioribus puellis, via ſemel trita, facilius repullulat, quam in annoſioribus, in quibus minor eſt intentio *ſanguineæ* excretionis.

5. In ſexu feminino licet *breuius*, quam in virili, duret vomitus cruentus; feminas tamen maiore plerumque impetu, quam viros, inuadit.

6. Apud feminas plerumque ſponte iterum ceſſat, non idem apud viros; & in his circa *tempora æquinoctii* facile recrudeſcit.

7. Feminis, inprimis iunioribus, minus periculoſus eſt, quam viris. *Vbique* tamen, quando inſoleſcit, deterioris eſt conſecutionis; præcipue ſi a cauſſis violentis primam originem duxerit, & per malam medicationem augmenta ceperit.

8. Sic enim vomitus cruentus *copioſiſſima eruptione* conſpicuus, vel *adſtringentium abuſu* incongrue tractatus, œdemata, hydropem, hecticam, pathemata hypochondriaco-hyſterica, immo ſpaſtico-conuulſiua producit.

9. Vomitus cruentus in *feminis* facilius *periodis* adſueſcit, quam in *viris*.

10. *Periodicus* autem non ita grauiter quidem eſt periculoſus, præcipue *menſium vicarius*, quam qui *vagus* eſt; vid *Foreſt*. l. c, libr. XVI. obſ. 25. ſi tamen opprimitur, non vero ſimul iterum diſcutitur, ſanguis *in liene* reſtagnat.

11. Hanc ſtagnationem ſequitur *ſtaſis*, quam excipit *inflammatio lienis*, corruptio denique illius ſanguinis & tandem *vomitus niger*, inſtar *rob ſambuci*.

12. Sic in tali vomitu nigro euentus certiſſime eſt funeſtus, ſi *initium* fuerit *acutum*, *lentiore progreſſu*, hydrops: *medio modo* graues ſpaſticorum moliminum exacerbationes ſubſequun-

ſequuntur. *conſ. D. D. Stahlii theor. med. de vomitu cruento.*

12 Quantum denique animi *commotio iracunda* ad reuocandum vomitum cruentum valeat, experientia docet.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Methodus in vomitu cruento eadem fere eſt, quam quæ in hæmoptyſi, nempe

A. *In paroxyſmo*

Sanguis congeſtus & circa hypochondria ſtagnans, diſcutiendus, motusque tonicus ad æqualem tenorem reducendus eſt.

Faciunt hoc

1. *in malo leuiore*

1) pulueres nitroſi, abſorbentes, cinnabarini, ſingulis circiter horis repetendi. Commendantur in hunc finem nitrum depuratum, conchæ praeparatae, mater perlarum, ocul. cancr. praeparat. cinnabaris antimonii, quibus ſal digeſtiuum addi poteſt, v. gr. tart. vitriolat. nitrum antimoniatum.

2) His puluuribus accedat vſus *eſſent. millefol.* ſed prouidus. *vid. cautel.*

3) Vel *eſſent. adianth. albi*, quae herba eumdem ſpecificum effectum in pathemaribus venae portae edere dicitur, ac millefolium.

4) Adhibeatur etiam, vel cum dictis eſſentiis miſceatur tinct. tonico-neruina *Stahl.* e. g.

R. Spirit C. C. rectificat.
Tinct. tart. ana drachm. I.
Eſſent. millefol. drachm. II. M. doſ. gutt. XXX. bis per diem.

2. Quando autem neceſſitas vrget, & excretio ſanguinis pertinaciter continuat, praedictis medicamentis ſociari debent *ſubadſtringentia* & lenia *anodyna* e. g. ſpec. de *hyacinth.* tinct. corall. immo corallia ipſa & margaritae praeparatae, tinct. *terrae catechu*, tinct. martis aperit. *Ludouic.* M. P. de *cynogloſſa*. item puluis cort. caſcarill. eiusque tinctura, croc. mart. antimon. *Stahlii* lap. manati & dens Hippopotam. pulueriſat.

3. Re-

minoris hic ſuat efficaciæ, e. g. ligaturæ, frictiones, ſinapiſmi extremorum, cucurbitularum adplicationes cum multa flamma ad ſuras, fotus calidi, plantis pedum & manibus adplicandi. Item ventoſarum adplicatio, pediluuia.

4. *Alui adſtrictio* impediatur per *clyſteres* lenientes, ſalino ſtimulo imbutos, aut alia leniora laxantia e. g. pilul. *Stahlii*, aut pilul. contr. obſtructiones.

5. *Tonus ventriculi* eſt roborandus, e. g. per tinct. vitriol. mart. aperit. *Ludouici*, aut tinct. martis cydoniat. vel pomat. per ſuccum cydoniorum, aliaque acidula.

6. Cæterum in paroxyſmo quieta mentis & corporis continentia maxime prodeſt.

B. *Extra Paroxyſmum.*

1. Ante omnia lene aliquod *laxans rhabarbarinum* ceſſante paroxyſmo ſtatim adhibeatur, quo ſatis mature euacuetur, ſi quid ſanguinis congrumati in ventriculo reſtitet, e. g.

Recip. rhabarb. ſubtiliſſ. puluerif. drachm. j.
Ocul. cancri præparat. drachm. ij.
M. doſis drachma ſemis, poſt aliquot dies repetenda.

Si mauis, ordinentur vina laxantia ex rhabarbar. rad. helen. gent. rubr. rubiæ tinctor. herb. abſinth. centaur. m. card. ben. flor. bellid. &c. parata.

2. Ad recurſum paroxyſmi præoccupandum, *venæ ſectio in pede* circa æquinoctia inſtituatur, nec non, ad plethoram imminuendam, *ſcarificationes* in ſubiectis iisdem adſuetis ſpongioſis adminiſtrentur.

3. Menſium ſuppreſſio, ſi in cauſſa fuerit, congrua methodo tollatur, nam mulieri, ſanguinem vomenti, menſtruis erumpentibus, mali fit ſolutio, dicit *Hippocrates*.

4. Vel ſi ab hæmorrhoidum obſtructione malum originem ſumſerit, *hirudines* ad hæmorrhoidalia loca adplicentur: illæ enim, quando reuocantur, morbum ſoluunt. conf. *Ettmüller*.

5. Maxime autem attendatur, ne in reuocatione menſium aut

hæmorrhoidum *fortiora pellentia* adhibeantur, quia tum facile cruentus ille vomitus recrudeſcit.

6. Denique pro differentia ſubiectorum & craſeos humorum vitiatæ ſanguinem & lympham corrigentia adhibeantur: Prodeſt hic egregie *tinct. antimon. tartariſat.* item *eſſent. alexipharmaca Stahl.* præmiſſis & ſubiunctis conuenientibus laxantibus e. g. pilul. *Stahlii* aut *Becheri* correct.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Millefolium* ſiue in eſſentia ſiue in infuſo vſurpatum, vti in aliis adfectibus, cum vena portæ connexionem habentibus, ſic etiam in vomitu cruento ſpecificam plane efficaciam exhibet. Eſt enim leniſſimum adſtringens. Cautus autem ſit illius vſus, præcipue in viris, quia hic & alibi facile fit *nimium*.

2. Neque etiam vſus *millefolii* & *adianthi albi* locum habet, quando vomitus cruentus conſueta fluxus *menſtrui periodo* contingit, aut a ſuppreſſione *hæmorrhoidum* dependet.

3. Ad *poſitiue* adſtringentia extra *neceſſitatis* caſum non progrediendum, præſertim quando fruſta ſanguinis coagulata adhuc notabiliter reiiciuntur. Nam ſanguis in ventriculum reſtringitur, vt in putrefactionem abeat; reliquus autem adfluens circa lienem abit in ſtaſin, & vtrimque grauiſſima ſymptomata producunt *conf. prognoſis.*

4. Sunt quidem, qui e periculis, vſui adſtringentium ſuccedentibus, eluctantur, ſed vix alii, quam *robuſti*; quorum vegeta natura aduerſus incongruum medicamen impetum facit; *ſenſibiles* autem ſpongioſi hydropem &c. macilenti hecticam incurrunt. *conf. prognoſis* num. 7.

5. *Topica* externa, quæ vomitum ſiſtendo grumorum euacuationem impediunt, & ſanguinis putredinem, immo vehementes cardialgias, aliaque incommoda producunt, ſunt fugienda.

6. *Martialia*, exceptis leniter tonicis, prorſus abeſſe debent; item etiam *opiata*.

7. Abſtinendum quoque eſt a remediis ſanguinem commouentibus, acribus, viciſſim etiam a refrigerantibus & craſſius obuiſcantibus.

8. An-

8. Ante omnia cauendum a peruerſa illa methodo, quæ hypochondriacis & hyſtericis, de cardialgiis & aliis ſpaſticis circa ventriculum incommodis conquerentibus, *emetica* præſcribit. Hac enim ratione vomitus cruentus non raro prouocatur.

9. Sic etiam in primo huius adfectus inſultu, ad aluum expediendam *laxantia*, licet etiam ſint leniſſima, interne, & quidem in ſubiectis tenerioribus, non habent locum, ob ſenſibilitatem enim ventriculi, vel mox reuomuntur, vel ſiniſtras commotiones efficiunt, propterea *clyſteres* potius vſu veniant.

10. Qui ſemel vomitu cruento correpti fuerunt, caueant ſibi per totam vitam a vomitoriis & purgantibus draſticis, præcipue *aloëticis*, quæ in omnibus ſanguinis eruptionibus ſuſpecta ſunt.

11. Hæc cautio ſpeciatim obſeruanda eſt, quando poſt paroxyſmum menſes vel hæmorrhoides reuocari debent, alias vomitus cruentus facile recrudeſcit: hinc placidiſſima tantum & leniſſima ſunt eligenda.

12. Quæ tabula de *hæmoptyſi* ſub cautelis ratione diætæ dicta ſunt, etiam in vomitu cruento notari debent.

13. Sic etiam cautelæ & obſeruationes, tabula de *hæmorrhagiis* generatim traditæ, hic adplicari debent.

# TABVLA X.
## DE
# MICTV CRVENTO.

I. D*EFINITIO.*

Mictus cruentus eſt euacuatio ſanguinis ſinceri per vias vrinarias, a congeſtione illius ad vaſa emulgentia in renibus facta, originem ſumens, &, ad plethoram imminuendam, mo-

motumque ſanguinis progreſſiuum facilitandum, ab ipſa natura, licet erronee, inſtituta.

II. *DIFFERENTIA.*

Mictus cruentus eſt vel

1. *ſimplex*, ſeu *ſpontaneus* ex renum *vaſis emulgentibus* proueniens, de quo valet definitio; vel eſt

2. *calculoſus*, ſeu *violentus*, qui a *calculo renum* aſperiore excitatur. Sed longe rarior hic eſt, quam vulgo creditur: innumeri enim fuerunt *nephritici*, qui calculos grandiores & aſperos eliminarunt, ſine vllo tamen veſtigio mictus cuenti. Et ſi omnino ille contingit, iuſta ſemper ſubeſt ſuſpicio, quod lithontripticorum vſus talem effectum produxerit.

3. Cæterum aliæ adhuc mictus cruenti *ſpecies* in *hiſtor. morbor. Vratislauienſ. tom. I. pag.* 283. indicantur quidem, e. g. ex *hæmorrhoidibus veſicæ*, ex ipſa *veſica*, ex *varicibus*; ſed hæ ſpecialiſſimæ circumſtantiæ ſpecialiſſimum vſum practicum non ſuppeditant.

III. *SIGNA.*

1. Mictus cruentus, quo magis ſpontaneus eſt, eo certius ſine omnibus ferme incommodis, *tacite* quaſi erumpere ſolet. Hinc ſigna *imminentis* huius hæmorrhagiæ non adeo certa ſunt.

2. Qnando autem omnino aliqua incommoda præcedunt, ſunt illa ſenſationes *ſpaſticæ* tantum *exiguæ*, quæ partim in lumbis, partim circa illa & inguina, interdum circa pectinis regionem perſentiſcuntur.

3. Concurrit *torpor* totius corporis.

4. *Alui* ſtrictura.

5. Quo magis autem vel a *calculo* aſpero, renes lædente, vel a *ſanguine coagulato*, in ductu obliquo vreterum iuxta veſicæ introitum diſtendente, vel ab aliis *violentis* cauſſis mictus cruentus excitatur, eo certius dolores ſenſibiliſſimi illum comitantur.

6. *Præſens* mictus cruentus dignoſcitur, quando *ſanguis floridus* cum vrina excernitur, & per temporis moram ad tun-

fundum ſecedit, ipſa autem vrina breui poſt clara iterum ſupernatat.

7. Quando autem ſanguis aliquamdiu iam iam verſus hæc loca congeſtus fuit, tum in vreteribus, ob eiusmodi temporis moram, ita coagulatus eſt, vt cum vrina ſub forma quaſi *vermiculari* excernatur.

8. Vbi autem inſignis *vrinæ ſalſedo* vel plane *exulceratio* ſiue in renibus, ſiue in veſica, ſiue in ipſa vrethra præſto eſt, ibi loco ſinceræ ſanguineæ admixtionis, turbulenta, ichoroſa, ſubcruenta materia in vrina conſpicitur, atque hic ſanguis magis coagulatus ſub *lumbricorum*, forma & calami ſcriptorii craſſitie adparet, concurrente anxio & ardente dolore.

9. Sanguis ex *hæmorrhoidibus* nonnumquam proueniens ſuſpicatur, ſi

a) *lapilli* antea non fuerunt excreti.

b) nec *vlla* vaſorum *læſio* adparet.

c) æger vero de hæmorrhoidum *ſuppreſſione* tempore præſenti conqueritur.

d. inſuper mictus cruentus *certas* etiam *periodos* ſeruat.

IV. *SVBIECTA.*

1. Mictus cruentus *ſimplex* ſeu *ſpontaneus* eſt adfectus raro eueniens, & inprimis familiaris eſt *ſenibus*, adhuc vegetis & plethoricis, ſpecialiſſime iis, qui iuuenili ætate multis narium hæmorrhagiis laborare conſueti fuerunt.

2. Quod ſi vero in *iuuenili* aut *virili* ætate adfectus hic obſeruatur, in cauſſis *violentis* fundamentum atque origo quærenda eſt.

3. Quamquam vtrique ſexui ſine peculiari prærogatiua communis eſſe videatur, *virilem* tamen magis, quam femininum ſexum occupare, experientia docet.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt plethora.

2. Cauſſa *propior* eſt ſanguinis hæmorrhoidalis translatio, per errorem naturæ ad renes facta. Quamprimum enim hæmorrhoides ſupprimuntur, ſanguis ex *iſchiaidicis venis* ad *emulgentes*, vix duorum pollicum ſpatio ab illis diſtantes,

 redun-

redundat. Sola hæc oppletio congeſtoria circa renes, vrinæ ſecretionem intercipiens, ſufficiens cauſſa mictus cruenti euadere poteſt.

3. Cauſſa *proxima* eſt disruptio vaſculi ſenguinei in *renibus*, raro & non niſi a violentis cauſſis in *veſica*.

4. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quibuscumque incitamentis & præfigurationibus ad hosce erroneos motus inductum.

5. Cauſſae *externæ, violenta* & *procatarctica* ſunt

1) Abuſus *diureticorum* calidorum e. g. balſam. ſulphuris, olei ſuccini, præcipue autem cantharidum.

2) *Motus* corporis *ſuccuſſatorius* & violentus e. g. equitatio diuturna & vehemens, lapſus vel ictus in regionem lumbarem.

3) Non poſtremæ efficaciæ eſt *abuſus veneris* apud ſenes: nam conſpiratio renum cum vaſis ſpermaticis eſt efficaciſſima.

4) *Excandeſcentia* animi &

5) *Diæta* ſpirituoſa, quæ ſanguinem nimis agilem reddunt.

6) *Exulceratio* & *calculus* renum.

7) Conſuetarum ſanguinis *euacuationum* ſiue naturalium, ſiue artificialium omiſſio.

V. *PROGNOSIS.*

1. Effectus huius euacuationis nullus eſt vtilis, quin præponderent incommoda, immo potius *pericula*.

2. Hoc enim malum, niſi maxime tempeſtiue iterum miteſcat, & intentioni naturæ per ventilationem ſanguinis ſatisfiat, admodum contumax eſt, & ad irregulares exceſſus inclinat; ad quam contumaciam ſenilis ætatis indoles, tenaciter actionibus ſuis inſiſtens, multum contribuit, immo facile in conſuetudinem abit.

3. Qui in mictum cruentum deuoluuntur *ſenes*, vix diu poſt ea viuunt, niſi admodum commode & libere hic fluxus ipſis ſuccedat. Sin ſecus, intra paucos annos ad vitæ ſuæ exitum perueniunt.

4. Interdum etiam hic fluxus ingens vitæ periculum minatur, ſi ex *anthematicis* morbis accedere ſolet.

5. In-

5. In primis mictus cruentus iam iam *adſuetus*, *repente* tamen & *incongrue* plane cohibitus, *grauiſſima* producit ſymptomata: ſequuntur enim varii adfectus *ſpaſtici*, *tabidi*, *tumores œdematoſi*, *hydropici*, *febres acutæ* inflammatoriæ viſcerum,
6. Immo ſicut *hæmoptyſis*, immediate per adſtringentia ſuppreſſa, vlcerationes in *pulmonibus* relinquit: ita a *mictu cruento*, repente cohibito, facile tales exulcerationes in *renibus* exoriuntur.
7. Et tum loco ſinceri ſanguinis turbulenta & ſubcrúenta materia per vrinam excernitur, quæ per temporis moram conſiſtentia admodum tenaci ad fundum ſecedit.
8. Quando autem & hæc excretio *ſupprimitur*, præſto ſunt grauiora, anxia, periculoſa, lethalia pathemata.
9. Mictus cruentus, qui primum *violentus* fuit, tempore progrediente fieri poteſt *ſpontaneus*.
10. *Violentus*, a calculoſa læſione dependens, in iunioribus longe ſecurius, quam in annoſis cohibetur.
11. *Hæmorrhoides veſicæ* tantum non inuoluunt periculi, quantum ab ipſo mictu cruento, ex renibus aut veſica originem trahente, expectandum eſt.
12. Denique in hac hæmorrhagiæ ſpecie maior ſanguinis iactura citra vitæ periculum poteſt perferri, quam in aliis locis, in quibus vaſa magis directe ad circulationem ſanguinis contribuunt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *In paroxyſmo.*

1. Ad *orgaſmum* ſanguinis & nimiam illius agitationem contemperandam propinentur *nitroſa*, *abſorbentia*, *cinnabarina*. Huc pertinet nitrum depur. mater perlar. ocul. cancr. conch. præparat. cinnabar. natiua vel antimonii.
2. Hæc ſi non ſufficiunt, *blanda adſtringentia* vel interponantur, vel commiſceantur pulueribus temperantibus, modo indicatis.
   1) Hic omnibus aliis palmam præripit dulce illud adſtringens nempe *vitriolum*, quod ex *minera* martis *Haſſiaca* extractione cum aqua pluuiali & cryſtalliſatione paratur.

tur. Soluitur in aqua, & in hac forma liquida circiter drachm. II. pro doſi propinantur.

2) Huc etiam pertinent alia mitiora adſtringentia e.g. corallia, ſpec. de hyacintho, crocus martis aperitiuus *Zvvælfferi*, croc. martis antimoniatus aperitiuus *Stahlii*.

3) Paullulum fortius ſubadſtingunt tinct. martis aperitiv. *Ludouici*, tinct. martis ſolaris, tinct. terræ catechu, trochiſc. de carabe, vt & tinct. opii *Longelotti*.

4) *Specifice* laudari ſolent *ſuccus vrticæ*, item decoctum *equiſeti*, inprimis autem *radix aſparagi* in forma thee vſurpanda.

3. *Aluus* ſemper aperta ſeruetur; cui ſcopo clyſteres ſatisfaciunt, vel ſerum tamarindinatum, vel etiam laxans quoddam rhabarbarinum, immo etiam pilulæ *Stahlianæ*.

4. Æſtus cum dolore ardente continuans expoſcit *emulſiones* amygdalatas temperantes, vel oleum amygdalarum dulcium, cum ſpermate ceti remixtum.

5. *Decoctum nephriticum Foreſti*, ſi a calculis malum dependet, locum quidem, ſed effectum non adeo inſignem habebit.

6. Remedia illa, quæ alias *exulcerationi pulmonum* deſtinata ſunt, e, g. herb. heder. terreſtr. alchimill. pentaphyll. ſanicul, vincæperuincæ, hyperici, præ ceteris autem virga aurea *Geſneri*, item gummi maſtich. iunip. & medicamenta mucilaginoſa ex lacte & cremore hordei parata, vſurpari poſſunt, ſi malum a cauſſa quadam *Violenta*. e.g. a cantharidibus, originem ſuam traxit. *Conf. caut.* 9.

7. *Aequalis* tandem ſanguinis diſtributio promoueatur per interpoſitionem mixturæ tonico-neruinæ *Stahlii*

B. *Extra paroxyſmum.*

1. Poſt paroxyſmum continuentur *pulueres* temperantes, & *mixtura tonica*, ne malum recrudeſcat.

2. Et quam primum opportunum tempus accedit, *venæ ſectio* præſeruatorio-reuulſoria paullo largior in ſuperioribus

ribus partibus, manu ſcilicet vel brachio, interdum etiam, quando alia non vrget neceſſitas, in pede inſtituatur, atque hæc in futurum ſub prætextu ſenij non facile prætermittatur.

3. Præterea, quando hæmorrhoidum vel menſium obſtructio huic malo anſam dedit, horum fluxuum ratio habeatur per methodum, ſuo loco commendatam; qua occaſione adplicatio *hiruainum* ad hæmorrhoidalia loca in *viris* quam maxime commendatur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Si hæmorrhoides, ſecundum *Hippocratis* obſeruationem, *nephriticis* ſunt ſalutares, ſalutares etiam eſſe debent iis, qui *mictu cruento* laborant.

2. Tanta eſt conſpiratio mictus cruenti & mali podagrici cum hæmorrhoidibus, præcipue *externis*, vt mictus cruentus hæmorrhoides ſuppreſſas in nonnullis mox excipere ſoleat; quæ obſeruatio, ad effectus hoſce legitime tractandos, eximiam habet vtilitatem.

3. *Anodyna* in adfectibus *renum* & *lumborum* incommodum prorſus edunt effectum; nam *effluxum* ſupprimunt, *adfluxum* autem non intercipiunt. Vnde ægri in grauia pathemata abdominis conijciuntur, quæ prius non ceſſant, quam mictus cruentus cum nouo impetu erumpit.

4. In caſu tamen *effero*, ſi omnino anodynum aliquod neceſſarium iudicatur, M. P. de cynogloſſa reliquis præferenda, & cum pulueribus temperantibus commiſcenda eſt.

5. In mictu cruento *pertinaci* herba *equiſeti* aliquem effectum præſtat, in caſu autem *mitiore*, quia adſtringens eſt, ab illa abſtinendum eſt.

6. *Hedera* autem *terreſtris* in lentiore tantum paroxyſmo locum habet, & quidem vſu ſucceſſiuo.

7. *Cherefolium*, in copia adſumtum, aliquid præſtat, alias iners. Pariter tamen *vrgente* paroxyſmo non exhibeatur, ſed tantum *leuiore*.

8. *Schenckius* commendat *millefolium flore albo.*

9. Porro commendantur quidem ſpecifice *ſuccus vrticæ minoris* recens, *virga aurea Gesneri*, *pentaphyll.* ſed hæc omnia

ad ſummam rei nihil faciunt, niſi intentioni naturæ ſatisfiat per ſanguinis ventilationem.

10. Circumſpectione opus eſt, ne hæmorrhagia hæc per *adſtringentia* repente ſupprimatur, alias *phthiſis renalis* cum ſpaſticis pathematibus producitur, vti ſub *prognoſi* iam diximus.

11. *Ettmüllerus* & alii mictum cruentum *criticum*, eumque ſalutarem, obſeruarunt, quo quidem in caſu ipſa ratio dictitat, quod talis hæmorrhagia minime omnium immediate ſiſtenda ſit.

12. Cauſſæ *occaſionales*, finita curatione admodum ſollicite euitentur, quia *leuiſſimæ* etiam hunc adfectum reuocare poſſunt, præcipue caueatur ab iracundia, vſu vini & veneris.

13. Præſtat *clyſteribus* aluum expeditam ſeruare, quam naturam vel leuiſſimis ſtimulis laxantibus turbare. Hinc ipſis adeo pilulis polychreſtis poſſumus ſuperſedere,

14. *Topica*, quæ ordinarie commendantur e. g. *vnguent. Comitiſſæ*, *infrig. Galeni* &c. formam magis, quam effectum exhibent.

15. *Balſama acriora*, e. g. Auguſtanum & alia, quæ vulgo ad conſolidandum vulnus præſcribuntur, plane reiicienda ſunt, quia orgaſmum ſanguinis iam præſentem augent, & malum exaſperant.

16. *Diæta* ſit moderata, non aromatica, nec ſpirituoſa; *motus* autem corporis modeſtus.

---

## TABVLA XI.

### DE

# HAEMORRHOIDIBVS INTERNIS ORDINATIS ET NIMIIS.

I. DEFINITIO.

*Hæmorrhoides* ſunt euacuationes ſanguinis e vaſis hæmorrhoidalibus, ſiue *internis*, circa profunditatem inteſtini recti, ſiue

ſiue *externis*, verſus orificium illius, a natura ipſa, per motum tonico-ſpaſticum, eum in finem inſtitutæ, vt plethora imminuatur, impeditus ſanguinis circa venam portæ progreſſus promoueatur, & reliqua grauia incommoda, quæ circa illam ab huiusmodi contentionibus reſultatura eſſent, præoccupentur. Deriuatur ab αἷμα, ſanguis, & ῥέω, fluo,

II. *DIFFERENTIA.*

Quamquam mutua ſit *conſpiratio* externarum hæmorrhoidum cum ipſis internis, merito tamen a ſe inuicem diſtinguuntur: in ipſo enim fluxu euidens veritas huius conſpirationis non æque ſe exſerit. Hinc hæmorrhoides ſunt vel

1. *Internæ*; vbi ſanguis e ramis *hæmorrhoidalibus* venæ portæ profundius in inteſtinum rectum effunditur, & deinde cum fæcibus aluinis eliminatur. Has iterum diſtinguimus in
   1) *Ordinatas* ſeu legitime & moderate ſuccedentes, corporis conſtitutioni & reliquis circumſtantiis proportionatis reſpondentes, & ſine inſignibus moleſtiis fluentes, & in
   2) *Nimias*, quæ vel nimis frequenter recurrunt, vel nimis copioſe prodeunt, vel per plures hebdomadas & menſes, immo nonnumquam annos continuant. Vel
2. *Externæ*, quæ e ramis *iliacis* venæ cauæ originem ſumunt, & circa orificium inteſtini recti cum expreſſione ſcybalorum induratorum ſeſe manifeſtant.
3. De internis, quæ *fluentes* etiam dicuntur, hoc loco, de externis autem *tabula ſequente* agetur.
4. Diſtinguuntur porro hæmorrhoides in
   1) *Periodicas*, quæ ſtata tempora, ſiue menſtrua, ſiue æquinoctialia, ſiue anniuerſaria &c. obſeruant. Sic notus eſt vir, qui per plures annos die cuiusuis menſis decimo octauo præciſe hæmorrhoides experitur, licet menſes numero dierum impares ſint. Et in
   2) *Vagas*, quæ ſine ordine vel rarius vel ſæpius recurrunt.
5. Hæmorrhoides etiam diſtinguendæ ſunt a copioſis illis euacuationibus ſanguinis, quas Germani Blut-Stürtzungen

gen vocant, & quæ poſt longos adfectus hypochondriacos ſine præuia ſcybalorum excretione cum impetu erumpunt, atque ſine dubio e ſuperioribus inteſtinis oriuntur.

II. *SIGNA.*

A. *Imminentium.*

1. Antecedunt in plurimis ſubiectis motus congeſtorii & dolores tenſiui, vibratiui, magis vel minus ſpaſtici, circa loca venæ portæ connexa, nempe circa ventriculum, meſenterium, lienem, hepar & inteſtina, item circa hypochondria, os ſacrum & lumbos.

2. Hi motus acerbiores obſeruantur, quando hæmorrhoides difficilius erumpunt, & tunc ægroti percipiunt ſenſum aliquem circa exitum inteſtini recti, ac ſi nucleus durus, vel pinea aut cornus ibi hæreat; & quo magis *introrſum* hic ſenſus percipitur, eo difficilius hæmorrhoides perueniunt ad eruptionem.

3. Interdum etiam admodum leniter & tacite procedunt, & cum moderato *teneſmo* exeunt. Sed talia exempla, quibus hæmorrhoides ſine vllo ſenſu moleſto aut cum mediocri tantum perrumpunt, ſunt pauciora.

B. *Præſentium & moderate fluentium.*

1. Excretio ſanguinis non obtingit ſpontaneo & perpetuo ſucceſſu, ſed exſpectat ſemper preſſionem ſub exoneratione alui contingentem; vbi primum *ſcybala*, plerumque *duriora*, eliminantur, quibus deinde *ſanguis* ipſe, durantibus adhuc vacuis illis conatibus egerendi, ſine vllo ſenſu moleſto ſuccedit.

2. In nonnullis ſubiectis excrementa *ſtriis ſanguineis* mixta deprehenduntur.

3. Sanguis, qui excernitur, eſt plurimum *floridus* & rubicundus, in illis nempe, quibus hæmorrhoides libere & frequenter fluunt.

4. *Spiſſus* autem & nigricans eſt ſanguis, quando fluxus raro reuertitur, & impedite ſuccedit.

5. Atque in his circumſtantiis *facies* e flauo viridescens conſpicua eſt, ſecundum *Foreſti* obſeruationem. Et

6. Cum

6. Cum *vrina* craſſa ſedimentum roſei coloris, nonnumquam etiam tartaream concretionem exhibens, excernitur.

C. *Nimiarum*,

1. Quando *tempore* peccant, & ſolito *maturius* in ætate minime conueniente ſe offerunt, intemperantis indolis deprehenduntur.
2. Quando *promte* reuertuntur, ita vt ſingulis fere hebdomadis ægros inuadant.
3. Quando *nimis diu* continuant, ita vt per aliquot hebdomadas hic fluxus pertinaciter duret.
4. Quando *quantitatem* & *menſuram* tolerabilem egrediuntur, & ſingulis deiectionibus tam largiter prodeunt, vt ægri vires notabiliter exhauriantur.

IV. *SVBIECTA*.

1. Hæmorrhoides eueniunt quidem *ſexui vtrique*, cum euidente tamen maſculini præ feminino prærogatiua, quam paucis hic adlegare licet.
   1) Tanta multitudo feminarum, quam virorum, non obſeruatur, quibus hæc excretio obtingit.
   2) Neque adeo exquiſitam temporis menſuram & ſtatos atque ordinatos ſucceſſus in feminis ſeruat, vt in viris.
   3) Neque æque ſæpe aut copioſe in iis emicat.
   4) Neque pari leuamine & certa προφυλάξει; dum in feminis promtior indoles eſt ad translationes & vaga molimina.
2. Omnibus fere ſine diſcrimine *temperamentis*, præcipue autem ſanguineo-cholerico, aut ſanguineo-melancholico.
3. *Ætati* plerumque *conſiſtenti*, virili nempe & ſenili, immo & ſummæ ſenectuti proximæ.
4. Feminis, quæ præmaturam menſium ceſſationem aut partum difficilem experiuntur.
5. Viri, qui ætate adoleſcentili narium hæmorrhagias, poſtea vero congeſtiones in pectore & adfectus hypochondriacos habuerunt, accedente virili ætate, ſi temperamentum ſimul conſpiret, accipiunt hæmorrhoides fluentes.
6. Quando autem *iunioribus* hæmorrhoides fluunt, ſubeſt po-

 tiſſi-

tiſſimum hæreditaria diſpoſitio, quæ plerumque ad excedentem fluxum in his ſubiectis anſam præbet

7. Hæmorrhoidum fluxum facile etiam experiuntur homines valde *plethorici*, qui per externas violentas cauſſas plethoram commouerunt, vt ſequentibus temporibus, aperta ſemel ad exitum porta, non ſolum intentior inclinatio ad hoc genus euacuationis, ſed etiam continuatio & repetitio eiusdem ſequatur.

V. *CAVSSAE.*

A. *Internæ.*

1. Cauſſa *efficiens* eſt naturæ ad exonerandum intentio.
2. Cauſſa *materialis* eſt *plethora*. & quidem inſigniter commota, præcipue in temperamentis modo indicatis.
3. *Hæreditaria* diſpoſitio, quæ non modo *certam*, ſed etiam *acutam*, *præmaturam* & *abundantem* commotionem & excretionem adfert.
4. *Spiſſitudo* ſanguinis ſæpiſſime, rarius autem nimia *tenuitas*, contra communem ſententiam, quæ tenuitatem & acrimoniam ſemper adcuſat.
5. Cauſſæ abſolutæ non ſuppetunt, cur excretio ſanguinis per hæc ſpecialia loca excernatur, niſi forſan e connexione *genitali* aliquid eliciendum ſit.

B. *Externæ, occaſionales & procatarctica.*

1. Violentæ abdominis concuſſiones, e. g. equitatio diuturna præter conſuetudinem, celerior curſitatio vsque ad ſenſum inflationis illius dolorificæ in ſiniſtro hypochondrio. quæ a ſplene dependet.
2. Niſus fortior in partu, & incubitus vteri prægnantis in inteſtinum rectum.
3. Vita ſedentaria, otioſa, vbi compreſſo ſæpius abdomine motus ſanguinis circa venam portæ impeditur.
4. Euacuationum ſanguinis naturalium & artificialium conſuetarum prætermiſſio.
5. Incondita remedia, per quæ ordinatus hæmorrhoidum fluxus impeditur & offenditur, vt nimius exinde oriatur.

6. Tem-

6. Tempeſtas calida.
7. Abuſus potuum ſpirituoſorum, aromatum, aloëticorum, helleborinorum & aliorum calidorum: vnde hæmorrhoides in Saxonia inferiore admodum familiares, ob vſum elixir. propriet. vti in Hungaria ob allii abuſum.
8. Pertinaces alui obſtructiones a grauioribus torminibus colicis exortæ.
9. Refrigerationes diuturnæ & frequentes.
10. Animi inſignes commotiones, in primis autem ſuppreſſa iracundia & terror.
11. Adſuetudo etiam in ætate his excretionibus conueniente, aut a præcedentibus ætatibus continuata, hic maioris eſt efficaciæ, quam in aliis hæmorrhagiis.
12. Infectio venerea magis ad hæmorrhoidum cœcarum cauſſas referenda eſt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Hæmorrhoides in idoneis, peculiariter ad illas prædiſpoſitis, ſubiectis facile ordinate & moderate fluentes, ſunt beneficium naturæ, in comparatione damnorum, exinde metuendorum, ſi talis excretio non procedat, & *tamen interim diſpoſitio ad eamdem maneat.*
2. Præcipue autem vniuerſam ſcenam mali hypochondriaci claudunt.
3. *Hippocrates* iam obſeruauit, quod hæmorrhoides inſanientibus ſuperuenientes, delirium ſoluant. *Aphor.* 21. *Sect. VI.*
4. Soluunt etiam non raro adfectus pertinaces arthriticos, nempe malum iſchiadicum, gonagram, podagram.
5. *Excedentes* autem omnem illam ſalubritatem deſtruunt, quæ e iuſto ſucceſſu ſperanda eſſet.
6. Non facile enim illam excedendi in quantitate, prompta reuerſione, & pertinaci continuatione ἀταξίαν amittunt, hinc interdum tam refractariæ ſunt, vt omnem fere medicationem eludant.
7. Inter ea fluxus hæmorrhoidalis non facile tanta copia erum-

rumpit, vt præceps vitæ iactura inde metuenda ſit. Conferantur exempla notatu digniſſima a D. D. *Stahlio theoria medica pag.* 754. *ſeqq.* commemorata.

8. Hic ipſe fluxus tamen, ſi nimis diu continuat & nimis frequenter recurrit, vires proſternit & ſucceſſu temporis cachexiam producere valet.

9. Quando autem hæmorrhoides, ſiue legitime ſiue ad exceſſum fluentes, ſupprimuntur, longe grauiora pathemata immo vitæ pericula ſuccedunt.

10. Nempe viſcerum infarctus, ſcirrhi, inflammationes, colica, melancholia, mania, vomitus cruentus, catarrhi ſuffocatiui, apoplexia, hydrops, icterus flauus & niger, vniuerſus mali hypochondriaci adparatus, aſthmatica pectoris adflictio, tuſſis humida, & plura alia mala.

11. Tranſeunt etiam facile hæmorrhoides *internæ* ſuppreſſæ in motus hæmorrhoidum *externarum.*

12. Et quando etiam tales turbantur, ſuccedit malum iſchiadicum, gonagra, podagra, mictus cruentus, calculus, dyſuria, tumor ſcroti. Vid. *tab. ſequens.*

13. Motus hæmorrhoidales *transfugi* & *titubantes* non ſolum incommodi ſunt, ſed etiam ſucceſſu temporis periculum minantur: nam nihil *conſtantis* per illos agitur, ſed ab vno tentamine ad alterum fit tranſitus, inter ea vires conſumuntur, & motus hoſce colicos tandem *paralyſes* excipiunt.

14. Quibus valde iunioribus haemorrhoides eueniunt, iugiter etiam continuant, & vt plerumque fit, minus moderate ſuccedunt: illi raro inſigne ſenium attingere ſolent. Apud tales enim conſtantiam non facile ſeruant, ſed ceſſant iterum, & tum trahunt poſt ſe coniuncta pathemata grauiora.

15. Contra vero, quibus iam annoſioribus haemorrhoides perueniunt, moderatis etiam & ordinatis ſucceſſibus progrediuntur: his familiariter longam vitam pollicentur.

16. Haemorrhoides quando *re vera nimiæ* ſunt, & continuo fere

fere fluunt, labes viſceris alicuius in abdomine, ſiue ſcirrhoſa, ſiue vlceroſa ſit, eſt metuenda.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *In motibus tantum hæmorrhoidalibus.*

1. Quando hæmorrhoides numquam fluxerunt, & tamen molimina ad easdem vrgent, promotio illarum promiſcue non commendatur: nam dubius ſemper eſt ſucceſſus, & quando omnino fluxus obtinetur, in paucioribus tamen ad votum ſuccedit, & tum vniuerſa ſontica conſectaria inuoluit.

2. Vbi itaque ratione habitus corporis & temperamenti de felici hæmorrhoidum ſucceſſu dubitandum eſt, ibi adfluxus reuellatur per venæ ſectionem in brachio, & preſſio circa has partes relaxetur per *tonico-diſcutientia*, & per infuſum *millefolii* vel *adianthi albi.*

3. Vt autem intentioni naturæ omnino ſatis fiat, venæ ſectio circa æquinoctia repetatur, vel aſſiduus & continuus labor ægro imponatur.

4. Si vero hæmorrhoides aliquoties iam fluxerunt, molimina earum conueniente ratione promouenda ſunt. Fit hoc commodiſſime

1) *Interne*: per pilulas *Becheri* polychreſt. per pilulas balſamicas *Stahlii*, per modeſtum vſum elixir. propriet. per eſſent. hellebor. nigr. e reſinoſo extracto cum ſpiritu vini paratam.

2) *Externe*: per *hirudinum* adplicationem, per tempeſtivam ſectionem venæ *popilitis* aut *malleorum*, qua ſane rebellibus & dolorificis iſtis pathematibus feliciter ſæpe occurritur.

B. *In ipſo hæmorrhoidum fluxu.*

1. Hæmorrhoides *legitime* fluentes non indigent medicatiône, ſed conueniente tantum regimine & diæta; abſtrahendo a cibis flatulentis & obſtruentibus; item a potu ſpirituoſo. Aluus bene ſuccedat, exulent animi commotiones.

2. Si vero *impedite* fluunt, promoueantur eadem methodo, quæ *tab. de ſuppreſſione hæmorrhoidum* indicata eſt.

3. Vbi autem hæmorrhoides *re vera nimiæ* adſunt, & ægrotantis vires per illas notabiliter exhauriuntur, ſequente methodo illis commodiſſime ſuccurritur:

a) *Sub ipſo fluxu.*

1) Temperantia nitroſa & cinnabarina exhibentur.

2) Quæ ſi non ſufficere videntur, coniungitur mixtura tonico-neruina *Stahlii* ad gutt. XXX. ter per diem propinanda.

3) Vrgente autem neceſſitate lenia *anodyna* pulueribus temperantibus immiſcentur, e. g. gr. I. M. P. de cynogloſſa.

4) Clyſteres ſalutariter adhibentur.

5) Pilulæ *Stahlianæ* & *Becheri* genuinæ fluxum nimium, nondum adeo inueteratum, egregie moderantur.

6) Denique etiam hoc præſtant *ſpecifica*, circumſpecto vſu propinata, quorum facile princeps eſt *millefolium*, vel *adianthum album*, in decocti vel eſſentiæ forma adhibendum. *Vid. cautel.*

b( *Extra paroxyſmum.*

1) Tempeſtiuæ venæ ſectiones circa æquinoctia quam maxime commendantur: nam ab onere ſi natura leuata eſt, minore poſtea labore opus habet ad fluxum reuocandum; hinc etiam eo citius ab hac excretione deſiſtit.

2) Exhibeantur nonnumquam *leniſſima laxantia*, inprimis rhabarbarina, quæ bilioſam acrimoniam abſtergunt, quæque etiam, modeſte adhibita, in ipſo paroxyſmo vſum habere poſſunt, teneſmum enim & niſum expreſſorium mitigant.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Frequens eſt *fluxus* hæmorrhoidalis, frequentior *niſus* ſine plenario ſucceſſu, frequentiſſimus autem *motus longinquus*, ſeu molimina in partibus remotis, nempe ſplenico-colico-hypochondriaca pathemata.

2. Hinc ſummæ conſiderationis negotium eſt, *motus* haemorrhoidales in iis promouere, qui ad fluxum talem ob habitum corporis minus diſpoſiti ſunt.

3. San-

3. Sanguis haemorrhoidalis aeque bonus, ac reliquus venarum, niſi quod mora quadam in vena portae ſpiſſeſcat. Leges etiam circulationis talem ſanguinis boni a malo ſelectum non concedunt, vt plerumque ſpeculationibus hoc negotium figuratur.

4. *Specifica* quando in nimio haemorrhoidum fluxu adhibentur, cauendum eſt, ne quid fiat *nimis*.

5. Traditiones enim illae, quaſi temperare ſolum modo, non vero penitus ſupprimere fluxum liceret, cum grano ſalis accipiendæ ſunt: nam longe facilius completa & pertinax ſuppreſſio, quam moderamen eiusdem obtinetur.

6. Notum enim ſatis eſt, quid *millefolium* in ſiſtendis haemorrhoidibus poſſit; ſic etiam reliqua *ſpecifica*, e.g. dens hippopot. lap. manat. priapus ceti, citius ſaepe fluxum cohibent, quam expedit.

7. Huc etiam pertinet *mus marinus*, & *Helmontii amuleticum* remedium, nempe *bufo* exſiccatus, eadem cautione adhibendus.

8. *Adſtringentia* hic multo magis excludenda ſunt: nam pauca quantitate propinata, fluxum potius augent; ſi vero tanta copia ingeruntur, vt cohibitionem producant, ſequuntur omnia illa pathemata, quae ſub *prognoſi* indicata ſunt. Conf. etiam *tabula de ſuppreſſione hæmorrhoidum*.

9. *Martialium* decantatus vſus ſolidam vtilitatem non praeſtat: pleraque enim agunt *adſtringendo*. Praemiſſis autem praemittendis, *tinct. martis Ludouici*, placide continuata, vſui eſſe poteſt.

10. Optandum ſane, vt haemorrhoides *ſuppreſſa*, praeſertim ſi iam *aſcit.cum* aut *hecticum* quid ſucceſſit, tam certo & cito reuocari, quam *fluentes* per talia ſpecifica & adſtringentia ſupprimi poſſent.

11. *Acidularum* vſus numquam ſuadendus eſt, niſi ſpongioſis ſanguineis. Inſuper hoc habet incommodi, vt leuamen, ſi aliquod forte adferat, vix ad annum perduret, & ſi non repetatur, grauiora adhuc ſymptomata producat.

12. *Mixtura tonico neruina*, e ſale volatili & tinctura alcalina parata, fluxum *nimium* intra pauciſſimum profecto tem-

poris ſpatium *imminuere*, immo *ſedare* ſolet, ſi quotidie ter vel quater ad gutt. XXX-XL. exhibetur.

13. In hæmorrhoidibus longo interuallo reuertentibus, in primis ſi exitus ſit impeditior, apud robuſtos & ſanos *vrina* craſſum ſedimentum roſei coloris exhibet, apud ſenſibiles autem, qui dolores grauatiuos & tenſiuos circa lumbos & os ſacrum habent, in vrinæ emiſſione craſſa in fundo deponuntur granula, ſabuli inſtar, ſaturato tamen rufo colore conſpicua, & quoniam in arthriticis adfectibus eadem granula in vrina excernuntur, hæc obſeruatio ad diſtinctionem non ſolum horum adfectuum inſeruire, verum etiam illorum cognationem indicare poteſt.

14. Quoniam inteſtinum *rectum* ſub motibus hæmorrhoidalibus notabiliter adficitur, & inteſtinum *colon* de hiſce motibus per conſenſum participat: oritur inde *colica hæmorrhoidalis*, Hippocrati *ileon hæmatides* dicta. Quod adeo verum eſt, vt vix vmquam tormina durabilia colica (præter cauſſas externas) vlli homini eueniant, niſi quæ ad motus hæmorrhoidales tendant.

15. Idem ſentiendum eſt de connexione *rami ſplenici*. Vnde in motibus hæmorrhoidalibus non ſolum *ſplen* adnexum, verum etiam per & propter vaſa breuia, ipſe ventriculus ſimul adficitur.

16. Motibus hæmorrhoidalibus iungunt ſe plerumque *nephritici adfectus*. Vnde multi hæmorrhoidarii obſeruantur ſimul calculoſi. Et vice verſa, qui nephriticis adfectibus, immo ipſo calculo *renum* torquentur, ad hæmorrhoides procliues ſunt.

17. Quibus hæmorrhoides *raro*, præcipue *extra* vernum & autumnale tempus accidunt, illis plerumque tumultuoſe & minus ordinate ſuccedunt.

18. *Motus* hæmorrhoidales, quo magis ſe exſerunt in regione *hepatis*, *ſplenis*, *ventriculi* & ſuperiorum inteſtinorum, eo pertinacius quidem durant, finem autem excretionis ſanguinis difficilius attingunt.

19. Si vero circa *meſenterium* & inferiora inteſtina motus obtingunt, doloribus nempe grauatiuis per longitudinem oſſis ſacri &c. tum maior ſpes eſt de ſanguinis eruptione.

20. Motus hæmorrhoidales *interni* per calida diaphoretica & regimina facile in motus externos tranſeunt. Hinc adfectus *podagrici*, & in feminis *epileptici*, non raro ſuccedunt.

21. Pari ratione motus *externi* in *internos* transmigrant, e. g. per incongrua topica. Vnde palindromæ deducendæ ſunt, quæ podagricis obtingunt, vt, ſtupefactis ſcilicet externis doloribus, præſentiſſime internas anguſtias, cardialgias, vomitus, phlogoſes & inflammationes ventriculi incurrant.

# TABVLA XII.
## DE
# HAEMORRHOIDIBVS EXTERNIS ET CAECIS.

I. D*EFINITIO.*

Hæmorrhoides externæ ſunt motus ad fluxum hæmorrhoidalem quidem tendentes, & ſanguinis abundantis depletionem reſpicientes, loco autem legitimæ eruptionis, quæ rarior eſt, cæcis ſolum conaminibus infarctus vaſorum hæmorrhoidalium externorum circa orificium inteſtini recti generantes, & modo turgidam inflationem, modo tumorem inflammatorium inuoluentes. Deriuatur ab αἷμα, ſanguis & ῥέω, fluo.

II. *DIFFREENTIA.*

1. Hæmorrhoides externæ non tam pro *noua*, quam potius *anomala* ſpecie hæmorrhoidum agnoſcendæ ſunt, eoque ipſo ab *internis* differunt

1) Ratione *vaſorum*, ex quibus originem ſumunt. Nam internæ

ternæ e vena *porta*, externæ autem e vena *caua* proueniunt. *Vid. tab. de hæmorrhoid. internis.*

2) Rationo *menſuræ* & *modi* excretionis. *Internæ* enim, præcipue ſtatae, plerumque moderata ſanguinis quantitate fluunt, & ſi turbantur, ad multam quoque profuſionem excedunt; *externæ* vero, ob vaſa minutiora, quantitate vix aeſtimanda conſpicuae ſunt, & ſaepisſime per veſicalem tantum extuberationem vel tumorem inflammatorium, rariſſime autem per genuinum ſanguinis ſtillicidium ſeſe manifeſtant.

3) Ratione *temporis* & *periodorum*. *Internæ* ſtatas magis periodos, & non raro menſtruum curſum obſeruant; *externæ* rariores habent periodos, & circa vernum vel autumnale tempus potiſſimum proueniunt. Repullulant vero promtius & plus ſanguinis emittunt, quando veſicula aliquoties enata eſt.

2. Quamquam autem minime negari poſſit, hæmorrhoides cæcas interdum a motibus *internarum impeditarum* oriri: ſaepiſſime tamen *externæ* ob difficilem eruptionem in caecas tranſeunt.

3. Sunt haemorrhoides *cæcæ* aliae *turgentes*, aliae *tumentes*: hae *dolentes*; illae *indolentes* vocantur.

1) *Turgentes* referunt circa extremum ambitum orificii ani veſiculam mollem, translucidam, atro-rubente ſanguine plenam, ſine notabili dolore aut vllo inſigni ſenſu ſtipatam: niſi quod ſub alui excretione ſenſus quidam premens, quaſi faba aut pruni nucleus ibi haereat, percipiatur, & ardor quidam alternatim occurrat.

2) *Tumentes* paullo *profundius* intra limbum deliteſcunt. Hinc quando ſermo eſt de haemorrhoidibus *cæcis*, hae *tumentes* plerumque putantur, & κατ' ἐξοχὴν *cæcæ* vel *clauſæ, occluſæ* vocantur. Exhibent tumorem durum inflammatorium, atque hinc nihil aliud ſunt, quam verus *furunculus*, & propter ſenſibilitatem tunicae nerueae & muſculoſae inteſtini recti exquiſitiſſimos dolores

lores ardentes, lancinantes, vellicantes & pulſui reſpondentes producunt.

4. Huc etiam a nonnullis referuntur reliqua fungoſa tubera, & vlcerantes excreſcentiae, quae circa anum contingere ſolent. Vulgo dicuntur haemorrhoides *notha* ſeu *ſpuria*, quae plerumque quidem a contagio venereo oriuntur, interdum autem ſine hoc proueniunt, nempe in corporibus vel vlcerosa ſeroſitate adfectis, vel a *turgentibus* diutius & pertinaciter continuantibus, atque in verrucoſam conſiſtentiam ſicceſcentibus. Varie nominantur, nempe thymus, ficus ani, mariſci, rhagades, condylomata, formicae, verrucae, claui ani, ſycoſis, germ. Feig-Wartzen, Maſtkörner, Zacken, Belg. Tacken.

5. Poſſunt tamen *venerea* exulcerationes in hoc loco facile diſtingui ab vlcerationibus *hamorrhoidalibus*: illae enim exhibent *cruſtam*, hae autem *foramina*.

6. Referri etiam huc poteſt *ſerpigo hamorrhoidalis*, quae generatim *pruritus ani* dicitur. Et hac ſerpiginoſa vlceratione exprimitur per interualla humiditas tenuis, limpida, mucilaginoſa & flaueſcens, quae ſudor haemorrhoidalis ſolet adpellari. *Vid. prognoſis* & tabula chirurgica de *vlceribus ſerpiginoſis*.

7. Variant extuberationes haemorrhoidales ſecundum *magnitudinem*: quaedam enim ad nucis auellanae, quaedam ad iuglandis, quaedam ad minoris oui molem accedunt.

8. Diſtinguuntur etiam ratione *figura*, quam ſub varia extuberandi forma exhibent,

1) In *morales*, quando fructus mori ſimilitudinem *repraſentant*.

2) *Vuales*, ſi velut acini vuae liuidae *ſupereminent*.

3) *Veſicales*, quando venulae, ambitum orificii ani coronantes, inflatae & inſigniter *dilatata ſunt*.

4) *Verrucoſas*, quando tubercula veſiculoſa exſiccant, & in duriora rugoſa ſchemata tranſeunt.

III. *SIGNA*.

Haec ex illis, quae ſub *differentia* dicta ſunt, deſumuntur, nempe

1. *Externæ ſimplices* quando omnino proueniunt, *ſtillicidio* magis, quam *fluxu* ſeſe manifeſtant, & quidem continuo fere, extra tempus aluinæ excretionis, quam hæmorrhoides *internæ* ſemper exſpectant.

2. *Cæcæ turgentes* circa orificium ani *veſiculam* exhibent mollem, quæ per cuticulam tenuem colore ſanguinis nigropurpureo translucet & dolorem vix ſenſibilem infert.

3. Hæc veſicula vel ſponte natura, vel ſcalpendo, propter pruritum ei familiarem, vel ſectione aperitur, & tum non ſolum ſanguinem, quem continet, fundit, ſed etiam plus eius ſuppeditare continuat, & quidem ſub alui depoſitione, dum voluntaria preſſio & connixus hanc manationem promouet.

4. *Teneſmodes* enim irritatio ſæpiſſime cum hæmorrhoidibus externis concurrit.

5. *Cæcæ tumentes*, quae etiam *clauſæ* ſeu *occluſæ* vocantur, altius introrſum haerent, nec facile exitum obtinent; ſed referunt tumorem *inflammatorium*, doloribus acutiſſimis, ſtringentibus, tendentibus, lancinantibus, ardentibus, gangraenodeis conſtipatum, ita vt aegri non facile decumbere, ſedere aut incedere queant, ſed quocumque ſe vertant, maximos cruciatus experiantur.

6. Molimina harum haemorrhoidum *longinqua* obſident dorſum, coxendices, femora, crura, pedes, immo ſuas palindromas facile ſumunt ad organa cum vena portae cohaerentia, atque hic adparatum motuum hypochondriaco-haemorrhoidalium multis doloribus torminoſis, ſpleneticis, hepaticis per meſenterium, & interdum per totum abdomen ſaeuientibus, oſtendunt.

7. *Aluus* ſub his doloribus plerumque eſt *clauſa*; quae ſi liberatur & exprimitur, praeſentes dolores ita exaſperat, vt aegri interdum in lipothymiam incidant.

8. Neque *vrinæ* excretio ſatis libera & promta eſt, ſed vel paullulum imminuitur, vel impedite ad modum fluit.

9. Animus ſub his acutis doloribus valde angitur, vires imminuun-

minuuntur, adpetitus ſomnusque deficiunt, & nonnumquam commotio febrilis vaga accedit.

IV. *SVBIECTA.*

1. Hæmorrhoides *cæcæ* vix aliud temperamentum, quam vel phlegmaticum, pituitoſum, mucidum, vel de hoc multum participans, infeſtant.
2. Generatim quidem virili ſexui familiariores ſunt; licet feminæ ab iis non prorſus immunes ſint, ſed *turgentes* non raro ſub vltimo geſtationis tempore, præcipue ſi multum ſedeant, experiantur. Idem contingere ſolet ſub partus doloribus, vbi fœtus in peluim grauius recumbit, aut paullo grandior eſt, & inteſtinum rectum comprimit. Vnde in puerperiis ſenſum ardoris circa orificium ani perſentiſcunt.
3. Obtingunt imprimis perſonis ætatis conſiſtentis, niſi cauſſa quædam hæreditatis efficiat, vt iuniores ab eisdem corripiantur.
4. Sæpius quoque infeſtant illa ſubiecta, quæ hæmorrhoidalem fluxum primum parturiunt, quam quæ iam diu eidem adſueta fuerunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens remota* eſt plethora cum ſpiſſitudine ſanguinis mucoſo-pituitoſi coniuncta.
2. Cauſſa *propior* eſt reſtrictio ſanguinis verſus hæc loca, plethoræ imminutionem reſpiciens.
3. Cauſſa *proxima* eſt infarctus & ſtaſis ſanguinis in vaſe aliquo hæmorrhoidali: vnde vel veſicula ſanguine repleta, vel tumor inflammatorius producitur.
4. Cauſſæ *occaſionales, procatarcticæ* & *aduentitiæ* ſunt
   1) Immodicæ harum partium attritiones, ſiue ab equitatione inſueta & diu continuata, ſiue a pruritu, ſiue a niſu exprimendi fæces aluinas, ſiue a partu difficili proueniant.
   2) Infectio ab inſeſſione ſuper ſella quadam adhuc calida, cui inſedit, qui hæmorrhoides habuit vlceroſas.
   3) Illi quoque, qui venereis impuritatibus adfecti ſunt, peculiares interdum vlcerationes circa orificium inteſtini recti experiuntur, id quod præcipue dependet a *venarum*

*rum connexione.* Ex vena enim *iliaco-hypogaſtrica* ramos accipiunt & partes genitales & inteſtinum rectum.

4) Abuſus ſpirituoſorum, aromatum, aloeticorum, hellebo-rinorum & aliorum calidorum.

5) Neglectio conſuetæ venæ ſectionis & ſcarificationis in partibus corporis inferioribus.

V. *PROGNOSIS.*

1. Hæmorrhoides *externæ* æque ac *cæcæ* ad finem quidem ſalutarem, nempe plethoræ imminutionem, reſpiciunt; ſed ob vias minus commodas & vaſa exilia vix vmquam eumdem impetrare valent.

2. Hinc quia nulla ex iis ſperanda eſt vtilitas, longeque maiores moleſtiæ eas comitantur quam fluentes, aurea illa qualitas (die güldene Ader) de illis non poteſt prædicari.

3. Præſertim *cæcæ*, quia in nudo furore, impetu & ſtrepitu conſiſtunt, & eam ob cauſſam *furentes* dicuntur, multos eosque periculoſos effectus producunt.

4. Siquidem eis ſuperueniunt pathemata hypochondriaca, nephritis ſimplex & calculoſa, dolores coxendicum & podagra, nonnumquam molimina ad mictum cruentum & pathemata iliaca, præſertim ſi incongrue tractantur.

5. *Turgentium* veſicula, vel ſponte vel manu chirurgica aperta, copioſo humorum verſus hæc loca adfluxui, & non raro ipſis hæmorrhoidibus *internis*, legitime fluentibus, anſam præbet.

6. Quando *veſicales* hæ congeſtiones cum inſigni cuticulæ dilatatione factæ ſunt, immo actu denique etiam perrumpunt, facile, quamquam ſine inſigni dolore, vlcerare ſolent.

7. Veſicula quando aperta eſt, tum ſæpius flaccida atque rugoſa reſtat, & papulas quaſi format, quæ, neglecta conſolidatione, interdum ſub fæcum aluinarum fortiore expreſſione ſanguinem de nouo fundunt. Cuius rei exempla proſtant, quorum ſanguis per plures annos ſenſim & perpetuo effluxerit.

8. Vel hæ papulæ in vlcuſcula prurigine moleſta degenerant; quæ adflictio *ſerpigo hæmorrhoidalis* ſeu *pruritus ani ſerpiginoſus* dici meretur.

9. Sed-

9. Serpigo hæc hæmorrhoidalis non raro occurrit; licet rara ſit illius apud auctores mentio. Late non ſerpit, ſed ſæpe per plures menſes in vno loco ſubſiſtit, & ſi ex illo loco propellitur, in vicinia iterum erumpit; neglecta autem adfectus arthritico-dolorificos & decubitus acres producit.

10. *Tumentes* æque ac *turgentes*, licet ſatis moleſtæ ſint, vitæ tamen periculum non inferunt, niſi *diu adſueta* incongrue ſupprimantur.

11. *Tumentes*, niſi mature reſoluantur & diſcutiantur, ad *ſuppurationem* perueniunt; quæ ſatis familiariter in vlcerationem *fiſtuloſam*, a *turgentibus* non timendam, tranſit; præcipue ſi vel ante *maturationis* tempus profundius & latius inciduntur, vel iam ſuppuratæ nimis diu ſine apertione hærent, vel mundificatio negligitur aut protrahitur.

12. Hæc corruptio quando in tubulo vaſculoſo fiſtuloſo inualeſcit, & in texturam inteſtini recti adiacentiumque partium muſculoſarum ſerpit, *hectica* tandem ægrotantes ſuccumbunt.

13. Cæterum *vlceroſi* adfectus hæmorrhoidales maxime ſunt contagioſi.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus curandi.*

1. *Turgentium*

1) Hæ multum difficultatis in curatione non inuoluunt: rupta enim veſicula maturam tantum expoſcit mundificationem & conſolidationem per externa illa balſamica, quæ ſub *tumentium* tractatione indicantur.

2) Quando autem *ſicceſcunt*, & verrucoſam faciem exhibent, vel madent & ardent, atque ſalſa acrimonia his partibus moleſtiam adferunt, tum maiore circumſpectione tractandæ ſunt, nempe ſecundum methodum, qua alia vlcuſcula tractantur. Ac tum quidem manus chirurgica in talibus fungoſo-verrucoſis excreſcentiis & vlceroſis atque prurigino ſis puſtulis requiritur.

3) Ante omnia autem *aluus* tempeſtiue promoueatur, ſiue

per decocta prunorum, *lenientia*, mucilaginoſa, pinguia, ſiue per vſum *rhabarbari*, ſiue per *clyſteres* lenientes.

4) Pro ſcopo *reuellendi*, ſeu vt dicunt, *diuertendi*, conducunt, *pediluuia*, pedum *frictiones*, & cucurbitularum cæcarum ad ſuras & femora adplicationes.

5) Ad dolores ſpaſticos, qui ſtatui vlceroſo, de quo loquimur, accedunt, mitigandos exhibeantur pulueres nitroſo digeſtiuo-cinnabarini.

† 2. *Tumentium.*

1) Diſcuſſio per tres vel quatuor priores dies tentetur; licet, ob loci præcipue incommodum ſitum, difficulter ſuccedat. In hunc finem laudantur

a) Venæ ſectio in pede; quando inſignis plethora concurrit.

b) Radices & herbæ *reſoluentes* & *moderate reprimentes*, e. g. rad. apii, vincetox. caryophyll. ireos Flor. bryon. ſigill. Salom. biſtort. lilior. alb. herb. hyſſop. verben. chærefol. beton. agrimon. matricar. ſcord. ſalu. menth. flor. chamomill. melilot. anth. ſambuc. verbaſc. ſem. fœnugræc. fœnicul. caru. bacc. laur. quæ lacte prius coquuntur, & addita pauca portione camphoræ ſacculis includuntur.

c) *Specifice* infuſum *millefolii* ſaturatum, nempe pugill. III. ad dimidiam menſuram aquæ.

d) *Suffimigia* ex ture, maſtiche, benzoe & ſpeciebus ſuperius nominatis parata.

e) *Specifica externa* laudantur

α) Vnguentum de *linaria* flor. lut. vel decoctum illius pro inſeſſu adhibendum.

β) Appenſio rad. *ſcrophulariæ* & *fabariæ* ſecundum *Wedelium* in A. N. C. Quot tubercula in ano ſunt, tot bulborum radicem eligendam & de dorſo adpendendam iubent.

γ) Suffimigium ex *muribus marinis* & exuuiis *anguillæ*.

δ) Rad *plantag. aquat.* manu detenta, donec incaleſcat. Vide *Prauotium* in medicina pauperum.

rum. Eodem modo radicem acori adulterini vſurpandam commendant.

ε) De his & aliis plura ſub *cautelis* dicentur.

2) Quando autem diſcuſſio non magis ſperanda eſt, *maturatio* promoueatur; id quod faciunt cataplaſmata ſuppuratoria, cepæ aſſatæ, oleum lini, medull. crur. vitulini; item decocta, ſiue cum linteolis, ſiue cum ſpongia adhibenda, & ex rad. alth. lilior. alb. ireos Flor. ſigill. Salom. gent. rubr. ariſtol. rot. apii, herb. ſcord. abſinth. card. ben. cent min. agrimon. ſanic. chærefol. flor. chamom. roſar. rubr. ſem. caru. bacc. laur. præparata; addendo aliquid mellis & myrrhæ.

3) Et quoniam *dolores* ante ruptionem valde vrgent, *interne* nitroſa, emulſiua, & in caſu neceſſitatis anodyna, propinanda ſunt; *externe* autem oleum verbaſci, oleum calendulæ; præ omnibus etiam oleum ouorum conueniet.

4) Quam primum maturatio diiudicata eſt, *apertio* ſufficiens, ope lanceolæ, inſtituatur.

5) Denique *mundificatio* & *conſolidatio* omni ſtudio promoueantur,

a) *interne* per laxantia & ſanguinem ac lympham depurantia, e. g. mannata, ſennata, item mixturam e tinct. antimon. tartariſat. eſſent. ſuccini, eſſent. alexipharm. *Stahlii*; interpoſitis orgaſmum ſanguinis contemperantibus.

b) *externe* per balſamica e. g.

R. Eſſent. myrrh.
Succin. ana drachm. II.
Balſam. Peruu. ſcrup. I.
ol. philoſoph. ſcrup. II. M.

item per vnguentum ex melle, vitello oui, liquamine myrrhæ, ture, maſtiche, teberinthina; aut per linimentum ex oleo ouor. liquam. myrrh. & exiguo olei hyperici paratum: non minus conuenit miſcela ex melle deſpumato, vitello oui, ali-

 quot

quot guttulis balſami de copaiua & olei hyperici, nec non olei maſtichini & laurini.

6) Quando *fiſtula* ſubnata eſt, opportuna & dextra inciſione fons & radix mali tempeſtiue detegatur, quæ breuiſſima via eſt, præoccupandi vlteriorem fiſtulæ *cunicularem* progreſſionem.

B. *Præſeruandi.*

Præſeruationi fauent

1. Venæ ſectiones æquinoctiales.
2. Scarificationum adſuetarum repetitio.
3. Adplicatio hirudinum ad hæmorrhoidalia loca. *vid. cautel.*
4. Promotio excretionis aluinæ.
5. Mobile vitæ genus, diæta congrua, animus tranquillus.
6. Moderatus vſus inſeſſuum & pediluuiorum.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Hæmorrhoides *externæ*, quamquam raro ita occurrant, vt vena aperta ſanguinem ſimpliciter effundat, notus tamen eſt caſus ſingulariſſimus, quo ſtillicidium per quinque dies fuit continuum. Quum vero die ſexto ſanguis ſubſiſteret, eo momento mirificis phænomenis verſus caput dirigebatur. Videlicet ſentiebatur adſcendere quaſi de puncto ad punctum per vniuerſum truncum ſenſu non quidem ardoris, attamen notabilis caloris. Quum ad thoracem perueniret, anguſtabat, in collo ſtringebat, in oculis viſum prorſus impediebat, konte keinen Stich ſehen. Atque hæc omnia intra quartam fere horae partem obtingebant, donec tandem in vertice ſubſiſteret, & dolores prementes paullulum durantes generaret.
2. Quoniam haemorrhoides caecæ quam plurima incommoda adferunt, & tamen intentio naturae vix vmquam per illas obtinetur, tanto magis prudentiae Medici commendantur, quae tab. de *hæmorrhoidibus internis ſub method. num. 2.* dicta ſunt; nempe quod tales motus prudente ratione ad alias vias reuellere magis conueniat, quam illos tolerare.

3. Fre-

3. Frequenter venae ſectiones, &, quod praeſtantius eſt, laborioſum vitae genus hoc in caſu quam maxime commendari merentur.
4. Interea de *cæcis* etiam obſeruandum eſt, quod *tabula de internis* haemorrhoidibus, ratione imprudentis cohibitionis per adſtringentia & alia incongrua remedia, dictum eſt.
5. Abſint itaque poſitiue *purgantia*, *ſtimulantia*, *calefacientia*, *aloëtica* & *helleborina*, quae hoſce infarctus haemorrhoidales augent, ſanguinem exagitant & veras inflammatiotiones producunt.
6. Abſint quoque *martialia*, tam adſtringentia, quam ſic dicta aperitiua.
7. Externe euitentur *repellentia*, *exſiccantia*, *refrigerantia*, *corroſiua*, *rubefacientia*, *ſeptica*, e. g. terrae bolares, lithargyrium cum aceto.
8. Vſus quoque ſulphuris & mercurialium ſedulo euitetur.
9. *Vnguinoſa* rancida malum euentum efficiunt.
10. *Hirudines* in paroxyſmo ad *turgentes* quidem cum cucurbitula adplicari poſſunt, ad *tumentes* autem illas adhibere, neque ſatis ſecurum eſt, neque officio ſuo ſatis faciunt. Non enim ſugunt in adfectibus inflammatis & vbi aliquid vlceroſae aut ſuppuraſcentis corruptelae ſubeſt. Ad recurſum autem *cæcarum* impediendum, quater vel ſexies per annum bono cum effectu poſſunt adhiberi.
11. *Millefolii* vſus in ſedandis doloribus *cæcarum* omnibus aliis ſpecificis palmam praeripit, quando in forma thée adhibetur.
12. *Riuerius* & *Villanouanus* illius vſum per integrum menſem continuandum ſuadent, & haemorrhoides numquam reuerſuras promittunt, ſed quaeſtio eſt, num etiam bono eum ſucceſſu in futurum? Cauendum potius a tali periculoſo conamine, niſi venae ſectiones perite & feliciter ſimul in ſubſidium veniant.
13. Herba & vnguentum *linariæ* ſpecifico quidem effectu hic commendantur, minime autem operae pretium faciunt; niſi

niſi haemorrhoidibus iam actu exulceratis, vel ad vlcerationem maxime pronis; & tum vnguentum cum oleo ouorum aut vitello oui temperari debet; addendo pauxillum mercurii currentis aut praecipitati albi. In *tumentibus* parum aut nihil efficiunt.

14. *Chelidonium minus*, ob ſignaturam radicis grumoſae, ad haemorrhoides caecas valere dicunt; ſed neque in his neque in ſcorbuto, licet Scharbocks-Kraut κατ' ἐξοχὴν vocetur, efficax eſt.

15. Radices *ſcrophulariae*, *fabariae* & *chondrillae* in doloribus caecarum ſedandis faciunt, quod poſſunt, raro autem, quod de illis praedicatur: nam haec & alia amuletica vix vllam ſpem in hoc adfectu, praecipue vigente paroxyſmo & praeſente inflammatione, adferunt. Notum tamen eſt exemplum, in quo efficaciam aliquoties praeſtitit *fabaria* amuletice geſtata.

16. Contra *mures marini*, ſub forma fumi ad ſedem adhibiti, egregium ſæpe effectum mitigantem præſtant. Hoc concrementum, quod a piſce *raia* per interiora excernitur, hæmorrhoides cæcas ſignatura ſua quodam modo repræſentat. Circumſpectius autem, nempe ſub initium, in furentibus adhibendum eſt; alias effectus illius reprimens ſtaſin ſanguinis non diſcutit, ſed obfirmat.

17. De *ſpecificis* generatim adhuc notandum, quod effectus illorum variet

1) Ratione *ſubiectorum*: quod enim remedium in hoc homine dolores mitigat, in altero ſæpe ſine effectu adhibetur.

2) Ratione *temporum*: nam vnum idemque medicamentum hoc tempore bonum effectum, altero plane nullum præſtat.

18. Interea *Weisbachius* aſſeuerat, quod in dolentibus hæmorrhoidibus numquam ſine effectu adhibuerit *folia* recentia *ſambuci* conquaſſata. Dicit enim, quod, ſi quater circiter repetantur, inflammationem diſcutiant & dolores ſedent. Adhibuimus etiam ipſi hæc folia bono

ſem-

ſemper cum effectu. Hyeme *ſedum vermiculare minus* ſubſtituendum ſerio dictus auctor, commendat.

19. *Annulus Helmontii*, e filo ferreo candente, per vngulam pedis poſterioris *equæ* pro mare, *equi* pro femina, traiecto, paratus, a nonnullis, qui ad experientiam prouocant, laudatur.

20. *Eſſentia ſuccini* in hiſce & aliis adfectibus ſeroſis, partim diſcutiendo partim euacuando, commodiſſime ſe gerit, adeo, vt in adfectibus arthriticis efficaciam edat non contemnendam.

21. *Oleum ouorum* præcipue valet ad adfectus ardentes & rodentes demulcendos, aliosque cutaneos caſus ſubleuandos; in vnguentum autem redigendum eſt cum liquore florum verbaſci, ſed ſine multa frixatione, daß es nicht verbrate.

22 *Cauteriſationes* & ſtimulantes *iniectiones* in fiſtula hæmorrhoidali nequaquam admittendæ ſunt.

23. Complicatur interdum declinante æſtate *dyſenteria* cum hæmorrhoidibus *cæcis*; quo in caſu neceſſe eſt, vt Medicus circumſpecte agat, & talia adhibeat medicamina, quæ vtrique adfectui ſalutaria ſunt. Laudantur in hunc finem præcipue *millefolium* & *caſcarilla*.

## TABVLA XIII.

### DE

# HAEMORRHOIDIBVS SVPPRESSIS, DECOLORATIS, ALBIS, MVCIDIS ET FLVXV HEPATICO.

I. D*IFFERENTIA*.

Quemadmodum *præcedente tabula* ſpeciem alicuius ſuppreſſionis

nis in hæmorrhoidibus cæcis exhibuimus; ita *hæc tabula* reliqua vitia, quæ in negotio hæmorrhoidali obueniunt, exhibebit.

1. *Suppreſſio* hæmorrhoidum quadruplici reſpectu eſt conſideranda.

   1) Vel enim hæmorrhoides *numquam* fluxerunt, & tamen tam conſpicua ad illarum perruptionem *molimina* a natura inſtituuntur, vt omni iure fluxus exſpectari debeat. Hæ ab aliis hæmorrhoides *molientes* vocantur

   2) Vel hæmorrhoides iam quidem *adſuetæ* fuerunt, ſucceſſus autem illarum admodum fuit impeditus, inſufficiens, turbulentus, inordinatus, moleſtus: quod in hæmorrhoidibus *externis* ſeu *cæcis* frequenter contingit.

   3) Vel hæmorrhoides placide, moderate, ordinate & ſtatis temporibus antea fluxerunt, iam vero citra euidentem & manifeſtam cauſſam iterum deficiunt; id quod in hæmorrhoidibus *internis* ſæpius obſeruatur. Has alii *emanentes* adpellant.

   4) Vel denique hæmorrhoides, antea legitime fluentes, ſiue a cauſſa interna ſiue externa præcipue per incongruam medicationem & regimen improuidum interceptæ & repreſſæ ſunt. Quas hæmorrhoides *ſuppreſſas* ſenſu *ſtrictiore* nuncupare licet.

2. *Hæmorrhoides decoloratæ, albæ & mucidæ.*

Loco ſanguinis ſinceri in hæmorrhoidibus internis ſæpius excernitur materia *albicans*, gelatinoſa, inſtar *tragacanthæ* ſolutæ; Galli adpellant hæmorrhoides *albas*, alii *decoloratas, mucidas*. Hæc materia interdum fluxum hæmorrhoidalem antecedit; interdum eumdem ſequitur. Diſcrepat autem

   1) ab *excrementis* ordinariis ratione conſiſtentiæ & coloris. Hæc enim flauo colore fere ſemper conſpicua ſunt, illa autem materia eſt pallida, albumen oui aut ſperma ranarum referens.

   2) a *diarrhœæ* variis ſpeciebus, reſpectu quantitatis materiae,

riae, quae in his magna plerumque copia euacuatur, in hæmorrhoidibus autem albis tam moderata quantitate effunditur, vt qualibet depoſitione dimidii cochlearis, & vix ſemper tanta quantitas excernatur.

3) a *dyſenteria*, vti vocatur, *alba*, reſpectu ingentium torminum & tenesmi; quae ſymptomata, licet in noſtro adfectu etiam reperiantur, tam immania tamen non ſunt, vti in *dyſenteria alba*.

4) ab *apoſtemate* inteſtinorum & purulento alui fluxu.

5) ab *vlcere* & *fiſtula ani*.

3. *Fluxus hepaticus* eſt ſpecies diarrhœae ſiue alui fluxus, in quo excrementa liquida & inſtar loturae carnis rubentia excernuntur. Diſtingui vero etiam debet

1) a *dyſenteria*. Nam

a) in dyſenteria excrementa magis tincta ſunt *ſanguine* vel *muco albo*; in fluxu autem hepatico humor loturae carnis inſtar excernitur.

b) Dyſenteria motibus febrilibus, modo lenioribus, modo acutis coniuncta eſt; fluxus autem hepaticus numquam.

c) Dyſenteria menſe auguſto & ſeptembri; hepaticus autem fluxus promiſcue occurrit.

2) A *diarrhœa* ſtricte dicta, in qua excrementa fluida quidem, colore tamen rubicundo minime tincta ſunt, vti in fluxu hepatico.

3) Ab *hæmorrhoidibus albis*, in quibus materia non eſt tam diluta & aquoſa, vti in hoc fluxu deprehenditur.

4) A *lienteria* & *diarrhœa cœliaca*; quam differentiam ſigna inter ſe collata dabunt.

5) *Fluxus hepaticus*, iuxta veteres eſt vel

a) *verus*, quando ſerum tinctum ſolummodo excernitur. Vel

b) *Spurius*, quando partes acres bilioſae, aut aliae faeculentae ac corruptae excrementis admiſcentur, adeo vt excretio propter mordacitatem eorum cum moleſtia & dolore contingat.

4. Reliquae *anomaliae* haemorrhoidales conſiſtunt in motibus

 ad

ad fluxum haemorrhoidalem quidem tendentibus, ſed a vero tramite & ordine deflectentibus, & ad *inſolitas vias* ſæpe excurrentibus. Sunt autem hae anomaliae vel

1) *Paſſiua*, quando ſanguis ſpiſſior difficulter erumpit, & poſt eruptionem aegrius fluit; aut quando viae nimis ſtrictae & denſae ſunt. Vel

2) *Actiua*, quando natura motus haemorrhoidales ſiue in defectu ſiue in exceſſu adminiſtrat; aut quando modo huc, modo illuc, modo ſurſum, modo deorſum, modo ad latera, aut ad inſolitas vias euagatur. De qua re plura ſub *prognoſi* dicemus.

II. *SIGNA.*

A. *Hæmorrhoidum ſuppreſſarum.*

Hæc ſumuntur a *ſymptomatibus*, quæ hæmorrhoidum ſuppreſſionem comitantur.

1. Suppreſſionem hæmorrhoidum *internarum* preſſo pede inſequitur vniuerſus *mali hypochondriaci* adparatus. *Conf. tab. de malo hypochondriaco.*

2. Quæ pathemata primo quidem quaſi *leuia* adparent, & præcipue circa *ſiniſtrum* hypochondrium regionemque lumbarem ſeſe manifeſtant, nempe tenſionibus & preſſionibus.

3. Progrediente autem tempore *grauiores* turbæ ſuccedunt, præcipue in illis, quibus fluxus antea *impedite* & cum maiore niſu procedere conſueuit. Sequuntur videlicet dolores ſpaſtici, colici grauiſſimi, lienis inflationes, vomitorii conatus, alui adſtrictio pertinax, durities abdominis flatulenta & torminoſa, viſcerum infarctus, ſcirrhi, inflammationes, conuulſiones, melancholia, mania, vomitus cruentus, cachexia, hydrops, œdemata, hectica & phthiſis, apoplexia, hemiplexia, paralyſes &c.

4. Suppreſſionem autem hæmorrhoidum *externarum* ſequuntur magis adfectus arthritici, podagrici, iſchiadici, nephritici, calculoſi, mictus cruentus, varices, contracturæ, aridura, paralyſes ſphincteris ani & veſicæ &c.

5. Symptoma autem maxime conſuetum, quod ſuppreſſionem hæmorrhoidum quarumcumque ſequitur, eſt reſpi-

ſpirationis difficultas ſeu aſthmatica adflictio, plurimum *hypochondriaca*, nonnumquam etiam *pectoralis*, cum tuſſi humida coniuncta.

B. *Hæmorrhoidum albarum.*

1. Antecedunt motus tendentes, ſtringentes, in abdomine & hypochondriis.
2. Intercurrunt borborygmi, flatus & ructus.
3. Superueniunt preſſiones in lumbis & circa os ſacrum; teneſmus quoque iam cum punctione ani, iam cum ſcindente & ardente ſenſu.
4. Sub his adflictionibus excernitur cum aliquali ſibilo materia inſtar albuginis, paullulum flaueſcens, interdum cum colore aliquali ſubruffo & quaſi roſeo, aliquando etiam cum ſtriis cruentis.
5. Ob inſolitam humectationem ſæpius in partibus ani externis pruritus & excoriatio obſeruantur.
6. Habitus corporis conſtrictus, & facies pallida eſt.
7. Vrina parcior & ſaturatior effluit.

C. *Fluxus hepatici.*

1. Excernitur ſub frequentibus deiectionibus humor per aluum, loturæ carnium ſimilis.
2. Concurrunt dolores tendentes, murmurantes in abdomine, & ſpaſtici motus circa lumbos.
3. Qui motus ſpaſtici nonnumquam in latus dextrum verſus hepar ſe extendunt.
4. Interdum titillationes & lenes morſus in inteſtino recto percipiuntur; interdum vero ægri vix vllum huius rei ſenſum habent, neque vllis doloribus adficiuntur.
5. In nonnullis teneſmus accedit,

III. *SVBIECTA.*

1. Subiecta, quæ ad excretionem hæmorrhoidalem generatim diſpoſita ſunt, *tabula de hæmorrhoidibus internis* indicauimus.
2. Speciatim *ſuppreſſioni* hæmorrhoidum facile obnoxia ſunt temperamenta ſanguineo-melancholica, aut melancholico-cholerica.

 3. Homi-

3. Homines *immorigeri*, & qui *commotionibus animi* terrificis continuoque moeſtis corripiuntur.

4. Ad hæmorrhoides *albas* & *fluxum hepaticum* diſpoſiti ſunt homines phlegmatici, melancholici, & quidem mediæ ætatis, iuuenes ſcilicet & viri.

5. Feminæ menſium imminutione aut ſuppreſſione adflictæ, interdum etiam ab his moleſtiis corripiuntur.

6. Præcipue autem omnibus hiſce anomaliis obnoxii ſunt, qui vitæ genus laborioſum in *ſedentarium* mutarunt.

IV. *CAVSSAE.*

A. *Hæmorrhoidum ſuppreſſarum.*

Variæ quidem ſunt cauſſæ, quæ ad ſuppreſſionem hæmorrhoidum contribuunt, nulla autem neceſſitas vrget, vt inimicam ſanguinis dyſcraſiam, iam acidam, iam atrabilariam, iam acrem, ſtimulantem & genus neruoſum vellicantem, aut alias materiales qualitates accuſemus.* Præcipue ad eam contribuunt

1) *Interne*

1) Animi pathemata, maxime terror, timor & triſtitia.

2) Spiſſitudo ſanguinis abundantis, non minus autem

3) Orgaſtica illius commotio.

2. Cauſſæ *externæ* & *occaſionales* ſunt

1) Mala artificia ſeu medicamina, e. g. *vomitoria*, *refrigerantia* interna & externa, abuſus *adſtringentium*, ſi nempe fluxus hæmorrhoidum legitimus, aut alii morbi, in primis febres intermittentes, per talia incongrua remedia temere tractantur.

2) Potus frigidus corpore exæſtuante. Accuſare etiam ſolent decocta thée & coffée valde ſaturata; ſed ego non peruideo rationes.

3) Diæta craſſa, fermenteſcens.

4) Largior potus ſpirituoſorum, in primis ardentium.

5) Alui indurationes.

6) Aër frigido-humidus.

7) Refrigeratio abdominis & partium inferiorum immodeſta.

B. *Hæmorrhoidum albarum.*

Quod

Quod hæmorrhoides tam confuſe tamque perturbate ac præpoſtere ſe gerant, in culpa eſſe obſeruantur

1. Ipſa *natura*, quæ motibus ſuis congeſtorio-ſpaſticis a vera methodo & ſcopo aberrat, & loco ſanguinis ſinceri lymphatico ſeroſo-ichoroſam portionem eiicit.
2. Viæ & partes paullulum ſtrictiores, vt ſanguis non recte transprimi queat.
3. Humorum ſpiſſior conſiſtentia.
4. Plethora cum impetu commota.
5. Sudores matutini autocratici neglecti, & vrina nimis diu retenta.
6. Venæ ſectiones & ſcarificationes conſuetæ neglectæ.

C. *Fluxus hepatici.*

1. Antiqui accuſabant debilitatem hepatis, ſanguinem neque bene attrahentis, neque recte retinentis, vnde lapſus eiusmodi ſanguinis ad inteſtina oriatur.
2. Magnam autem conſpirationem hic fluxus habet cum hæmorrhoidibus; & ſicut in vitio menſium talis ſanguinis decolorationes ſæpius contingunt, ſic etiam in vitio hæmorrhoidum idem fieri vero ſimillimum eſt.
3. Ad talem anomaliam contribuit
   1) Plethora.
   2) Qualiscumque orgaſtica ſanguinis commotio, quæ impedit, quo minus ſanguis ad eruptionem directe peruenire queat.
   3) Impeditus & retardatus eiusdem progreſſus per venam portæ. Vnde contingit, vt in vaſis hæmorrhoidalibus reſtagnet & in mucidam talem ſeceſſionem abeat.
4. Aliquando etiam ad talem fluxum diſponit ſcirrhus aut infarctus hepatis, qui ſanguinem, per venam portæ fluentem, intra hepar ſeſe effundere non permittit; vnde regreſſus & exundationes fiunt ad regiones hæmorrhoidales, vt ſanguis deinde turbulenter ex iisdem erumpat, & mixtam talem ac impeditam excretionem offerat.
5. Nonnumquam etiam adeſt excoriatio inteſtinorum in hominibus dyſenteria male curatis, quæ ad hunc fluxum anſam præbet.

V. PRO-

A. *PROGNOSIS.*

1. Quam grauia ſymptomata ſuppreſſionem hæmorrhoidum excipiant, ſub *ſignis* iam indicatum eſt.
2. Eſt adfectus ſatis quidem rebellis, facilius autem medicationi auſcultat, quando a cauſsis internis, nempe a ſpiſſo ſanguine originem ſumſit, quam ſi per incongruum adſtringentium vſum productus eſt.
3. *Molimina* hæmorrhoidalia licet numquam erumpant, minoris tamen ſunt periculi, quam ſi ipſe fluxus antea adfuit.
4. In feminis hæmorrhoides ſuppreſſæ minus periculum adferunt, quam in viris; niſi periodum, qua menſes fluere adhuc poſſunt, transgreſſæ ſint.
5. Quo diutius hæmorrhoidum ſuppreſſio durauit, eo certius ſanguinis producit translationes, partim ad viſcera hypochondriaca, partim ad alia loca, excretioni ſanguinis adcommodata.
6. Priore caſu vniuerſa mali hypochondriaci ſcena introducitur; conf. *ſigna*; poſteriore vero aſthma conuulſiuum, catarrhus ſuffocatiuus, vertigo, apoplexia, hectica in ſiccioribus, hydrops in ſucculentis.
7. Inter acerba pathemata, quæ ſuppreſſionem conſequuntur, eminet *colica hæmorrhoidalis*, de qua *vid. tab. de hæmorrhoid. internis* & *tab. de colica.*
8. Sic etiam hæmorrhoidum cohibitiones variis *vlcerationibus* anſam præbent; inferunt præter ea tumores pedum œdematoſos, aſciticos, tympaniticos, & alias humorum deprauationes.
9. Et quoniam *lien* in ſuppreſſis hæmorrhoidibus plerumque in conſenſum trahitur, multi morbi ſplenici inde deriuantur.
10. Neque minus attendendus eſt *decubitus* ille humorum, qui ex hæmorrhoidibus ſuppreſſis *pectus* occupat, vnde aſthmaticæ anguſtiæ, palpitatio cordis, molimina hæmoptyica verae hæmoptyſes, inflammationes pectoris, phthiſis &c. oriuntur.
11. Fiunt quoque translationes ſanguinis ad *caput*, ex quibus verti-

vertigines, aurium tinnitus, auditus grauitas, hæmorrhagiæ narium, oculorum & dentium dolores, angina multæque aliæ adflictiones ingruunt.

12. Ad inſolitas quoque vias, ad quas hæmorrhoides euagari ſolent, pertinent etiam hæmorrhoides, quæ in feminis menſium ceſſationem interdum excipere ſolent.

B. *Hæmorrhoidum albarum.*

1. Quemadmodum in negotio menſtruo *fluor albus* vices ſinceræ hæmorrhagiæ ſupplet; ita in negotio hæmorrhoidali *albicans* hæc *excretio* vices fluxus hæmorrhoidalis tenet.

2. In quibusdam ſubiectis hæc excretio alba in talem conſuetudinem abit, vt, quoties hæmorrhoides recurrunt, toties easdem comitentur.

3. Et quando hic albus fluxus cum ſincero hæmorrhoidum ſucceſſu alternat, completa fluxus hæmorrhoidalis ſuppreſſio extimeſcenda eſt.

4. Licet tamen hæc euacuatio ad anomalias hæmorrhoidales pertineat, natura tamen eam ita adprehendit, ac ſi verus & ſincerus ſanguis exoneratus eſſet.

5. Nam materia hac excreta præcedentes immoderatiores motus ſpaſtici placantur & pathemata infimi ventris tolluntur. Vnde hoc reſpectu hæc excretio ſalutaris dici poteſt.

6. Quando autem hæmorrhoides in iuſtum ordinem reſtitutæ ſunt, tunc hæ albæ excretiones iterum euaneſcunt, nec in poſterum, rebus ſic ſtantibus, facile comparent.

7. Si vero hæmorrhoides albæ per mala artificia repente opprimuntur, eadem grauia pathemata & morbidae conſecutiones eueniunt, quae turbatas haemorrhoides excipere ſolent.

8. Quo diutius haemorrhoides albae durant, eo magis perturbant aluinas euacuationes, & futurae primarum regionum labi periculum minantur.

9. Immo ſaepe in colicam haemorrhoidalem, & vehementes ſpasmodicas adflictiones circa venam portae ſaeuientes, transformantur.

C. *Fluxus hepatici.*

1. Fluxus hic multopere chronicum eſt malum, & curationem difficulter admittit.

2. Si malum eſt recens & ſubiecta adhuc ſunt iuniora atque vegeta, curatur interdum; in ſenibus vero ac morbo iam inueterato nulla curationis ſpes eſt, praeſertim ſi tabes, quae ordinarie adeſſe ſolet, in viſcere quodam infimi ventris haeret.

3. Compluries, ſi nimis diu durat & vires admodum proſternit, in cachexiam & hydropem, nonnumquam vero in tabem ſiue hecticam degenerat.

## VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Haemorrhoidum ſuppreſſarum.*

1. Fluxus haemorrhoidalis ſi numquam adfuit, motus tamen ad eumdem excitandum vrgent, admodum circumſpecte agendum eſt: non enim promiſcue molimina talia, praecipue *remota*, promouenda ſunt. *Conf. tab. de haemorrhoid. internis.*

2. Vbi itaque temperamentum & reliquae aegrotantis circumſtantiae legitimum & ſufficientem fluxum non pollicentur, ibi praeſtat motus tales *deſueſcere*
   1) Vel per vicarias venae ſectiones,
   2) Vel, quod melius & efficacius eſt, per ſufficientem & laborioſam corporis motionem.

3. Suppreſſio autem *adſuetarum* haemorrhoidum ſequente methodo tractatur.
   1) *Quantitas* ſanguinis eſt imminuenda, vt intentioni naturae aliquo modo ſatis fiat & ſymptomata mitigentur.
      a) Venae ſectio itaque in *pedibus* inſtituatur. *Conf. cautel.*
      b) Aluus autem, ſi non legitime ſuccedit, prius aperiatur per clyſterem emollientem & carminatiuum. e. g. per decoct. chamomill. cum lacte.
   2) *Qualitas* ſanguinis poſt venae ſectionem eſt corrigenda.
      a) Si *orgaſmus* peccat, placandus ille per nitroſa, praecipitantia & acidula.
      b) Quando autem *ſpiſſitudo* humorum adeſt, reſoluentia & atte-

attenuantia illa adhibeantur, quae *tabula de ſuppreſſione menſium ſub methodo* indicantur.

3) Facta correctione *motus* ad locum excretionis blande invitandus & leniter ſtimulandus eſt.

a) *Interne* per helleborata, myrrhata, aloetica, elixir. proprietat. crocum, boracem, pilulas *Stahlianas*, *Becherianas*, laxantia per epicraſin.

b) *Externe* per adplicationem *hirudinum* ad haemorrhoidalia loca, clyſteres ſtimulantes, ſuppoſitoria acriora, frictiones.

4) Tandem *tonica roboratio* ſuſcipiatur per mixturam tonico-neruinam *Stahlii* & per vſum martialium, optime præparatorum; quo tempore tamen aluus ſemper aperta ſeruetur, ſiue per clyſteres, ſiue per laxantia interna ſubinde adplicanda.

B. *Hæmorrhoidum albarum.*

I. *Præſeruandi.*

1) Ante omnia videndum eſt, ne natura per ſpiſſitudinem ſanguinis moleſtam & ſerum mucidum ad hoſce erroneos motus ſuſcipiendos inuitetur. Hinc neceſſe eſt

a) Vt ſanguis depleatur per *venæſectiones* aequinoctiales, per *hirudinum* adplicationem & per *ſcarificationes*.

b) Vt ſerum copioſum imminuatur, & eius vberior ad haemorrhoidales venas adfluxus intercipiatur per moderata *laxantia, diuretica* & *diaphoretica*. Faciunt hoc

α) Rhabarbarum, folia ſennae, fibrae hellebori nigri, aut vinum medicatum ex reſoluentibus & abſtergentibus paratum, cui exiguum de fibris hellebori nigri commiſceri poteſt, vel, quod ſecurius, polypodium.

β) Salia incidentia: ſal tartar. geniſt. ononid. tartar. vitriolat. arcan. duplic. &c.

γ) Abſorbentia: conch. praeparat. antimon. diaphoret. bezoardic. mineral.

δ) Eſſentiæ reſoluentes: eſſent. alexiph. tinctur. antimon. tinctur. tartar. mixtur. ſimpl.

c) Vt humores in iuſta fluiditate conſeruentur, & viæ in debitum fexibilem ſtatum redigantur per motum corporis ſufficientem, per diluentia, humectantia diætetica.

d) Vt inteſtina & primæ viæ abſtergantur, ne tranſitus ſanguinis vllo modo offendatur & impediatur. In hunc finem laudantur

α) Salina digerentia & colliquantia, ſiue enixa, ſiue tartariſata.

β) Clyſteres lenientes & roborantes.

2. *Curandi.*

1) Ad motus hæmorrhoidales in ordinem redigendos præ aliis remediis conducunt pilulæ *Stahlianæ*, quæ maioris ſunt efficaciæ, quam reliqua laxantia.

2) Irregulares commotiones mitigant antiſpasmodica cinnabarina cum abſorbentibus & diaphoreticis fixis combinata.

3) Profunt etiam reſoluentia & æqualitatem motus ſanguinis promouentia; additis temperatis doſibus roborantium, e. g. eſſent. vincerox. helen. pimpin. alb. gent. rubr. mixtur. tonico-neruina *Stahlii.*

4) Aluus ſemper aperta ſeruetur.

5) Et cum venæ hæmorrhoidales propter frequentem muci effluxum admodum laxæ reddantur, adeoque talis fluxus facilius recurrat, ad roborandas haſce partes detur tinctur. mart. *Ludou.* mixtur. tonico-neruina *Stahlii.*

6) In feminis purgationis menſtruæ ratio habeatur, vt in iuſtum ordinem redigatur.

C. *Fluxus hepatici.*

1. Quoniam fluxus hepaticus pro adfectu hæmorrhoidali diiudicatur, eadem etiam methodo, quæ ſub impedito hæmorrhoidum negotio commendata eſt, omni iure tractatur,

ctatur, nempe remediis mediocriter temperantibus & abſtergentibus, cum lenibus laxantibus.

2. Per aliquot itaque dies rhabarbarum a ſcrupul. I. ad drachm. ſemis, vel pilulæ *Stahlii* propinari poſſunt.

3. Deinde temperantia & abſtergentia ſalina adhibeantur, e. g. nitrum, tartar. vitriolat. arcan. duplic. nitrum antimoniat. ſal centaur. min. card. bened. abſinth. mater perlar. conch. præparat. ocul. cancri.

4. Denique mixtura tonico-neruina *Stahlii*, vel ſola, vel cum eſſentia pimp. alb. aut adianth. alb. mixta propinetur.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Multi opinantur, quod hæmorrhoides ſint præternaturale i. e. noxium accidens; vnde neceſſe eſſe iudicant, quo hæmorrhoides coërceantur. Omnibus itaque cogitationibus in id feruntur, vt per adſtringentia, narcotica, vomitoria, purgantia hoſce motus inordinatos temperent, & acrimoniam ſcorbuticam, vt volunt, corrigant. Cum tamen, ſi miniſtri naturæ eſſe vellent, id vnice agere deberent, vt ei omni modo ſuccurrerent, & dexteritate atque peritia ſua medica eamdem ſubleuarent. Facilius enim eſt hæmorrhagias quascumque ſupprimere, quam reſerare.

2. Ex hoc errore etiam fluit, quando multi Medici hæmorrhoides ſuppreſſas relinquendas cenſent. Aureus enim hic fluxus aureas ſuas qualitates non exſerit, niſi legitime ſuccedat.

3. Abſtinendum itaque eſt a *vomitoriis*, quæ facile motus hæmorrhoidales tam ad ventriculum quam ſuperiorem corporis regionem ducunt, & ad vomitum cruentum diſponunt, aut in hepate & liene periculoſos effectus prouocant.

4. Si vero certo exploratum ſit, quod ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis aliquid ſanguinis in ventriculum ſeceſſerit, quod ad vomitum cruentum diſponere poſſet, tunc lene vomitorium, e. gr. per radicem ipecacoanhæ, locum habere poteſt.

5. *Purgationes* fortiores & *clyſteres* acres, item *ſuppoſitoria* ſtimulan-

mulantia, & reliqua impellentia, calefacientia, motus & humores magis exagitant, neque tamen ſuppreſſas hæmorrhoides reſerare ſolent.

6. Aloetica, helleborina, colocynthiaca ſtimuli quidem loco adhiberi, ad præcauendam autem ebullitionem ſanguinis nitroſa & abſorbentia interponi poſſunt; alias facile graues exacerbationes, nempe colica, ſplenetica, anxia pathemata oriuntur.

7. Abſint *narcotica* opiata, quæ præſentes motus vno impetu obruunt, & ad futuros infarctus ac ſtaſes, immo ad adfectus tympaniticos, œdematoſos, hecticos & hydropicos disponunt.

8. Nocent adſtringentia, incraſſantia, præcipitantia, quæ in viis ſuſpectam ſtricturam & in humoribus maiorem ſpiſſitudinem producunt.

9. Nil iuuant antiſcorbutica acriora, edulcorantia.

10. *Venæſectio*, licet in grauioribus ſpaſticis moliminibus a natura non facile attendatur, cum primis, quia venæ, quæ ſecari poſſunt, immediatum cum vena portæ commercium non habent; præſtat tamen eamdem medicationi præmittere, quam prorſus prætermittere.

11. Præmiſſis generalioribus adplicatio *hirudinum* quam maxime commendatur, tamquam remedium omnium tutiſſimum & efficaciſſimum. Licet enim hirudines venam hæmorrhoidalem *internam* immediate non attingant, per conſpirationem tamen venarum *externarum* non raro *internæ* hæmorrhoides prouocantur.

12. Ad roborationem viſcerum hypochondriacorum *tonica* præcipue *martialia* non præmature, ſed in progreſſu medicationis, & obtento ſemel fluxu, adhibeantur, ne infarctus & obſtructio augeatur.

13. Molimina hæmorrhoidalia ſi ſponte natura ceſſant, caueat ſibi Medicus cum *impetu* illa reſuſcitare.

14. Immo licet motus tales *incongrua arte* ſuppreſſi eſſent, e. g. opiatis, lapid. manat. dent. hippopot. vnicorn. ver. priap. cet. medicatio tamen impetuoſa minime locum haberet.

15. *Acidularum* vſus, ad quem ægri poſt varias & ſæpe peruerſas medi-

medicationes ordinarie relegantur, cachexiam, tumores œdematoſos & denique hydropem producit.

16. *Salia volatilia* caute hic vſurpanda ſunt, non, vt moris eſt, ad *humores* præparandos, ſed ad *viſcera* roboranda.

17. Adfectus œdematoſi ſi hæmorrhoidum ſuppreſſionem ſequuntur, res fere conclamata eſt: fluxus enim difficulter reuocatur, & ſi omnino reuocetur, œdemata tamen pertinaciter ſæpius ſolent durare. Occurrendum in tali caſu per methodum *tabula de œdemate* indicatam.

18. Diæta craſſior euitetur: abuſus vini & aliorum ſpirituoſorum valde nocet. Curru, non adeo commodo, ſed concuſſionem modicam excitante, vehi, aut æquitare, vel alio modo abdomen placide concutere, quam maxime conducit.

19. *Fluxus hepaticus* rarius quidem in frigidis regionibus obſeruatur, veteribus tamen non ignotus fuit, qui ſibi religioni ducebant, per adſtringentia eum tractare; & hoc quidem omni iure: nam a directa illius cohibitione eadem damna exſpectanda ſunt, quae ab aliis fluxionibus, per adſtringentia & alia incongrua artificia ſuppreſſis producuntur.

20. Humores ſeroſi & corrupti per amara optime corriguntur, perque laxantia mucoſo-aquoſae partes eliminantur. Hinc rhabarbaro, ſupra commendato, herbae amarae & radices reſoluentes addi poſſunt, e. g. herb. fumar. centaur. min. rad. ari, oſtrutii, leuiſtici &c.

TAB.

# TABVLA XIV.
## DE
# FLVXV MENSIVM ORDINATO, NIMIO ET HAEMORRHAGIA VTERINA.

I. D*EFINITIO.*

*Fluxus menſium* eſt euacuatio ſanguinis ſtricte dicti, feminino ſexui propria, qua ſingulis ordinarie menſibus notabilis illius portio, fœtui nutriendo ſpecialiter deſtinata, per genitalia excernitur, omnibus illis annis, quibus ad geſtandum idoneae quidem exſiſtunt, actu autem ipſo a negotio generationis immunes reperiuntur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Fluxus menſium eſt vel *ſuppreſſus*, vel *ordinatus*, vel *nimius.*
2. De fluxu *ſuppreſſo* tabula de ſuppreſſione menſium agetur: de *orninato* autem & *nimio* hac tabula dicemus.
3. *Nimius* fluxus non debet confundi cum ordinato *largiore*, quo quidem copioſa ſanguinis excretio contingit, & incommoda quaedam grauatiua atque tenſiua, praecipue ante eruptionem, ſentiuntur; quae tamen ſub ipſo adhuc fluxu notabiliter miteſcunt, & aegra deinde adſpectu ſano ac conſtitutione ſatis bona fruitur. In *nimio* autem fluxu grauiora phaenomena occurrunt, vti ex *ſignis* illuceſcet.
4. Contingit non raro, vt ceſſante menſtrui fluxus periodo ſanguis plerumque grumoſus & viſcidus, modo vehemente impetu, modo ſucceſſibus placidis, ſed fere continuis, per vias vterinas extrudatur; quae quidem euacuatio non amplius menſium fluxus nomine venit, ſed *haemorrhagia vterina* Medicis audit.
5. *Haemorrhagia abortiua* tabula de *lochiis* explicabitur.

III. SI-

III. *SIGNA.*

A. *Fluxus ordinati.*

1. Exſerit ſeſe hic fluxus cum pubertate feminina, anno circiter decimo quarto.
2. In *otioſis* & de diæta plena atque calida gaudentibus paullo *prius*, in *laborioſis* autem notabiliter *ſerius* exoritur.
3. Præ omnibus aliis hæmorrhagiis hic fluxus ſtata ſeruat tempora: recurrit enim ordinarie ſingulis menſibus, computando a die illo, quo erupit, vſque ad diem nouæ eruptionis.
4. Quando fluxus *legitime* ſuccedit, excernitur ſanguis *ſtricte dictus*, & quidem ita tranquille & moderate, vt vix aliqua incommoda adferat.
5. Exceptis illis, quæ a reſtrictione ſanguinis ad inferiora dependent. Ob hanc enim cauſſam anguſtias & difficilem aliquo modo reſpirationem perſentiſcunt, præcipue quando corpus fortius commouent, vel ſcalas aut colles adſcendunt.
6. Præter ea in peripheria corporis adparet ſubſidentia partium & exinanitio vaſorum cum adſpectu pallido & conſtricto.
7. Quo magis vero in ſubiectis, quæ ſanguine ſpiſſo & viis arctis prædita ſunt, menſes *impedite* fluunt, eo maiora incommoda ægræ præcipue ante eruptionem perſentiſcunt; nempe preſſiones & tenſiones ſpaſticas, torminoſas, colicas, cardialgicas, diſtenſorias &c. in abdomine, præcipue circa vteri atque ſinus regionem; quibus faſtidium animi plerumque accedit.
8. Durat hic fluxus, pro differentia ſubiectorum & reliquarum circumſtantiarum, per tres, ſex, immo nouem dies, quo tempore ſanguis prioribus diebus paullo *largiter* e genitalibus excernitur, poſterioribus autem notabiliter remittit, donec ſenſim penitus ſubſiſtat.
9. Extendit ſeſe hic fluxus ordinarie ad quinquageſimum vſque annum; quo tempore intentio naturæ ad concipiendum & geſtandum ceſſare obſeruatur.

10. In multis, præcipue laborioſis, prius ceſſat; in paucioribus vero quinquageſimum annum tranſcendit.

B. *Fluxus nimii.*

1. Antecedunt fluxum *nimium*
   1) Inſignes circa præcordia anxietates.
   2) vagæ horripilationes & phlogoſes.
   3) efferueſcentia ſanguinis.
   4) ſiccitas oris.
   5) reſpiratio difficilis.
   6) grauitas artuum & laſſitudo totius corporis.
   7) Speciatim autem variæ preſſiones & torſiones in abdomine, præcipue circa os ſacrum.
2. Hæc incommoda excipit fluxus ipſe, isque *impetuoſus*, ſeu ad minimum *copioſus*, interdum etiam cum fruſtorum coagulatorum excuſſione coniunctus.
3. Durans iuſto diutius, ad duas vel tres hebdomadas.
4. Vel nimis cito, & plurimum inordinate recurrens, e. gr. poſt duas aut tres hebdomadas.
5. Reliquens veram debilitatem, cum malo colore, magis magisque increbeſcente, coniunctam.

C. *Hæmorrhagia vterina.*

1. Præcedunt & comitantur eadem ſymptomata, quæ ſub menſium fluxu *nimio* indicata ſunt, ſed longe maiori vehementia ægras excruciant, ita vt ſyncopticis deliquiis non raro adfligantur.
2. Excernitur ſanguis ordinarie ſpiſſus, viſcidus & valde grumoſus, immo fruſta ſanguinis coagulata nigricantia & aliæ id genus impuritates, cum atrociſſimis nonnumquam doloribus atque anxietatibus expelluntur.

IV. *SVBIECTA.*

1. Quod fluxus menſium omnibus feminis competat, quæ intra annos ſupra notatos viuunt, & extra tempus geſtationis aut lactationis ſunt conſtitutæ, adeo certe verum eſt, vt pauciores illæ, quæ eodem deſtitutæ ſunt, tantum non omnes grauia incommoda & damna certiſſime incurrant.
2. Fluxus autem *nimius* in pauciora ſubiecta cadit, nempe in feminas plethoricas, inprimis

1) Cho-

1) Cholerico-melancholicas, & quæ inſignibus animi commotionibus obnoxiæ ſunt, aut ſpeculationibus venereis indulgent.

2) Quæ ad tempus menſium ceſſationis accedunt, quo notabilis plerumque exceſſus obſeruatur.

3) Quibus poſt abortus vel molæ excluſionem inſignis eroſio vaſorum vteri inducta eſt.

4) Quibus fortiora *emmenagoga*, vel ad ſuppreſſi menſium fluxus reuocationem, vel ad nefarie pellendum fœtum adhibita ſunt.

3. *Hæmorrhagia vterina*, quæ poſt ceſſationem menſtrui fluxus contingit, eadem ſubiecta agnoſcit, nempe feminas plethora & ſpiſſitudine ſanguinis laborantes: præcipue autem eiusmodi impetuoſa & copioſa ſanguinis excretio illis accidere ſolet, quæ peculiari quadam vteri vel impuritate vel læſione vera adfectæ ſunt.

V. *CAVSSAE.*

A. *Fluxus menſium ordinarii.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt intentio ſpecialis ad fœtum nutriendum.

2. Quando autem hic finis ob varia impedimenta & circumſtantiarum rationes obtineri non poteſt, natura hanc ſanguinis abundantiam per eadem loca excernit, quibus illa deſtinata erat.

3. Quod autem *præciſe* ſingulis ordinarie menſibus hæc excretio contingat, videtur rationem *criticæ periodi* fouere. Conf. *programma D. D. Stahlii de fluxus menſtrui, quatenus menſtrui, cauſſa.*

4. Grumoſitas itaque ſanguinis, vias obſtruens, & ſic fluxum mere paſſiuum conſtituens, illis relinquitur, qui tali ſpeculatione ſatis ſibi facere, & vniuerſum huius fluxus negotium hiſce cauſſis exhaurire putant.

B. *Fluxus menſium nimii,* &

C. *Hæmorrhagiæ vterinæ.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt plethora, præcipue in temperamentis cholerico-melancholicis, cum vaſis capacioribus & habitu corporis conſtricto præditis.

2. Cauſſa *proxima* eſt *orgaſmus* ſanguinis, quacumque ratione inductus.

3. His internis cauſſis adnumerari poſſunt, *hereditaria* diſpoſitio & *conſuetudo*.
4. Cauſſæ *externæ* & *aduentitiæ*.
   1) Euacuationum artificialium adſuetarum neglectio.
   2) Frequens *excluſio abortus*.
   3) *Specialiſſime* concrementa e reliquiis *ſecundinarum* repullulantia.
   4) Vel, quod tamen rarius, *mola* aliunde ſubnata.
   5) *Eroſio* inſignis vaſorum vteri.
   6) *Animi* vehementes commotiones, vbi iracundia facile princeps eſt.
   7) Item impetuoſæ corporis æſtuationes, quando nimirum ſaltationibus, aut aliis grauioribus motibus plethoram commouent.
   8) Diaeta aromatica & ſpirituoſa.
5. Quod *hæmorrhagia vterina*, quae in nonnullis poſt menſium periodum contingere ſolet, impuritatem vteri aut laeſionem pro cauſſa ſpecialiſſima habeat, in *ſubiectis* iam indicauimus.

VI. *PROGNOSIS*.

1. Menſium fluxus, quo magis cum *phaſibus lunæ* notabilioribus conſpirat, eo melius, tranquillius & impeditius ſuccedit: propterea etiam hic fluxus a nonnullis *purgatio lunatica* vocatur.
2. Quando menſes, qui *largiter* & copioſe fluunt, ſtatim pro fluxu *nimio* reputantur & variis artificiis cohibentur, plurima inde mala proueniunt. Conf. tab. *de ſuppreſſione menſium*.
3. Immo ipſe *nimius* fluxus quando per adſtringentia &c. incongrue ſupprimitur, longe maiora damna producit, quam ſi ſibi ſoli relinquitur.
4. Succedunt enim immediate quaſi ſuffocationes hyſterico-epilepticae & vniuerſus adparatus, qui menſiumambit ſuppreſſionem.
5. Incommoda a fluxu nimio manifeſtant ſeſe potiſſimum circa negotium generationis: ſiue enim maiores moleſtias tempore geſtationis & partus hae feminae perſentiſcunt;

ſiue facile abortiunt, ſiue plane ſteriles reperiuntur. Si autem vitium illud vteri, quod nimium menſium fluxum excitauit, & feminas abortui, vel ſterilitati obnoxias reddit, remouetur, tunc ad conceptionem interdum denuo aptae euadunt. *vid. Stahl. patholog. pag.* 525. *& ſeqq.*

6. Quodſi vero immodicum illud vteri profluuium, quod facile abit in conſuetudinem, diu perennat; diſponit tandem corpora ad cachexiam, febrem lentam, œdemata pedum, hydropem, tabem, magnamque animo & corpori adfert debilitatem.

7. Sic etiam feminae *hæmorrhagia vterina* laborantes tandem hectica conſumuntur; niſi natura congeſtionibus ſuis abſterſorio eliſoriis, labem vteri diſcutiat, reſoluat, abluat, atque eliminet. Curatio autem huius adfectus eſt longe difficillima.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quod *ordinatus* & *moderatus* menſium fluxus nulla medicatione indigeat, ſed quouis potius modo fouendus ſit, per vulgus ſatis notum eſt.

2. Ipſe etiam *largior* fluxus conſultius toleratur, quam inhibetur. Praeſtat tamen nitroſa & temperantia cum pilulis *Stahlii* vel *Becheri ante* & *ſub* ipſum fluxum in ſubſidium vocare.

3. Fluxus autem *nimius* ſequente modo tractatur.

*In paroxyſmo.*

1) Paucis diebus ante eruptionem, & ſub ipſo fluxu, ter per diem propinentur pulueres, orgaſmum ſanguinis contemperantes. Huc pertinent nitroſa, abſorbentia, acido citri aut tartari ſaturata, & cinnabarina.

2) Eodem tempore verſus ſomnum quotidie exhibentur *Pilulæ Becheri* genuinæ, vel, quæ meliores ſunt, *Stahliana*. Hæ enim ſpecifica quadam energia nimium fluxum placide moderantur.

3) Hæc methodus aliquoties repetatur, ita vt dicti pulueres & pilulæ ſingulis menſibus, per ſex circiter dies, tempore videlicet inſtantis & præſentis fluxus propi-

nentur: quibus decenter obſeruatis adfectus hic, alias pertinax, plerumque ad iuſtum moderamen reducitur.

4) Quodſi vero caſus quidam rebellis occurreret, cui hæc methodus ſine effectu oppoſita fuiſſet: tum ſubadſtringentia, ſeu potius *tonica*, cum lenibus *anodynis* addi poſſent. Huc pertinent ſpecies de hyacinth. corall. præparat. tinct. coralliot. tinct. martis *Ludou.* eſſent. millefol. & adianth. alb. crocus mart. antimoniat. aperitiu. *Stahlii*, M. P. de cynogloſſa, ſemen hyoſc. alb. item vitellus oui, ex gallina mactata exſecti, cum nuce moſchata a *Roſino Lentilio* commendatus in *miſcell. pract.* pag. 440. Sequens formula laudari quoque meretur.

Rc. nitri depurati
conch. præparat. & acidó tart. ſaturat. ana drachm. II.
ſpecier. de hyacinth. ſcrup. I.
corall. præparat. gr. XXV.
cinnabar. opt. drachm. ſemis
M. P. de cynogloſſ. gr. XV.
M. f. puluis, ad ſcrup. I. exhibendus & poſt tres horas repetendus.

5) *Reuulſiones externæ* quando omnino neceſſariæ videntur, *ligatura extremorum* reliquis prætereuda eſt.

*Extra paroxyſmum*

1) Venæ ſectio plurimum hic prodeſt, ſiue in brachio, ſiue, ſine omni trepidatione, in pede inſtituta, modo tempus intermedium obſeruetur, vt nempe 14 circiter dies ante nouum inſultum ſuſcipiatur.

2) Octo dies ante, quam menſes de nouo erumpunt, mixtura tonico-neruina *Stahlii* ter per diem ſalutariter exhibetur.

4. *Hæmorrhagia vterina* eadem fere methodo tractatur. Exhibentur nempe

1) temperantia, ex nitroſis, abſorbentibus & cinnabarinis para-

parata. Si autem hæc malum non ſoluunt, ordinantur

2) ſubadſtringentia, tonica & anodyna ſuperius recenſita.

3) Interponuntur, ad vterum mundificandum, pilulæ quædam balſamicæ e. g *Stahlianæ.*

4) Ad præſeruandum denique venæ ſectio inſtituitur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quod luna abſolutum imperium in hunc fluxum non habeat, experientia toto die teſtatur: multæ enim extra lunae *phaſes* eumdem experiuntur.

2. Exſpirarunt propemodum *antiquæ næniæ* de venenoſa ſanguinis menſtrui qualitate: quæ enim de corruptione *muſti, cereuiſiæ,* marcore *plantarum,* obfuſcatione *ſpeculorum,* a tactu, vel ſolo obtutu *menſtruatæ*, vulgo circumferuntur, multa experientia ſatis refutantur.

3. Licet etiam hic ſanguis, per vterum & partes ſpermaticas oberrans, *orgaſtica* aliqua inquinamenta concipere poſſit, tanti tamen hæc non ſunt momenti, vt effectus tam notabiles præſtare queant.

4. Et quando leges *Moſaicæ* hunc ſanguinem impuritatis accuſant, innititur hoc non craſſis phyſicis ſed ſublimioribus fundamentis.

5. Excernitur hic ſanguis non tantum per vaſa, quæ in ipſa vteri cauitate quæque minus capacia ſunt, ſed potiſſimum etiam per *hæmorrhoidalia*, quæ ad ceruicem & collum vteri porriguntur; vnde tam præſens eſt conſenſus hypochondriorum cum vtero, vt varia pathemata circa venam portæ excitentur, quam primum fluxus hic non recte procedit. Hinc

6. Feminæ quædam lactantes & grauidæ experiuntur aliqnando ſingulis menſibus emanationem veri ſanguinis e genitalibus, quæ per aliquot dies *placide* continuat & loco fluxus menſtrui fluit.

7. Quam maxime etiam notandus eſt *conſenſus primarum viarum* cum *vtero,* nam exinde diluceſcit ratio, cur cibus *dyſpeptus* tempore menſium commeſtus, e. g. panis calidus,

dus, varia frixata &c. præſentaneam fluxus inhibitionem adferant.

8. De fluxu menſium *nimio* idem veriſſimum eſt, quod *tab. de hæmorrhoidibus nimiis* ſub *cautelis* diximus; nempe longe facilius ſuppreſſionem in vniuerſum, quam iuſtum illius moderamen obtineri, ſi *adſtringentibus*, immo etiam *ſpecificis promiſcue* tractetur.

9. *Venæ ſectio* ſub methodo præſeruatiue commendata, tanto magis neceſſaria eſt illis, quarum menſes antea *largiter* vel *nimium* fluxerunt, iam vero per ætatis rationem ad finem properant: alias *finis* menſium fit *initium* multorum malorum. *conf. diſſertat. D. D. Stahlii de fine menſium, initio malorum.*

10. *Venæ ſectio* quando in *brachio* inſtituitur, non debet eſſe larga, ne nimia ad partes ſuperiores fiat reuulſio, & fluxus ſuppreſſio omnimode ſequatur.

11. Quæ *tabula de hæmorrhoidibus* ratione *ſpecificorum* monuimus, hic etiam obſeruanda ſunt. Licet enim tam poſitiue non adſtringant, ſed *ſpecifice* magis effectum ſuum præſtent, non promiſcue tamen, nec nimis confeſtim exhibenda ſunt.

12. *Hippocrates Sect. V. aphor.* 50. *Mulieri*, inquit, *ſi menſtrua velis cohibere, cucurbitam quam maximam ad mammas adpone.* Sed hoc conſilium cautius, & non niſi præmiſſa venæ ſectione, adſumendum eſt.

13. Quæ damna *opium*, in hæmorrhagiis friuole vſurpatum, inferat, præcedentibus tabulis iam indicatum eſt.

14. Sic etiam *purgantia* & *aloëtica* malum exaſperant.

15. In *hæmorrhagia vterina* adſtringentia non niſi vrgente maxima neceſſitate exhibeantur, ne huius fluxus ſuppreſſio, ſanguinis ſtaſis, febris acuta inflammatoria, putrida, &c. ſequantur.

16. Quando feminæ, *nondum maritatæ*, de nimio menſium fluxu, eoque cum impetu ac violentia inſigni fruſtisque coagulatis coniuncto, conqueruntur, res plerumque eſt ſuſpecta. Excipimus autem illos caſus, quando ad reſe-

randos

randos menſes *fortia pellentia diu* vſurpata ſunt, vel ſpecialiſſima animi ſenſibilitas cum vita ſedentaria concurrit.

17. Quemadmodum menſium fluxus ordinarie circa finem ſeptenarii ſecundi incipit, & ſub finem ſeptimi iterum ceſſat, ſic dantur exempla, licet rariora, in quibus ſub finem primi ſeptenarii menſes iam erumpunt, & ſatis mature ceſſant; quæ feſtinatio autem ſeu potius præcipitatio naturæ, raro ſummam ſenectutem pollicetur.

18 Tempore menſtruo, præcipue quando fluxus *nimius* eſt, caueant ſibi ægrotæ ab omni refrigeratione, in primis pedum, a terrore, ab iracundia, a violentis corporis motionibus, a diæta craſſa, aromatica & ſpirituoſa.

# TABVLA XV.

## DE

# SVPPRESSIONE MENSIVM.

I. D*EFINITIO.*

Suppreſſio menſium eſt ſymptoma excretionis debitam euacuationem, feminino ſexui propriam, ſiue penitus interuertens, ſiue plurimam partem ſuſpendens, cum effectibus variis exſpectandis.

II. *DIFFERENTIA.*

Suppreſſio menſium triplici ratione conſideranda eſt.

1. *Emanſio* dicitur, quando menſes in iunioribus debito tempore non proueniunt, ſed ad annum vsque 16 - 18 - 20 vel per totum vitæ curriculum emanent. Talis emanſio eſt vel

1) *Tolerabilis*: ſunt enim laborioſæ, quæ ſub illa ſatis commode viuunt, nec vllum indicium congeſti ad vterum ſanguinis obſeruant; vel

2) *Minus tolerabilis*, vbi ordinaria ſymptomata huius ſup-

 pres-

preſſionis vrgent. *conf. Progn.* Huc etiam referri poſſunt rariora illa exempla, quando feminæ quædam per totam vitam menſes non experiuntur, quarum aliæ, docente experientia, nulla inde incommoda perſentiſcunt; aliæ autem ſatis miſere viuunt.

2. *Retentio* ſeu *obſtructio* vocatur, quando menſes, qui antea fluxerunt, ex quacumque cauſſa, ſiue prorſus ſuppreſſi ſunt, ſiue tamen *non ſatis* ſuccedunt, inſuper etiam ante conſuetam periodum ſubſiſtunt. Hæc autem ſuppreſſio vel *languide* & ſenſim, vel *ſimul & ſimel* contingit.

Ad hanc retentionem referri etiam poteſt *decoloratio menſium*, vbi vix ſanguinis veſtigia adparent, ſed humor tantum pallidus, flaueſcens, ſubcruentus excernitur, cum variis ſpaſticis incommodis coniunctus.

3. *Ceſſatio* nominatur, quando menſes præmature & ante annum 49 ceſſant, eosque varia pathemata excipiunt.

III. *SIGNA.*

1. Varii motus ſpaſtici & congeſtiones: primum circa loca *confinia*, nempe meſenterium, hepar, lienem, ventriculum & inteſtina; ſucceſſu autem temporis in locis etiam *remotis*, circa pectus & caput.
2. Grauitas artuum, anguſtia pectoris, difficultas reſpirationis, ſub motibus corporis, præcipue adſcenſionis.
3. Appetitus proſtratus, vagus, aut maior frigidorum & acidorum, quam calidorum, adpetentia.
4. Excretiones male procedentes, ſudores vel nulli vel multi; aluus modo præter naturam ſicca, modo lubrica.
5. Vrina in aliis pallida, turbida, craſſa; in aliis flammea excernitur.
6. Somnus vel multus, ſed inſomniis terrificis ſæpius interruptus, vel nullus obſeruatur.
7. Triſtitia inſignis, amor ſolitudinis, ad lacrimarum profuſionem, ob leuiorem etiam cauſſam, propenſio.
8. Facies pallida, labia liuida, habitus vniuerſi corporis reſpectu coloris & inflationis diuerſus, pallidus ſcilicet in aliis

liis & turgidus, in aliis conſtrictus, cum maiore vel minore vaſorum ſufflatione.

9. Adſpectus oculorum triſtis, abſentia fulgoris eorumdem, circulus interdum liuidus eos ambiens, turgida palpebrarum conſtitutio.

10. *Signorum* loco etiam eſſe poſſunt omnia reliqua pathemata, quæ ab hac ſuppreſſione proueniunt, & ſub *prognoſi* indicabuntur.

IV. *SVBIECTA*

1. *Emanſionis* ſunt *puellæ*, temperamenti plerumque phlegmatici & melancholici, vitæ ſedentariæ deditæ, moroſæ; vbi ſanguis non tantum in quantitate, ſed etiam in qualitate peccat.

2. *Retentionis* ſeu obſtructionis ſunt familiarius plethoricæ, otioſæ, mœroribus & aliis anxiis mentis adflictionibus expoſitæ. Vnde *ſanguis* ſpiſſeſcit & *ſerum* mucido-viſcoſum contrahit lentorem. Item etiam illæ, quarum antea fluxus qualiscumque cum phaſibus lunæ minus conſpirauit.

3. *Ceſſationis* ſunt feminæ intra annos circiter 35-& 45. conſtitutæ, quibus menſes ob modo dictas vel corporis vel animi adfectiones præmature ceſſant.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *interna* quærenda eſt vel in

1) *Quantitate* ſanguinis *ſimplice*; nam præſente inſigni plethora natura non facile ſuſcipit hæmorrhagias, ex timore, ne nimium fiat; vel in

2) *Qualitate* ſeu ſpiſſitudine humorum, a qua etiam vitium viarum prouenit; vel in

3) *motu*, qui vel *ſegnior* eſt, vt in valetudinariis, extenuatis, phlegmaticis; vel *erroneus*, vbi humores in alia loca, e. g. verſus caput, pectus, ventriculum, diriguntur.

2. Cauſſæ *externæ* & *occaſionales* ſunt

1) *Mentis alterationes* e. g. ſubitus & ingens *terror*, vel vehemens *iracundia*, eaque ſuppreſſa, præſente menſium fluxu contingens.

2) *Diæta* cruda & craſſa, aut alia incongrua e. g.

a) *Panis* ſiccus vel adhuc calidus, modo ex clibano extractus.

b) *Maſſæ frixæ*, minus fermentatæ.

c) *Placentæ* pinguiores.

d) *Oua* dura nimium ingeſta.

e) *Potus* frigidus, corpore calente immoderate hauſtus; aut potus ordinarii neglectio.

f) Quæuis *acida* & *auſtera*; quæ omnia ob conſpirationem primarum viarum cum vtero menſes obſtruere vel impedire poſſunt.

3) *Habitatio* in locis humido frigidis.

4) *Otioſum* & ſedentarium vitæ genus.

5) *Refrigeratio* immodeſta, præcipue quando pedes & partes inferiores aquæ frigidæ immerguntur, & quidem tempore, quo menſes fluunt; lotricum exemplis.

6) *Sudores* nimii, qui multum liquaminis ſubtrahendo ſanguinem ſpiſſiorem reddunt,

7) Abuſus *adſtringentium* & *opiatorum* non tantum ſub nimio fluxu, ſed etiam in aliis morbis adhibitorum.

8) Friuolæ *venæ ſectiones*, eæque largiores in partibus ſuperioribus eo tempore inſtitutæ, quo fluxus proxime inſtat, aut iam iam erupit.

9) Emetica fortiora draſtica.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Innumera fere ſunt mala, quæ menſium ſuppreſſionem ſequuntur; plurimi enim huius ſexus morbi ab hac dependent.

2. In *abdomine* ſuccedunt

1) Pathemata hypochondriaco-hyſterica.

2) Grauitas circa regionem vteri.

3) Tormina abdominis.

4) Punctiones circa vmbilicum.

5) Grauiſſimæ inteſtinorum ſtricturæ, a quibus aliquod leuamen accipiunt, ſi abdomine introrſum complicato ſedent.

6) Nau-

6) Nauſea & conatus vomendi, immo vomitus cruentus.
7) Dolores lumbares, tendentes & adgrauantes.
8) Nephritis.
9) Suffocationes cardialgicae, als wenn man ihnen mit zwey Händen etwas zuſammen drückte, daß ihnen der Othem ausbleiben mögte.

3. In *thorace* exoriuntur
1) Anguſtiae praecordiorum & reſpiratio difficilis.
2) Palpitatio cordis.
3) Pleuritis ſpuria.
4) Haemoptyſis, aut aliae ſanguinis conſueto menſium tempore per loca inſolita excretiones.
5) Pulſus inordinatus, modo aequalis modo inaequalis, celer, tardus &c.
6) Aſthmata ſicca & conuulſiua.

4. Circa *caput* manifeſtant ſeſe
1) Capitis dolores, in aliis grauantes & tendentes, in aliis vero lancinantes, ſpaſtici aut rheumatici.
2) Vertigines.
3) Cephalalgiae pertinaces.
4) Hemicraniae.
5) Anginae.
6) Haemorrhagiae narium effrenes.

5. In *artubus* eueniunt
1) Laſſitudo poſt motus etiam leniores increbeſcentes.
2) Spaſmi & dolores varii artuum rheumatici.
3) Inflationes pedum œdematoſae.

6. Per *vniuerſum corpus* proueniunt:
1) Crebriores motus tonici in corpore mutationes, ſiue caloris & frigoris alternationes.
2) Cachexia.
3) Hydrops.
4) Scabies, eaque modo ſicca modo humida, vtraque vero curatu difficillima.
5) Apoſtemata & vlcera mali moris.

6) Adfectus conuulſiui, imprimis circa nouilunium aut conſuetum menſtrui fluxus terminum adfligentes.

7) Paralyſes ſpuriæ &c.

7. Menſium defectus longe frequentior eſt, præſentiora quoque & grauiora damna infert, quam eorum exceſſus.

8. Menſium ſuppreſſio licet frequentius occurrat, facilius tamen congrua methodo fluxus reuocari poteſt, quam in aliis hæmorrhagiarum ſpeciebus.

9. Quando autem in paullo annoſioribus *martialia* ad menſes reuocandos frequenter adhibita ſunt, vix vmquam deinde fluxus reſtituitur; licet genuina methodus & optima quoque remedia adhibeantur.

10. Suppreſſio aut ceſſatio menſium male tractata fluori albo benigno facile anſam præbent: vel tabida in aliis corporis conſumtio cum variis hecticis ſymptomatibus tandem ſuccedit.

11. Quibus fluxus menſium admodum præcox emicat, in illis quoque maturius ceſſat, & in vicem verſam; quibus tardius erumpit, in his longius durat. Excipiendæ autem ſunt plerumque laborioſæ.

12. Quæ fluxum menſtruum plane non experiuntur, illæ plerumque ſunt ſteriles aut valetudinariæ; interim tamen proſtant exempla, vbi tales, & nonnullæ quidem frequentius, pepererunt.

13. Menſium emanſio aut ſuppreſſio, lente ſuccedens, tanto periculo non exponit mulieres, quam præceps menſium fluentium obſtructio.

14. Fluxus menſtruus in annoſioribus per aliquot hebdomadas immo menſes ſuppreſſus, larga ſæpiſſime compenſatur euacuatione per 14, immo quandoque 21 dies durante; licet non abſque incommodis eiusmodi perſonarum.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Methodus ſecundum tres primarias cauſſas, ſupra allegatas, tria etiam inuoluit momenta.

1. *Quantitas* ſanguinis, ſi notabiliter vrget, ante omnia imminuenda eſt; alias reliqua medicatio minus commode & ad vota ſuccedit.

Huic

Huic ſcopo inſeruit venæ ſectio, de qua tamen probe notentur, quæ infra ſub *cautelis* allegata ſunt.

2. *Qualitas* ſanguinis corrigenda eſt.

1) Ad *ſpiſſitudinem* ſanguinis & mucidam ſeri conditionem corrigendam commendantur reſoluentia, incidentia & digeſtiuo-aperitiua, e. g.

1. *Radices* ari, pimpinell. alb. rub. tinctor. imperator. vincetox. helen. angelic. petaſitid. leuiſtic. cichor. tarax. curcum. gramin.

2. *Herbæ* abrotan. abſinth cent. min. fumar. capill. ven. marub. alb. cuſcut. chamædr. rorismar. mar. ver. ſerpill.

3. *Semina* aniſi, fœniculi.

4. *Gummata* ammoniac. ſagapen. galban.

5. *Salia digeſtiua* tartar. vitriolat. nitrum antimoniat. arcan. duplicat. ſal abſinth. centaur. min. card. ben.

6. *Compoſita*: pilulæ *Stahlianæ*, *Beckeri*, tinct antimon. eſſent. ſuccin. eſſent. alexipharm. *Stahlii*.

7. Item *infuſum* ex herb. veronic. chærefol. heder. terreſtr. bellid. hyſſop. rubiæ tinctor. & laxantibus paratum.

2) *Orgaſmus* ſanguinis, qui interdum concurrit, & fluxus ſucceſſum turbat, contemperatur per nitroſa, præcipitantia & cinnabarina.

3. *Motus* denique, facta ſufficiente correctione, ad locum excretorium blande inuitandus & leniter ſtimulandus eſt. Faciunt hoc

1) Venæ ſectiones in pede *conf. cautel.*

2) Pediluuia & inſeſſus. Item frictiones pedum.

3) Adplicatio cucurbitularum cæcarum ad femora & coxendicum regiones: item clyſteres lenientes & modeſte ſimul ſtimulantes ac roborantes.

4) Laxationes per epicraſin; vbi radices & herbæ modo commendatæ, cum fol. ſennæ fibr. hellebor. nigr. & rhabarb. in forma *infuſi* poſſunt adhiberi.

4) Em-

5) Emmenagoga, quæ ſpecifica virtute prædita eſſe dicuntur. Eminent inter hæc
1. *Radix* bryoniæ.
2. *Herba*: meliſſ. ſabin. puleg.
3. *Flores*: calendul. cheiri.
4. *Compoſita*: myrrhata, ſuccinata, crocata.

6) *Externe* laudatur, ſed raro adhibetur, *ſal volatile*, per inſtrumentum *Glauberianum* immediate adplicatum.

4. Ne in motibus inſtruendis & ſtimulandis error committatur, ipſius *agentis interni* motus probe obſeruandi & imitandi ſunt. Vbi itaque variæ ſpaſticæ commotiones in abdomine & circa vterum ſentiuntur, ibi conuenit illos motus imitari.

5. Laborioſa conamina ſi excedere videntur, *eſſentia millefol.* ſtimulantibus adſociari poteſt. e.g.

Recip. Eſſent. myrrh. drachm. III.
ſuccin. drachm. II.
pimpin. alb.
millefol. ana drach. I.
M. f. Mixtura.

doſ. XXX. gutt. legitimo tempore propinanda.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Circa venæ ſectionem ſequentia ſunt notanda.

1) In iunioribus, infra annum viceſimum adhuc conſtitutis, non tam facile ad venæ ſectionem feſtinandum eſt. Licet enim ſatis efficax ſit, natura tamen facile ei adſueſcere & in poſterum idem remedium pertinaciter extorquere, alia autem, vtut optima, auxilia & medicamenta reſpuere ſolet.

2) Quando itaque vena non ſecatur, methodus debet eſſe *temperatiſſima*, primum *attenuando*, deinde *inuitando* & denique *leniter ſtimulando*.

3) Quando autem præſentiora incommoda vrgent, &, quæ iam dicta ſunt, non ſufficiunt, tum ſine trepidatione etiam in iunioribus venæ ſectio inſtituatur, modo in poſterum non temere repetatur, niſi natura vehementer eamdem efflagitet.

4) Si

4) Si vero venæ ſectio neceſſaria videatur, non adeo abſolute opus eſt, vt cum illa curationis *initium* fiat, ſed nonnumquam reliquæ methodo interſeri, & ſic poſt principia locari poteſt. Obſeruandum autem eſt, quod extra phaſes nouilunii & plenilunii inſtituenda ſit. *Conf. tabul. chirurg.* *de vena ſectione.*

5) In tali caſu medicatio æque *blanda* eſſe debet, ac in iſto, in quo vena plane non ſecatur.

6) Quando autem cum venæ ſectione medicationis fit *initium*, tum leniter ſtimulantia ſtatim cum generalioribus combinari poſſunt Hæc methodus eſt efficacior & breuioris temporis; moleſtior autem ob venæ ſectionis repetitionem.

2. Facta venæ ſectione ſolæ *pilulæ Stahlianæ* vel *Beckeriana* ſufficere poſſunt: nam *qualitatem* ſanguinis corrigunt, motus ad locum excretionis dirigunt & leniter ſtimulant. Modo hac methodo propinentur, vt verſus tempus, ſuperius indicatum, per ſex circiter dies ſingulis menſibus exhibeantur, donec menſes erumpant.

3. Eadem methodo exhibentur etiam hæ pilulæ in fluxu *imminuto*, vbi paucis diebus ante ſanguinis eruptionem propinantur, & *ſub ipſo fluxu* continuantur: Nullo habito reſpectu ad vulgatam illam opinionem, quaſi tum temporis medicamenta non conueniant. De incongruis hoc quidem verum eſt, de placidis autem & genuinis falſiſſimum. Nam hæc tali tempore longe efficacius operantur: hinc etiam *imminutio* menſium ob hanc temporis commoditatem multo citius, quam obſtructio, in ordinem poteſt reuocari.

4. *Ceſſatio* menſium eamdem expoſcit medicationem. Quo diutius autem ceſſarunt, eo magis venæ ſectio neceſſaria erit: nam refractarius eſt adfectus.

5. *Decoloratio* menſium, loturæ carnis inſtar, nihil aliud eſt, quam fluxus imminutus, & hinc eiusdem tractationis.

6. Quando autem menſes per ætatis rationem ceſſant, præcipue, qui antea largiter fluxerunt: tum quam maxime opus

Q

pus eſt, verno & autumnali tempore venæ ſectionem in pede ſubſtituere, & ad ſenium vsque eandem continuare, motusque per nitroſa & temperantia mitigare.

7. De *otioſis* loquimur: nam quæ feminæ vitæ genere laborioſo fruuntur, illæ his omnibus facile ſuperſedere posſunt.

8. Modeſtus *corporis motus* ante omnia medicationi ſubſtituatur: illo enim abſente ſanguis non facile attenuatur, licet diluentia ad nauſeam quaſi propinentur. Si vero *diluens* cum *diluendo* bene ſubagitatur, ſalutaris ordinarie ſequitur effectus.

9. *Stimulantia* & *pellentia* ſi improuide adhibentur, e. g. in ſtatu inſigniter plethorico, & quando primæ viæ nondum expurgatæ ſunt, nec ſanguis attenuatus eſt: plerumque inducunt

1) Maiores obſtructiones.
2) Summas anguſtias præcordiorum.
3) Non raro heteroclitas per aliena loca ſanguinis eruptiones.
4) Febres lentas, hecticas, phthiſicas.
5) Adfectus cephalalgicos, ſpaſticos, immo conuulſiuos.
6) In ſpongioſis cachexiam & tandem œdemata.

10. Idem quoque iudicandum eſt *de ſalibus volatilibus*, quæ pariter tum non quadrant, ſi quantitas ſanguinis nondum imminuta, nec qualitas correcta eſt.

11. Proſtant quidem obſeruationes, quod *martialia* fluxum menſtruum produxerint; plura autem habemus exempla, in quibus ab illorum vſu ſuppreſſio huius fluxus ſubſecuta eſt. Vnde haud dubie practicorum obſeruatio pullulauit, quod *martialia* modo *obſtruant*, modo *aperiant*.

12. Sed *tempora* ſunt diſtinguenda. Quando enim exhibentur, dum ſanguis circa vterum congeſtus eſt, blandam venæ portæ vaſorumque vicinorum efficiunt ſtricturam, & ſic *ſtringendo aperiunt*, ſeu expreſſionem ſanguinis per vterum promouent.

13. Extra has peculiares circumſtantias *martialia* tam certo

hic

hic nocent, quam ipſa *adſtringentia* ; & licet *laxantia* illis *interponantur*, illa tamen vix ſufficiunt, ſtricturam ſemel inductam relaxare.

14. Symptomata grauiora e. g. anxietates, dolores & phlogoſes intercurrentes, quæ omnibus fere hoc adfectu laborantibus communes ſunt, optime per nitroſa cum cinnabarinis ſociata mitigantur.

15 Aliquando menſes, per aliquot periodos ſuppreſſi, ſolo *nitro regenerato* reſerati ſunt.

16. Tempore *intermedio* ab *emmenagogis* abſtinendum eſt, & diluentia tantum cum aperientibus vsque ad nouam periodum exhibere conuenit.

17. Inter remedia, *ſanguinem* ſucceſſiue attenuantia, & *ſeri* mucorem reſoluentia, optime ſe gerit *ſuccinum* & eius eſſentia.

18. Non minus etiam *eſſentia* alexipharmaco-diuretica *Stahlii*.

19. In ſeroſioribus inprimis conducunt *radices ari, petaſitid. leuiſtic.*

20. *Specifici* aliquid habet *ſabina*, indeque parata *eſſentia*; *oleum* autem deſtillatum nimium efficax ad ſtimulandos conatus, & proinde cautius adhibendum eſt. *Vid. num.* 24.

21. *Artemiſia* longe effœtior eſt, nec, niſi in magna copia, aliquid præſtat.

22. Herba *perſicariæ*, ſub calcaneis geſtata, alicuius efficaciæ deprehenditur.

23. *Myrrha* ad *diluendum* & *attenuandum* non commendatur: ſanguinem enim non ſolum reſoluit & attenuat, ſed etiam in *fundendo* illo valde efficax eſt, & maiore præcipue doſi adhibita, eumdem inſigniter commouet. Cauendum ergo, ne ſanguis prius, quam dilutus eſt commoueatur.

24 *Olea deſtillata* ſanguinem vehementiſſime commouent: abſit igitur illorum vſus, vbi ſanguis adhuc ſpiſſus eſt, & viæ nondum ſatis præparatæ ſunt; immo vix vnquam neceſſarium eſt, vehementia talia in vſum trahere: nam

methodus *lenior*, ſupra commendata, plerumque ſufficit; niſi inſignis cachecticus ſtatus aut diætæ vitium concurrat.

25. Fluxui *menſium*, præ omnibus aliis hæmorrhagiis, proprium quaſi eſt, conſueta loca relinquere, & alia eligere: hinc præſente illo ab omnibus *reuellentibus*, ſiue internis, ſiue externis abſtinendum eſt, e. g a venæ ſectione in brachio. Ex hiſce conſiderationibus reiicitur etiam *cucurbitula* mammis adponenda, quam *Hippocrates* ſect. V. aphor. 50. menſtruis cohibendis deſtinat.

26. Fluxus quando ſemel reuocatus eſt, ſollicite nôua illius ſuppreſſio præcaueatur, multo enim pertinacius in ordinem poſt ea redigitur.

27. *Diæta* ſit euchyla; abſtinendo a cibis craſſis & acidis: potus ſit ſufficiens, corpus bene moueatur, & aluus ſemper ſuccedat.

---

## TABVLA XVI.
### DE
# FLVXV LOCHIORVM ORDINATO ET NIMIO.

I. D*EFINITIO.*

*Fluxus lochiorum* eſt euacuatio ſolis puerperis propria, qua poſt excluſionem fœtus ſiue *legitimi*, ſiue abortiui, ſiue *molæ*, ſincerus ſanguis prioribus diebus, in tertiam ſubinde hebdomadem peculiari motu tonico per genitalia excernitur. Deriuatur a λοχεύω, parturio.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Fluxus lochiorum differt ab illa *ſpeciali hæmorrhagia vteri*, quæ feminis quibusdam plethoricis, vel in matrimonio vel

vel extra illud conſtitutis, poſt menſium ceſſationem obtingit. *Conf. tab. de menſium fluxu.*

2. Fluxus lochialis eſt vel

1) *legitimus*, qui poſt partum, legitime excluſum, contingit, & ſiue *ordinate* & *moderate*, ſiue *nimium* ſuccedit; vel

2) *abortiuus*, qui abortum non tam ſequitur, quam potius illum antecedit, aut ſub actu excluſionis enormiter perrumpit.

3. Suppreſſionem lochiorum tabula ſequens exhibebit.

III. *SIGNA.*

A. *Legitimi.*

1. Excretio *ſanguinis* e genitalibus per 8-10-12-14. immo plures dies, ſtatim poſt fœtus & ſecundinarum excluſionem initium ſumens.

2. Prioribus quidem diebus ſanguis ſtricte dictus, grumoſus, coagulatus, aut ad minimum humor cruentus, larga prorſus quantitate excernitur.

3. Poſt quartum vel quintum diem hæc excretio cum odore graui, nonnumquam plane fœtido, coniuncta eſt.

4. Poſterioribus autem diebus humor loturam carnium refert, & magis magisque flaueſcit, tandem prorſus palleſcit, & vltima excretio lymphatica exſiſtit, quæ neque *coloribus* inſolitis, neque *odoribus* fœtidis inquinata deprehenditur.

5. Hæc omnia *ordinarie* ſucceſſibus *moderatis* & *proportionatis* ſuccedunt, vt fluxus ſub initium *largiter*, ſucceſſiue autem ſenſim *moderatius* ſequatur, donec tandem prorſus ſubſiſtat.

6. Quando autem *ſecundinæ* diutius retinentur, aut portio illarum auulſa in vtero reſtitat, vel aliæ accidentales cauſſæ accedunt, e g. quando puerpera diu quieta cubat, & effuſus in vterum ſanguis in fruſta coagulatur, tum fluxus lochiorum facile *excedit*, & varia ſpaſtica incommoda in abdomine, & in primis circa vterum oriuntur.

 B. *Ab-*

B. *Abortiui.*

1. Conſpicua *grauiditatis* indicia, quæ antecedunt, videantur *tabul. de affectibus grauidarum.*
2. Ante, quam *abortus* excluditur, ſanguis ordinarie leniter & modeſte profluit, deinde autem contumaci motu & enormi copia effunditur.
3. Vel *ſtatim* ſub initium cum tali violentia erumpit, præcipue quando feminæ ſunt vel plethoricæ & largis menſtruis purgationibus adſuetæ, vel corporis & animi inſignes commotiones præceſſerunt.
4. Hanc ſanguinis profuſionem largam ſequitur ipſius abortus excretio, ſiue prorſus immaturi, ſiue maturioris, ſiue alius concrementi ſeu molæ. Coniunctis plurimum anxietatibus, lipothymiis & ſyncopticis deliquiis, nec non ſpaſticis in abdomine doloribus.
5. Vbi autem abortum aliquoties perpeſſæ ſunt, ibi negotium minore difficultate & paucioribus incommodis ſuccedit.

IV. *SVBIECTA.*

1. Fluxui lochiorum *ordinato* obnoxiæ ſunt omnes puerperæ, quæ partum legitimum excluſerunt.
2. *Nimium* autem fluxum facile incurrunt
   1) plethoricæ.
   2) temperamenti præcipue cholerico melancholici.
   3) quæ inſignibus animi pathematibus, inprimis iræ, obnoxiæ ſunt.
   4) Porro quæ de vinoſa & aromatica diæta gaudent.
   5) Quæ fluxum menſium antea *nimium*, vel tamen notabiliter *largum* habuerunt.
   6) Nec venam ſecandam tempore geſtationis decente modo curarunt.
   7) Quæ a laboribus liberæ viuunt.
3. *Abortiuo* fluxui obnoxiæ ſunt, quæ aliquoties abortum iam excluſerunt, aut in puerperio, proxime prægreſſo, minus recte expurgatæ ſunt.

V. CAVS-

V. *CAVSSAE.*

A. *Fluxus legitimi & moderati.*

1. Huius cauſſa eſt omnino *plethora*, quam prouida natura opportuna hac occaſione imminuere intendit.

2. Licet enim *abruptio ſecundinarum* a tenerrimis ramulis capillaribus vterinis cauſſa occaſionalis vtique habenda ſit, docent tamen vniuerſæ circumſtantiæ, quod hic fluxus magis *actiue*, quam paſſiue conſiderari debeat. Nam

1) Fluxus ſanguinis minorum vaſorum *paſſiuus* in vulnere tantum *crudo* & nihil *alterato* contingit; nemo autem hanc vulnerationis vteri ſpeciem tam diu crudam & nihil vsquam mutatam ſibi perſuadebit. Immo

2) reliqua *vteri* ſubſtantia, ne per ſuperficiem quidem totam, nedum profundius hac vulneratione adfecta eſt, ſed ſolum in ſubtiliſſimorum vaſorum extremitatibus. Hinc

3) horum vaſorum ſubtilium libertas, facta fœtus excluſione, vterique ſubſidentia, & ſtrictura ſatis promte accedente, potius opprimitur; prout hoc in aliis vulneribus profundioribus tenuiorum ramificationum euenit

4) Inprimis autem *actiuam* huius fluxus indolem illuſtrat proportionata illa & moderata, per plures dies continuans, ſenſim ſenſimque deficiens *excretio*, quale quid in nulla hæmorrhagia paſſiua, a ſolutione continui orta, obſeruatur. Tandem

5) hic ipſe fluxus facile per diætam, terrorem, refrigerationem tam internam, quam externam, imminui poteſt aut ſupprimi. Quæ ſane cuncta ſatis confirmant, cauſſam non ſimpliciter a paſſiuo ſanguinis lapſu, ſed potias ab actiua excuſſione dependere; id quod clarius & magis confirmat fluxus *abortiuus*.

B. *Legitimi nimii.*

1. Cauſſam generalem cum ordinario fluxu eamdem agnoſcit.

2. Cauſſæ *occaſionales* præcedente membro in *ſubiectis* plurimum indicatæ ſunt.

3. His

3. His adhuc adiicimus
   1) *ſecundinarum* deficientem excretionem.
   2) Vſum *pellentium* & ſanguinem fortiter commouentium, ſub partus difficili excluſione.

C. *Abortiui.*

1. Sanguis ſuperfluus valdeque moleſtus, ſiue per animi pathemata ſiue per alias occaſiones vehementer commotus, ad abortum diſponit.
2. Si vero aliquoties abortus iam contigit, cauſſa magis in *moralibus*, quam phyſicis rebus quærenda eſt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Fluxus lochiorum, *legitime* ſuccedens, inſignis eſt *vtilitatis*; deficiente autem illo, plura incommoda ac grauia pericula inferuntur. *Vid. tabul. ſequens de ſuppreſſione lochiorum.*
2. Præ omnibus aliis hæmorrhagiis hic fluxus *exceſſui* expoſitus eſt: præcipue quando ſecundinæ aut portiones tantum illarum remanſerunt. In hoc enim caſu non prius, quam excreta ſunt retenta, obtineri poteſt mitigatio.
3. Lochia quando *mediocriter* tantum excedunt, minus quidem periculum minantur; quando autem *prodigioſe* & cum impetu ſanguis effunditur, ægrotantis vires intra paucas horas inſigniter exhauriuntur, immo penitus conſumuntur. Denique
4. *Ingentes* huiusmodi profuſiones lochiales, qui ſibi relinquuntur, longe minora incommoda poſt ſe trahunt, quam illæ, quæ incongrua arte cito ſupprimuntur.
5. Quo immaturior abortus a tertio menſe exſiſtit, eo grauior hæmorrhagia excluſionem illius ordinarie comitatur. Et hoc phænomenon clarius docet, cauſſam non ſimpliciter a paſſiuo ſanguinis lapſu ſed ab actiua excusſione dependere.
6. Licet ſanguis multo impetu non procedat, non exiguæ tamen eſt conſiderationis, quando diu continuat aut per breuia interualla recurrit. Nam vterus non ſatis expurgatur; vnde poſtmodum grauis menſium perturbatio, & no-

& nouus facile abortus, vel ſterilitas, aut certe infelicior geſtatio ſuccedit; ante omnia vero febres acutas, inflammatorias, tum etiam torminoſos, ſpaſticos vteri & meſenterii adfectus producit.

7. Vbi ſanguis *copioſe* iam profluxit, ibi abortus nulla ratione impediri poteſt; licet optima *cohibentia* & *roborantia* adhibeantur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Fluxus lochiorum *moderatus* nulla quidem indiget medicatione, ad præcauendos tamen ſiue exceſſus, ſiue defectus, aliaque ſymptomata præoccupanda, pilulæ *Stahlianæ*, per nouem priores dies quotidie ad gr. XV. propinari poſſunt. Quando autem vſitatiſſimo more *crocum* vel in cibis vel in *eſſentia* adhibere placet, neceſſe eſt, vt moderatiſſimis doſibus & paucis guttulis vtamur.

2. Fluxus autem *nimius* eadem fere methodo, qua nimius fluxus *menſium*, tractatur, nempe

1) exhibentur ter per diem remedia, quæ *orgaſmum* ſanguinis temperant, videlicet *abſorbentia* & *nitroſa* cum pauca *cinnabari* combinata.

2) Verſus noctem autem doſis pilularum *Stahlii* porrigitur, & hac ratione quotidie continuatur.

3) His non ſufficientibus ab aliis remediis operæ pretium vix exſpectandum erit; probari tamen adhuc poſſunt *mitiora cohibentia* & *lenia anodyna*, e. g. ſpec. de hyacinth. coralliata, crocus mart. antimoniat. tenerior, tinctur. vitriol. marr. *Ludouici*, item M. P. de cynogloſſa, trochiſc. de carabe, *millefol.* ſiue in forma infuſi ſiue extracti ad gr. I-II. pro doſi. Porro *caſcarilla*, geſtatio *bufonis* exſiccati. Quod ad diætam attinet, potus bene defœcatus, cum tantillo citri vel nuc. moſchatæ mixtus vtilis eſt.

4) Quando conſtat, quod *ſecundinæ* vel in totum vel ex parte reſtitent, vſus pilul. *Stahlii* tanto magis commendatur. Poteſt etiam illarum excluſio promoueri per *hepar anguillæ*, ad ſcrup. I. cum potione *analeptica* propinatum.

3. *Fluxus abortiuus* eamdem expoſcit medicationem, quam *nimius*: vbi enim profuſio ſanguinis præſentiſſimum lethalem exitum minatur, & lipothymici adfectus ſuperueniunt, ibi ſpectatorem otioſum agere non conuenit, ſed excluſio fœtus vel molæ quantocyus promouenda eſt per doſin pilularum *Stahlii*, quæ prius ſolui & poſt 12. horas, ſi neceſſarium erit, repeti poteſt. Quando autem pilulæ hæ ad manus non ſunt, *hepar anguillæ* vſurpari debet.

4. *Abortu* cum *ſecundinis* rite excluſo mitigatio fluxus tentetur per remedia *temperantia*, orgaſmum ſanguinis ſiſtentia, & lenia adſtringentia: coniuncto vſu pilularum *Stahlii*.

5. Hæmorrhagia tandem ſedata propinentur diſcutientia interna, v. g. *mixtura* tonico-neruina *Stahlii*, vel *eſſent. alexipharmaca* cum eſſent. *millefol.*

6. Ad fluxum lochiorum *nimium* præoccupandum commendantur

   1) *Venæ ſectio* in brachio aut pede circa medium geſtationis tempus adminiſtranda, immo ſi reliquæ circumſtantiæ exigere videntur, etiam circa *inſtantem* partum repetenda.

   2) *Ligatura* abdominis poſt legitimam fœtus & ſecundinarum excluſionem.

   3) Quieta & tranquilla *animi* ac *corporis continentia*, inprimis abſtinentia ab adfectata illa orthoſtadia & multis ſermocinationibus.

7. Ad nouum abortum præcauendum commendatur

   1) *Vteri expurgatio* ope pilularum *Stahlii*, ſtatim poſt illius excluſionem per plures dies propinandarum.

   2) *Venæ ſectio* congrua circa illud tempus, quo antea abortus excluſus eſt.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Puerperæ tamquam *vulneratæ* merito conſiderantur, quibus ex *leuiſſimis* cauſſis febres inflammatoriæ accedere poſſunt. Hinc a remediis, ſanguinem fortiter *commouen-*

*uentibus*, quouis modo abſtinendum, & quidem in ipſis adeo phlegmaticis, nedum ſanguineo-plethoricis.

2. *Adſtringentia*, quæ motus ſalutares, excluſionem reſpicientes, opprimunt, quantum vmquam fieri poteſt, euitentur. Quando autem vrgente caſu neceſſaria iudicantur, parcius adhibenda ſunt: interpoſitis temperantibus & diapnoicis, ne febres inflammatoriæ accedant, vel hydrops aut hectica ſubſequatur.

3. In omnibus hæmorrhagiis, in quibus *nimium* factum eſſe videtur, *alexipharmaca* moderata locum habent.

4. *Aluum* prouocare per communia laxantia non decet. Quando itaque *pilulæ Stahlianæ* deſunt, *clyſteres* emollientes commodiſſime adhibentur.

5. Sæpe obſeruatum eſt, quod *pilulæ Stahlianæ*, per nouem dies exhibitæ, prioribus ne vnicam quidem ſedem produxerint, puerperæ autem fluxum lochiorum ad vota & cum optima euphoria habuerint. Quod ſane negotium, recte penſitatum, ſatis demonſtrat, pilulas haſce nullam naturæ vim inferre, ſed illius *intentioni* apprime reſpondere.

6. Idem etiam obſeruare licet, quando pilulæ *Becheri* genuinæ puerperis, modo non adeo ſenſibilibus, offeruntur.

7. Pro reſtaurandis viribus *analeptica* locum habent: pro quo ſcopo in adſuetis *potus vinoſus* non reformidandus eſt. Conducit etiam *vſus vini medicus*, nempe cochlear vnum vel alterum vini Canarienſis, Maluatici, Hiſpanici, ſubinde exhibendum, vt & lacticinia, emulſiua, pultacea, amygdalata.

8. *Species de hyacintho* in omni nimio fluxu merentur laudari; nam præter virtutem tonicam, quam habent, & ſubadſtringentem, *analepticum quid* ſimul fouent.

9. Exſulent remedia valde *incraſſantia, narcotica* vulgaria & acria externa *repellentia*.

10. Iactura ſanguinis quando contigit inſignis, caueant ſibi ægræ non tantum ab *animi* & *corporis*, verum etiam *ſen-*

*ſuum commotionibus* e. g. a limpida & ſplendida luce, oculis nocente.

11. *Potus* magna circumſpectione puerperis porrigendus eſt: *calidus* enim, multo magis autem *frigidus*, facile tormina & flatus poteſt excitare. Hinc *tepidus* tantum offeratur, refracta, ſed ſufficiente, portione.

12. Magis proſunt decocta *hordei* decorticati, *auenæ* decòrticatæ, *iuſcula tenuia*, cum ſufficiente conditura aromatica; addito non niſi momento *macis* ſeu nuc. moſchat. *iuſcula vinoſa*, poſtquam partes ſpirituoſæ in vaſe aperto per lenem coctionem quodam modo auolarunt; addendo dimid. part. aquæ fontanæ, modicum ſacchari, vitellum oui, paucum boni butyri, & tantum *croci*, quantum iuſculum moderate tingendum requirit. Et hæc quidem omnia in ſtatu lochiorum ordinato & moderato.

13. Potus *cereuiſiæ* fermenteſcentis puerperis non conducit.

14. *Abortus* quando contigit, ſoli naturæ negotium non relinquendum eſt, quia non ſemper ſufficit vtero recte expurgando. Vnde non raro poſtea nouus abortus exoritur; ad quem præcauendum tanto magis ſollicite ea obſeruentur, quæ ſub *methodo* commendata ſunt; in primis motus corporis *moderatus* ad æqualem ſanguinis diſtributionem multum confert; contra onerum geſtationes grauiores nocent.

15. Ceterum, dum non leges tantum diuinæ, ſed & multæ conſiderationes phyſicæ thori vſum præmaturum puerperis interdicunt, optandum eſſet, vt, qui Chriſtiani audiunt, intra illos ad minimum limites, quos modeſti ethnici tranſcendere erubuerunt, ſe continerent.

16. Conferatur *tabula de adfectibus puerperarum*.

# TABVLA XVII. DE SVPPRESSIONE LOCHIORVM.

I. DIFFERENTIA.

Suppreſſio lochiorum eſt vel

1. *Completa*, quando nullus ſanguis excernitur; vel
2. *Incompleta* ſeu *imminuta*, vbi fluxus in aliis quidem periodum ſuam per 8. 10. 12. dies ſeruare ſolet, ſed tam impedite tamque *parca* quantitate ſanguis prouenit, vt pro tali fluxu vix poſſit reputari; in aliis autem ſubito ante terminum conſuetum plane ſupprimitur.

II. SIGNA.

1. *Completa* ſuppreſſio per ſe conſtat.
2. *Imminuta* autem illa habenda eſt excretio, quæ a norma, quam *tabula de fluxu lochiorum* ſub *ſignis* indicauimus, deflectit.
3. In diiudicanda autem *imminuta* excretione diſtinguenda ſunt temperamenta & reliquæ puerperarum conſtitutiones, ſecundum quas fluxus lochiorum variare ſolet, e. g.
   1) Quæcumque feminæ *largiorem* fluxum *menſium* extra impraegnationis tempus habuerunt, illæ etiam *lochia* largiora experiri ſolent.
   2) Quibus autem menſes *parcius* fluxerunt, in illis etiam fluxus *lochiorum* non ita copioſus eſt exſpectandus.
   3) Reſpicienda etiam ſunt lochia *prægreſſa*, nam ad horum indolem ſuccedentia plerumque accedunt.
4. Manifeſta tandem huius fluxus imminuti aut ſubito ſuppreſſi ſigna ſunt
   1) *abdomen* tenſum, durum & tumidum cum variis ſpasmis, torminibus & anxietatibus.
   2) *Senſus* doloris grauantis, tendentis & lancinantis, infimum

mum ventrem, lumbos & inguina occupantis; coniuncto ardore ac pulſatione.

III. *SVBIECTA.*

Suppreſſioni lochiorum ſiue *completæ* ſiue *imminutæ* præ aliis obnoxiæ ſunt

1. *plethoricæ*,
2. Quæ ſunt *temperamenti ſanguinei*, laxo corporis habitu, exiguisque *venis* inſtructæ.
3. Quæ *mærori*, *timori* & *terrori* valde obnoxiæ.
4. Item quæ turbatam aut plane ſuppreſſam purgationem menſtruam antea expertæ ſunt.
5. Denique quibus cauſſæ aduentitiæ ſubſequentes ſuccedunt.

IV. *CAVSSAE.*

A. *Internæ.*

1. *Motus tonicus* alteratus, quo vel ipſa vteri textura, vel exitus eiusdem rigide occluditur.
2. *Orgasmus* abundantis ſanguinis, qui ad ſuppreſſionem multum contribuit; neque obſtat, quod & *nimii* fluxus cauſſa interdum eſſe ſoleat.
3. Licet enim plethora *ſimplex*, nedum cum *ſpiſſitudine* quadam coniuncta, hæmorrhagias quaslibet impedire poſſit, minor tamen illius eſt efficacia, quam ſi plethora *commota* concurrit, & vaſa turgida conſpiciuntur.

B. *Externæ* & *aduentitiæ.*

1. *Refrigeratio* corporis & *potus frigidus*.
2. Remedia *pellentia*, quæ ad partum excludendum adhibita fuerunt.
3. Abuſus *calidorum* remediorum: quando enim talia pro lochiis *imminutis* adhibentur, *completa* facillime ſuppresſio producitur. Huc pertinent *myrrhata*, *crocata*, *ſalia volatilia*.
4. *Animi pathemata*, præcipue *terror* & *iracundia*, per quam ſanguis ad orgaſmum inſigniter concitatur.
5. *Immodici* & *præmaturi* puerperarum *labores ad partum*, a quibus expanſio ſanguinis etiam notabiliter producitur.

V. *PROGNOSIS.*

1. Nulla datur hæmorrhagia, *cuius* defectus tam *præſentia*, & tam

tam preſſo pede *ſuccedentia* pericula ac damna certo adfert, quam ſuppreſſio fluxus lochiorum; maxime vero quando ſubito & repente facta eſt.

2. Illa quidem ſuppreſſio ſeu imminutio, quæ ex *abundantia* ſanguinis, cum *ſpiſſitudine* qualicumque coniuncta, originem ſumit, *mitiores* conſecutiones habet, nempe

1) anguſtias præcordiorum.
2) inquietas corporis agitationes,
3) capitis dolores.
4) adpetitus proſtrationem.

3. Quando autem ſuppreſſio lochiorum ab *orgaſtica* ſeu turgida ſanguinis commotione dependet, tum *grauiora* pathemata producuntur, nempe

1) *febres* acutæ, inflammatoriæ, præcipue exoritur in quibusdam regionibus *purpura miliaris* cum manifeſta ſæpius malignitate.
2) *Congeſtiones* & *ſtaſes* circa caput, vnde deliria, anginæ, aphthæ, it.
3) Adflictiones *ſuffocatiuæ*, *ſyncopticæ*, ſumme *cardialgicæ*, vomibundæ aut hæmato-emeticæ ſequuntur, quæ vel præcipitem ſortiuntur exitum, vel chronicum morbum conſtituunt e. g. hecticam, cachexiam, colicam conuulſiuam, tympanitem, aſcitem.

4. Sed hæc pathemata, quæ *præſente* tempore producuntur, non ſufficiunt: ſæpe enim contingit, ante omnia poſt *abortum*, vt lochia, cito ſuppreſſa, in *futurum* etiam damna ſua extendant, nempe

1) in *vtero* facile coagula, concrementa, vlcerationes relinquuntur.
2) quæ *nouam* in poſterum *conceptionem* vel impediunt, vel
3) factam conceptionem non parum turbant, dum fœtui nutrimentum ſubripiunt, & nouo facile abortui anſam præbent.
4) His incommodis plerumque accedunt *menſium ataxiæ*, *ſtabiles inflationes* abdominis, & varii ſpaſtici hypochondriaco-hyſterici adfectus.

5) Qui

5) Qui tandem tranſeunt in conuulſiones epileptico-hyſtericas, vel motuum ſyncopticas omiſſiones.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Vbi lochiorum tantum *imminutio* præſto eſt, ibi

1) *interne*, leniter *ſtimulantia*, moderatiſſimis tamen doſibus, adhiberi poſſunt. e. g.

Recip. eſſent. myrrh.
ſuccin.
ſcord. ana drachm. I.
croc. ſcrup. I. M. doſis 20 25. gutt. bis per diem exhibenda.

Coniungi hic poſſunt diluentia, infuſa, iuſcula vinoſa parcius crocata: in *robuſtis* quoque *elixir. proprietat.* item eſſent. alexipharm. cum pauca portione eſſent. meliſſæ, cinnamomi, pulegii remixta.

2) *Externe* cataplasmata aut *ſacculi* ex temperatis vegetabilibus reſoluentibus, neruinis & roborantibus adhiberi poſſunt; additis oleis lenientibus & paullulum camphoræ, croci orientalis, caſtorei.

Item *pediluuia* & *fomenta* moderate vaporoſa ex herbis neruinis temperatis.

2. Quando autem lochia prorſus ſuppreſſa ſunt, circumſpectio experimentis probata vix vmquam concedit, fluxum *directe* & per ſtimulantia reuocare. *vid. cautel.* minime omnium, ſi ſuppreſſio iam per aliquot dies durauit.

3. Conuenit potius ad cauſſas huius ſuppreſſionis, præcipue vero ad *orgasmum* ſanguinis reſpicere, & aeſtuationes *febriles* præoccupare. Huic ſcopo inſeruiunt *pulueres febriles* nitroſo-temperantes, & *potiones* diapnoicæ ex aquis deſtillat. e. g. plantag, card. benedict. flor. ſambuc. ſcabioſ. vlmar. paratæ. it. iuſcula pinguia, decocta gelatinoſa & emulſiua.

4. *Aluus* ſemper ſit libera, & vrgens quando adeſt plethora, moderata *venæ ſectio* ſtatim in pede inſtituatur.

5. *Febris* ipſa ſi accedit, iidem pulueres & eædem potiones diapnoicæ conducunt, neglecta illa, circa *nitri* vſum, tor-

formidine vulgari. *Confer. cautel. & tabul. de adfectibus puerperarum.*

6. Poſt puerperium menſes in illis, quæ vel lactare non poſſunt, vel peruerſe nolunt, promouendi ſunt, per remedia ſuo loco indicata.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Pilulas Stahlii*, vel etiam *Becheri* genuinas, qui dextre poterit adhibere, omnibus aliis ſtimulantibus & pellentibus, vtpote minus fidis ac tutis, commode ſuperſedebit.

2. Quando lochia *plane* ſupprimuntur, numquam Medicus in animum inducat, per *pellentia* & alia *calida* remedia fluxum reuocare, quia negotium hoc non ſolum difficillime ſuccedit, ſed & variis periculis expoſitum eſt.

3. Quæ cautela tanto magis eſt obſeruanda, quanto frequentius contra eamdem inſignes committuntur errores, dum febrilia calida, aloëtica, myrrhata, & ſic dicta vterina promiſcue exhibentur.

4. Damna, quæ inde redundant, communia ſunt illis, quæ *tabula de ſuppreſſione menſium*, per eadem pellentia tractata, indicauimus: nempe obſtructio vel augetur cum grauioribus abdominis pathematibus; vel, ſi omnino fluxus iterum erumpit, facile tamen febres inflammatoriæ vterinæ ſuccedunt.

5. *Opiata*, quæ ad ſedanda tormina colica, & ſpaſmos abdominis compeſcendos, quibusdam in vſu ſunt, lochia prorſus ſupprimunt, & adflictionem adaugent.

6. Per *venæ ſectionem* lochia reuocare velle, ſecundum conſilium per vulgus notum, nullo modo poteſt commendari.

7. Licet enim in quibusdam indiuiduis plethoricis, quæ tempore medio geſtationis venæ ſectionem non admiſerunt, excretio talis artificialis nonnumquam vtiliter poſſit adhiberi, hoc tamen conſilium circumſpectioni Medici eſt relinquendum; qui vero, quo magis ſanguis *qualitate* peccat, eo minus per eamdem optatum ſucceſſum obtinebit.

8. Metus ille vulgaris, quod *nitrum* ob exſpectandas diarrhoeas, puerperis periculoſas, tuto non poſſit adhiberi, ſufficiente in contrarium experientia, ſatis iam eſt ſublatus. In *modico* hic conſiſtit virtus: ad *ſex* enim circiter *grana* nitrum exhibitum tantum abeſt, vt diarrhoeas prouocet, vt potius illas praeoccupare & ſedare ſoleat.

9. *Eſſentia ſuccini non alcaliſata*, ſed *alcoholiſata*, ſeu per ſolum ſpiritum vini rectificatiſſimum ſine ſalibus parata, & cum pauciſſima portione *eſſentiæ croci* combinata, parcius & repetitis doſibus adhibita, extra commotiones febriles, vſu ſuo non caret.

10. In *orgaſtico* ſanguinis ſtatu abſorbentia egregie ſe gerunt. Temperant autem nimiam hanc ſanguinis exagitationem non tam *abſorbendo*, quam potius *interponendo*: quilibet enim motus inteſtinus ſanguinem reddit ſubtiliorem; quando autem craſſiuſcula abſorbentium corpora interponuntur, effectus ille reſoluens & turgidus impeditur.

11. *Diætam*, puerperis conuenientem, *tabul. de fluxu lochiorum* iam indicauimus, *conf.* etiam *tabul. de adfectibus puerperarum.*

12. Speciatim adhuc notandum, quod in fluxu lochiorum *tantum imminuto* parciſſimus *croci* vſus, ad leuem iuſculorum tincturam adhibitus, extra commotiones febriles vtiliter adhiberi poſſit; vti ſub *methodo* paucis iam dictum eſt.

13. Sic etiam modicus *generoſi vini* vſus, praecipue in adſuetis ſiue iuſculis, ſiue potionibus ſumtus, non ſolum a periculo hic alienus eſt, verum etiam aliquem adhuc effectum ad fluxus impediti promotionem praeſtare ſolet.

14. Regimen tandem non ſit anxium & æſtuoſum, omnesque irritationes ad euacuationem aluinam hic euitentur.

# TABVLA XVIII.

# DE CONGESTIONIBVS COMPLETIS GENERATIM.

I. **D***EFINITIO.*

*Congeſtio* eſt ſpecialis directio ſanguinis, a natura ope motus tonici verſus loca peculiaria copioſius & hunc quidem in finem ordinarie collecti, vt per hæmorrhagiam ibidem euacuari, & illius abundantia hac ratione imminui debeat.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Indoles horum adfectuum optime exprimitur per vocem *congeſtionum*; hac enim aliquid actiui deſignatur. Contra vocabula *regurgitationum, ſtagnationum, ſtaſium, obſtructionum*, quæ his in morbis vulgo adhibentur, & paſſiuam ſignificationem habent, neruum rei non attingunt.
2. Congeſtiones enim *actiuam* ſanguinis compulſionem ad certa loca hæmorrhagica deſignant. Hinc differunt
   1) A *ſtagnationibus*, in quibus progreſſio ſanguinis in partibus ſiue poroſis ſiue vaſculoſis ita impeditur, vt licet ſimpliciter nondum ſubſiſtat, tam copioſe tamen refluere non poſſit, quam quidem adfluit.
   2) A *ſtaſibus* & *obſtructionibus*. Nam in his non tantum motus progreſſiuus, ſed & qualitas humorum inſigniter alteratur; in congeſtionibus autem, qua talibus, horum neutrum contingit.
3. Congeſtiones ſunt
   1) Vel *ſimplices, completæ* & *directe hæmorrhagicæ*, in quibus ſanguis verſus talia loca reſtringitur, quæ ad illius perruptionem & effluxum apta ſunt, e. gr. verſus nares, pulmones, ventriculum, vterum, inteſtinum rectum.

2) Vel *incompleta, latius ſe extendentes & diuagantes*, quæ *rheumatiſmi* nomine veniunt, & in quibus ſanguis verſus easdem quidem regiones & in eumdem finem hæmorrhagicum congeritur; quoniam autem *eminus* tantum & in loca, quæ a viis hæmorrhagicis longinque diſtant, congeritur, perruptio illius non poteſt exſpectari. Contingunt autem incompletæ tales congeſtiones in *rheumatiſmis ſtricte dictis*, in adfectibus *arthriticis* & in omnibus ſic dictis *frigidis catarrhis*.

4. Congeſtiones differunt porro ratione *loci*.

1) In *iunioribus* enim *caput*,

2) *Media* ætate *pectus*,

3) *Conſiſtente* autem ætate *abdomen*, videlicet renes, ventriculus & hæmorrhoidalia loca, ordinarie ab iisdem infeſtantur.

5. Tandem congeſtiones differunt ratione *effectus* & *euentus*,

1) Vel enim *veri ſanguinis* euacuatio ſuccedit.

2) Vel ſi ob materiæ qualitatem aut colatoriorum conſtrictionem *toti* maſſæ ſanguineæ *altior* aditus non conceditur, *tenuiores* tantum illius portiones euacuantur. Vnde effectus *feroſo mucidus, catarrhalis* dictus, vel *feroſo-ſalſus* & *corruptioni vlceroſæ* propinquus emergit. Germani vocant: ſcharffe ſaltzige Flüſſe. Huc pertinent coryza, tuſſis humida, aſthma humidum. Has congeſtionum ſpecies *bechicas* vocare ſolemus.

3) Quando autem plane nulla euacuatio ſuccedit, humores congeſti vel ſenſim iterum diſcutiuntur, vel in ſtagnationem & ſtaſin deducuntur. Vnde varii effectus *inflammatorii* & *ſuppuratorii*, vel pro materiæ & locorum diuerſitate *œdematoſi*, *glanduloſi* & *ſcirrhoſi* ſequuntur.

III. *SIGNA*.

Hæc deſumuntur ab *effectibus* congeſtionum.

1. In partibus enim *adfectis* obſeruantur

1) Infarctus, inflationes & diſtenſiones vaſorum, ita quidem, vt & exiliſſima vaſcula, quæ viſum alias effugiunt, turgida ſæpius adpareant.

2) *Do-*

2) *Dolores* opplentes, tendentes, grauantes.

3) Quando autem altius & acrius ſeſe exſerunt congeſtiones, accedit *rubor* & *calor* præter naturam, & dolores obſeruantur acuti, lancinantes, fremebundi, pungentes, pulſui reſpondentes.

4) Quam primum autem euacuatio ſanguinis ſequitur, plurima hæc incommoda cito ſæpius euaneſcunt; id quod nonnulli ægrotantes ipſi præſagiunt dicendo: Wenn nur das Bluten käme, ſo ſolte der Kopf bald leichter werden.

5) *Hæmorrhagia* autem non ſuccedente complicantur facile tumores, acuti dolores, inflammationes, immo vlcerationes manantes.

2. In partibus *remotis* occurrit

1) conſtrictio ſpaſtica, ita, vt vaſa penitus detumeſcant.

2) Senſus frigoris, immo interdum veræ refrigerationis.

3) Reliqua ſigna e *congeſtionibus* ſpecialibus, quæ *tabulis* ſubſequentibus exhibentur, eluceſcent.

IV. *SVBIECTA.*

Congeſtiones, quamquam frequenter occurrere videantur, non omnibus tamen hominibus eadem facilitate eueniunt, ſed illis præcipue,

1. Qui inſigniter plethorici exſiſtunt.
2. Qui vitæ otioſæ, ſedentariæ & diætæ lautæ dediti ſunt.
3. Qui euacuationibus ſanguinis, ſiue naturalibus, ſiue artificialibus adſueti fuerunt, & iam immunes ab illis viuunt.
4. Huc etiam pertinent, qui euacuationes *ſeroſas*, quas habuerunt, neglexerunt, e. g. fonticulos, ſetacea, veſicatoria.
5. Ceterum non quælibet ætas ad quamlibet, ſed ad illam tantum congeſtionem habet procliuitatem, quæ cum hæmorrhagia, cuiuis ætati competente, habet connexionem.

V. *CAVSSAE.*

1. Fictiones *Veterum* de *electiua miſſione*, quaſi anima vel ſpiritus certas quisquilias ad idonea loca exportent & proiiciant, negotio congeſtionis ſufficientem lucem non accendunt.

2. Interea tamen plus rationis habent, quam *Recentiorum cauſſæ paſſiuæ* fermentationis ſpumeſcentis, ſtaſium & obſtructionum. Vera enim obſtructio eſt accidens ſatis periculoſum, quod tam frequenter in corpore humano contingere, vti quidem congeſtiones, numquam vero ſimillimum eſt.

3. Quamquam etiam negari non poſſit, quod congeſtiones dentur, quæ hæmorrhagiam non reſpiciunt, quodque Recentiorum materia acris, neruos vellicans, modo bilioſa, modo ſalina, in certa quadam regione hærens, ſtimulo ſuo congeſtiones interdum prouocare ſoleat, tanto magis, quando iam verae ſtaſes & corruptiones adſunt: hae tamen congeſtiones non paſſiuæ ſed actiuæ cenſendæ ſunt. Natura enim per adfuſionem humorum acrimoniam temperare, abſtergere vel quamcumque aliam moleſtiam auertere intendit.

4. Præterea acris illa materia non per ſe in tali loco paſſiue colligitur, ſed per prægreſſam qualemcumque aliam congeſtionem ordinarie eo ducitur; id quod in rheumatiſmis præcipue eſt familiare. Et ſic ſiniſter euentus *primæ* congeſtionis prouocat *ſecundam*, quæ primam exacerbat.

5. Interea tales congeſtiones, quæ vel materiæ acris temperationem vel alia moleſta auertenda reſpiciunt, longe rariores ſunt, quam congeſtiones ſimpliciter *hæmorrhagicæ*.

6. Et ſic pro primaria cauſſa *materiali* congeſtionum accuſamus *plethoram*, præcipue inſigniter *commotam*.

7. Pro cauſſa *ſpecialiore* habemus difficultatem ſucceſſus hæmorrhagiæ. Quando enim vel ob humorum ſpiſſitudinem vel ob viarum ſtricturam ſanguis ſtricte dictus non poteſt euacuari, tum vel portio tenuis ſeroſa tantum excernitur, vel plane nulla euacuatio contingit.

8 Cauſſa *efficiens* eſt intentio naturae ad ſanguinem abundantem exonerandum.

9. Cauſſae *occaſionales externæ* ſunt
1) Exagitatio impetuoſa.
2) Inſolitus vini potus.
3) Aer humido-frigidus, non raro etiam humido-calidus.

4) Spe-

4) Speciatim quando ſolis aeſtus capiti, parum tecto, diu admittitur.

5) Item hypocauſta humilia, cum primis proxime terram ſita, vbi pedes & crura frigore, caput autem calore adficitur.

10. Reſtat, vt de *cauſſis dolorum* nonnulla adiiciamus, qui vel ab *actibus* vel ab *effectibus* congeſtionum dependent, ſeu vel *ab* ipſa congeſtione, vel *per* & *propter* illam excitantur.

1) *Ab* ipſa congeſtione oriuntur

a) Vel *materialiter*: Quando enim materia congeſta *ſtagnans* eſt, ſub mora ſua format *calores*, *ardores*, *pruritus*; & quando in *ſtaſin* deducta, eoque ipſo corruptionibus obnoxia eſt, tum *uſiones* & intolerabiles *ardores* ad vlcerationem vsque efficit.

b) Vel *formaliter*, nempe ab ipſo actu congeſtionis. Ab hoc dependent ſenſus *infarctuum*, *tenſionis*, *grauitatis*, immo *frigoris* & *ſtuporis* cum ſubſequente ſenſu illo fremebundo *dormitionis*.

2) *Per* & *propter* congeſtiones veniunt dolores, dum peculiaris reniſus ſeu actus reciprocus expulſorius, diſcuſſorius & repulſorius a natura per actiuam ſtricturam in parte adfecta diſtenſa ſuſcipitur, vt vel effectus congeſtionis promoueri, vel metuenda ſtaſis præoccupari & moleſta partium ſolidarum diſtenſio auerti debeat. Oriuntur hinc motus *ſpaſtici contentioſi*, præcipue per fibras ſingulares, & ab his dependent *punctiones*, *lancinationes*, *vellicationes*, *tractiones*, torſiones, immo vibrantes, palpitantes & fremebundæ commotiones.

3) Paucis: omnes dolores dependent vel ab acuta actiua *tenſione*, vel a *calore* inſigniter aucto, vel a vera & ſine tropo dicta *acredine ſalina rodente*. Acerrima autem dolorum ſpecies eſt illa, quæ a tenſione originem ducit: cuius rei verum documentum eſt *tortura*, quæ ſecundum *Hildanum* podagricos dolore ſuperat & profligat

VI. *PRO-*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Apparatus congeſtionum non raro maior eſt, quam deſtinatus illarum finis requirit. Hinc varii ſiniſtri effectus *ſtagnationum*, *ſtaſium* inflammatoriarum & *corruptionum* oriuntur; de quibus ſub *ſignis* iam diximus & tabulis ſequentibus per ſpecies fuſius dicetur.

2. Interdum etiam *ſtupores* & *paralytodea* debilitates partem adfectam occupant; quæ tamen mitioris ſunt prognoſeos, quam veræ paralyſes.

3. Quo minus euacuatio *hæmorrhagica*, quam natura reſpicit, obtinetur; eo pertinacior eſt congeſtio, & eo maiora incommoda ſpaſtica & dolorum inde ſunt exſpectanda. Hinc congeſtio *incompleta rheumatica* difficilius curatur, quam *completa*.

4. Congeſtiones, quæ in *pectore* fiunt, grauioribus & acutioribus morbis portam pandunt, quam quæ in capite & abdomine oriuntur. Sanguinis enim euacuatio, quam natura intendit, felicem in pectore exitum obtinere non poteſt.

5. Quæ congeſtiones in *conſuetudinem* iam abierunt, illæ, licet cauſſa materialis ſubtracta ſit, non facile cedunt medicationi, ſed leuiſſimis potius occaſionibus nouam ſcenam ludunt.

6. Congeſtiones, quæ *incongrua ætate* contingunt, periculo non carent.

7. Peruerſæ congeſtionum tractationes, præcipue quæ fiunt per *narcotica* incongrua, per remedia *calida* & *regimen ſudoriferum coactum*, efficiunt vel crebriores paroxyſmorum recurſus, vel morbos maxime irregulares; de qua re ſub tabulis ſpecialibus plura dicemus.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *In paroxyſmo.*

1. *Aluus*, quæ in congeſtionibus ordinarie ſtricta eſt, ſoluatur & ſoluta ſeruetur

1) Vel per blandum *laxans* e. g. rhabarbarinum, pilul. *Becheri* cum extracto ellebori nigri combinatas, magneſiam albam &c.

2) Vel per *clyſterem* emollientem & demulcentem. Hac ratione *reuulſio* quoque humorum a ſuperioribus partibus obtinetur.

2. Nimia *ſanguinis expanſio* & *ſpaſticæ fibrarum* ſtricturæ, quæ ſub motibus congeſtoriis, iisque immoderatis, oriuntur, demulceantur per abſorbentia, nitroſa, cinnabarina, cum diaphoreticis fixis combinata, e. gr. conch. præp. ocul. præparat. nitr. depurat. antimon. diaphoret. cinnab. antimon. vel nativ. Hi pulueres ſæpius per diem repetantur.

3. Quando autem *dolorum atrocia* nimis vrget, tum ad agentis acerbitatem placandam lene *anodynum* dictis pulueribus addatur & ante ſomnum exhibeatur. Laudamus in hunc finem M. P. de cynogloſſa cum cortice caſcarillæ.

4. Hisce pulueribus interponantur & ſubiungantur illa remedia, quæ *æqualem ſanguinis diſtributionem* promouent. In hunc ſcopum commendantur

1) *Alexipharmaca temperata*, moderatis doſibus & opportuna horarum diſcretione propinanda. e. g. eſſent. alexiph. *Stahlii*.

2) *Diaphoretica blanda*, diluentia largiter & calide hauſta e. g. infuſa thée, coffée, veronic. teucrii folio, ſalv. flor. lauendul. &c.

5. Ad ſanguinis congeſti & reſtagnantis diſcuſſionem adhibeantur ſimul *topica*; ſed cum cautelis inferius notatis v. g. ſpiritus vini camphoratus, liquamen lumbricorum terreſtrium cum ſpiritu vini camphorato mixtum; item epithema illud, quod per vulgus notum eſt, & ex ſemine carui, baccis iuniperi, ſale communi & mica panis fermentati paratur. Subordinentur eodem tempore *lenia repellentia* ex nitro, ſaccharo ſaturni & aceto roſaceo præparata.

6. Denique tonus partium adfectarum *roboretur*.

1) *interne* e. g. per tinct. tonico-neruinam *Stahlii*, eſſentiam ſuccin. cum eſſent. lign. & ſarſaparillæ combinatam.

2) *externe* per ſacculos neruinos cum ſpiritu vini camphorato & crocato madefactos.

B. *Extra paroxyſmum.*

1. *Ventilationes ſanguinis præſeruatoriæ* circa æquinoctia inſtituantur & conſtanter repetantur.

2. His ſanguinis euacuationibus præmittantur & ſubiungantur *laxationes per epicraſin*, quæ ſpiſſitudinem ſanguinis & cacochymiam corrigunt. *Conferantur tabulæ de ſpiſſitudine & cacochymia.*

3. Rerum non-naturalium conueniens vſus obſeruetur; in primis quod ad motum corporis placidum & perennantem attinet. Hunc enim qui negligit, illum optima quoque remedia a congeſtionibus non defendent.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Ex cauſſis allatis manifeſto concludere licet, quod in congeſtionibus legitime tractandis *quantitatem* imminuendam magis quam *qualitatem* corrigendam reſpicere debeamus.

2. Et quoniam in ipſis etiam *bechicis congeſtionibus* e. g. coryza, tuſſi humida, tumore œdematoſo & reliquis, imminutio ſanguinis a natura intenditur, hoc autem *indicatum* a pauciſſimis obſeruatur: neceſſarium eſt, vt Medicus communem viam hic deſerat, & negotium ſanguinis abundantis in his adfectibus primario conſideret.

3. Quemadmodum egregium momentum prudentiæ practicæ eſt, quamlibet congeſtionem cum relatione & reſpectu ad hæmorrhagiam illam ſpecialem, cui reſpondet, tractare: ita non minoris dexteritatis nota eſt, noxios congeſtionum motus cum noxiis hæmorrhagiarum ſpeciebus conciliare & eadem ratione æſtimare. Qui hac cautela incedit, ille e. g. in congeſtionibus *pectoris*, non facile *expectorantia*, ſed potius *reuellentia* & *diſcutientia* adhibebit.

4. In omnibus congeſtionibus abſtinendum eſt ab *immodeſtis euacuantibus*.

5. Non

5. Non minus ab *alexipharmaco-diaphoreticis calidis* & *regimine coacto.* Temperata autem ante, quam adhibentur, alui legitimum ſucceſſum expoſcunt.

6. In *incremento* & *ſtatu* congeſtionum a *diſcutientibus* & *repellentibus topicis* prorſus abſtinendum eſt. Alias adfectus non mitigatur ſed acerbatur.

7. *Anodyna* eadem cautela exhibentur. Quando enim ſub doloribus, vti plerumque fieri ſolet, & ante debitam euacuationem adhibentur, grauia & pertinacia mala inde exſpectanda ſunt.

8. Quæ de *venæ ſectionibus*, in paroxyſmis inſtitutis, ſub hæmorrhagiis paſſim indicauimus, quod ſcilicet in *præſens* tantum, non autem in *futurum*, auxilium adferant, & præter ea inconuenientes conſecutiones producant: illa in congeſtionibus omnibus probe etiam ſunt obſeruanda.

9. Quid de *pediluuiis, veſicatoriis* & *fonticulis* obſeruandum ſit, & in quibus congeſtionum ſpeciebus locum habeant, ſequentibus tabulis indicabitur.

10. In pertinacibus illis congeſtionibus hypochondriaco-iſchiadico podagrico-hæmorrhoidalibus talis efficaciæ ſunt *hirudines*, orificio inteſtini recti adplicatæ, qualis a nulla alia medicatione exſpectanda eſt.

11. *Eſſentia ſuccini* in omnibus congeſtionibus, dolores poſt ſe trahentibus, officium ſuum optime facit, quando cum eſſentia alexipharmaca *Stahlii* iungitur & repetito propinatur.

12. In congeſtione, quæ *copioſe*, & præcipue in corpore *ſpongioſo* exoritur, abſtinendum eſt ſub *initium*, & in ipſo *ſtatu* a ſalibus volatilibus vrinoſis, in primis largius propinatis; in notabili vero *declinatione* bene ſe gerunt. Notandum autem, quod a paruis doſibus ſit incipiendum.

13. Quæ vero congeſtio *pauca* materia contingit, e. g. hemicrania minus plethoricorum, illa in ipſo etiam *ſtatu* admittit *ſalia volatilia*, ſed remixta cum *tinctura ſalis tartari* vel *antimonii*. Nam alcalica hæc fixa per acrimoniam ſuam promouent diureticam euacuationem, ſeroſam etiam tenacitatem potenter incidunt, & ſic ad æqualem humo-

 rum

rum diſtributionem atque congeſtionum diſcuſſionem multum contribuunt.

14. *Liquamen lumbricorum terreſtrium* per ſpiritum vini præcipue camphoratum & pauca nitri portione a corruptione præſeruatum, eſt antiſpasmodicum non contemnendum.

15. *Analeptica*, quæ in forma emulſionis gratæ & quodam modo dilutæ exhibentur, pertinaciam rigidæ & ſpaſticæ conſtrictionis egregie demulcent.

16. *Embrochæ* ſeu ſtillicidia balnearia, præſertim paullo fortius allabentia, ſæpiſſime effectus ſunt non pœnitendi, & illis quidem in caſibus, quorum congeſtionibus dolores fixi, in partibus præcipue carnoſis, accedunt.

17. *Blandus calor* tum in ipſa parte adfecta, tum in reliquo corporis habitu, tam efficaciter prodeſt, quam refrigeratio nocet. Notandum autem eſt contra communem morem, quod calor in parte adfecta blandior eſſe debeat, quam in aliis partibus, ad quas humores deriuandi & reuellendi ſunt.

18. *Ligaturæ partium* oppoſitarum ſuam habent vtilitatem, præcipue quando circa initia, quo tempore humores in motu adhuc conſtituti ſunt, ſuſcipiuntur.

19. Quando autem humores quiete quaſi iam reſtagnant, plus poſſunt *frictiones*. Hæ enim ſenſum fremebundum latius diffundunt & eo ipſo ſpaſticum toni rigorem demulcent.

20. *Amuletica* & *ſpecifica* interdum ſatis efficacia ſunt, in ſubiectis præcipue ſenſibilibus. In vſum autem non trahenda ſunt prius, quam vel plane ſub initium, vel vniuerſalibus præmiſſis.

21. Ex amuleticis *bufo exſiccatus* in plerisque congeſtionibus efficaciter ſolet adhiberi; cuius rei in congeſtione *anginode* experimentum habemus, quod per ipſum vulgus ſatis notum eſt.

22. Cautelæ, quæ de vſu *rerum non-naturalium*, præcipue autem de ſcrupuloſo victus & aëris ſelectu, paſſim inculcantur, illæ fontem, ex quo congeſtiones primario oriuntur,

untur, non attingunt. Notum enim eſt, quod illi homines a congeſtionibus ſatis liberi ſint, qui omnes aëris iniurias perferre & victum dyſpeptum adſumere tenentur.

23. *Animi autem commotiones* turbulentæ ſollicite euitentur: multum enim conferunt, vt congeſtiones repullulent.

# TABVLA XIX.

## DE CONGESTIONIBVS INCOMPLETIS SEV RHEVMATISMO.

I. *DEFINITIO.*

Rheumatiſmus eſt contentioſum & diffuſum molimen hæmorrhagicum, quo principium vitale humores per congeſtionem incompletam ad varia corporis loca & præcipue in *viciniam* illorum, quæ ſanguini euacuationem concedunt, copioſe quidem adpellit, quoniam autem hisce motuum adparatibus ad ipſum exitum directe non tendit, ſed *latiore* ambitu partem obſidet & tergiuerſando *eminus* tantum hæmorrhagiam reſpicit, loco ſanguinis euacuationis ſtagnatio illius & varia incommoda tenſionis, grauitatis, preſſionis atque acris ardoris, & tandem vlteriores noxii effectus & euentus introducuntur. Deriuatur a ῥέω, fluo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Rheumatiſmus vi vocis rem maxime generalem denotat, & potius vt *cauſſa* variorum adfectuum inſtrumentalis quam *morbus* conſiderandus eſt. Motus enim ſuos tam ſim-

ſimpliciter non ſeruat, neque tam *uniformes* conatus diu proſequitur, vti quidem *hæmorrhagiæ*, ſed in varia ſchemata admodum pronus, & vlterioribus nouorum morborum geneſibus generalem, vt dicunt, influxum ſuppeditat.

2. Hæc generalis rheumatiſmi acceptio *Hippocratis* iam temporibus nota fuit. Quando enim *libro de priſca medicina* prolixam mentionem facit non tantum *rheumatum* generatim, ſed *acrium* humorum, qui *fluxu* in partes deferantur, ſpeciatim; tum rheumata non vt ipſum morbum ſed vt cauſſam aliquot morborum, ibidem nominatorum, arguit.

3. Differunt autem rheûmatici decubitus

1) Ratione *loci*. Modo enim
   a) *exteriora*, modo
   b) *interiora* corporis loca occupant.

2) Ratione *extenſionis*. Modo enim
   a) *arctioris* & *particularis* ſunt ambitus; modo
   b) *latius* ſeſe extendunt, & non tantum *circa* illum locum, qui exitui ſanguinis patet, adfligunt, ſed integram aliquam corporis regionem occupant; modo
   c) *latiſſime* & per vniuerſum corporis ambitum eiusmodi contentioſæ diffuſiones exoriuntur. Et hic vniuerſalis quaſi rheumatiſmus egregiam habet conueninientiam cum moleſto illo *fatigationis* & *contuſionis* ſenſu, quem plethorici poſt inſolitam & vehementem corporis agitationem a ſimplice ſanguinea tenſione, in partes poroſas inſolentius retundante, ſequente die experiuntur.

3) Ratione *cauſſæ*.
   a) Qui enim rheumatiſmi *latioris* ſunt ambitus, illi a ſimplice ſanguineo-ſeroſa materia & a ſinceris ſanguineo-hæmorrhagicis moliminibus dependent, atque de his *ſimplicibus* & *ſinceris* præcipue valet *definitio*.

b) Qui

b) Qui vero *arctioris* & *particularis* ſunt ambitus, illi, præcipue in membris *interioribus*, ſumunt quidem etiam aliquando occaſionem a negotio ſanguinis impedito, in *exterioribus* autem locis plerumque a cauſſis, quæ ſunt præter naturam, producuntur.

4. Rheumatismus differt ratione *ætatis*. In iunioribus enim præcipue caput, in *adultioribus* pectus, diaphragma & præcordia, in *ſenibus* autem modo hypochondria, vnde *lumbago rheumatica*; modo totam venam portæ cum viſceribus adnexis; modo inferiores corporis partes infeſtat.

5. Differt etiam ratione *indolis*; quo reſpectu alius eſt

1) *Mitior*, nempe ille, qui latioris eſt ambitus, & exteriora loca occupat; niſi quidem in adfectum phlegmonodeum degeneret.

2) *vehementior*, qui anguſtioris eſt tractus & interiora loca occupat. Hic enim acrioris eſt ſenſus & ardoris.

3) *Pertinaciſſimæ indolis*, qui ex adſueto humorum decubitu vel diſcraſia ſanguinis indiuiduali contumaciter ſuſtentatur. Præcipue autem maxime importunus, & ſtaſibus mali moris formandis idoneus eſt rheumatismus, quando tenuiores ſanguinis particulæ ſero viſcoſo intertextæ intra penitiſſimas poroſarum partium anguſtias coarctantur.

6. *Rheumatismus* ſeu congeſtio *incompleta* quo modo a congeſtione *ſimplice* & *completa* differat, præcedente tabula indicatum eſt.

7. Diſcernendus etiam eſt *rheumatiſmus* ab *inflammatione*. In hac enim vera humorum *ſtaſis* & *feruidus* æſtus, in illo autem, quam diu adhuc genuinus eſt, ſimplex tantum *ſtagnatio* cum *acri* ardore occurrit. Quando autem inſultus rheumatici ſunt fortiores, ipſa inflammatio accedit, quæ *interne* fit phlegmonodes, *externe* ordinarie eryſipelatodes, numquam autem apoſtematodes.

8. Porro differt rheumatiſmus ab *arthritide*. Licet enim hi duo adfectus non ſint res maxime diuerſæ, ſed ſubordinatæ & ſæpius complicatæ, leuior etiam arthritis rheumatis

tis nomine non raro laruatus occultatur ; differunt tamen ſequentibus circumſtantiis.

1) Rheumatiſmus veram *humorum reſtagnationem* format, arthritis autem *ſpaſticam contentionem* per partes ſolidas exercet.

2) Rheumatiſmus ſedem habet in partibus *muſculoſis*, arthritis vero *iuncturas* partium potiſſimum occupat.

3) Rheumatiſmus arthritidem ordine antecedit,

9. Differt denique *rheumatiſmus* a *catarrho*. Hunc enim conſtituit materia *pituitoſa* & ſic dicta *frigida*, illum autem materia *acris*; & quoniam hæc partem illam, quam infeſtat, præter reliquos dolores, etiam *ardore* adficit, *calida* ſolet vocari. Vnde Germanorum differentia, kalte und hitzige Flüſſe, nata eſt. Et ſic rheumatiſmus catarrhum *ſenſibilitate* longe ſuperat.

III. *SIGNA.*

1. Reſtringitur ſanguis in certam corporis regionem, qui ibidem *reſtagnans* varias moleſtias producit.

2. Videlicet ſenſum *tenſionis*, preſſionis, grauitatis, fatigationis.

3. Conſpicitur *inflatio* & leuis *diſtenſio* partis adfectæ.

4. Coniuncta eſt *ineptitudo* illius membri ad *motum*, præcipue propter ſenſum, quem infert acutum & contuſorium, quam primum ſenſui huic *preſſorio* qualiscumque *repreſſio* ſeu *reniſus* ſiue per attactum, ſiue per motum voluntarium aut ſitus mutationem accedit.

5. *Calor*, qui in ſuffarctu hoc adhuc mobili ſentitur, & a *materiali diſtenſione* multum dependet, & magis *acris* & *inquietans*, quam *feruidus* & *aſtuans*. Atque hæc ſigna ſunt rheumatiſmi *ſimplicioris*.

6. In illis autem rheumatiſmi ſpeciebus, quæ *accidentali* conſtitutione fiunt *indolis deterioris*, omnia ſymptomata obſeruantur *acerbiora*. Fortior eſt impetus, impetuoſior adfluxus, maior humorum reſtagnatio & partis diſtenſio, exquiſitior etiam eſt ſenſus tendens & vibrans, ardor autem ad dolorem inflammatorium fere accedit.

7. Præter ea comitatur interdum *fortiores* hoſce inſultus rheu-

rheumaticos ſenſibilis *motuum tonicorum alternatio*, &, quæ nexu haud ſeparabili cohæret, *frigoris* & *caloris volatica variatio*; quæ vero, licet generali ſenſu pro actu febrili haberi poſſit, cum ſpecialibus tamen febris circumſtantiis non conuenit; niſi omnia maxime ſint acerbata.

8. Atque hæc incommoda ſemper ſunt *mitiora* in rheumatiſmis *externis*, adhuc ſinceris; *acriora* in ſinceris quidem, fortioribus tamen *internis*; non minus in *externis phlegmonodeis*; *acerrima* in *phlegmonodeis internis*.

IV. *SVBIECTA.*

1. Rheumatiſmus occupat plerumque homines *vegetæ ætatis* & quidem vtriusque ſexus.

2. In quantum cum negotio hæmorrhagico ſimpliciter conſpirat, in tantum proprius & familiaris eſt *plethoricis otioſis*, præcipue quando præter conſuetudinem fortiorem corporis motum interdum admittunt.

3. Quod ad *temperamentum* attinet, primum locum occupat *ſanguineum*, quod laxo & ſpongioſo corporis habitu iunctum eſt.

4. Præterea infeſtat *teneros* & *animi pathematibus* obnoxios.

5. Quando autem *robuſti* & *laborioſi* a rheumatiſmo corripiuntur, non plethoricæ ſed externæ cauſſæ ſubeſſe deprehenduntur. *Vide cauſſas externas.*

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* rheumatiſmi *ſimplicis* eſt *plethora*, præcipue *commota*. Non opus autem eſt vt rheumatiſmus *craſi determinata* circumſcribatur, quia ex ſincera tota maſſa decubitus fieri ſolet; quamquam negandum non eſt, quod acris & tenuis humorum dyſcraſia altius penetrare & acrius adfligere poſſit.

2. Pro cauſſa *formali* motus quidem hæmorrhagicos agnoſcimus, quos principium vitale, tamquam cauſſa *efficiens*, inſtituit: quoniam autem incompleta ſunt molimina, quæ non directe ſed *eminus* tantum hunc finem reſpiciunt, non poſſunt non a ſcopo ſuo aberrare. Cur vero *eminus* ſolum exitum tentet natura, id vel in abiecta ſpe liberalis

hæmorrhagiæ ſucceſſus, vel in aliis impotentiis atque difficultatibus quærendum videtur.

3. Cauſſa *inſtrumentalis* eſt motus tonicus alteratus & auctus, quo humores in partes muſculoſas deferuntur & propelluntur. Quoniam autem craſſiores ſanguinis particulæ altius penetrare non poſſunt, ſolæ tenuiores ſalino-ſulphureæ & orgaſtico-ſeroſæ ad partes ſenſibiles membranaceo-neruoſo-tendinoſas ſecedunt, moleſtum illis ſenſum inprimunt, & hinc vlteriorem humorum adfluxum facile accelerant.

4. Hæc valent de rheumatiſmo, qui *latioris* eſt ambitus, & a *ſanguineo-ſeroſa* materia atque a moliminibus ſinceris hæmorrhagicis initia ſua ſumit. Qui vero *exigui* ſeu *arctioris* ambitus eſt rheumatiſmus, ille quidem, præcipue quando in partibus *interioribus* exoritur, etiam ab *hæmorrhagicis* moliminibus interdum dependet, frequentius autem in *exterioribus* corporis regionibus a cauſſis, quæ *præter naturam* ſunt, originem ſuam ducit. *Vid. n. 5. & ſigna.*

5. Cauſſas *externas, violentas* & *procatarcticas* ſequente ordine collocamus.

1) Tempeſtatum mutationes, aut aliæ frigoris & caloris repentinæ commutationes & viciſſitudines.

2) Venæ ſectionis & ſcarificationis conſuetæ omiſſio.

3) Veſicatoriorum & fonticulorum, diu geſtatorum, neglectio.

4) Hæmorrhoidum adſuetarum impeditus ſucceſſus.

5) Menſium qualiscumque ſuppreſſio.

6) Læſiones partium ſolidarum, vel diuturnæ illarum irritationes, e. g. contuſiones, dislocationes, luxationes, fracturæ, vlcerationes diu manantes, vulnera cum grauibus inflammationibus ſtipata, ambuſtiones, perniones. Hiſce enim indiuiduis mutationes tempeſtatum, commotiones animi, vel aliæ irritantes cauſſæ inſultum rheumaticum, & quidem in loco vmquam læſo, facillime prouocant.

7) His accidentalibus cauſſis merito ſubiungimus *febres*, quæ interdum ſymptomatice eius modi rheumatiſmos

ſmos ſeu particulares decubitus & metaſtaſes humorum efformant, quando legitime non decurrunt.

8) Tandem *conſuetudo* horum motuum & diſpoſitio *hæreditaria* rheumatiſmos pertinaciter ſuſtentat.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Rheumatiſmorum effectus numquam eſt vtilis.
2. Quum enim *ſimplices* & *ſinceri* a moliminibus hæmorrhagicis incompletis dependeant, ſanguinis autem euacuationem non adſequantur, neque etiam alio modo imminutioni humorum ſatis faciant: facile concludendum eſt, quod nihil aliud, quam congeriem incommodorum, ſub *ſignis* nominatorum, introducant.
3. Euentus *benigniores*, qui rheumatiſmos *moderatos*, & *ſincera* materia præditos, ſequuntur, hi ſunt, vt omnia incommoda poſt aliquot dies, vel ſine vel cum quacumque euacuatione, ſponte & ſucceſſiue remittant, & hæc quidem cum lenibus ſucceſſibus, extra ſtata tempora, quaſi indifferente modo.
4. Euentus autem *peiores* ſunt copioſæ ſtagnationes, quæ nonnumquam per plures hebdomadas perſeuerant, & ſtaſes, non ſuppuratoriæ, ſed eryſipelaceæ & phlegmonodeæ, quarum hæ poſteriores rariores quidem, ſed & periculoſiores ſunt, præcipue in partibus internis.
5. Et quando remediis calidis atque calido regimine tractantur, hoc periculum augetur.
6. Quando autem per repentinam & impetuoſam horum adfectuum oppreſſionem velox *translatio ad interiora* contingit, periculoſior adhuc eſt euentus. Hac enim ratione materiæ quantitas in anguſtiorem locum cogitur.
7. *Expulſio* autem ab *interioribus* ad *exteriora* pari effectu minime ſuccedit. Non enim vt eryſipelas aut phlegmone, ſed vt rheuma ad exteriora erumpere poſſunt, quia hic non ſunt ſimplex & directus *adfectus* vel perpetuus *effectus*, ſed potius rheumatiſmorum male cedentium ſolus *euentus*. Et quando diſcuſſio ſtaſeos obtenta eſt, tum nouam eius concentrationem ſeu collectionem in exterioribus partibus minime exſpectare debemus.

V 2 8. Mul-

8. Multo minus rheumatiſmus, qui dictarum inflammationum fomes eſt, *tranſlationem ſinceram* ab vno loco in alterum admittit, ſed contentus eſt vera *diſcuſſione*.

9. Non eſt familiare *ſimplici* rheumatiſmo, vt repentina, copioſa & ſtabili congeſtione in artum quemdam incumbat, & contumaciter illum obſideat; ſolemnius autem eſt illis rheumatiſmis ſeu *apoſtaſibus*, quæ *febribus*, incommode cedentibus, proueniunt, & crus, inprimis *alterum*, impetu quodam inflare ſolent.

10. Hic infarctus quando mature non diſſoluitur, ſed ſtabilis ſubſiſtit, *arx* & *ſedes* fit, ad quam commotiones rheumaticæ, vndecumque oriantur, iuratum quaſi *receptum* habent; promtius etiam ob leuiores cauſſas paroxyſmi recurrunt, & maiora incommoda adfectæ parti conciliant.

11. Videlicet augeſcit ardor, rubor, vibratus & fremebundus dolor cum febrili languore, inquietatione, proſtratione adpetitus, agrypnia, anguſtiis præcordiorum.

12. Hæc conſtitutio quouis modo periculoſior eſt, quam *ſimplex* rheumatiſmus, quia facile *inflammatoriæ febres* accedunt, vel *relapſus ad interiora* periculoſus contingit.

13. Ceterum recurſus rheumatiſmorum ſunt benigniores, præcipue in ſeroſioribus, quando excretiones placidæ & ſucceſſiuæ accedunt; id quod Medico lucem genuinæ tractationis accendere poteſt.

## VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Curandi.*

1. Reſolutio & diſcuſſio humorum reſtagnantium reſpiciatur.

   1) *Interne* per antimon. diaphoret. arcan. duplic. bezoard. min. lumbric. terreſtr. præparat. coniunctis temperatis alexipharmacis v. g. eſſent. alexipharmac. *Stahlii*, mixtur. ſimpl. eſſent. ſcord. pimpin. alb. vincetox. & in mitiore adfectu, ſuccini, absque regimine coacto ſudorifero.

   2) *Externe* per ſpirit. vini rectificatiſſ. camphorat per ſacculos ex ſpeciebus reſoluentibus & diſcutientibus paratos, v. g. ex herb. chamom. roriſm. mentæ maioran. puleg.

puleg. matricar. hyſſop. epithymi, betonic. thymi, flor. chamom. ſambuc. melilot. ſtœchad. lauendul. cum camphora.

3) Quando autem pertinacius ſe gerit adfectus, ſpirit. vini camphorat. cum modica quantitate ſpiritus formicar. vel ſpiritus abſtractit. ſerpilli maritatus conducit. Ipſæ denique embrocationes cum decoctis temperate neruinis & pediluuia vſus haud ſunt contemnendi.

2. Motus congeſtorio-ſpaſtici modeſte cohibeantur, orgaſmus ſanguinis temperetur, & partium ſtricturæ leniantur per nitrum cum abſorbentibus, it. decocta gelatinoſa & emulſiua cum modica quantitate papaueris, per ipſum denique ſerum lactis ac potum dilutum & ſufficientem.

3. Quando autem neceſſitas vrget & adfectus pertinaciter continuat, dictis temperantibus miſceatur cinnabaris, corall. rubr. præparat. M. P. de cynogloſſ. ſemen papauer. & ſyrup. eiusdem.

4. Ante omnia vero aluus ſemper aperta ſeruetur per lenia laxantia, aut mitiora euacuantia; cui ſcopo inſeruiunt rhabarbarina, ſennata, tamarindinata, magneſia alba, extract. panchymag. *Crollii*, maſſa pilul. de ſuccino *Cratonis*, &, inſtar omnium pilulæ *Stahlianæ*.

5. Tandem in declinatione adfectus circa finem mixtura tonico-neruina *Stahlii* obferatur.

B. *Præſeruandi.*

1. Ratio maxime habeatur euacuationum ſanguinearum tam naturalium, quam artificialium. Hinc circa æquinoctia venæ ſectio in pede inſtituatur, & in adſuetis ſcarificatio interdum interponatur.

2. Præcipue autem hoc neceſſarium eſt, quando hæmorrhoides vel menſes impedite fluunt; quo caſu adplicatio hirudinum ad loca hæmorrhoidalia ſubiungenda & turbatæ aut ſuppreſſæ hæmorrhagiæ modeſte reuocandæ ſunt.

3. His ob primarum viarum ſaburram & ſanguinis abundantiam ſeroſam ſubinde interponatur laxatio per epicraſin.

4. Thermarum vſus, præſertim in ſpongioſis ſubiectis, hic non reiicitur.

5. Optimum autem & præſtantiſſimum remedium, nempe *motus corporis* ſufficiens & perennans, vbique coniungatur. *Vid. cautel.*

6. Tandem *cauſſæ occaſionales*, quæ paroxyſmos rheumaticos reuocare ſolent, quouis modo euitentur.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In rheumatiſmo exſulent remedia *agitantia* calidiora, aut *refrigerantia*, lympham & ſerum denſantia: grauiora enim & vehementiora incommoda poſt ſe ducunt.

2. Non minus euitentur *humida*, quia tonum admodum relaxant & eneruant.

3. *Opiata* adfectum rheumaticum præſentem non tantum reddunt contumacem, ſed & quacumque leui occaſione eumdem reuocant.

4. *Salia volatilia* partes ſubtiliores facile repellunt, & craſſioribus relictis tumores ac ſtupores inducunt.

5. Maxime omnium ſibi caueat Medicus ab *oleis deſtillatis*, item ab *vnguinoſis, emplaſticis* tenacibus, & omnibus maturantibus atque abſceſſum facientibus. Non enim eſt indoles rheumatiſmorum, abſceſſionem ſtricte dictam formare.

6. Minus quoque & ſibi & ægrotis conſulit Medicus, quando fortiora *purgantia* & *emetica* aut calidiora diaphoretica cum regimine coacto propinat: facillime enim cum aliis grauiſſimis pathematibus *arthritis* inducitur.

7. Ipſa *venæ ſectio* curandi ſcopo inſtituenda locum non habet; niſi ſumma vrgeat neceſſitas: nam & præſentia incommoda, ſi non repetatur, parum minuit, & futura reddit admodum ſontica, nempe nulli, niſi huic medelæ, amplius cedit adfectus.

8. De *ſpiritu vini* notandum, quod ſit rectificatiſſimus. Sin ſecus, plus detrimenti quam emolumenti adfert. Quando autem *talis* non eſt ad manus, topica in forma ſicca tutius adhibentur.

9. Eſſen-

9. Eſſentia *ſuccini* hoc in adfectu præſeruandi ſcopo, præmiſſis quæ ſanguinis quantitatem imminuunt, egregiæ eſt efficaciæ. Immo in ipſo paroxyſmo, non adeo acerbato, laudatur.

10. De *motu corporis* in paroxyſmo negandum quidem non eſt, illum ſub initium maiores dolores, immo eiulatus, excitare; adſeueramus autem & multis teſtibus confirmamus, quod hoc remedio, placide primum adhibito & deinde moderato tenore per tres vel quatuor horas continuato contumaciſſimi rheumatiſmi, qui alias optimis remediis per plures hebdomadas reſiſtunt, vno die feliciſſime profligentur.

# TABULA XX.

## DE

# INFLAMMATIONE GENERATIM.

I. DEFINITIO.

Inflammatio eſt principii agentis negotium vitale, quo illud per motum humorum congeſtorium & adpulſorium, in aliqua corporis parte vltra gradum naturalem auctum, ſanguinem in veram ſtaſin deductum diſcutere, vel, ſin hoc non amplius obtineri poſſit, ſulphureas, fermenteſcentes & ſumme agiles particulas, in hac ſtaſi contentas, ſubtrahere, & reliquam languidam, minus noxiam, materiam in pus laudabile conuertere conatur; vt hac ratione corruptio putrida, ſeu ſphaceloſa, a ſtaſi tali exſpectanda, præoccupetur, & præceps fermenteſcens diffuſio intercipiatur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Inflammationis *tres* ſunt ſpecies.

1) *Eryſipelas* dicitur, quando inflammatio in ſuperficie occur-

currit, & per membranaceas partes in *latitudinem* diffunditur, tumoremque æqualem, mediocriter ardentem, & dilute roſeum format. Germanice vocatur die Roſe, der Rothlauf.

2) *Phlegmone* adpellatur, quando inflammatio in *latum* & *profundum* æqualiter & ſatis amplo ſpatio extenditur. Differentias ſpeciales mox ſubiungemus.

3) *Apoſtematodes* inflammatio vocatur, quæ vel in ſuperficie, vel ſubtus, arctiori ſpatio circumſcripta eſt, & *profunditatem* illius partis, quam obſidet, magis penetrat. Huic inflammationum ſpeciei partes carnoſæ aut glandulоſæ in primis ſunt expoſitæ.

4) *Gangræna* non eſt peculiaris ſpecies inflammationis, ſed potius infelix iſtius, præcipue apoſtematicæ, euentus.

2. *Eryſipelas* differt a *phlegmone gradu*:

1) nam in *latum* tantum eſt diffuſum, & ita ſolum *cutis* inflammationem exhibet. *Phlegmone* autem tam in *latum* quam in *profundum* tendit.

2) in *eryſipelate* color magis ad flauedinem, in *phlegmone* autem ad ruborem excedit.

3) *Eryſipelas* mutat ſubinde ſedem ſuam, & ex vno in alium locum cedit, augmenta etiam celeriter ſumit; *phlegmone* autem in vno loco ſubſiſtit, & tardius augetur.

4) *Eryſipelas* maiorem quidem feruorem inducere obſeruatur, *phlegmone* autem, vti non raro a *metaſtaſi febrili* exoritur, ita plerumque motus febriles habet coniunctos. Nam motus inflammatorius *particularis* quando in vniuerſam humorum maſſam diffunditur, *febris* inflammatoria adpellatur.

5) *Eryſipelas*, quando premitur, color diſparet, & mox redit, *phlegmone* autem propter duritiem ſuam hanc coloris mutationem non ſubit.

6) Inter ea hoc habent commune, vt ad *ſuppurationem* non inclinent. Quando autem incongrua arte maturatio promouetur, corruptio *ſeroſo-ſalſa*, loco laudabilis ſuppurationis, facile producitur.

7) De *phlegmone* notare adhuc conuenit, quod ab auctoribus non æque exacte deſcribatur. Plerumque enim *generico* ſenſu ab illis ſumitur. Eſt autem *ſpecies* inflammationis, quæ ſtaſin ſanguinis intra poros & tenuiſſima vaſcula in *latum* & *profundum* inuoluit.

3. Inflammationes differunt ratione *materiæ*, ſtaſin formantis, & hinc dicuntur vel

1) *ſimplices*, quæ a ſtaſi pure *ſanguinea* in partibus carnoſis & vaſis ſanguineis oriuntur, & ad corruptionem ſiue ſuppuratoriam, ſiue putredinoſam procliues ſunt, vel

2) *compoſitæ*, quæ multum ſeroſo - lymphaticæ ſubſtantiæ comprehendunt, & in ſalſo - vlceroſas corruptelas abeunt.

4. Differunt etiam *ratione locorum* adfectorum, & ſecundum hanc diuiſionem ſunt vel

1) *externæ*.

a) Huc pertinent omnes eryſipelacei adfectus faciei, manuum, brachiorum, genuum, tibiarum, pedum.

b) Apoſtemata externa.

c) Furunculi in peripheria corporis prouenientes.

d) Tumores inflammatorii v.g. parotidum, tonſillarum, vuulæ, mammarum, teſtium.

e) Ophthalmia, odontalgia, otalgia &c. vel

2) *internæ*.

Huc non ſolum pertinent phrenitis, angina, pleuritis, peripneumonia, paraphrenitis, hepatitis, nephritis, ſed etiam omnes febres inflammatoriæ, in quibus motus auctior, antea particularis, per vniuerſam ſanguinis maſſam diffuſus eſt. De his ſpeciales tabulas intra exhibebimus.

5. Ardor *inflammatorius* non confundendus eſt cum æſtu ſanguinis *congeſtorio*, ille enim ſemper veram ſtaſin, hic autem ſtagnationem tantum ſequitur.

III. *SIGNA*.

A. Inflammationum *externarum*.

1. Generalia.

1) Facta ſanguinis ſtaſi mox accedit *tumor*, qui non ſolum

partem immediate adfectam, verum etiam viciniam occupat.

2) Huic tumori tempeſtiue ſuccedit *rubor* & *æſtus*, ſeu potius *ardor*, ad tactum ſenſibilis, & ægro ita moleſtus, vt inquietationem, impatientiam, immo internum angorem ſæpius incurrat.

3) *Dolor* concurrit lancinans, pungens, arteriarum pulſui reſpondens, ſenſibilior in partibus ſanguineis, obtuſior in exſanguibus & glanduloſis.

4) Hæc ſymptomata, quando per aliquot horas durauerunt, contingit *interdum*, vt ſenſim miteſcant, & tandem prorſus auferantur.

5) Et ſic æger priſtinæ integritati reſtituitur in ſtaſi quidem *profundiore* intra *quatuor* circiter dies; in *late* autem diffuſa *ſeptem* dierum ſpatio negotium demum abſoluitur.

6) Quando vero *diſcuſſio* obtineri nequit, ſtaſeos ſuccedit *corruptio*, eaque vel laudabilis, *purulenta*, ſubſtantia nempe alba, aut ad ſummum leuiter flaueſcens, inodora; vel *putredinoſa*, de qua ſub *prognoſi* plura dicemus.

7) Omni illo tempore, quo ſtaſis ad corruptionem purulentam properat, æſtus & ardor potiſſimum in circuitu adfligunt, & rubor circulum quaſi in peripheria partis adfectæ format, in centro autem tumoris hæc omnia mitiora, tepidiora, & magis pallida adparent.

8) Quo grauior eſt inflammatio, eo magis reliquum corpus ſpasmodica conſtrictione adficitur & adſpectus eſt macilentus: ſenſu ſubhorrido concurrente.

9) Reliqua ſigna ſub *differentia* iam indicata legantur.

2. *Specialia.*

1) *Eryſipelatis.*

a) Præcedit *rigor* quidam in parte illa adfecta.

b) Hunc excipit *dolor* congeſtionis in eadem parte.

c) Succedit *tumor æqualis*, qui intra exiguum tempus tale ſumit argumentum, vt *cuticula* niteſcat.

d) Non-

d) Nonnumquam *mador* quidam, veſiculas quaſi formans, in hoc tumore obſeruatur.

e) Continuat hic tumor per *dies* circiter *quatuor*, quo tempore ſenſim iterum decreſcit.

f) *Colorem* exhibet non tam inſigniter rubicundum, quam flaueſcentem. Quando autem magis pallidus eſt tumor, quod rarius obſeruatur, a *Germanis* adpellatur: Die weiſſe Roſe.

g) Aliquando de loco in locum migrat, immo per vniuerſam corporis peripheriam ſe diffundit.

2) *Phlegmones.*

a) *Tumor* adeſt non ſolum in *latum*, verum etiam in *profundum* diffuſus, durus, rubicundus, præter naturam calidus, in *altitudinem* non adeo eleuatus.

b) In *peripheria* accedunt *dolores* ſpaſtici, lancinantes.

c) *Duratione* hæc ſpecies inflammationis longe ſuperat *eryſipelaceam.*

d) Sponte ſua vti ad ſuppurationem non eſt idonea, ita ſi peruerſa arte eo deducitur, legitimum & bene coctum *pus* non exhibet, ſed materiam *vlceraſcentem.* Vnde & facile in vlcus manans, ſerpiginoſum, vel plane fiſtuloſum transmigrat.

e) Commotiones *febriles* plerumque præcedunt & coniunctæ ſunt.

f) Quando a *metaſtaſi febrili* exoritur, inuadit cum *horrore*, per vnam & alteram horam durante.

g) Huic ſuccedit *æſtus*, quem ſenſus *ardoris* excipit.

h) Contingunt eiusmodi ſtaſes phlegmonodes in *carnoſis* ordinarie & *ſpongioſis* locis.

i) Inſuper, quod notatu dignum, in *extremis* ſæpiſſime partibus, nempe in brachio, cubitu, crure, rarius femore. Confer. *cauſſæ.*

k) Aliquando etiam in facie occurrunt, e. g. duræ illæ, rubræ & æſtuoſæ inflammationes, quæ interdum dentium dolores excipiunt, *phlegmones* indolem ſiſtunt; præcipue ſi minus dextre tractentur.

3) *Apoſtematis.*

a) Sanguis, qui extra vaſa ceſſit, in vnum quaſi nodum collectus, & hinc arctiore ſpatio circumſcriptus eſt.

b) In partibus præcipue carnoſis & glanduloſis.

c) Reliqua videantur *tabul. de abſceſſu.*

B. Inflammationum *internarum.*

Harum ſigna diagnoſtica *ſpecialia* tabulis febrium inflammatoriarum ſpecialius indicabuntur; *generalia* ſunt ſequentia.

1. Quo ſenſibilius eſt viſcus, eo magis acerbus & ardens eſt *dolor.* Hinc in pulmonibus, pleura, renibus & ventriculo eſt exquiſitiſſimus, in hepate autem, liene & pancreate obtuſior ſentitur.

2. Ingens adeſt *æſtus,* horror admodum notabilis, & inferiores corporis partes magis adfligens, *ſitis* fare inexſtinguibilis, ita vt magna faucium ſiccitas poſt potum mox redeat.

3. *Vrina* flammea, interdum poſt temporis cuiusdam ſpatium ſedimentum roſei coloris, circa incrementum vero & ſtatum inflammationis, multo tenerius, tempore vero declinationis tenacius & ſubmucidum deponens.

IV. *SVBIECTA.*

1. Vix vmquam alii homines, quam *plethorici* inflammationibus obnoxii ſunt.

2. Præcipue ſanguinei, qui habitus corporis ſucculenti, laxioris & poroſioris exſiſtunt, in quem ſanguis altius & copioſius penetrare poteſt. Hinc inflammationes præcipue in partibus carnoſis, deinde in ſic dictis parenchymaticis, rariſſime in exſanguibus occurrunt.

3. Maxime omnium illi, qui corpore quidem otioſi, animo autem multis commotionibus expoſiti ſunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa materialis *antecedens* eſt plethora. Inflammationes enim ſatis frequenter ab intra ortum ſuum habent, & per modum *decubitus*, vti vulgo loquuntur, ſiue expulſionis ad exteriora corporis, nempe ad artus materia

ex-

expellitur: præcipue in phlegmone poſt febres acutas rheumatico-inflammatorias.

2. Cauſſa materialis *proxima* eſt ſtaſis ſanguinis in aliqua corporis parte.

3. Ad hanc ſtaſin diſcutiendam & corruptionem putredinoſam præoccupandam natura, tanquam cauſſa *efficiens*, motus inflammatorios excitat.

4. Locum hinc omnino habet *adſertio antiquorum*, quod eiusmodi expulſiones inflammatoriæ a natura ſoleant inſtitui vtili quadam intentione, dum illa materias noxias a partibus nobilioribus vitalibus deponat ad partes ignobiliores.

5. Et ſane dignam meretur conſiderationem, quod tam *phlegmone*, quam *eryſipelas* in *extremis artuum* plerumque proueniant e. g. in brachio, manu, cruribus, pedibus, non vero facile in reliquo corporis trunco, rarius etiam in femore, & ibi quidem non ſine ingenti periculo & malo ſucceſſu, in primis, ſi error in curatione committatur. Hoc etiam valet, quando in capite, in primis in facie ſe ſiſtit; id quod frequentius feminis, quam viris, ob inordinatos menſes euenit.

6. Cauſſæ *inſtrumentales* ſunt

   1) directio & reſtrictio copioſioris ſanguinis, bene adhuc fluidi, ad portionem illam, motu ſuo iam priuatam.

   2) Motus auctior & fortior tranſpulſus huius fluidi & viuidi ſanguinis per coagulatas & concretas illas portiunculas. Vnde non ſolum tumor, rubor & calor oriuntur, ſed etiam corpuſculorum concretorum aliqua abraſio, diuulſio & diſcuſſio obtinetur.

   3) Quando autem hæ coagulatæ moleculæ tam craſſæ & denſæ ſunt, vt illarum diſcuſſio non amplius obtineri queat, tum intimiorem mixtionis ſuæ diſſolutionem ſubeunt.

   4) Qua ratione tenuiſſimæ tantum, nempe ſulphureæ particulæ *ſenſim* & hinc *innoxie* in reliquam ſanguinis maſſam reſorbentur, & per diaphoreſin euacuantur; reliquæ autem minus agiles particulæ in pus conuertuntur.

 7. Cauſ-

7. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica*, quæ ſtaſin ſanguinis producere valent, ſunt vel

1) *externa*, e. g. violentæ relaxationes a contuſionibus, vulnerationibus, item pruriginoſæ ſcalptiones & punctiones, frictiones cum panno aſpero: vnde ſanguis exardeſcit, porro in tenerioribus ardor ſolis, aut æſtus ignis in foco culinario; tandem meatuum interceptiones & ligaturæ; vel

2) *Interna*, vbi rariſſime ſimplex ſpiſſitudo ſanguinis, ſed potiſſimum præceps & impetuoſa actiua congeſtio adcuſanda. Hinc etiam omnis violenta ſanguinis expanſio eius modi cauſſæ internæ occaſionem ſuppeditat; quo ſpectans

a) vehementes corporis motiones, ſaltationes, iracundia, diæta vinoſa, ponderum grauiorum tractatio.

b) Partus difficilis, lochiorum & fluxus menſium ſimulque omnium hæmorrhagiarum ſiue naturaliter, ſiue artificialiter adſuetarum, imminutio, immatura emanſio & obſtructio, immo etiam ceſſatio, earumque ſingularum incongrua prouocatio, vel imprudens nimiarum adſtrictio.

c) Omnes refrigerationes, præ ceteris autem potus frigidus corpore calente intemperanter adſumtus.

d) Incongruæ febrium per adſtringentia aut expellentia tractationes.

e) Porro omnes dolorum ſpaſtico-arthriticorum inflammationumque eryſipelacearum imminuta profligatio & repulſio.

f) His tandem adnumerandæ qualescumque excretiones ſubcutaneæ, quæ non nullis plethoricis, venæ ſectionibus æquinoctialibus adſuetis, admodum frequentes ſunt.

8. De cauſſis *dolorum*, qui ſub actu inflammatorio occurrunt, legi poteſt *tabula* medica de *congeſtionibus completis* & *tabul. chirurg. de abſceſſu*.

VI. *PRO-*

VI. *PROGNOSIS.*

A. *Generalis.*

1. Sanguis extra motum ſuum alicubi ſtagnans, vel *diſcuti*, vel *exſiccari*, vel *ſuppurari* debet: ſi nihil horum contingat, ſimpliciter *putreſcit.*
2. Optima ex his eſt *diſcuſſio*, proxima eſt *ſuppuratio*: mala & ſæpe periculoſa eſt *exſiccatio*; niſi plane ſuperficialis ſit congeſtio. Peſſima, immo funeſta eſt *putredinoſa* corruptio, ad minimum parti adfectæ, ſubinde etiam vicinis.
3. Staſis *inflammatoria* eademque externa, vltra quartum diem absque ceſſatione tumoris, duritiei, ardoris & doloris pungentis perennans, magisque indoleſcens, felicem ſui *diſcuſſionem* non ſolum reſpuit, ſed certiſſime etiam tranſit in corruptionem ſiue *purulentam* laudabilem, ſiue *putredinoſam* parti adfectæ *lethalem.*
4. Licet in ſcirrhum quoque interdum deſiccetur, hic tamen ſemper ad alterutram harum corruptionum habet procliuitatem, magis autem ad putredinoſam, quam ſuppuratoriam.
5. Quando dolores tendentes & prementes *late* circa partem adfectam ſeſe extendunt, & ardor grauiſſimus ruborque intenſiſſime rubicundus, fuſcus, liueſcentibus & nigricantibus ſtriis intertextus, fibræ vero flaccidæ, eneruatæ vel plane dilaceratæ & contuſæ adparent: tum inflammatio male cedit. Hæc enim phænomena deſignant præſentem gangrænam, quæ ſummus gradus eſt inflammationis, mox in putredinem abituræ.
6. Quando tamen his præſentibus vniuerſus dolor repente ceſſat, ardor & calor tepeſcit, immo refrigeſcit, tum paucis horis pars adfecta flacceſcit; deinde mollities, tandem diffluentia in tabum cum fœtore graueolento ſuccedit; qui adfectus *ſphaceli* nomine inſignitur, & nihil aliud eſt, quam ſimplex ſanguinis coagulati putredo.
7. Quo plus *ſanguinis* ſinceri in ſtaſi aliqua concurrit, eo magis ad ſuppurationem procliuis eſt: hinc in eryſipelaceis inflam-

inflammationibus nulla ordinarie ſuppuratio contingit.

8. Quo magis *lymphatico-ſalivalis* & *ſeroſo-ſalſæ materiæ* ſtaſis quædam continet, eo peioris moris vlceroſa, colliquatiua & corroſiua corruptio inde emergit; quam *cancrum* nominare ſolemus.

9. Abſceſſus ſuppurati profundiores in *glanduloſis* externis partibus, ſine artis auxilio vix vmquam conſolidantur, & niſi perita prorſus medicatio adhibeatur, etiam artis conatus pertinaciter eludunt: nam manatio vlceroſa ſemper impedit conſolidationem.

10. Quæ autem ſuppurationes in *carnoſis* partibus obtingunt, illæ ſponte ſæpius natura, nedum accedente congruo artis ſubſidio, reſtituuntur.

11. Inflammationes partium *internarum* omnes quidem ſunt periculoſæ, gradu tamen perniciei differunt, e. g, inflammatio *hepatis* omnium eſt periculoſiſſima; hanc excipit inflammatio *ſtomachi, inteſtinorum, pancreatis, vteri, lienis*; quam ſequitur *veſicæ*, *renum* & *vreterum* a calculo exorta,

12. Inflammatio partis alicuius internæ numquam ſine ancipiti euentu & vitæ periculo ad *ſuppurationem* peruenit: perpetuus enim humorum per partes internas motus harum laceratione ſufflaminatur, & reſtauratio ob continuum ſanguinis adfluxum impeditur.

13. Quæ inflammationes *internæ* mox non ſunt pernicioſæ, illæ lentas immo hecticodeas conſumtiones & labes viſcerum poſt ſe relinquere ſolent.

14. Pleuriticæ & peripneumoniacæ inflammationes prouectiori ætati magis, iuniori autem minus periculoſæ euadunt. De ſingulis infra ſeorſim.

15. Quando inflammatio febri *acutæ* vel adſociatur, vel eidem ſuccedit, tunc *repulſio* cum vitæ periculo contingit.

B. *Specialis.*

1. *Eryſipelatis.*

1) Eryſipelas ſibi relictum, præcipue in partibus ignobilioribus, non facile eſt periculoſum. Quando autem, vt

moris

moris eſt, ad interiora *repellitur*, frequentiſſime mortem adfert. Conf. *Hippocratis aphoriſm.* 25. *Sect. VI.*

2) In partibus nobilioribus maioris eſt momenti e. g. in capite, facie, faucibus, pectore, immo in femore.

3) Periculoſum eſt, ſi incongrua arte ad *ſuppurationem* perducitur.

4) Non minus ſonticum eſt malum, quando vlceribus, vulneribus, fracturis & luxationibus ſuperuenit.

5) Quo magis febris complicata eſt, eo maioris eſt momenti.

6) In partibus *internis*, de quibus hoc quidem loco proprie non agimus, plerumque eſt pernicioſum.

7) Soluitur hæc inflammationis ſpecies quando vel pruritus, vel formicarum ſenſus, vel ſquamulæ in parte adfecta obſeruantur.

8) Quo magis in conſuetudinem degenerauit, eo facilius e leuiſſima cauſſa repullulat, ad morem aliarum translationum humorum, proprio naturæ motu contingentium.

9) Eryſipelatis corruptio peior eſt, quam quæ in aliis inflammationibus contingit.

10) *Sphacelus ex eryſipelate natus* per aliquot dies in cute deliteſcere ſolet.

2. *Phlegmones.*

1) In *phlegmonodeis* inflammationibus, late diffuſis, & in notabilem tumorem non collectis, *diſcuſſio* maxime locum habet.

2) *Phlegmone* ſenibus & valetudinariis periculoſior eſt, quam iunioribus, robuſtis & bene conſtitutis.

3) Citius ſuccedit negotium diſcuſſionis in iis, qui ſanguinem habent tenuem & floridum, quam in quibus ſpiſſitudo peccat glutinoſa.

4) Quo magis *temperata* eſt *aura*, eo facilius ſuperantur, in regionibus autem calidis & diebus canicularibus grauiores ſunt inflammationes.

3. *Apoſtematis.*

1) Quando inflammatio in tuber veluti coaceruata, & tam in profundum, quam in latum collecta eſt, tunc *maturatio* requiritur.

2) Præcipue *copioſiores* ſtaſes inflammatoriæ, ab externis cauſſis inductæ, & in nodum quaſi collectæ, ſi non cito medicationi obterantur, ad diſcuſſionem rariſſime perueniunt, ſed vel ad *ſuppurationem*, vel ad *gangrænam* tendunt. Nonnumquam imprudente tractatione indureſcunt, & tunc proxima occaſione præcipites ſunt ad vlcerationem *cancroſam ſubeundam*.

3) Staſes autem illæ molleſcentes & rubroliuidæ extuberationes (groſſe Beulen) a lapſu, ictu, verberibus repente exortæ, ſi mox ipſis occurritur, commode diſcutiuntur.

4) Quando vero grandiores eius modi congeſtiones molleſcentes iam per plures horas detentæ ſunt, tum neque inflammatio æqualis, neque debita ſuppuratio, (ob tranſitum motus ſanguinis inflammatorii minime ſufficientem) contingit. Vnde *gangræna* & *ſphacelus* immediate ſuccedunt.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A *Methodus generalis.*

1. Inflammationum *externarum.*

1) In his ante omnia prioribus diebus tentanda eſt *diſcuſſio* per *ſubtilia* reſoluentia, quæ odore magis quam reſinoſa acrimonia agunt. Huc pertinent

a) *Radices*: irid. Florent. ſigill. Salomonis, bryon. vincetox. bardanæ, pimpin. alb. rub. tinct. angelic. caryophyll. galang. quibus moderata quantitas radicis biſtort. ad ſtricturam inferendam adiiciatur.

b) *Herbæ*: apii, chærefol. hyſſop. abrotan. ſabinæ, rutæ, ſaluiæ, meliſſ. menth. criſp. & Saracen. laudatur etiam cortex medius ſambuci.

c) *Flores*: chamomill. melilot. ſambuc. bellidis, ſummitat. origan, roſar. violar.

d) *Se-*

d) *Semina*: aniſi, fœniculi, carui, dauci, fœnugræc.

e) *Camphora*, quæ hic principatum tenet, præcipue ſpiritus illius recte præparatus & legitime adplicatus. *Conf. cautel.*

f) Ex his poſſunt fieri ſpecies, quæ ſacculis, vino *calido* imbutis, & ſatis iterum expreſſis, regioni adfectæ calide adplicentur. Nam ipſum *vinum* præſtans eſt remedium ad inflammationem diſcutiendam.

g) *Emplaſtrum diaphoreticum Mynſichti*, item de *ſpermate ceti.*

2) *Fiente* adhuc inflammatione & vrgente ſtatu plethorico vtilis eſt *vena ſectio reuulſoria*, ne adfluxus ſanguinis ad partem adfectam nimis copioſe contingat; præmiſſo laxante & ſubiunctis remediis *internis*, nempe in cholericis pulueribus temperantibus nitroſis cum ſale digeſtiuo, antimoniato fixo & momento cinnabaris mixtis; in aliis autem eſſentia alexipharm. *Stahlii* coniuncta.

In *leuiore* inflammatione neque *vena ſectio* neque *interna* remedia neceſſaria ſunt.

3) Quando autem *diſcuſſio* non amplius poteſt obtineri; quod a ſtaſi vltra quartum diem ſubſiſtente & dolore in horas augeſcente diiudicatur: tum *ſuppuratio* & *maturatio* promouenda eſt. Maturant autem, quæ poros aliquo modo obſtruunt, & ſic portionum humidarum exhalationem impediunt, ſimul tamen fibras partis ſubtili neruina acrimonia roborant. Laudantur ad has indicationes obtinendas

a) *Radices*: lil. alb. althææ.

b) *Herbæ*: parietar. malu. branc. vrſin.

c) *Flores*: verbaſci, linariæ.

d) *Semina*: pſyllii, lini, cydonii.

e) *Pinguedines*: anſeris, gallinæ.

f) *Olea* per infuſionem parata, e. g. chamomill. verbaſc, lil. albor.

g) *Gummi-reſinæ*: ammoniac. galban.

h) Hæc in forma cataplaſmatis adhibenda, vbique obſeruando, vt roborantia emollientibus admiſceantur.

4) Quam primum *maturatio* facta eſt, ſtatim de *apertione* cogitandum. Hanc promouent

a) Ipſa ſæpiſſime natura, ſine artis auxilio.

b) Cepæ aſſatæ.

c) Mel cum farina ſecalina mixtum.

d) Fermentum recens.

e) Pinguedo leporis.

f) Inciſio chirurgica in apoſtematibus profundis.

g) *Cauteria potentialia*, e. g. magnes arſenicalis, præſertim cauſticum *Sutorianum*, quod efficaciam ſuam ſine inſigni ſenſu & humorum adfluxu egregie exſerit. Sic etiam efficax eſt cauſticum *Zvvingeri*, quod ex calce viua, minio & ſapone nigro paratur & parum doloris efficere dicitur.

5) Tandem ad *mundificationem* apoſtematis & *conſolidationem* adhibeantur balſamica & neruina, e. g eſſent. ſequens balſamica *Stahliana* paſſim commendata.

Recip. eſſent. myrrh. drachm. III.
ſuccin. drachm. II.
olei terebinth. gutt. X.
Miſce, inſtillando gutt. X. XX. XXX. pro conditione ſubiecti & apoſtematis.

6) *Anodyna* externe quidem locum habent in inflammationibus ad modum dolorificis; ſenſationem tamen in integrum non tollunt, ſed tantum mitigant; in incremento autem potius, quam circa ſtatum adhibenda ſunt.

7) Blanda per *aluum* euacuatio, ſi reliquæ circumſtantiæ concedunt, ante omnia inſtituatur.

2. Inflammationum *internarum*.

In his placida tantum *diſcuſſio* locum habet: ſuppuratio enim vbique periculoſiſſimum inuoluit euentum. Conf. omnes *tabulæ*, quæ de *febribus inflammatoriis* agunt & infra ſequuntur.

B. *Me-*

B. *Methodus ſpecialis.*

1. *Eryſipelatis.*

1) In *leuiore* caſu negotium diſcuſſionis vel ſoli naturæ relinquatur, vel topicis conuenientibus promoueatur. Talia ſunt

a) *Camphorata*, quæ vel in ſicca forma, vel ſoluta, nempe ſpiritu vini rectificatiſſimo, adplicentur. *Vid. cautel.*

b) *Farinacea* & *furfuracea*, e. g. farina ſecalina, triticea, lupinorum, fabarum, hordei; quibus camphora commiſceatur.

c) *Saturnina*, ſuperius iam nominata, ſed cum diſcutientibus maritata.

2) In *grauiore* eryſipelacea inflammatione præſtat remedia *interna*, quæ ſuperius indicata ſunt, cum *externis* coniungere.

3) Quæ *ſpecifice* ab auctoribus laudantur, ſub *cautelis* recenſebimus.

2. *Phlegmones.*

1) In hac inflammationis ſpecie quadrat potiſſimum methodus generalis, ſuperius tradita.

2) Diſcutientia vegetabilia ſuperius adlegauimus.

3) Præcipue in maiori ſtaſi hic non adquieſcendum in ſolis topicis, ſed interna debent coniungi.

4) Quo maior & profundior hæc ſtaſis eſt, eo magis conueniunt *emplaſtra*, cum larga quantitate camphoræ remixta, e. g. præ aliis diaphoretic. *Mynſichti*, de ſpermate ceti eiusdem, de meliloto, diachylon cum gummatibus, de ammoniaco *Foreſti*, ſaponat. *Barbette*, præcipue etiam de ſpermate ranarum, quod ſimul impetuoſum ad inflammatam partem adfluxum modeſte cohibet; alia vero acriora & vnguinoſa admiſcere minus conuenit. Coniungantur autem vbique interna reſoluentia & diſcutientia.

3. *Apoſtematodes.*

1) Hanc inflammationis ſpeciem primis diebus diſcutientibus

tibus itidem tractamus; quando autem ad maturationem tendit, tractatur, vt abſceſſus. Conf. *tabul. chirurg. de abſceſſu.*

2) Staſibus repente congeſtis, nempe rubrô-liuidis illis extuberationibus, a contuſione, lapſu, verberibus inductis, mature occurratur:

a) Compreſſione cum frigido ferro.

b) Præcipue autem cum medicamentis, ſanguinem mature *reſoluentibus*, nempe rad. irid. Florentin. ſigill. Salomonis, bryon. herb. hyſſop. chærefol. bellid. min. ſemin. aniſi, cuius oleum *Foreſtus* eximie laudat ad eiusmodi contuſiones impuras.

c) Coniunctis leuiter *repellentibus*, inter quæ hoc loco fere præcellit radix ſymphyti maioris,

d) Hæc puluériſata cum *vino* vel *vrina*, quæ nonnullis arcanum hic eſt remedium, cocta, atque in forma cataplasmatis adplicata diſcutiunt ſatis potenter, es muß aber nicht zu naß ſeyn.

e) In *ambitu* ſpiritus vini camphoratus, vel his ipſis admiſceri, vel camphora adſpergi debet.

3) Quando autem grandior talis congeſtio per plures iam horas hæſit, ita vt neque *diſcuſſio*, neque etiam debita *maturatio* exſpectanda ſit, præſtat corruptionem putredinoſam per-*ſectionem* auertere, & quidem ante, quam vel inſignis inflammatio, vel plane corruptio acceſſerit. *Apertio* ſatis ſit magna, vt ita ſanguis grumoſus, in corruptionem tendens, vno actu euacuetur. De hoc negotio legi meretur *Seuerinus de recondita abſceſſuum natura libr.* VII. & de *efficaci medicina* §. 37. Confer. etiam *tabula* chirurgic. de *contuſionibus.*

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Solemnis eſt quæſtio, num *venæ ſectiones*, quam veteres & multi recentiorum ſtaſibus inflammatoriis diſſoluendis dicarunt, tam neceſſariæ ſint, vt, ſecundum *Schelhammerum*, bona conſcientia non poſſint prætermitti? de qua re ſequentia ſunt notanda.

2. *Vti-*

2. *Vtilis* eſt venæ ſectio *fiente* adhuc inflammatione, ne adfluxus ſanguinis copioſior fiat ad partem adfectam.

3. Vtilis etiam eſt, quando vulnerum hæmorrhagiis, cito per adſtringentia ſuppreſſis, grauior inflammatio ſuperuenit, ſubiungendum autem eſt regimen diapnoicum *Conſ. num.* 40.

4. *Noxia* magis eſt, quam vtilis, ſi non ſtatim circa initia adminiſtretur.

5. Hinc in inflammationibus *internis*, vbi ſigna diagnoſtica, præter peripneumoniam, ſatis intricata ſunt, conſultius illa omittitur, quam temere aliquid tentatur.

6. Ancipitis autem inprimis euentus eſt, quando febris talis inflammatoria *typum* qualemcumque exhibet.

7. Dantur tamen aliquando caſus & circumſtantiæ, vbi etiam in inflammationibus *internis* venæ ſectio quodam modo neceſſaria videtur, e. g. in ſtatu ſumme plethorico, in grauioribus ſanguinis commotionibus, a qualibuscumque cauſſis inductis &c. de quibus ſuo loco dicemus.

8. Medicus ſi vena incongrue ſecta aduocetur, *transſpirationem* placidam tanto magis commendatam ſibi habeat: ſero autem vocatus, deterius iam ſe habente ægro, non dubitet prognoſticon funeſti euentus formare.

9. In omni inflammatione a *forti refrigerio* abſtinendum eſt: ſanguinem enim coagulat, malum grauiſſime auget, & opem in perniciem permutat; ad *praeoccupandam* autem ſtaſin inflammatoriam poſt contuſionem & collectionem ſanguinis adhuc fluidi compreſſio per ferrum *frigidum*, diu continuata, vſum præſtat.

10. Cauendum a nimia *humectatione* & *emollientibus*, quæ dum fibras relaxant, copioſiori humorum irruptioni locum præbent, ſtaſinque notabiliter augent. Exſulent itaque aquæ illæ deſtillatæ e. g. flor. ſambuc. chærefol. flor. omnium, vel calcis viuæ: quæ pasſim a chirurgis adhibentur. Idem ſentiendum de *oleoſis*, præcipue de famoſis illis e terebinthina paratis; it. ol. templinum, iuniperi. Emplaſtra mucida etiam nocent.

11. *Pinguia*, *vnguinoſa* quam maxime nocent, & per talia vulgi

re-

remedia amicus amicum nonnumquam trucidat. e. gr. dum hanc tabulam conſcribimus, vir quidam vxoris ſuæ inflammatam faciem butyro inunxerat, quæ intra duos dies moriebatur.

12. Ab emollientibus hiſce tanto magis in *eryſipelate* & *phlegmone* abſtinendum eſt, quoniam tales inflammationes ad maturationem per ſe non tendunt; & quando peruerſa tractatione omnino impetratur, parsque inflammata inſuper intempeſtiue ſecatur, non eſt laudabilis maturatio, ſed potius vlceratio cancroſa, ob concurſum ſeri cum ſanguine, vel plane ſphaceloſa corruptio. Proueniunt hinc talia vlcera, quæ olim Oehl-Schenckel vocata fuerunt, in quibus nulla conſolidatio ſperanda; vel ſi omnino in loco quodam conſolidatio facta ſit, in altero loco duo, tria vel plura foramina eueniunt. Vnde quouis modo diſcusſioni opera eſt nauanda.

13. Abſtinendum ab intempeſtiua & nimia *adſtrictione*, quæ ſufficientem aditum & tranſitum ſanguinis fluidi, ſtaſin reſoluturi, præcludit, & ſic ſalutarem naturæ intentionem turbat.

14. Abſtinendum a nimiis *calefacientibus*, quia ſenſum ardoris moleſtum fruſtra augeant, & exſiccando in ſcirrhoſam conſtitutionem ſtaſin promouent.

15. Abſtinendum ab immatura eaque magna ac profunda *inciſione*, quia, tenſionem fibrarum relaxando, tranſpulſorium & abſterſiuum motum impedit, & ſuppurationem reddit difficiliorem.

16. Differentia ἀποστάσεως & ἀποστήματος, ſecundum *Hippocratem*, bene obſeruanda eſt, ne confuſio in praxi oriatur: apoſtaſes enim phlegmonodes & eryſipelatodes, vtpote ab omni maturatione & abſcesſione alienæ, quando medicationibus ad hunc effectum acrius pellentibus tractantur, in grauia mala coniiciuntur ægrotantes. *Conf. tab. chirurg. de abſceſſu.*

17. In abſceſſu *grauiore*, multum puris continente, materia non prorſus & eodem tempore, ſed ſucceſſiue euacuanda

nimis flacceſcunt, & lipothymici facile adfectus ſuperueniunt.

18. *Dolores dentium* poſt ſe trahere ſolent tumores phlegmonodes, qui tamen, ſi modo non nimis negligenter habentur, ſponte & mature iterum ſolent diſſolui. Contra illi tumores, qui hoc in loco ſine prægreſſo dolore dentium oriuntur, & æſtum, ardorem, dolorem prurientem, pungentem & lancinantem ſecum ducunt, non carent periculo, in primis ſi improuide repelluntur.

19. De inflammationibus *eryſipelaceis* turgidioribus illud notatu dignum eſt, quod *ſanguinea* illarum portio non *ſola*, ſed *tota* ſtaſis ſimul diſcutienda ſit; alias euaneſcit quidem omnis calor & dolor, tumor autem valde contumax & diſcuſſioni refractarius remanet.

20. Hinc in ſtaſi *eryſipelacea* copioſiore, vbi cutis notabiliter inflammata adparet, cauendum eſt, ne *ſanguis ſeorſim* diſcutiatur, portio autem *lymphatico ſeroſa* relinquatur, & tumorem *œdematoſum* conſtituat. Huic incommodo occurritur, ſi ſpiritus *modice* camphoratus, & ad notabilem flauedinem *crocatus* eſt. Crocus enim ſub initium talis diſcuſſionis non modo ſeroſam ſubſtantiam ad diſſipationem aptiorem reddit, ſed & fibras roborat, vt repreſſio eo melius procedat. Vel quando *camphora* in forma ſicca adplicatur, remedia ſerum fundentia & tonum partis reſtituentia coniungenda ſunt, v. g.

Recip. farin. fabar. vel ſecalin.
Flor. ſambuc. ana manip. I.
Rad. irid. Florent. drachm. II.
Ceruſſ. drachm. III.
Camphor. drachm. I. fiant ſpecies, ſacculo immittendæ & adplicandæ.

21. *Camphora* ſcopo diſcuſſionis, tam in phlegmonodeis, quam eryſipelaceis inflammationibus, ſatis facit, in primis ſi adhuc recens eſt malum.

22. *Spiritus camphoratus* hac cautela adhibeatur, vt per initia

*eminus* tantum, nempe ad peripheriam partis inflammatæ adplicetur, & deinde, quoties ſpiritus in auras abiit, ad centrum propius admittatur. Modo ſit *rectificatiſſimus* ſpiritus, alias damnum potius, quam auxilium adfert.

23. *Optima methodus* eſt, vt *ſpiritus* breui temporis ſpatio ſub aura exhalet, & ſola camphora linteis adhæreſcat. Quando autem linteum ſpiritu adhuc madidum adplicatur. diuturna illius mora ardorem infert, cumque in *eryſipelate* vehementem; quo caſu ad ſpiritum profligandum aura, ſed non ſenſibiliter frigida, dolenti parti admoueatur, man bläſt dem Patienten, am beſten mit dem Munde, an den ſchmertzhaften Ort,

24. *Camphora* etiam maturantibus non inutiliter miſcetur, ne adfluxus humorum nimis copioſe contingat, & dolorem exaſperet.

25. *Interno* autem vſu exſulent hic camphorata; effectum enim reſoluentem & diſcutientem, quem *externe* præſtant, nullo modo *interne* producunt, ſed potius ſanguinem concitant, & calorem augent; quod etiam de aliis calidis & acrioribus ſentiendum eſt, e. g. de gummi-reſinis, galban. myrrh. &c.

26. Abſtinendum quoque a *reuocantibus* medicamentis, qualia ſunt *purgantia*, quæ in talibus caſibus maxime nocent. *Laxantia leniora* tolerantur, ſed in principio principii. Commendantur hoc nomine pilulæ *Becherianæ*, & in primis *Stahlianæ*. Multo minus conueniunt *emetica*, quæ multis anſam mortis præbent.

27. *Saturnina* ad inflammationes ipſas, præſertim inſigniores, minus commendantur; quia illorum abuſus vlcera inducit maligna, quæ vulgo erſtickte Schäden, Todten-Brüche, vocantur, *vid. Stahlii theoria pag.* 1286. eminus autem circa ambitum adplicata, pro *defenſione* valent; ſed camphorata ſemper addenda ſunt.

28. Eryſipelas quando per *ſaturnina* vel alia incongrua topica repellitur, *hydropem* inducit. Vid. *tabul. de ædemate* ſub *prognoſi*.

29. *Ale-*

29. *Alexipharmaca temperata* poſt tertium vel quartum diem commode adhibentur. Securiſſime agitur, ſi leniora diapnoica, abſorbentia & nitroſa exhibentur, & his ſemel vel bis per diem lene alexipharmacum interponitur, quo nomine eſſentia alexipharmaca *Stahlii*, cum larga portione eſſentiæ pimpinell. albæ combinata, egregie ſe gerit; hæc enim radix leniter reſoluit & abſtergit.

30. *Eſſentia petaſitidis* commendationem tum meretur, ſi ſtaſis diu iam durauit; non autem ſub initium.

31. *Specifica* paſſim laudantur, ſed optandum vt effectui ſemper reſponderent, e. g,

1) *Fel carpionum*, iners remedium.
2) *ſanguis menſtruus*, prima vice erumpens.
3) item *ſanguis leporis*, a canibus agitati. Hunc exſiccatum ad dimidiam drachmam in vino propinant, ſimul linteo excipiunt, exſiccatum aqueo rore madefaciunt, eryſipelati imponunt, atque intra 14 horas bonum effectum ſpondent.

32. *Lapis medicamentoſus Crollii* quid præſtet, experiendum eſt; modo prætermittenda non prætermittantur.

33. Sunt, qui ad inflammationes, præcipue internas, commendant *dentem apri* præparatum, *maxillas lucii piſcis*, immo vniuerſa capitis illius præparata; ſed optandus potius eſt, quam exſpectandus ab illis ſpecialis effectus.

34. Semen autem *cardui Mariæ* ad pectoris inflammationes ſpecifica efficaeia præditum eſſe, ſi non ſola medullaris ſed *integra* ſeu *tota* ſubſtantia exhibetur, experientia ſatis eſt confirmatum. Confer. *tabula de pleuritide* & *peripneumonia*.

35. In *ſphacelo metuendo*, actu autem non præſente, ad diſcuſſionem & roborationem partis immediate adfectæ, *oleum cinnamomi* a recentioribus peritis magni æſtimatur.

36. Quando eryſipelas in conſuetudinem degenerauit, ita vt a quauis exigua cauſſa repullulet: conducit circa æquinoctia *vena ſectio*, & blanda per aluum *euacuatio*; reſpicien-

ciendo ſimul *craſin* ſanguinis ſulphureo-acrem, ad vias vrinarias inuitandam & per easdem eliminandam.

37. *Calore* leni pars adfecta, præcipue tempore ſuppurationis, ſemper fouenda eſt, vt particulæ ſulphureæ agiliores per transſpirationem poſſint excerni & coagulata ſubſtantia in maiore laxitate conſeruari: vnde & formulæ *tepide* adplicari debent.

38. *Frigus* autem & ſiccum & humidum diſcuſſioni præiudicium adfert; & corruptioni tempus atque materiam ſuppeditat.

39 Quando poſt contuſionem aut aliam violentam cauſſam, magna ſanguinis collectio cum tumore tactu *molli* contingit, tum abſente adhuc inflammatione proximum eſt, vt inciſio & ſanguis collecti euacuatio inſtituatur, quia tales collectiones neque diſcuſſionem neque laudabilem ſuppurationem admittunt. *Conf. tab. chirurg. de contuſionibus.*

40. Inflammationes partium *vulneratarum* plerumque expoſcunt venæ ſectionem prudenter inſtituendam, non reformidando prægreſſam hæmorrhagiam. *Conf. caut.* 3.

41. *Diureſes* in omnibus proſunt inflammationibus, per abſorbentia cum teneris acidis ſaturata obtinendæ, e.g. per ocul. cancri aceto vel vino imbutos, corallia præparata cum cryſtallis tartari remixta; quæ remedia acrimoniam ſanguinis irretiunt.

42. Quando inflammatio a cauſſis *internis* producta eſt, externa remedia paullulum differenda ſunt, donec orgasmus ſanguinis deferbuerit.

43. Poſt *repulſionem* inflammationis non vtile tantum, ſed & neceſſarium eſt *internis* alexipharmacis temperatis, vtpote leniter expellentibus & diſcutientibus, cum regimine ſuccurrere. *Extrinſecus* vero melius tunc eſt, nihil adplicare, donec excretio illa ab intra extrorſum plurimum peracta ſit; præcipue abſtinendum, ſi ſpiritus vini camphoratus non ſit *rectificatiſſimus.*

TAB.

# TABVLA XXI.

## DE

# CEPHALALGIA.

I. D*EFINITIO.*

*Cephalalgia* eſt ſpecies dolorum capitis ab humoribus, per motum tonicum copioſius ad caput congeſtis, nullum autem exitum ibidem inuenientibus, ordinarie originem ducens. Deriuatur a κεφαλή, caput, & ἀλγέω, doleo.

II. *DIFFERENTIA.*

Cephalalgia eſt vel

1. *Idiopathica*, quæ a plethora & hinc immediata ſanguinis ad caput congeſtione exoritur; vel
2. *Symptomatica*, quæ vel ex vitio primarum viarum, per conſenſum *paris vagi* neruorum, vel in aliis morbis, e. g. febribus acutis, a translatione humorum ad caput originem ſumit.
3. Diuiſio cephalalgiæ in *ſanguineam & ſeroſam*, *catarrhalem*, *phlegmaticam*, *bilioſam*, *melancholicam*, licet *non cauſſarum*, ſed ſubiectorum tantum & temperamentorum differentiam inuoluat: in praxi tamen non prorſus prætermittenda eſt. Ita enim cephalalgia *ſeroſa* differt a *ſanguinea* ſequentibus circumſtantiis.
   1) Plerumque occupat phlegmaticos aut ſanguineo-phlegmaticos.
   2) Frequentius deſinit in *coryzam*, *raucedinem* & reliquos adfectus ſeroſos.
   3) Dolores minus ſunt pulſatiles & æſtuantes, magis vero grauatiui.
4. Differt etiam *ſanguinea* ab iſta cephalalgia, quæ præcurrit *apoplexiam*.
   1) Hæc enim magis *occiput* quam *ſynciput* inuadit, & a *nucha* quaſi incipiens pergit ad interiora cerebri, doloribus maxime *tendentibus*.

2) *Adultiores*, in primis ſumme plethoricos, poſt inſignem ſanguinis commotionem *improuiſo* quaſi corripit.

3) *vertiginoſi* fiunt, & ſenſuum vigorem *breui* amittunt.

5. Cephalalgia differt a *cephalæa*

1) *Gradu*: nam in cephalæa omnia ſunt acerbiora & pertinaciora.

2) *Tempore*: cephalalgia ordinarie breuiores habet periodos; cephalæa autem chronicus & habitualis eſt affectus.

3) Dantur tamen etiam pertinaces & fere *continuæ* cephalalgiæ, a cephalæa parum differentes, quæ per frequentem cauſſarum repetitionem & conſuetudinem in habitum deductæ ſunt; & hæ in feminis quidem præcipue obſeruantur.

4) Reliquas differentias cephalalgiæ & cephalææ, *ſignorum* huius & ſequentis tabulæ comparatio manifeſtabit.

6. Differt porro cephalalgia ab *hemicrania*, quæ arthriticoſpaſticæ indolis eſt: certa enim intercedit differentia inter dolores, qui a congeſtione ſimplice dependent, & inter illos, qui vnice a contentionibus ſpaſticis proueniunt. Specialiorem differentiam *ſigna* huius tabulæ, & illius, quæ *hemicraniam* exhibet, docebunt.

7. Differt denique cephalalgia ab *vlceroſo-ichoroſis congeſtionibus*, quæ vel a violentis externis cauſſis, vel a qualicumque humorum corruptione, maxime omnium a *lue venerea*, originem ducunt; hi enim dolores a cephalalgicis ſequentibus ſe diſtinguunt:

1) Salſo ardore rodunt, acriter morſicant & terebrant.

2) Continuo durant, nec vmquam in *ſolidum* deſinunt.

3) *Nocturno* tempore notabiliter acerbantur, cumprimis incaleſcente per quietem corpore; vnde Germani dicunt: Dieſe Schmertzen können keine Federn vertragen.

4) Plura de his doloribus *tabula de lue venerea* exhibebit.

III. *SIGNA*.

1. Exſerit ſe hic dolor aliquando per *totum caput*;

2. Plurimum in *fronte* & per *tempora* ſurſum ad *bregmata*.

3. In

3. In primis circa *radicem naſi*; vnde ægri ibidem *ardorem*, & circa *os cribroſum* eximiæ preſſionis ſenſum accuſant.
4. Simul in intimis fere *oculorum bulbis* de grauiter premente & compungente dolore conqueruntur.
5. Infert etiam ſenſum vel *lancinantem, pungentem* preſſorium, vel pulſatilem, cum pulſibus *ſynchronum*, qui tamen poſt aliquas horas *remittit*, & non ita raro *ſub ſomno* in totum deſinit.
6. Circa frontem etiam obſeruatur calor *tactui* manifeſtus.
7. Dolor concurrit *odontalgicus*, fluctuans & reciprocus, ita vt, dolore dentium vrgente, reliquus capitis dolor aliquo modo ceſſet, & in vicem verſam.
8. Vnde *dentes* ſæpe corrumpuntur, & corrupti eo facilius de nouo inuitant dolores.
9. Tinnitus *aurium* & ſuſurrus ſæpe etiam accedunt.
10. *Oculi* ſiue exquiſite rubent, ſiue tamen vaſcula aliqua inflatione diſtenduntur; ad minimum *viſui* non ſufficiunt, nec lumen liberius poſſunt tolerare.
11. Color faciei plerumque ſatis rubet, niſi iam ſpaſticum quid concurrat, in quo caſu *pallor* potius, ſaltem rubor *male diſtributus* conſpicitur.
12. Comitatur hunc ruborem *inflatio* faciei aut certe *vaſorum temporum* & ſimul fere *iugularium*. Hinc vulgus cum filo capitis incrementum & decrementum ſolet percontari.
13. In *feminis* occupat hic dolor tempora *menſtrua*, & prouenit modo *ante* menſium eruptionem, modo *ſub* fluxu illorum *imminuto*, modo *poſt* eumdem *præmature* ſubſiſtentem, & ita ſingulis menſibus ſcenam ſuam ludit.
14. Interdum, ſed rarius, accedunt adfectus vertiginoſi, qui de inſigni congeſtionis gradu teſtantur.
15. In partibus remotis ob motum ſtrictiorem tonicum ſeſe manifeſtant

1) adſtrictio *alui*.

2) pauca & tenuis *vrina*.

IV. SVB-

IV. *SVBIECTA.*

Cephalalgia præcipue corripiuntur

1. *Sanguinei*, habitu corporis florido, & facie rubicunda præditi, item ſanguineo-melancholici.
2. *Iuniores* præ ſeneſcentibus.
3. *Feminæ* præ viris.
4. Senes arthritide vexati.
5. Perſonæ, quæ de vita otioſa & ſedentaria gaudent, cum diæta lautiore, aromatica, ſpirituoſa.

IV. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis interna* eſt plethora, quæ ſimul *qualitate*, præcipue apud hypochondriacos, ſolet peccare.
2. Hunc abundantem ſanguinem principium vitale, tamquam cauſſa *efficiens* congeſtionum, exonerare intendit, eumque in finem humores motu tonico copioſius verſus caput reſtringere ſolet.
3. Ex hac reſtrictione oritur æſtus capitis inſignis, & quia libere non refluit ſanguis, vaſa inflantur, & membranæ multum diſtenduntur.
4. Cauſſæ *externæ & occaſionales*, quæ talem congeſtionem poſſunt prouocare, multæ obſeruantur, e. g.
   1) Euacuationes ſanguinis naturales, in primis narium, ſuppreſſæ.
   2) Euacuationum ſanguinis *artificialium* conſuetarum neglectio.
   3) Conſuetæ *aliæ* euacuationes neglectæ. e. g. purgationes, ſudationes, certis temporibus celebrari ſolitæ: huc etiam pertinent ſudores repulſi.
   4) Inſignes corporis & animi commotiones, in primis iracundia.
   5) Potus ſpirituoſus, præcipue ad ebrietatem ſumtus.
   6) Somnus & vigiliæ quando extra conſuetum tempus eliguntur.
   7) Deprauatio primarum viarum, tamquam cauſſa *conſenſualis* conſideranda quidem eſt, quia neruorum *paris octaui* conſenſum negare non poſſumus, certiſſimum tamen eſt,

quod

quod *conſuetudo*, humores verſus caput dirigendi, plus efficaciæ habeat, quam prædictus conſenſus. Conf. num. 13)

8) Vapores acres per nares attracti.

9) Pedum & crurum refrigeratio, præcipue humida.

10) Capitis *olim* concuſſio & vulneratio.

11) Translatio humorum verſus caput in febribus acutis.

12) Diſpoſitio hæreditaria.

13) Conſuetudo citra congeſtionis rationem.

14) *Senſibilitas*: vnde odor grauis & ſuaueolentus, præcipue in feminis, ſatis frequenter cephalalgiam prouocat, e. g. odor moſchi, zibethi, roſarum, fumantis ellichnii; vbi mechanicæ rationes, quæ vulgo allegantur, non ſufficiunt: poſſunt enim alia fœtida perferre, v. g. caſtoreum, aſam fœtidam.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Cephalalgia tantum *periculi* non inducit, quantum *incommodi* adfert.

2. Adfectus tamen vili non pendendus eſt: facile enim in prauam conſuetudinem ita degenerat, vt deinde non ſolum frequentius reuertatur, verum etiam pertinaciter duret & *cephalææ* indolem exhibeat.

3. Præſagit cephalalgia

1) Læſiones *viſus*: ophthalmiam, ſuffuſionem oculorum, guttam ſerenam.

2) Læſiones *auditus*.

3) Adfectus arthriticos.

4) Ætate prouectiore lethargum, apoplexiam & paralyſin, præcipue, quando vertiginoſi adfectus accedunt.

4. Cæterum hæc congeſtio cum effectibus ſuis dolorificis duobus modis ſoluitur:

1) vel enim contingunt *euacuationes*

a) Siue *ſanguinis* per nares; & tum dolores præſentiſſime ſæpius ſoluuntur;

b) Siue *ſeri*, e. g. e naribus per eruptionem coryzæ, item ex oculis, per illorum lippitudinem;

c) Siue *puris* modo e naribus, modo ex auribus: in grauiſſimis nempe & fere inflammatoriis caſibus;

2) vel congeſtio *ſucceſſiue diſcutitur*, & dolores *ſenſim* ſoluuntur; id quod contingit

a) *Promtius* in iunioribus;

b) *Tardius* in annoſioribus, præcipue feminis;

c) Tardiſſime in *adſuetis*, in quibus inſultus cum impetu erumpunt, per certum tempus durant & abſoluta periodo demum decedunt.

5. Cephalalgia quando in *conſuetudinem* iam degenerauit, & vitæ genus ſedentarium non mutatur in laborioſum; optima methodus & remedia efficaciſſima conſtans auxilium non poſſunt adferre.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *In Paroxyſmo.*

1. Motus humorum *ſpecialis* a partibus ſuperioribus ad inferiores reuocandus eſt: hinc ante omnia *aluus*, quæ ordinarie adſtricta, ſoluatur

1) vel per *clyſteres* emollientes, carminatiuos;

2) vel, in caſu minus vrgente, per *lenia laxantia*, e. g. pilulas *Stahlii*, *Becheri*, extracto hellebori nigri paulluium acuatas, rhabarbar. ſale Anglicano.

2. Deinde exhibeantur remedia, quæ *orgasmum* ſanguinis temperant, & ſpaſticam fibrarum ſtricturam demulcent.

1) Faciunt hoc nitroſa, abſorbentia, cinnabarina cum diaphoreticis fixis combinata, e. g. nitrum depurat. ocul. cancri, cinnabaris antimon. bezoardic. mineral. antimon. diaphoret.

2) Quando craſis ſanguinis *ſpiſſior* eſt, addatur ſal digeſtiuum e. g. arcan. duplicat. tartar. vitriolat. de quibus pulueribus ter vel quater per diem ſcrup. 1. poteſt propinari.

3. His ſubiungantur, quæ æqualem ſanguinis diſtributionem promouent, & ſic congeſtionem circa caput diſſipant. Faci-

Faciunt hoc alexipharmaca temperata, & blanda diaphoretica horis ante meridiem & quidem exiguis doſibus propinanda, e.g.

a) Eſſ. alexipharm. *Stahlii.*

b) Decoctum e radic. ſarſaparil. cichor. chin. ſcorzoner.

c) Diluentia aquoſa largiter & calide hauſta, nempe infuſa thée, coffée, veronicæ teucrii folio, lauendulæ.

4. *Dolores* autem quando hiſce cedere recuſant, lenis & circumſpecta *ſedatio* locum habet: in quem finem gran. i - ij. M. P. de cynogloſſ. vel gr. ij - iij. theriac. cœleſt. pulueribus temperantibus verſus ſomnum immiſceri poſſunt; obſeruando hoc præcipue tempore, vt excretiones alui legitime ſuccedant.

5. *Externa remedia,* quæ ſubinde effectum aliquem præſtant, cum internis coniungantur. Huc pertinent

1) *Spiritus vini camphoratus,* leniter crocatus: qui in ſenſibilibus dolores paucis momentis ſæpius abigit.

2) *Vnguentum alabaſtrinum.*

3) *Radix rhodia*, quæ pulueriſata, & epithematis forma fronti adligata, egregium præſtat effectum.

3) *Remedium domeſticum,* e pane ſecalino, pauco ſale, baccis iuniperi, ſemine carui mixtum & fronti adplicatum, etiam vſum ſuum ſuppeditat.

5) *Pediluuia, ligaturæ, frictiones.*

6. Denique in declinatione dolorum exhibeantur tonum partium roborantia MR. polychreſta *Stahlii,* eſſent. ſuccini.

7. In cephalalgia *ſymptomatica* primarius morbus reſpiciendus eſt e. g.

a) Saburra primarum viarum euacuanda ſecundum methodum, ſuo loco commendatam.

b) Febres acutæ tractandæ, vti ſub iisdem indicatum eſt. *vid. tab. de febre ſynocha.*

B. *Extra paroxyſmum.*

1. *Quantitas* ſanguinis imminuatur per venæ ſectiónem, circa æquinoctia inſtitutam; cui ad meliorem deriuationem *pediluuia* præmittantur.

2. *Qualitas* illius corrigatur
   1) *Spiſſior* per reſoluentia, attenuantia & digeſtiua. e. g. fiat vinum medicatum e radicibus alexipharmacis, herbis antiſcorbuticis, cum laxantibus ſociatis.
   2) *Tenuior* per temperantia, præcipitantia, acidula.
3. Æqualis humorum diſtributio promoueatur per mixturam tonico-neruinam *Stahlii*.
4. Præter ea hæmorrhagiarum ſuppreſſarum ſpecialis ratio habeatur, e. g. menſium, hæmorrhoidum.
5. Diæta conueniens probe obſeruetur, in primis circa motum corporis laborioſum & potum ſufficientem.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Cautelæ & obſeruationes, quæ tabula *de congeſtionibus generatim* traditæ ſunt, ante omnia hic erunt notandæ & adplicandæ.
2. *Bonum conſilium, optimum remedium*: exerceatur corpus laboribus continuis & placidis, diæta autem largior paullulum ei ſubtrahatur: ſic totum negotium felicius ſuccedet, quam ſi ingens medicamentorum farrago propinabitur.
3. Quando cephalalgia iam per plures dies inualuit, & dolores tam contumaces ſunt, vt ſpiritui vini camphorato cedere recuſent: *vnguentum alabaſtrinum*, quod commendante *Foreſto* inſigniter lenit, adhuc tentari poteſt.
4. Modo optima e tot monſtroſis eligatur compoſitio, nempe illa, quæ plus *alabaſtri* & aliquid *albuminis ouorum* continet. Vile remedium, pretioſus effectus. Conſeruetur autem vitro, non capſula; quia facile ſicceſcit.
5. *Vnguenta pinguia*, quibus veteres caput inungebant, plane non conducunt: poros enim obſtruunt, & ſic tranſpirationem, in hoc adfectu ſalutarem, præpediunt.
6. Recentiorum aliqui *nucleos perſicorum* contundunt, & camphoram cum aqua roſarum admiſcent; id quod externo vſu non contemnendum eſt.
7. *Odoramenta duplicis generis*, nempe *vrinoſa* & *ſpirituoſo-balſamica*,

*ſamica*, parum quidem auxilii adferunt; plus tamen ab vrinoſis, moderate adhibitis, e. g. a ſpiritu C. C. ſalis ammoniaci ſperandum eſt, quam a ſpirituoſis.

8. Præter ea *ſpirituoſo-balſamica* immoderate adhibita cephalalgiam acerbant, præcipue in feminis, maiorem etiam humorum adpulſum, & hinc vaſorum inflationem efficiunt. Caute itaque cum aqua Hungarica & ſimilibus procedendum eſt.

9. *Cucuphæ*, quæ ad roborandum caput & memoriam frequentius commendantur, nuda opinione fundatæ ſunt, & in diſpoſitis ad commotionem ſanguinis occaſionem ſuppeditant. Abſint inprimis ſpecies earum calidæ apud feminas, quæ in *bregmate* ſenſum illum frigidum perſentiſcunt, ac ſi fruſtum glaciei capiti impoſitum eſſet.

10. Seneſcente & tepeſcente doloris impetu, immo etiam ſub inſultu leuiter emicante, vſus *eſſentiæ ſuccini* egregie conuenit. Habet enim ſuccinum aliquid tonici, vnde tam *fluxionibus* ſanguinis, quam in eiusdem *commotionibus* exitum non inuenientibus, bonum edit effectum. Eſt etiam diuretico-diſcutiens.

11. *Oleum* autem *ſuccini*, vt & alia deſtillata, vſum cephalicum non habent: humores enim ad modum exagitant, ardorem & æſtum inferunt, & nonniſi forſan phlegmaticis aliquem vſum præſtant.

12. *Herba verbena* recentis *ſpecifica* efficacia, a *Foreſto* recenſita, raro ſe commendat. Interea *Stahlius* virginem hæmicrania & odontalgia ad inſaniam vsque correptam hac herba reſtituit.

13. Si quis narium hæmorrhagiam feliciter poſſet prouocare, haberet ille in cephalalgia, & multis aliis capitis congeſtionibus remedium exoptatum. Multa quidem in hunc finem commendantur, ſed quo effectu, docet experientia. *Michaelis* laudat radicem *crocodilii*; alii commendant adplicationem *hirudinum* ad apicem naſi; alii *comos virides millefolii*; alii *flores graminis* naribus intruſos, & in iisdem agitatos; alii ruditer & moleſte ad *ſetas ſuillas*

confugiunt. De *ſcarificatione narium Ægyptiaca* legatur *programma Stahlii*; item *Proſper Alpinus libr. III. cap. 2. p. 70.*

14. *Conſpiratio capitis* cum *ventriculo* per *par octauum neruorum* bene attendenda eſt: in ſenſibilioribus enim dolores cephalalgici ſtatim exoriuntur, quam primum digeſtionis vitia occurrunt, vel ventriculus flatibus diſtenditur, aut refrigeratur. Quamquam negandum non eſt, quod hic partium conſenſus vniuerſum negotium non exhauriat, ſed congeſtiones his ad caput, aliis ad alias partes, per meram *conſuetudinem* contingant, quam primum cibus e. gr. ingratus, licet mollis, adſumtus eſt.

15. Cauſſæ horum dolorum quando vel in acrimonia vellicante, irritante, pungente, vel in acido inſpiſſato, vel in craſſitie humorum, vel in ſpecifica ſcorbutica intemperie quæruntur, atque hinc per nuda *corrigentia*, & incongrua *diſcutientia*, item per *narcotica* & ſopientia hic adfectus tractatur, omnia grauius peruertuntur: dolores enim non cedunt, ſed contumacius durant, & frequentius recurrunt.

16. Speciatim ab *opiatis* & *narcoticis* frequentius adhibitis eiusmodi peruerſus & plane contrarius effectus ſæpiſſime exſpectandus eſt. Loco enim mitigationis dolorum in contumaciam paroxyſmorum, vix credibilem, ægros coniiciunt; vnde non raro audire contingit: Das gewöhnliche Medicament will nicht mehr helffen.

17. Inſuper *opiata* ſenſum capitis obtuſum & vertiginoſum facile relinquunt, immo catarrhi ſuffocatiui, adfectus paralytici, cachectici, non raro inuitantur.

18. *Cinnabaris*, maiore doſi exhibita, & cum aliis conuenientibus combinata, effectum edit antiſpasmodicum ſatis notabilem, tam in *fluxionibus*, quam *commotionibus* ſanguinis, & hinc opiatorum vices ſæpius ſupplere poteſt.

19. Falſiſſimum itaque quorumdam Practicorum eſt adſertum, quaſi vſus cinnabaris in fluxibus ſanguinis & aliarum excretionum minus tutus exſiſtat: re enim vera cuiuis ætati & ſexui maxime eſt adcommodatus.

20. *Spe-*

20. *Specificum cephalicum Michaelis* ſatis quidem decantatum, ſed effectu felici non æque confirmatum eſt; in maiori doſi adhibitum, ventriculo moleſtias inducit.

21. *Helleborina* cum *aliis* admixta, blande operantur; *ſola* autem propinata, tormina excitant.

22. Semper in hoc adfectu fugienda ſunt *fortiora emetica* & *cathartica*, nec non *calida alexipharmaca*.

23. Inter *laxantia* exſulent *aloëtica*: ſanguinem enim turgidiorem reddunt, & ſic cephalalgiam augent. Hinc pilularum cephalico effectu vulgo decantatarum ingredientia prius bene examinanda ſunt, quam in vſum trahantur.

24. *Embrocationes* veterum, præmiſſis vniuerſalioribus, non plane reiiciendæ ſunt: nam motum tonicum fremebundum & horridulum ſuſcitant, hacque ratione ſanguinis congeſti depreſſionem promouent.

25. *Pediluuia* in omnibus congeſtionibus, quæ verſus caput & pectus contingunt, multum leuaminis exhibent: ſanguinis enim verſus illa loca reſtrictionem relaxant, & ad pedes ducunt. Cauendum autem eſt, ne nimis *calida* adhibeantur, quia ſanguis facile turgeſcit, & natura ad impetuoſam commotionem excitatur: vnde febres naſcuntur; præcipue ſi pedes altius immerguntur, nimis diu immerſi detinentur, & aluus inſuper eſt adſtricta. Cæterum

26. *Pediluuia* quando *nimis frequenter* adhibentur, ſperatum effectum minime præſtant: ſi vero febrilis commotio concurrit, ab illis prorſus abſtinendum eſt.

27. *Martialia* omnem bonum effectum hic eludunt, & heteroclitas varias aberandi ſpecies inuitant.

28. Feminæ quidem nonnullæ effectum illorum *adſtringentem* (alius enim martialibus, vtut optime paratis, non conceditur) tranquillius adhuc tolerant; ſucceſſu tamen temporis in *tabem* vel *hydropem* deducuntur.

29. Quæ autem ſubiecta *ſenſibilia* ſunt, his in parte adfecta varia molimina ſpaſtica, immo conuulſiua oriuntur; quæ tandem ad violentas eruptiones impetum faciunt, in partibus

tibus autem remotis ſtricturæ impetuoſæ, tenſiones, inprimis alui pertinaces adſtrictiones producuntur.

30. Quando autem motus illi ſpaſtici ad eruptiones non pertingunt, grauiora adhuc pathemata, febres nempe, inflammationes, œdemata pertinacia ægri incurrunt.

31. *Salia volatilia*, exigua doſi propinata, loco ſperatæ attenuationis, tonicam & neruinam efficaciam edunt; vnde fit, vt moderate adhibita hæmorrhagias ſiſtant, & ſub initium congeſtionum, præcipue vero in declinatione, bonum effectum præſtent, in ἀκμῇ autem dolorum propinata ſenſibilem illorum excitationem efficiant.

32. In *maiore* doſi propinata effectum edunt prorſus adſtringentem: vnde natura ad impetum excernendi commouetur, & violento motu perrumpere intendit.

33. Vnicum & certiſſimum *artificiale* remedium eſt *venæ ſectio* in pede. Magna autem inciſione & ſufficiente quantitate adminiſtranda eſt, vt eo maior alteratio obtineatur. Inter ea nimis frequenter repeti non debet, alias effectus alterationis non ſuccedit. In grauidis, cephalalgia correptis, in brachio quidem olim inſtituebatur, hodie autem in ipſis pedibus ſine formidine venam ſecamus.

34. Sanguis quando minore quantitate emittitur, quam natura deſiderat, inſolentius luxuriare incipit; id quod docet, *motus* hic magis conſiderandos eſſe, quam *qualitates* ſanguinis *irritantes*.

35. *Venæ ſectio*, vti ſemper fere in aliis adfectibus, ſic etiam in cephalalgia magis *præſeruandi* quam *curandi* ſcopo laudatur: hinc in paroxyſmo ab hoc remedio abſtinendum; niſi quidem ſumma neceſſitas, quæ tamen hic raro contingit, illud efflagitet: alias enim facilius adfectus recurrit, & venæ ſectio ſenſim minore immo tandem nullo effectu inſtituitur.

36. *Scarificationes*, in primis *adſueta*, in *paroxyſmo* facilius poſſunt tolerari, minoris autem ſunt efficaciæ, quam venæ ſectiones. In iuniore ætate infra annum viceſimum quintum adhuc conſtituta, *artificiales* euacuationes per venæ ſectionem & ſcarificationem, quantum fieri poteſt, omit-

mittantur: vix vmquam enim tale damnum huic ætati a cephalalgia obtingit, quale in annoſioribus timendum eſt, nempe: vertigo, apoplexia, lethargus, paralyſis; ſed natura plurimum ſponte ſua hunc adfectum feliciter profligat.

## TABVLA XXII.
## DE
# CEPHALALGIA ILIACO - HÆMATITICA,
## SEV
# CLAVO HYSTERICO.

I. *DEFINITIO.*

Cephalalgia iliaco-hæmatitica eſt ſpecialis capitis dolor, ſexui feminino proprius, a reſtrictione ſanguinis menſtrui verſus caput originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Clauus hyſtericus*, a *Sydenhamo* ita nominatus, licet cum cephalalgia ſanguinea plurimum conueniat, ob peculiares tamen circumſtantias peculiari indiget euolutione.

2. Ab *ileo hæmatite Hippocratis* proprie non differt *clauus hyſtericus*, ſed vnus idemque eſt adfectus; niſi quod ileon hæmatites ſenſu potius generaliore ſumatur, & omnes turbas ſpaſticas, a vitio ſanguinis menſtrui exortas, comprehendat, nempe cephalalgiam iliaco hæmatiticam, ſeu *colicam anotericam*, die Ober-Colick vulgo Uberkolck, & *colicam abdominis*.

3. *Clauus* hic *hyſtericus* differt *gradu*.

1) In aliis enim *mitiores* ſunt dolores, & circa tempus men-

 ſtru-

ſtruum per 3-4 dies plus vel minus ægras exercent. Hic gradus cephalalgiam, præcedente tabula exhibitam, non transſcendit.

2) In aliis autem dolores ſunt pertinaces & ita fere continui, vt ad cephalæam magis referendus ſit adfectus: & quando inquinamentum venereum dictis cauſſis ſuperuenit & maſſam ſanguineam conſpurcat; quod hodie non ita rarum eſt, tum cephalæa atrociſſima inducitur.

III. *SIGNA.*

1. Præcedunt pathemata, quæ in malo hyſterico obſeruantur. *Vid. tabul. de malo hypochondriaco-hyſterico.*
2. Dolor grauans, diſtendens, vellicans, lancinans, modo totum caput occupans, modo & præcipue circa tempora ita ſenſibiliter pungens, ac ſi *clauus* ibidem eſſet infixus; a quo doloris ſenſu nomen hic adfectus accepit.
3. Cum his doloribus ſæpe numero concurrit pertinax *ſenſus frigoris* plane *gelidi* circa *ſuturam ſagittalem*, als wenn ein Stück Eiß oben auf dem Kopf läge, vel *aquæ* circa *verticem* fluctuantis,
4. Inflatio capitis peripheriæ, quaſi eryſipelacea, cum rubore faciei plerumque coniuncta.
5. In dorſo ſentitur dolor ad nucham adſcendens, in qua nonnumquam nodi producuntur.
6. Tinnitus aurium, grauitas auditus.
7. Comitantur hunc adfectum non raro
   1) febricula aliqua,
   2) horripilatio quaſi perpetua extremorum artuum,
   3) Laſſitudo inſignis,
   4) Adpetitus deiectus,
   5) nauſeabundus vomendi conatus & ructus,
   6) pertinax adſtrictio alui.
8. Recurrit ordinarie circa menſtruas periodos.
9. Quo tempore, ſi adhuc *leuioris gradus* exſiſtit, per aliquot tantum dies ſcenam ſuam ludit.
10. Quo magis autem in *conſuetudinem* adactus eſt hic adfectus,

vel

vel cauſſæ *venerei inquinamenti* accedunt, eo magis continuus, chronicus & perennans obſeruatur.

IV. *SVBIECTA.*

1. Eſt quidem hic adfectus *feminino* ſexui, vitio menſium laboranti proprius; occurrit tamen etiam nonnumquam ſimile ſchema in *viris*, qui arthritico-hæmorrhoidalibus fluctuationibus & turbis obnoxii ſunt.

2. *Illa* autem *feminæ*, & vix vnquam aliæ, hisce doloribus ac incommodis ſubiacent, quæ
   1) Otioſæ & vitæ ſedentariæ addictæ ſunt,
   2) de diæta plena & lauta gaudent,
   3) animi commotionibus expoſitæ ſunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *generalior* huius adfectus conuenit cum cauſſa cephalalgiæ, præcedente tabula exhibitæ: nimirum motus ſanguinis excretorius, verſus caput directus, vtrorumque eſt fundamentum.

2. Cauſſa *ſpecialior* eſt menſium vitium qualecumque, rarius obſtructio hæmorrhoidum, per incongrua artificia inducta.

3. Hæ cauſſæ *materiales* naturæ anſam præbent, per varios motus ſpaſticos retenti ſanguinis expreſſionem tentare; & quidem
   1) Locis ſub initium proximis: vnde motus hypochondriaco-hyſterici oriuntur.
   2) Deinde circa pectus, per varias tenſiones & compresſiones.
   3) Denique in capite intentionem ſuam manifeſtat per incommoda ſub *ſignis* indicata.

4. Cauſſæ *externæ* & *occaſionales*, quæ præcedente tabula nominatæ ſunt, clauum etiam hyſtericum inuitare poſſunt; præcipue refrigeratio pedum, diæta calida, & animi commotiones.

5. Conferatur tabula de hypochondriaco-hyſterico malô.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quoniam hic adfectus ex congeſtionibus & vehementibus

 ſpas-

ſpasmis in abdomine, pectore & capite complicatus eſt, præ aliis cephalalgicis dolore plenus & contumax obſervatur.

2. Et ſane nihil magis vexat Medicos & opprobrio illos exponit, quam dolores capitis in ſexu feminino.

3. Cauſſa infelicis huius ſucceſſus non quærenda eſt in ipſo adfectu, nec etiam ſemper in præpoſtera medicatione, ſed potiſſimum in conditione ſubiectorum.

4. Quem ad modum enim illæ fere ſolæ huic incommodo ſubiacent, quæ commodam, otioſam & victu abundantem vitam degunt, hoc vitæ genus autem ab omnibus perſonis, quarum ſors illud tolerat, cum deſiderio adprehenditur: ita etiam nulla alia, quam mitigans & denuo repetenda curatio in illis poteſt obtineri.

5. Ipſe enim morbus *in ſe* conſideratus, licet inueteratus & per multas reiterationes in conſuetudinem perductus ſit, admittit omnino, teſte experientia, optatam ſui runcationem, ſi peruerſum vitæ genus mutatur, & congrua methodus adhibetur.

6. Ceterum quoniam hic adfectus in hypochondriaco-hyſtericis turbis radices ſuas habet fundatas, prius non tollitur, quam his eradicatis.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Methodus hic fere conuenit cum illa, quam in cephalalgia *præcedente* tabula commendauimus, nimirum

A. *In paroxyſmo.*

1. *Aluus* ante omnia eſt expedienda,
   1) vel per clyſteres lenientes & emollientes, non autem ſtimulantes,
   2) vel per leniſſima laxantia interna; vbi nempe impetus dolorum non ita vrget.

2. Deinde *orgaſmus* ſanguinis temperandus, & ſpaſtica fibrarum ſtrictura demulcenda eſt per nitroſa, abſorbentia, cinnabarina cum diaphoreticis fixis combinata, e. g. nitrum depurat. conch. præparat. ocul. cancri, cinnab. nativ. præparat. bezoard. mineral. antimon. diaphoret. Quan-

Quando craſis ſanguinis *ſpiſſior* eſt, addatur ſal digeſtivum, quod etiam ad mucum in primis viis reſoluendum & diureſin obtinendam neceſſarium eſt.

3. His interponantur æqualem ſanguinis diſtributionem promouentia, e. g.

Rec. eſſent. alexipharm. *Stahlii* drachm. II.
millefol. drachm. I,
ſpirit. ſalis ammoniac. drachm. ſemis
M. doſis gutt. XXX.

4 His præmiſſis vtili ſæpius effectu vſurpatur herb. millefol. in forma vel decocti vel eſſentiæ; item eſſent. cortic. caſcarill. cum eſſent. pimpinell. alb. coniuncta.

5. Hæc autem quando non ſufficiunt, *lene anodynum* pulueribus temperantibus miſceri & verſus ſomnum propinari poteſt, e, g. M. P. de cynogloſſ gr. I. pro doſi; quo tempore ſucceſſus alui obſeruetur.

6. *Externa* remedia ſimul adhibeantur, quæ *præcedente tabula* commendata ſunt; in primis *ſpiritus camphoratus*, qui temporibus illitus, & vertici inſtillatus, egregie conducit; item *vnguentum alabaſtrinum*, quod ſanguinem notabiliter ad interiora reſtringit.

7. Denique ſub *declinatione* dolorum propinentur *tonica*, e. gr. mixtura tonico-neruina *Stahlii*; item eſſent. ſuccin.

B. *Extra paroxyſmum.*

1. Circa æquinoctia inſtituantur venæ ſectiones.

2. Menſium præ omnibus habeatur ratio, & verſus illud tempus, quo exſpectantur, vel exſpectari debent, pilulæ *Stahlii* aut *Becheri* per ſex circiter dies exhibeantur, & ſequentibus menſium periodis tam diu repetantur, donec in iuſtum ordinem redacti ſunt.

3. Optimum autem & fundatiſſimum remedium, nempe ſufficiens corporis motus, tanto magis ægrotis commendetur & inculcetur, quanto difficilius ad id eligendum & continuandum perduci poſſunt. Sunt enim fere ſemper teneræ & delicatulæ, quæ hoc morbo inficiuntur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quæ præcedente tabula ſub *cautelis* annotata ſunt, hoc loco plurimum poſſunt adplicari.

2. Cauendum in hoc adfectu congeſtorio-ſpaſtico, ne curatio *motuum* poſtponatur mitigationi *dolorum*. Hac enim ratione dolores maiore ferocia recurrunt, & breuem requiem male compenſant.

3. Multæ ſunt feminæ, quæ *camphoræ* odorem non poſſunt perferre; ne autem efficaci hoc remedio priuentur, nares illarum obturandæ ſunt, donec natura, ſentiens ab hac vnctione leuamen, remedium illud amore amplectatur. Hac ratione multarum auerſatio a camphora feliciter ſublata eſt.

4. *Calida* illa remedia neruina, caſtorina, carminatiua, elixiria vterina, male hic adplicantur.

5. Quouis etiam modo cauendum eſt, ne per calida, externe adplicata, ſenſum illum *frigidum* in vertice remouere animo ſedeat. Es iſt kein kalter Fluß, ob gleich das Gefühl kalt iſt.

6. *Opiata*, præpoſtere adhibita, exacerbant ſymptomata, & inducunt adfectus ſoporoſos, ſtupores paralytodeos, excretionum debitarum ſuppreſſiones, & interdum mentis plane alienationes.

7. Odor *ſalium volatilium* prius non admittatur, quam temperantibus præmiſſis tonus ſpaſticus in abdomine relaxatus eſt; alias in capite motum tonicum augent & per hanc congeſtionem humores, hactenus diffuſos, in anguſtum locum comprimunt; vnde acutiſſimi dolores exoriuntur.

8. Exſulent omnia *pinguia* externe adplicata: poris enim intimius ſeſe inſinuant, transſpirationem perutilem impediunt & æſtum augent.

9. Si *vena ſectio* ob ægrotantis auerſationem locum non habet, *pediluuia* alternis diebus verſus recurſum menſium veſperi vſurpentur; quo tempore aluus legitime ſuccedat.

TAB.

# TABVLA XXIII.

## DE

# CEPHALAEA.

I. DEFINITIO.

Cephalæa eſt pertinaciſſimus & fere continuus capitis dolor a rheumatica congeſtione humorum verſus caput originem ducens. Deriuatur a κεφαλή, caput.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Cephalæa* quo modo differat a *cephalalgia tabula* XXI. indicatum eſt.
2. *Cephalæa* differt etiam aliquo modo a *cephalalgia continua*: nam hæc *ſimplicioribus* ſanguinis congeſtionibus innititur, & per conſuetudinem tantum ita fit perennis ; illa autem motibus congeſtoriis *rheumaticis* ſtipata eſt. *Conſ.* tabula XXI. *de cephalalgia.*
3. Differentia cephalææ ab *hemicrania* e ſignis inter ſe collatis eluceſcit.
4. Ratione autem *cauſſarum* quo modo cephalæa differat, infra ſub cauſſis indicabitur.
5. Cæterum cephalæa commode diuiditur in
   1) *continuam*, chronicam, valde pertinacem,
   2) *periodicam*, quæ certis temporibus paullulum remittit.
   3) *vagam*, quæ nullius exactæ periodi exſiſtit.

III. *SIGNA.*

Hæc ſecundum cauſſas differunt.

1. Quæ cephalæa cum cephalalgia eamdem cauſſam *generaliorem* fouet, illa etiam eadem habet ſigna, gradu licet vehementiora. Nam dolores non ſolum continuo fere durant, ſed etiam pertinaciſſime adfligunt.
2. In feminis, quando cephalæa contingit, omnia illa ſigna conſpirant, quæ tabula præcedente de *clauo hyſterico* adlegata ſunt.
3. Vbi *vlceroſo-ichoroſa* congeſtio & ſpeciatim *lues venerea* in cauſſis eſt, ibi dolor adeſt *vni loco* quaſi infixus, ſalſo ardore

dore rodens, acriter morſicans, terebrans, vix vmquam ex ſolido deſinens, qui & nocturno tempore, incaleſcente ſub lecto corpore, acerbatur, & ſine manifeſtis congeſtionis ſignis obuenit.

4. Quando a *coagulatione* ſanguinis & *inflammatione meningum* cephalæa exoritur, dolores ſatis acuti ſunt, & calor inſignis cum ſiti intolerabili accedit.

5. *Vertiginoſa* capitis perturbatio per interualla & præcipue ſub doloris declinatione occurrit.

6. Nullum corporis motum ægri poſſunt tolerare: a leui enim motu dolor capitis augeſcit & *arteriarum* pulſum æmulatur.

7. In loco adfecto interdum adparet tumor duriuſculus, qui ſenſim capit incrementum.

8. Quamdiu decumbunt, dolores obſeruantur *mitiores*, dum autem caput attollere volunt, tam repentino inſultu corripiuntur, vt ſui immemores recumbere cogantur.

9. *Hæmorrhagia narium* effrenis non ita raro *in ſcorbuticis* cauſſis accedit. *Vid. tab. de ſcorbuto.*

10. Cæterum ægri cephalæa adflicti ſunt *ſenſibiliſſimi*: a quouis enim clamore, ſtrepitu, tumultu, gallicinio, tamquam rebus intolerabilibus perturbantur.

11. *Lucem* etiam non poſſunt perferre, hinc cameras amant obſcuras, in quibus tranquilla quies & altum agitur ſilentium.

12. A quouis *potu* paullulum *fortiore* ſtatim male ſe habent, nec niſi ad modum *dilutum* tolerant.

IV. *SVBIECTA.*

1. Cephalææ plerumque obnoxiæ ſunt *feminæ*.

2. Rarius *viri*, niſi a turbulentis hæmorrhoidibus aut vlceroſa conſtitutione, ſpeciatim a *lue venerea*, originem ſumſerit.

3. Illæ autem feminæ præcipue huic malo ſubiacent, quæ ob vitæ genus ſedentarium, diætam plenam, & animi pathemata menſium perturbationem incurrunt.

4. Temperamentum melancholicum huic adfectui præ aliis eſt expoſitum, & ſane in talibus ſubiectis pertinax *animi* indoles efficaciæ non eſt poſtremæ.

V. *CAVS-*

V. *CAVSSAE.*

Cauſſas cephalææ ex illis, quæ ſub *ſignis* & *ſubiectis* dicta ſunt, in hunc ordinem colligimus.

1. Cauſſa *generalior* in *cephalæa* eadem eſt, quæ in *cephalalgia*: nam ſanguinis ad hæc loca congeſtiones anſam præbent omnibus ſpecialioribus effectibus & productis in cephalæa obuenientibus; id quod & de ipſius luis venereæ capitis doloribus non poteſt negari. Ab impetuoſa enim congeſtione contingit diſtenſio partium, quæ relaxatæ repulſui humorum non ſufficiunt. Vnde ſtagnationes, ſtaſes, corruptiones exoriuntur.

2. *Cauſſæ ſpecialiores*, quibus cephalæa innititur, ſunt conſtitutiones ſiue vlceroſæ, ſiue actu iam exulceratæ, quæ a ſequentibus circumſtantiis & cauſſis originem ſumere poſſunt: nempe
   1) a ſcorbuto.
   2) a luis venereæ inquinamentis.
   3) ab aliis ſcabioſo impetiginoſis corruptionibus, quæ intra cutem contingunt.
   4) A contuſionibus, vulnerationibus & vlcerationibus præpoſtere tractatis.

3. *Veteres* materiam tenacem, cerebro impactam, vel plane *apoſtema* aliquod accuſabant, & hinc pro diuerſo reſpectu, modo *apophlegmatiſmos*, *ſetacea* & *veſicatoria*, modo *cauteria*, modo ipſam capitis *terebrationem* commendabant.

VI. *PROGNOSIS.*

Diuerſitas *cauſſarum* diuerſam etiam prognoſin inuoluit.

1. Vbi cauſſæ cephalææ cum cephalalgia conueniunt, ibi eadem valet prognoſis, quæ *tabula XXI. de cephalalgia* indicata eſt; modo attendatur, quod a *minori* ad *maius* hic præcipue valeat conſequens.

2. *Vlceroſa* conſtitutio quando *ſimplicior* ſubeſt, difficultate quidem curatio omnino laborat, non omnem tamen dirimit ſpem reſtitutionis.

3. *Venerea* autem *vlceroſa* conſtitutio, vel quæcumque *alia*

cum oſſium *carie* coniuncta eſt, multo maiores inuoluit difficultates: licet enim cauſſa per dextram medicationem ſublata ſit (quod negotium etiam non exigui eſt momenti) dolores tamen vix vmquam ita cedunt, vt futuro tempore non magis recrudeſcant.

4. Cephalæa illa, quæ per ſeroſas excretiones facilem & frequentem exitum adepta eſt, multo pertinacior, quam alia minus talis, obſeruatur.

5. Cephalæa per habitum obfirmata interdum degenerat in melancholiam.

6. Cephalæa cum inſigni plethora coniuncta, apoplexiam futuram præſagit. *vid. Foreſtus.*

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Cephalæa, quæ adhuc *ſimplicior* eſt, non abludit a methodo, quam tabula XXI. de cephalalgia exhibuimus, niſi quod hic *mucoſæ ſtaſes* fortius reſolui debeant per anticatarrhalia alexipharmaco-diuretica, e.g.

1) *Radices*: ari, pimp. alb. helen angelic. vincetox. imperator. gentian. rubr.

2) *Herbas amaras* & *capillares*: ſcord. centaur. min. card. bened. capill. vener. cuſcut.

3) *Cortices* & *ligna odorata*: chacarill. ſaſſafr.

4) *Gummi-reſinas*: ammoniac. galban. ſagapen.

5) *Tincturas alcalinas*: ſalis tartar. antimon.

6) *Salia enixa*: tart. vitriolat. nitr. antimoniat. arcan. duplicat. item ſalia centaur. min. abſinth. geniſt.

2. Facta reſolutione & præparatione materiæ *purgans* aliquod ad illam exterminandam præſcribendum eſt. Laudatur in hunc finem ialapp. extract. panchymagog. *Crollii*, M.P. de ſuccino *Cratonis*, eſſent. hellebor. nigr. ſecundum methodum *Stahlii*, nempe ex extracto reſinoſo per ſpiritum vini parata.

3. *Hirudines* temporibus vel auribus adplicatæ vſum etiam præſtant.

4. Quo magis autem cephalæa ab inquinamentis *venereis* vel *ſcorbuticis*, aut ab aliis tam internis quam externis vlcerationibus fouetur, eo magis ſecundum diuerſitatem cauſſa-

cauſſarum diuerſæ etiam medicationes neceſſariæ ſunt, nempe

1) *Cephalæa venerea* tractanda eſt, vti lues venerea, *vid. tab. de lue venerea.*

2) *Scorbutica*, vti ſcorbutus. *vid. tab. de ſcorbuto.*

5. Quando incongrua *ſuppreſſio vlcerum* manantium, vel aliarum *ſeroſarum* excretionum præceſſit, manetquidem methodus num. 1. & 2. commendata; quoniam autem in illo caſu adfectus admodum rebellis eſt, externa nonnumquam in ſubſidium vocanda ſunt, nempe vel apophlegmatiſmi, vel fonticuli, vel ſetacea pro circumſtantiarum ratione.

6. In ſtatu *inueterato* colliquatio & euacuatio per *mercurium* æque ac in cauſſa venerea tentanda eſt.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Omnes obſeruationes & cautelæ, tabula XXI. de cephalalgia commendatæ, quam maxime & præcipue in cephalæa etiam commendantur.

2. *Topica* eo magis hic ſunt neceſſaria, quo magis continui & contumaces ſunt dolores. In hunc finem præter ſpiritum vini camphorat. præcipue adhuc laudatur *radix rhodia* puluerisata & epithematis forma capiti adplicata.

3. *Nephritica* doloribus circa lumbos, qui cephalææ prodromi ſunt, opponere, adfectum potius acerbare quam eumdem mitigare poſſunt.

4. Abſint tamen acriora, in primis balſamica, quæ facile commotiones febriles prouocant: immo ipſe ſpiritus vini camphoratus, quem modo commendauimus, non niſi poſt debitas euacuationes ſatis tuto poteſt vſurpari.

5. Medici iudicio relinquitur, num initium curæ cum *purgante* quodam faciendum, vel prius ad *correctionem* humorum accedendum ſit.

6. Ad craſin humorum corrigendam *formulæ humidæ* aliis in hoc adfectu præferendæ ſunt, e. g. *medicatum vinum* e rad. ari, cichor. caryophyllat. helen. angel. herb. meliſſ. betonic. verben. comis abſinth. cort. citr. aurant. & ſi

 tem-

tempus ferat, cochlear. recent. Ex laxantibus fol. ſennæ, rad. rhabarb. & præcipue fibr. hellebor. nigr.

7. In *ſeroſa* ſanguinis dyſcraſia conducit egregie *eſſentia ſuccini* cum ſpiritu volatili C. C. & tinctura tartari maritata.

8. *Pediluuia* & *frictiones* pedum per pannos aſperos etiam egregie conducunt.

9. Notum eſt, quod in cephalæa pertinaci ſæpe ad *trepanationem* properetur, ſed illa locum non habet, niſi in talibus circumſtantiis, in quibus de humoribus ſub *caluaria* extra vaſa locatis, certa indicia proſtant. *Conſ. tab. chirurg. de trepanatione.*

10. Continentia & corporis & animi ſit tranquilla; diæta aromatica ac ſpirituoſa euitetur, continuaque alui ſucceſſio promoueatur.

11. *Venæſectio* æquinoctialis ſeu præſeruans in hoc adfectu maiorem habet vſum, quam quæ incurandi ſcopum inſtituitur; & quoniam cephalæa rariora habet interualla, ſedulo cauendum eſt, ne vena tempore acerbitatis ſecetur.

# TABVLA XXIV.

## DE

# OPHTHALMIA.

I. DEFINITIO.

Ophthalmia eſt inflammatio *tunicæ adnatæ* oculorum, a congeſtione humorum verſus caput originem ducens, & haemorrhagiam narium e *longinquo* quaſi reſpiciens. Deriuatur ab ὀφθαλμὸς, oculus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Ophthalmia eſt vel

1) *Vera*, quae ſtaſin *ſanguineam* pro cauſſa habet, vnde etiam *ſanguinea* dicitur; vel

2) *Notha*, quae ſtaſin magis *ſeroſam* inuoluit: vnde *ſeroſa* vocatur.

2. No-

*Notha* iterum duplex eſt:

1) *Leuioris* gradus, quae ταραξις dici ſolet, a ταράσσω, turbo.

2) *Intenſioris* gradus, vbi palpebrae ſimul adficiuntur & prurigo oculorum concurrit. Dicitur *Chemoſis* a χαίνω, dehisco, quia tumor ita conſpicuus adeſt, vt oculi nigrum concauum videatur.

3. Ophthalmia etiam diuiditur in

1) *ſimplicem* &

2) *habitualem*, ſeu pertinaciter adſuefactam.

4. Porro diuiditur in

1) *Statam*, quae contumaciter durare ſolet, &

2) *Periodicam*, quae per paroxyſmos quaſi adfligit.

5. Alia eſt *profundior*, alia *ſuperficialis*, & tandem

6. Alia *vnicum* tantum, alia *vtrumque* adfligit oculum.

III. *SIGNA.*

1. Rubedo oculorum cum inflatione circa vaſa *albuginis*.

2. Senſus modo ardoris, modo pruritus.

3. Dolor inflammatorius, vrens, compungens, lancinans, non ſolum oculos, ſed per conſenſum etiam totum caput adficiens. Praeterea

4. Æger intolerans eſt lucis & obiectorum lucidorum.

5. Effuſio lacrimarum, quae magis in ophthalmia *notha* ſeu *ſeroſa* occurrit, quam in *ſanguinea*, quae ſiccior eſſe ſolet.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Infantes*, a cruſtae lacteae aliarumque capitis exulcerationum atque tumorum repulſu.

2. *Pueri*, ab haemorrhagia narium emanente.

3. *Adulti*, a ſuppreſſione euacuationum naturalium & neglectione artificialium e. g. ſcarificationum adſuetarum.

4. Qui baccho & veneri indulgent & diaeta aromatica abutuntur.

5. Qui oculos nimium fatigant & acriora atque coacta videndi intenſione irritant, vel aëri frigido, aut etiam nimio calori illos exponunt.

6. Speciatim qui crebris lectionibus & lucubrationibus indulgent.

V. *CAVSSAE.*

1. *Interna.*

1) Cauſſa antecedens *remota* eſt plethora, cum cacochymia, praecipue in adfectu ſeroſo, plerumque coniuncta.

2) Cauſſa *propior* eſt decubitus ſanguinis ad oculos, cuius transſudans tenuior portio partes haſce ſenſibiles rodit; quae roſio vlteriorem deinde humorum adfluxum inuitat.

3) Cauſſa *proxima* & *immediata* eſt ſtaſis inflammatoria in tunica adnata oculorum.

2. Cauſſae *externa, occaſionales* & *procatarctica*. Praeter illas, quae in *ſubiectis* iam nominatae ſunt, ſequentes adhuc notamus.

1) Conſuetudo & frequens congeſtionum talium recurſus.

2) Frictiones & ploratus.

3) Exhalationes acres, rodentes, ſalinae.

4) Aer humidus, vel alia humectatio immodeſta.

5) Inſecta ſeu animalia parua in oculos inuolantia.

6) Percuſſiones oculi.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Laeſiones oculorum & viſus, difficilis ſunt reſtaurationis.

2. Quo diutius oculorum adfectus tolerantur, eo grauius damnum in hiſce teneris partibus inferunt: rubor enim facile in inflammationem, & haec in ſuppurationem, vlcerationem & eroſionem tranſit.

3. Niſi *ſtaſis* tempeſtiue diſcutiatur, ex ophthalmia *ſanguinea hypopyum*, & ex hypopyo *pterygium* ſeu *vnguis* enaſci poteſt; de quibus peculiaribus oculorum adfectibus *tabula chirurgica de operationibus in oculis* agitur.

4. Ex ophthalmia autem *notha* ſeu *ſeroſa* contumax *lippitudo*, & inde emollitio & *exeſio tunicae corneae*; ab hac autem *procidentia vueae*, immó demum, continuante inflammatione, *viſus* plane *amiſſio* prouenire obſeruatur.

5. Quando in *corneam* læſam cicatrix ducitur, *clauus* oculi emergit.

6. A

6. A *ſeroſis* quoque ophthalmiis *fiſtulæ lacrimales* plerumque initium habent.
7. Ophthalmia *diuturna* vel ſæpius recurrens facile poſt ſe trahit viſus hebetudinem vel cæcitatem.
8. Immo ſi in ophthalmia neque diſcuſſio neque ſuppuratio locum inuenit, ſæpius perit oculus.
9. Alui profluuium & hæmorrhoidum ſuppreſſarum autocratica ruptio ſæpius ophthalmiam tollunt, ſaltem imminuunt.
10. Grauiorem *ſuppurationem* vel cæcitas vel totius oculi corruptio ſequitur.
11. Ophthalmia, quæ grauiores capitis contuſiones excipit, periculoſa eſt.
12. Ophthalmia quo magis hæreditariam labem, aut hæmorrhagiarum ſuppreſſionem cauſſam agnoſcit, eo ſæpius ſolet recrudeſcere, & in adſuetudinem abire contumaciorem; niſi quidem cauſſa ſuppreſſæ hæmorrhagiæ ſublata prognoſin reddat mitiorem.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *In paroxyſmo.*

1. Cruditates primarum viarum expurgentur.
   1) In *ſeroſa* ophthalmia magis conducunt phlegmagoga, e. g. ſennata, ialappina & mercurius dulcis.
   2) In *ſanguinea* ophthalmia commendantur rhabarbarina & ſcammoneata.
   3) In *adultis* exhibeatur M. P. de ſuccino *Cratonis* cum mercurio dulci, vel cum extract. hellebor. nigr. reſinoſ. aut cum reſina ialap. combinata.
2. Staſis a congeſtione orta diſcutiatur.
   1) *Interne*
      α) in *ſanguinea* ophthalmia per nitroſa, præcipitantia, grata acidula & diluentia.
      β) in *ſeroſa* autem, præter modo dicta, exhibeantur inſuper lympham corrigentia & ſic dicta anticatarrhalia, e. g. eſſent. ſuccin. ligni ſaſſafr. *lignorum*, tinct. antimon. tartariſat, eſſent. alexipharmaca *Stahlii*.

2) *Ex-*

2) *Externe* optime hoc impetratur per
a) *Camphorata* legitime adhibita, nempe vel linteis multiplicatis inſtillata, & poſt ſpiritus vini exhalationem palpebris adplicata; vel camphora cum amygdalis excorticatis ſubacta & tum cum modica portione aquæ roſarum in emulſionem redacta intraque oculum, ſi abeſt inflammatio, adplicata.
b) *Epithemata ſicca*, e. g. ex rad. irid. Florentin. valerian. flor. ſambuc. herb. hyſſop. ſem. cumin. fœnicul. croc. cum camphora.
c) Per *adflatum halituoſum* ex ſem. aniſ. fœnicul. præcipue in infantibus.
d) Per *nitrum* pauca quantitate in aqua roſarum, cyani, calcatripp. ſolutum & adplicatum; id quod inſignem effectum edit.
e) Per *lac* croco largius tinctum & tepide adplicatum.

3) *Adfluxus* & vlterior *congeſtio* ad has partes reuellatur.
1) Interne huic indicationi ſatis faciunt laxantia repetita, quæ humores ad inferiores partes reuocant. Eadem hic conducunt, cum quibus curationis initium factum eſt.
2) *Externe* conueniunt diſcutientia & tonica, quæ ſimul ſiccant & adſtringunt:
a) *Vitriolum album*, in ouo cocto per deliquium reſolutum, & cum aqua roſarum temperatum.
b) *Nitrum*, ſupra iam laudatum, maiore cum fructu adhibetur, quando *ſaccharum ſaturni* cum illo in cryſtallos redactum eſt.
c) In *ſanguinea* ophthalmia ſacrificatio, vel illius loco *Sennerti ſinapiſmus*, nempe farina *erucæ* ſacculo incluſa, vino cocta & *nuchæ* adplicata.
d) In *ſeroſa* locum etiam habent exſiccantia & lenia adſtringentia, in forma *pulueris* adplicata. e. g. tutia, pomphol. nihilum alb. ſpodium, mater perl. lapis admirabilis *Crollii*, alumine & bolaribus ingredientibus imbutus.
e) Conducunt etiam externe, quæ acrimoniam temperant,

rant, & ſic adfluxum vlteriorem præcauent, e.g. mucilagines ſemin. pſyllii, cydoniorum cum aqua roſarum, vel aliis aquis ophthalmicis mixtæ.

f) Reliqua ſub *cautelis* quærantur,

B. *Extra paroxyſmum.*

1. *Abundantia* ſanguinis imminuatur

1) Vel per venæ ſectionem & ſcarificationem.

2) vel per hæmorrhagiarum ſuppreſſarum reuocationem.

2. *Craſis* humorum corrigatur per ſuccinata & alexipharmaco-diuretica, e.g per eſſentiam ſuccini cum tinct. antimon. maritatam, item per liquorem C. C. ſuccinatum, eſſent. alexipharmacam *Stahlii*,

3. *Motus* congeſtorii præoccupentur per lenes purgationes, ſingulis menſibus, ſaltem vere & autumno repetendas.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Nihil familiarius eſt, quam vt in adfectibus oculorum ad *ſpecialia* remedia ſtatim confugiant, licet hæc ad ſummam rerum nihil conſtantis efficere poſſint.

2. Hinc *vniuerſaliora* tanto magis commendantur, nempe ea, quæ abundantiam ſanguinis imminuunt, illius dyſcraſiam corrigunt, aut certos humorum motus & decubitus præoccupant.

3. *Venæ ſectiones* enim ſtatæ & ſcarificationes vſum ſuum plurimorum exemplis in dies confirmant, auguriumque illorum, qui hinc debilitatem viſus, immo cæcitatem hariolantur, oppido incerta & falſa opinione inniti, ſatis oſtendunt.

4. Non minoris efficaciæ ſunt congruæ laxationes & pediluuia.

5. *Fonticuli* & *ſetacea* diuturno ac rebelli malo opem quidem ferre ſolent, ſed facile conſtantem ſui vſum exigunt, alias malum pertinacius recurrit. Ceterum non ſunt adplicanda, niſi ſupra memorata ordinaria remedia fruſtra fuerint adhibita.

6. *Veſicatoria*, *crebrius* exhibita, eodem incommodo ſtipantur. In dolore impetuoſo, & quidem magis in *inferiori-*

*bus* partibus, illa adplicare conuenit; ſed non in adeo tenera ætate. Si vero pone aures, vt vulgo moris eſt, adplicantur, malum ſæpius augent. *Reuulſio* enim princeps punctum in hoc negotio abſoluit; cuius rei *caſum notabiliſſimum* hic exhibemus. Puer quidam ophthalmia tam contumaci laborabat, vt medicamentis ordinariis, per aliquot menſes adhibitis, cedere recuſaret. Quum vero improuidus in pede ambuſtionem inſignem acciperet, eodem die ab ophthalmia liberabatur, & inflammatio loco oculorum pedem ambuſtum occupabat.

7. Specificam adſcribunt virtutem auctores *radici valerianæ* cum interne, tum externe adhibitæ. Verum ſpecifica certæ fidei vix nota ſunt: complurium ſane & inter hæc *euphraſiæ* laudibus non parum detrahit experientia.

8. De *amuleticis* idem ſentiendum eſt.

9. *Crocus metallorum*, crude vſurpatus, irritat oculos, infuſum autem illius, niſi menſtrua acria ſumantur, ad modum debile eſt.

10. Quod ad *formulas* attinet, ſequentia adhuc notanda ſunt.

1) *Puluerulentæ* formulæ, quantumcumque demum alcoholiſatis ſeu ſumme extenuatis materiis, ſæpe irritationem in oculis excitant, præcipue ſi in illis ſubmucidus quidam mador verſetur, qui puluerulentam ſubſtantiam inæqualiter imbibat, & ſucceſſu noui mucoris in vnum veluti angulum compingat, vnde preſſio & irritatio exoritur.

2) *Fluidæ* formulæ *aſſiduo* vſu etiam damnum oculis inferre poſſunt, nempe emolliendo, relaxando & ſic nouo adfluxui viam ſternendo.

3) Hinc omnium conſultiſſimum eſt & efficaciſſimum, adſtringentia cum formulis humidis moderate miſcere; vbi *vitriolum album* omnium facile coriphæus eſt; modo obſeruetur, vt ante illius adplicationem æſtus prius temperetur, & ſaccharum ſaturni, aqua roſarum ſolutum, mox ſubiungatur.

4) Col-

4) *Collyria* varia quidem, & ſubinde ſatis efficacia, deſcripta habemus, pro omnibus tamen illud experientia optime ſe commendat, quod *Weisbachius* ex ore *Stahlii* in omnibus oculorum adfectibus, & ipſa adeo incipiente cataracta, commendat. In cæcitate cuiusdam puellæ, menſium emanſione laborantis, viſum reſtituit; præmiſſis quidem generalioribus & ipſa etiam venæ ſectione, ſine *conſpicuo* tamen effectu, donec hoc collyrium adplicaretur. Eſt autem ſequens:

Recip. butyr. maial. illot. vnc. IV.
tut. præparat. vnc. I.
corall. rubr.
camphor.
ſacchar. ſaturn. ana drachm. ſemis.
nihil. alb. drachm. II.
virid. æris gr. XII.
miſceantur optime, & verſus ſomnum cuivis oculorum angulo ad gr. II. immittantur.

11. Camphorata in plerisque oculorum vitiis reſoluendi, discutiendi, & ita quodam modo exſiccandi efficaciam habent.

1) Camphora, ſpiritu vini ſoluta, omnium penetrantiſſime agit, modo caueatur, ne quid eius intra oculum defluat: Licet enim non ſtatim inſigne damnum inde redundet, grauiſſima tamen ignei ardoris moleſtia ad momenta aliqua inde exſpectanda eſt.

2) Quodſi vero incauta adplicatione ardor quidam per ſpiritum vini camphoratum illatus eſſet, *auram* oculo, ſiue per volam manus, ſiue per flatum oris admouere conduceret; ſic enim cito exhalat ſpiritus vini, ardor remittit & camphora poris inſinuata relinquitur.

12. *Dioptrica* illa adminicula non, niſi vrgente neceſſitate vel magno adiumento ex illorum vſu redundante, ſuadere oportet,; excepto illo caſu, vbi adſuetudo forte continuationem huius ſubſidii efflagitat.

13. Vulgarem illam opinionem de *ceparum* & *allii* vſu interno, oculis noxio, ſatis refutant *Poloni*, *Hungari* & *Judæi*, qui omnes ex familiari horum vſu nihil ophthalmicorum incommodorum præ aliis ſentiunt: halitus tantum externus nocet.

14. Certiore experientia innititur illa cautio, ne fatigent, aut liberius vſurpent oculos, qui paullo ante, vel hæmorrhagiis largis, vel in morbo acuto media, vigiliis, largis ſudoribus & aliis euacuationibus ſunt exhauſti.

15. Horum omnium vero efficaciam vti inſigniter promouet diæta temperata, diluta & commodum regimen, ita vel minimum leuamen ſuccedit, vel malum recrudeſcit, quando cauſſæ occaſionales, procatarcticæ & irritamenta oculorum non euitantur, e. g. veneris, vini & diætæ aromaticæ abuſus, multa lectio, lucubratio, cubitus in latere adfecto, vapores acres, aër frigidus pariter atque calidus nimis, lucis & candelarum ſplendor, præcipue fulguris ſub noctem adſpectus.

---

# TABVLA XXV.

## DE

# ODONTALGIA.

I. DEFINITIO.

Odontalgia eſt perioſtei & partium neruoſarum, ad dentes tendentium, inflammatio, a congeſtione ſanguinis incompleta, hæmorrhagiam narium eminus reſpiciente, nullum autem exitum inueniente, originem trahens. Deriuatur ab ὀδοὺς, dens, & ἀλγέω, doleo.

II. *DIFFERENTIA.*

Odontalgia eſt vel

1. *Idiopathica*, quæ a carie vel eroſione dentium dependet, & ſolos dentes occupat, vel
2. *Symptomatica*, quæ motibus humorum verſus caput congeſto-

geſtoriis, præcipue hemicranicis, veſtigia legit, & præter dentes non raro etiam confinia loca occupat.

III. *SIGNA.*

Signa per ſe ſatis ſunt manifeſta, nempe

1. Dolor dentes plerumque maxillares, rarius anteriores, occupans exquiſitiſſimus.
2. In ſymptomatica odontalgia manifeſta ſigna congeſtionum ad caput occurrunt, rubor ſcilicet faciei, cum inſigni tenſione & inflatione vaſorum, non ſolum partium vicinarum, verum etiam totius capitis.
3. Hic dolor exſerit ſe ſe præcipue in perioſteo & fibrillis per dentium radicum *medullarem* ſubſtantiam diſſeminatis. *Conf. Stahlii theoria medica p.* 855.
4. Præterea dolor hic ſpecie variat: modo enim eſt tenſiuus, ſtrictorius, tremebundus, modo lancinans, modo vibratiuus.
5. Non tantum per qualeſcumque gingiuarum regiones excurrit, ſed & interdum ad interiorem aurium cauitatem ſe ſe extendit.
6. Quo modo *caries* ſit dignoſcenda, videri poteſt *tabula chirurgica de carie oſſium.*

IV. *SVBIECTA.*

1. Sunt homines plethorici, temperamenti ſanguineo phlegmatici, præcipue iuniores, quorum conſuetæ narium hæmorrhagiæ emanſerunt.
2. Feminæ quarum menſes ſuppreſſi vel imminuti ſunt.
3. Viri, quibus hæmorrhoides non legitime fluunt.
4. Feminæ pariter ac mares, qui conſuetas venæ ſectiones & ſcarificationes neglexerunt.
5. Qui nati ſunt a parentibus eodem malo, vel arthritico-ſpaſticis inſultibus adfectis.
6. In cariem dentium ſæpius incidunt, qui pulueribus dentifriciis acrioribus abutuntur.
7. Item qui inſtrumenta metallica, vel alia, dentibus mundandis deſtinata improuide adhibent.
8. Quibus radices poſt euulſionem aut cariem dentium in gingiuis remanſerunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſam odontalgiæ *idiopathica* ſub *differentia* iam indicavimus, nempe cariem & eroſionem dentium, propter quam læſionem adfluxus humorum & hinc ſtaſis inflammatoria contingit.

2. Cauſſas *occaſionales* & *procatarcticas* harum eroſionum in *ſubiectis* num. 6. & 7. nominauimus.

3. Odontalgiæ autem *ſymptomatica* cauſſa antecedens *remota* eſt plethora.

4. Cauſſa antecedens *propior* eſt congeſtio humorum verſus caput, euacuationem ſanguinis per nares reſpiciens.

5. Cauſſa *proxima* & *immediata* eſt ſtaſis ſanguinis inflammatoria in vaſculis ſanguiferis per radicum dentium ſubſtantiam medullarem diſſeminatis.

6. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* in *ſubiectis* iam indicatæ ſunt, ad quas natiuitatem *dentium ſapientia* adhuc referimus, qui ad annum vsque viceſimum octauum procreſcere ſolent.

7. *Vermiculos* dentium & materiam *ſalſo-acrem* in pathologia odontalgiæ aliis relinquimus.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Odontalgia *idiopathica*, ſeu quæ ab eroſione & carie dentium orta eſt, non niſi palliatiuam curationem admittit, nec etiam penitus ceſſat, niſi dente euulſo.

2. Odontalgia *ſymptomatica* facilius curatur. Quando autem ſæpius recurrit, eroſioni dentium anſam præbet, & in idiopathicam transmutatur,

3. In ſymptomatica interdum tumor inflammatorius inſignis exoritur, qui niſi perite tractetur, facile corruptionem, exulcerationem & cariem cum excreſcentiis ſpongioſis producere poteſt.

4. Symptomatica, quæ per hæreditatem inducta eſt, promtior quidem ad diſcuſſionem, quam illa, quæ a *nuais* congeſtionibus dependet, contumacior autem ad malum funditus exſtirpandum obſeruatur.

5. Si *tumor* in malis oboritur, odontalgiæ ſolutionem indicat.

6. In

6. In febribus acutis & malignis odontalgia ſymptomatica, cum ſtridore dentium contingens, mortem præſagit.
7. Dantur feminæ quædam, quibus dolor dentium certum grauiditatis ſignum præbet.
8. Ceterum quo frequentius congeſtiones verſus hæc loca contingunt, eo facilius dolor fit periodicus, & tandem hic adfectus ad Medicorum ſcandala tranſit, ita vt patientia magis, quam medicamentis, ſuperetur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Odontalgiæ idiopathicæ.*
   1. Caries ante omnia eſt remouenda, id quod obtinetur
      a) vel per cauteriſationem, vt dicunt, *actualem* cum clauo ignito;
      b) Vel *potentialem* cum ſpiritu & oleo vitrioli, ſed minus ſecure, item per oleum caryophyl. cum camphora, per oleum ceræ, rad. pyrethri, ariſtoloch. rotund. & long. eſſent. ſuccini.
   2) Vel pro circumſtantiarum commoda ratione dens plane euellendus eſt, de qua re tabula chirurgica de *carie oſſium* fuſius dictum eſt.
   3) Ad dolores mitigandos exhibeantur ſpecifica ſympathetica & alia e. g.
      a) Lignum fulmine tactum,
      b) Lignum fraxini in ſolſtitio collectum. Dens cauus hoc vel illo ligno fricatur, & lignum poſt ea reponitur.
      c) Puluis ſympatheticus, in cuius ſolutionem lignum, denti adfrictum, immittitur.
      d) Palliatiue dolorem ſedant narcotica, e. gr. philon. Rom. aqua hypnotica *Dorncrellii*, ſem. hyoſcyami cum cera denti impoſitum; quæ omnia tamen non facile in auxilium vocanda ſunt, ob periculum inde metuendum.
      e) Nitrum, denti immiſſum, egregie temperat.
2. *Symptomatica.*
   1) Ad orgaſmum ſanguinis contemperandum & dolorum atrociam mitigandam exhibeantur ſingulis circiter ho-

horis pulueres nitroſo-temperantes, cum antimonio diaphoretico & cinnabari combinati; quibus ſub regimine leniter diapnoico ter vel quater propinatis, dolores plerumque cedunt.

2) Quodſi vero cedere recuſent, addatur MP. de cynogloſſa, & quidem ea proportione, vt gr. i-ij. quælibet doſis contineat.

3) Sub horum vſu *externa* non negligantur, e. g. decoctum emolliens e rad. alth. flor. chamomill. roſar. nymphææ, papau. cum lacte paratum, & calide intra os ſumtum.

4) Ad ſtaſin reſoluendam & diſcutiendam ſubiungantur

a) *Interne:* lenia catarrhalia, e. g. eſſent. ſuccini cum eſſent. alexipharm. *Stahlii* maritata.

b) *Externe camphorata*, e. g. ſpiritus vini camphorat. goſſypio adplicatus, emplaſtr. *Barbette* largiter camphorat. camphora immediate adplicata. Item *decoctum* e rad. irid. Florent. ariſtolochiæ vtriusque, ſummitat. origan. ſerpill. flor. ſambuc. cum lacte paratum & dentibus ſæpe calide adhibitum. Item epithema ex herb. hyſſop. flor. chamomill. flor. ſambuc. farina ſecalina, calide genis impoſitum.

5) *Reuulſionem* adfluxus promouent

a) *Interne* purgantia, pro diuerſitate temperamentorum aut cauſſarum ordinanda, e. g.

1) *Cholericis* & biliofis rhabarbarum.
2) *Phlegmaticis* agaric. colocynth. mercur. dulc.
3) *Sanguineis* ialapp. & fol. ſenn.
4) *Melancholicis* helleb. nig.
5) MP. de ſuccin. *Craton.* ad quemlibet facile caſum poteſt determinari.

b) *Externe.*

1) Venæ ſectiones, non facile tamen in ἀκμῇ doloris.
2) Scarificationes, eæque repetendæ.
3) Veſicatoria prope flexuram cubiti in latere adfecto adplicata. Eſt *iudaei* cuiusdam experimentum, cuius men-

mentio fit in Actis N.C. Vulgus *allium* huic flexuræ adplicat cum præſentaneo ſubinde leuamine.

4) Apophlegmatizantia ſtricte ſic dicta, e. gr. rad. pyreth. imperat. angelic. herb. tabaci &c. maſticata, & per aliquod tempus in ore detenta. Item ſem. pedicular. in petia ligatum vino aduſto immiſſum & dolenti denti impoſitum.

6) Tandem etiam *repellentia* in ſubſidium trahantur e. gr. tinct. laccæ, quæ ſubadſtringit, & hinc non ſtatim in principio adplicanda eſt. Sic etiam tinctura odontalgica *Mynſichti* intra os ſumta, quæ ſatis temperata, & egregii effectus obſeruatur. Item rad. acaciæ, ceruicariæ, vuulariæ.

7) Aluus ſemper legitime ſuccedat, cum primis ſi anodyna adhibentur.

8) In cauſſa ſcorbutica tractatur adfectus, vti ſcorbutus. *vid. tab. de ſcorbuto.*

9) *Præſeruatiue* conducit frequens dentium a ſordibus repurgatio & oris collutio.

Adſuetæ venæ ſectiones & laxationes non negligendæ ſunt.

VIII. *CAUTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Sympathetica*, quæ per vulgus in hoc adfectu commendantur, plerumque dubia & incerta ſunt, e. gr. *os bufonis* ab *Helmontio* commendatum, das mittlere Glied vom vörderſten Fuß.

2. Nonnulla etiam plane periculoſa exſiſtunt, v. g. *dens hominis* phthiſi defuncti.

3. *Perſicaria Paracelſi* vlterius experimentanda eſt.

4. *Tranſplantatio* in arbores e. g. in ſalices, eſt quidem ſatis efficax, probe autem obſeruandum eſt, ne arbor exſtirpetur: alias enim dolores pari vehementia redeunt. Ad hoc euitandum tales eligere ſolent arbores, ad quas difficilis hominibus conceditur aditus. Facta operatione vulnus arboris conſolidandum eſt, es muß wieder verwachſen.

5. *Olea deſtillata* empyreumatica, aliaque acriora, item alu-

men & acetum deſtillatum, ſæpe quidem leuamen adferunt, ſed altius dentem erodunt, & in illæſos etiam carioſam putredinem propagant.

6. Præter ea augent quoque *olea deſtillata* ſanguinis feruorem, & in ſanguineis adfectus eryſipelaceos producunt.

7. Vſus *tabaci fumantis* aduerſus odontalgiam vulgo quidem commendant, cauendum autem, ne ſubiectis delicatulis, quæ ab hoc remedio vomitum accipiunt, obtrudatur. Hac enim ratione remedium grauius fit ipſo morbo.

8. Ab *opiatis*, quæ doloribus odontalgicis mitigandis plerumque deſtinantur, abſtinendum eſt, licet dolores adſint acutiſſimi. Leuamen enim, quod per exiguum tempus adferunt, grauioribus damnis compenſant.

9. Quando *euulſio* neceſſaria iudicatur, cauendum eſt, ne hæc præſente aliquo tumore fiat, alias grauiora incommoda inducuntur.

10. Quando dens in maxillis inferioribus reſidet, & per cauteriſationem vel actualem vel potentialem a carie expurgatus eſt, cauitas illa expleri poteſt fruſtulo quodam plumbeo, ad hoc ſpatium explendum aptato, & ſic dolor non facile recrudeſcit.

11. Ceterum poſt cibum adſumtum purgentur dentes puluere quodam dentifricio, e coralliis, ſilicibus, pumice ad albedinem calcinat. parato. Item myrrha, rad. gentian. irid. Florent. maſtich. ſang. dracon. quæ a carie præſeruant.

12. Aer humido-frigidus, abuſus ſacchari & inſtrumenta metallica excludantur.

13. Ad apophlegmatiſmum cito valent oleum terebinthinæ, piper & caryophylli, ſi conquaſſantur, linteo immittuntur, oleo terebinth. immerguntur, & deinde adplicantur.

14. Quæ vero ſubiecta calida hæc non tolerant, ſal Anglicanum in ore detinere poſſunt, quod ſucceſſiue liquefactum dolores ſedat.

TAB.

# TABVLA XXVI.
## DE
# OTALGIA
## ET
# RELIQVIS AVRIVM ADFECTIBVS.

I. **D***IFINITIO.*

Otalgia eſt dolor aurium acutiſſimus, a congeſtione humorum verſus hæc loca & ſubſecuta ſtaſi inflammatoria potiſſimum exoriens, & per conſenſum vniuerſum caput, immo non raro totum corpus adfligens. Deriuatur ab οὖς, auris, & ἀλγέω, doleo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Otalgia ratione *impetus* eſt vel
   1) *vera*, quæ febriculam & inflammationem habet coniunctam; Vel
   2) *notha*, quæ leniore gradu adfligit, atque a febre & inflammatione libera eſt.
2. Præter *otalgiam* ſequentes aurium adfectus adhuc occurrunt
   1) *Tinnitus*, qui ex deprauatione auditus in perceptione ſoni formatur, & cum notabili inſuper aurium ſiccitate coniunctus eſt.
   2) *Suſurrus* & *pulſatio.*
   3) *Fluxus* aurium, vbi materia plus minus vlceroſa per aures excernitur.
   4) *Grauitas*, ſeu defectus auditus & *ſurditas.*

III. *SIGNA.*

1. *Otalgia.*
   1) Quando ab *inflammatione* prouenit, ſentitur dolor in aure lancinans, pulſans, in concauo auris ardens, & fere

intolerabilis, ita vt nonnumquam delirium vel pathemata ſyncoptica inducat.

2) Calor, rubor & interdum tumor ſatis durus externe retro aures contingit.

3) Commotiones febriles in *vera* otalgia accedunt.

4) Staſis hæc inflammatoria, quando prioribus diebus no diſcutitur, abit in ſuppurationem, a qua fluxus aurium facile initium ſumit.

5) *notha* otalgia, in qua notabilis inflammatio non adſt, per plures hebdomadas adfligere, nihilo tamen minus discuti poteſt.

6) Quando a ſtagnatione ſanguinis vel aliorum humorum exoritur, dolor plerumque acutus, pungens & terebrans adfligit.

7) Reliquorum adfectuum ſigna per ſe conſtant, & ex ipſo nomine facile diluceſcunt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Aurium adfectus eueniunt præcipue *ſanguineis* & *ſanguineo*-phlegmaticis.
2. Qui ad rheumata & catarrhos procliues ſunt.
3. Speciatim quibus *coryza* vel aliæ *euacuationes* ſanguinis & ſeri circa caput familiares antea fuerunt, iam autem ex qualicumque cauſſa emanent.
4. Qui inter *aërem humido-frigidum* diutius verſantur.
5. Quibus excretiones in *febre* ob malum regimen fuere impeditæ.
6. Feminæ ſanguineo-phlegmaticæ poſt ſuppreſſionem vel circa finem menſium otalgia corripi nonnumquam obſeruantur.
7. Viri hæmorrhoidum ſuppreſſione laborantes.

V. *CAVSSAE.*

A *Otalgiæ.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt plethora, cum dyſcraſia humorum non raro coniuncta.
2. Cauſſa *propior* eſt congeſtio humorum verſus caput, hæmorrhagiam narium *eminus* reſpiciens.

3. Cauſ-

3. Cauſſa *proxima* eſt inflammatio internæ membranæ meatus auditorii, neruum auditorium ſimul adficiens.
4. Cauſſæ *externæ, occaſionales & procatarctica* ſunt
   1) Lapſus rerum modo ſimplicium modo acriorum, rodentinm, vellicantium, vermium.
   2) Violenta capitis percuſſio & vulneratio.
   3) Seroſarum euacuationum conſuetarum ſuppreſſio.
   4) Hæmorrhagiæ naturales ſuppreſſæ, vel artificiales neglectæ.
   5) Metaſtaſis materiæ febrilis ad aures, ob minus genuinum regimen circa excretionem ſudoris in febribus acutis.

B. *Tinnitus* & *ſuſurri*.
1. Cauſſa *interna* generalis cum otalgia conſpirat.
2. Sic etiam ſpecialis congeſtio & reſtagnatio humorum verſus hæc loca contingit. Vnde aër, intra tympanum incluſus, ita agitatur, & ſenſum talem moleſtum producit.
3. Cauſſæ *externa* & *occaſionales*.
   1) Cerumen non ſatis expurgatum.
   2) Muſcæ & alia inſecta, quæ auribus ſeſe inſinuant.
   3) Ebrietas.
   4) Ventriculi cruditates.

C. *Læſiones auditus* ac *ſurditatis*.
1. Huius cauſſæ cum præcedentibus per omnia etiam conueniunt.
2. Specialiter autem notari adhuc meretur, quod infarctus circa hæc organa ſuſpicione veniat, tranſitum ſoni remorans & adfluxum humorum interne impediens. Dantur enim exempla, quæ capite inclinato & demiſſo poſſunt audire, erecto autem illo ſurda ſunt.
3. Tympani flacceſcentia, vel plane *læſio*, non raro etiam peccat.
4. Quibus auris externa eſt abſciſſa.
5. Qui frequenter a fortioribus ſonitibus perturbantur.
6. Qui abundantia ceruminis indurati laborant. Hoc enim euacuato omnis ſæpe auditus læſio eſt ſublata. Tandem

 7. qui-

7. quibus meatus auditorius globulis, tumore vel tuberculo eſt obſtructus.

VI. *PROGNOSIS.*

1. *Otalgia.*

1) Otalgiæ felix diſcuſſio raro obtinetur, ſed plerumque ad ſuppurationem tendit, præcipue ſi tumor ille durus externe retro aurem occurrit.

2) Rumpitur hæc ſtaſis inflammatoria potiſſimum *interius.* Quod ſi vero *exterius* rumpatur, maioris eſt momenti: tumor enim ſæpius eſt pertundendus, & niſi efficacia mundificantia adhibeantur, metus eſt altioris vlcerationis.

3) Otalgia ſi neque feliciter diſcutitur, neque ad maturationem & ruptionem peruenit, cerebrum per conſenſum facile adfligit, febres inflammatorias cum phreniticis quaſi ſymptomatibus inducit, & tandem conuulſionibus accedentibus morte ſcenam terminat.

4) Nonnumquam autem hæc inflammatio per diſcuſſionem ſoluitur: atque a ſuppuratione libera manet.

5) Iuuenes periculoſius decumbunt, quam ſenes: ſæpius enim ante ſeptimum diem ſuccumbunt.

6) Otalgia grauitatem auditus non raro relinquit; præcipue quando ſuppuratio contingit.

2. *Suſurri & hebetudinis.*

1) Hi adfectus expertes quidem ſunt periculi, in tempore tamen illis occurrendum eſt, ne auditus læſiones, vel alia grauia incommoda ſuccedant. Nam

2) ſi frequentius reuertuntur, cephalalgias, vertigines & in ſenioribus apoplexiam quandoque minantur.

3) Interdum etiam auditus læſionem poſt ſe trahunt.

4) Qui vero ab *externis* cauſſis originem ducunt, illi his remotis facile tolluntur.

3. *Tinnitus.*

Vili quidem non eſt pependus hic adfectus, præcipue ſi nimis ſæpe contingit, illas autem non inuoluit conſiderationes, quæ per vulgus de illo circumferuntur.

4. *Flu-*

4. *Fluxus aurium.*
1 Læſionem auditus facile inducit.
2) Quo magis in conſuetudinem degenerat, eo difficilius medicationi cedit, & adfectus per illum inducti ægrius remouentur.

5. *Læſionis auditus.*
1) Hæc quo magis radices egit, eo difficilius in integrum reſtituitur.
2) In iuniore quidem ætate ſpes adhuc ſupereſt; in annoſis autem, quibus virium energia deeſt, vix aliquid conſtantis ſperare licet.
3) Multo minus, ſi læſio *tympani* vel aliorum organorum peccat.
4) Qui ſurdi nati ſunt, rariſſime curantur.
5) Surditas iuxta *Ettmullerum* in acutis cum vrina quidem *cruda* delirium portendit; cum vrina autem *cocta* hæmorrhagiam criticam promittit.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *In paroxyſmo.*

1. *Otalgia.*
1) Staſeos inflammatoriæ *diſcuſſio* ante omnia eſt tentanda.
a) *Interne*: per eſſent. alexipharmac. *Stahlii* cum eſſent. ſuccini, vel ſpiritu tartari mixtam, interpoſitis nitroſis & abſorbentibus, cinnabarinis, antimonialibus fixis e. g.
Mane propinetur mixtura ex eſſent. alexipharmac. ſuccin. ad gutt. XXX. Per diem autem pulueres nitroſo temperantes, quibus pro moderamine doloris verſus ſomnum gr. I. M. P. de cynogloſſa immiſceatur.
b) *Externe* per camphorata: nam nihil præſentius impedit ſuppurationem, quam camphora. Conuenit autem adplicare ſpiritum vini camphoratum, goſſypio in aurem immittendum, vel epithema neruinum e rad. irid. Florent. ariſtol. long. cyperi, herb. puleg. menth. flor. chamom. Roman. ſerpill. ſemin. carminatiu. cum camphora.

2) Ad-

2) *Adfluxus* humorum ad caput ſimul *reuellatur.*

a) *Interne* per laxationes, easque repetendas; in quem finem M. P. de ſuccino *Cratonis* cum paucis granis reſin. ialapp. mixta, laudatur, item infuſa per epicraſin.

b) *Externe* per pediluuia, frictiones, hirudines ad hæmorrhoidalia loca adplicatas, in iis, quibus ſuppreſſæ ſunt hæmorrhoides; vel ſi neceſſitas exigit, venæ ſectio.

3) Quam primum inflammatio & dolores paullulum *remittunt*, externe etiam locum habet adplicatio *ſalis volatilis ſicci cum caſtoreo*, goſſypio inſtituenda.

4) Vbi autem *diſcuſſio* non amplius eſt ſperanda, ibi *ſuppuratio* promoueatur per emollientia & maturantia. Huc faciunt

a) *Emplaſtra* de melilot. camphor. de ſpermat. ceti, diaphoretic. *Mynſichti.*

b) *Cataplasmata* vel *fotus* ex rad. alth. herb. malu. chamom. branc. vrſin. flor. melilot. chamom. ſemin. pſyll. fœnugræc. lini. ficubus, croco.

5) Deinde ad apoſtematis *ruptionem* adhibeantur vel emplaſtr. mellitum, vel ſuccus ceparum frixatarum cum melle ſubactus, vel manus chirurgica.

6) Denique ad apoſtematis *abſterſionem* & *mundificationem* adplicentur balſamica e. g. hæc mixtura,

Recip. eſſent. ſuccin. drachm. III.
myyrrh. drachm. II
ſpirit. terebinth. ſcrup. I. M.

Item ſuccus abſinth. cyclam. marrub. alb. cum melle.

2. *Suſurri* & *fluxus aurium.*

1) Primo loco adhibeantur laxantia e gummi-reſinis, e.g. ammoniac. galban. extract. panchymagog. *Crollii*, MP. de ſuccino *Cratonis*, mercur. dulc. trochiſcor. alhandal. &c.

2) Deinde propinentur *diſcutientia ſuccinata*, e. gr. eſſent ſuccin. cum eſſent. alexipharmac. *Stahlii* remixta, ter per diem ad gutt. XXX. exhibenda,

3) Cum

3) Cum his iungantur etiam *externa*, quæ decubitum verſus caput diſcutiunt & deriuant, ac laxitatem partium roborant. Faciunt hoc

a) Mixtura balſamica, modo deſcripta, ex eſſent. ſuccin. myrrh. & ſpirit. terebinth. Loco ſpiritus terebinth. ſumi etiam poteſt oleum ſuccini, ſed paucis tantum guttulis.

b) *Foreſtus* ambram & moſchum in aurem cum effectu ingeſſit.

c) *Salia volatilia* vrinoſa cum caſtoreo vel camphora goſſypio adplicata.

d) Conducunt etiam *ſuffimigia* e. gr. ex ſtorace calamit. maſtich. ture, carbonibus iniiciendo, & vaporem ope infundibuli auribus excipiendo.

e) Porro laudantur olea carminatiua, e. g. aniſi, fœnicul. chamomillæ, item etiam balſam. Indicum.

f) Pediluuia ad reuellendum.

3. *Tinnitus.*

1) Quia in *tinnitu* notabilis aurium ſiccitas & calor circa caput frequenter concurrit, *humectantia* non tantum particularia, verum & quam maxime etiam vniuerſalia commendantur.

a) Pro humectatione *vniuerſali* adhibeatur ſufficiens & dilutus potus, item herba veronicæ teucrii folio, vel alia conueniens, in forma thée vſurpanda.

b) Pro *particulari* externa humectatione laudantur: oleum amygdal. amar. ouorum, ceræ; item decocta neruina, e. g. ex florib. lauendul. ſpic. nard. &c. cum vino vel lacte humano parata, & vaporis forma admiſſa. Denique etiam emulſiones cum camphora.

2) Hiſce humectantibus iungantur *deriuantia.*

a) *Interne*: laxantia ſuperius aliquoties iam nominata, quibus helleborus niger præcipue adhuc adnumeratur.

b) Externe pediluuia, & loco laxantium, interne ſumendorum, clyſteres interdum poſſunt adplicari.

3) Quo magis vrget hic adfectus, & in conſuetudinem degenerauit, eo magis venæ ſectio in pede neceſſaria eſt; quod etiam de *ſuſurro* obſeruandum.

4. *Grauitatis auditus*, ſiue *ſurditatis*.

1) Hic eadem methodus & remedia, quæ ad *ſuſurrum* ſuperius commendata ſunt, adhibeantur, & diu continuentur.

2) Speciatim magis hic neceſſaria erit *maſſa* illa *Stahliana*, auribus adplicanda, nempe ſal quoddam volatile cum caſtoreo maritatum, e. g.

Recip. ſal. volatil. ſicc. C. C. ſcrup. I.
Caſtor. medull. electiſſ. gr. V. VI.
M. f. maſſa, de qua ciceris magnitudo goſſypio involuta verſus ſomnum auri immittatur.

3) In ſanguineo-phlegmaticis, minus ſenſibilibus, vnica guttula de oleo ſuccini addatur; quo caſu etiam hæc formula adhiberi poteſt.

Recip. eſſent. ſuccin. ſcrup. IV.
Olei chamomill. deſtillat. ſcrup. ſemis.
Olei ſuccin. gutt. I. Miſc.

4) *Cerumen*, vbi peccat, per humectantia, modo non ſpirituoſa, beneficio ſyringæ iniecta, prius emolliatur, & deinde euacuetur.

B. *Extra paroxyſmum*.

1. Quoniam *plethora* in hiſce adfectibus tamquam cauſſa antecedens conſideranda eſt, illius per venæ ſectionem in pede æquinoctialem imminutio ad præſeruandum quam maxime commendatur.

2. Quando malum a *ſuppreſſis* hæmorrhagiis, e. g. narium, menſium, hæmorrhoidum, originem ſumſit, reſtitutionem horum fluxuum per methodum, ſuo loco commendatam, conuenit reſpicere.

3. Ad congeſtiones humorum verſus caput præoccupandas & reuellendas commendantur

1) *Interne*: lenia purgantia, quæ quater circiter per annum repetenda ſunt e. gr. extract. panchymagog. *Crollii* M. P. de

de ſuccino *Cratonis*, addito ſtimulo per reſin. ialapp. trochiſc. alhandal.

2) *Externe* pediluuia, & frictiones.

4. His iungantur, quæ æqualem humorum diſcuſſionem promouent, e. g. mixtura polychreſta tonico-neruina *Stahlii*, item eſſent. ſuccin. cum eſſent. pimpinell. alb. vel cum eſſent. alexipharmac. Stahlii remixta. Horum autem vſus non debet eſſe continuus, ſed laxantibus præmiſſis per octo circiter dies ſubiunctus.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Olea* deſtillata, niſi largiter diluta ſint, nimium ſuſcitant ardorem, immo in vehemente otalgia ad phreneſin aliquando diſponunt.

2. Speciatim *oleum ſuccini* nimis feruidum eſt, hinc in copia nullo modo adhiberi debet; cum aliis autem parcius mixtum roborandi efficaciam habet non contemnendam.

3. *Olea deſtillata graueolenta*, e. gr. lauendul. maioran. fœnicul. anethi non nude, ſed cum eſſent. ſuccini conuenienter mixta, in his caſibus vſum ſuum exhibent; & quidem præ reliquis oleum chamomill. laudem meretur.

4. Eſſentia *ſuccini*, quoties in his & aliis adfectibus externe vſurpatur, non debet eſſe alcaliſata, ſed ſpiritu vini rectificatiſſimo ſimpliciter præparata.

5. Si inflammatio ſuppuraſcens rumpitur, cauendum eſt, ne *olea cocta* nimium vſurpentur, quia inferre hac ratione poſſent ſurditatem. Quodſi vero infauſtus eiusmodi effectus iam productus eſſet, ſecuriſſima & efficaciſſima eſſentia *ſuccini* habetur.

6. In *grauitate auditus*, in qua nulla organi debilitas, ſed materia tantum catarrhalis ad caput redundans reperitur, ſola ſæpius purgantia, mediocriter fortiora, negotium exhauriunt; in quo caſu helleborus niger largius cum reliquis combinandus eſt.

7. Si in *tinnitu* ardentes capitis dolores, immo eryſipelacei adfectus, vt ſæpius fit, circa hanc regionem occurrunt, vſum habet vapor decocti *ſabinæ*, auribus admiſſus: cavendo

vendo, ne in tinnitu calida neruina & exſiccantia adhibeantur.

8. *Veſicatoria* impetum doloris quidem placant, & humores reuellunt, non raro autem illorum vſum pruritus & fluxus aurium ſequitur; vnde non temere adplicanda ſunt. Quando autem, neceſſitate vrgente, in ſubſidium vocantur, diſcutientia ſtatim debent coniungi.

9. Quod de *venæ ſectionibus* magis præſeruando, quam curando inſtituendis, *præcedentibus tabulis* ſæpe iam monuimus, illud etiam in *otalgia* obſeruandum eſt; in reliquis autem tribus adfectibus, in quibus ſtatus paroxyzans & acutus non obſeruatur, nullam adeo inuoluit conſiderationem.

10. *Fonticuli* in læſione auditus non ita facile in auxilium vocandi ſunt; in ſtatu autem ſeniorum ſurdaſtro adplicatio illorum fere neceſſaria videtur, quia ſerum ibi abundat, & reliqua ſubſidia minus efficacia reperiuntur.

11. In grauitate auditus a *metaſtaſi* materiæ febrilis, vel alia congeſtione exorta, vulgus vtitur *vrina leporis*, calide inſtillata; item *pane cum aromatibus* noſtratibus ſubacto, & cocto, quem diſſectum & ſpiritu vini conſperſum calide adplicat.

12. In *otalgia*, quando tumor ſimul in faucibus occurrit, locum habent gargariſmata ex ſubadſtringentibus, abſtergentibus, temperantibus nitroſis & albo græco, cuius peculiaris eſt efficacia, parata. Hoc nomine conducunt rad. biſtort. herb. auric. muris, ſaluiæ, hyſſop. (quæ vel ſola ſtaſes ſanguinis ſatis potenter reſoluit) flor. chamomill. melilot.

13. Abſint ab aurium adfectibus *cataplaſmata*, licet ex diſcutientibus ſpeciebus parata, præſertim vbi tumor iam diu durauit: nam humida relaxant, & ita ſtaſin augent. Saltim vino cocta ſint, ſi omnino illa in vſum vocare placeat.

14. *Sulphuris* vſus in læſione auditus, cum manatione materiæ tenuioris ſtipata, ad modum prouide admittendus

eſt,

eſt, corpore nempe bene mundato, ne vlceroſum quidquam in teneris partibus ad interiora pellatur, & grauia paralytodea, aut apoplectica mala producantur.

15. Senes, auditus grauitate laborantes, auxilium interdum impetrant a repetitis euacuationibus iuſto tempore inſtitutis, & temperatis diſcutientibus ſubiunctis.

## TABVLA XXVII.

## DE

# VERTIGINE.

I. DEFINITIO.

Vertigo eſt perturbatio phantaſiæ ſeu imaginationis, quæ rotationem modo in ipſis ægris, modo in obiectis externis inuoluit, & a cauſſis ſiue phyſicis, ſiue moralibus, ſive ex vtrisque mixtis originem ducit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Vertiginem quando in *ſanguineam* & *phlegmaticam* diuidunt, differentiam potius ſubiectorum & temperamentorum, quam cauſſarum putant.
2. Ratione autem cauſſarum vertigo eſt
   1) vel *idiopathica*, quæ plerumque a plethora, eaque commota, rarius a ſanguinis depletione dependet:
   2) vel *ſymptomatica*, vbi vitium primarum viarum potiſſimum accuſandum eſt.
3. Vertigo *tres* habet *gradus*.
   1) *Mitior* ſimplicem tantum *rotationem* oculis offert, id eſt, obiecta quæuis turbine quaſi continuo repræſentat.
   2) *Elatior* eſt, qui obiecta oculis *nigra* & *tenebricoſa* per gyrum mentitur. Græce dicitur *ſcotodinia*, a σκότος, tenebræ & δίνη aquarum vortex.
   3) *Summus* gradus graue illud ſymptoma addit, vt ægri in ter-

terram procidere cogantur. Vnde vertigo *caduca* adpellatur.

4. Ratione *durationis*.

1) Alia eſt quaſi *continua*, per plures nempe dies, immo hebdomadas, adfligens, nec citra medicationem facile cedens. Huc referri poteſt vertigo *habitualis*.

2) Alia eſt *periodica*, quæ certis anni temporibus recurrit, & quia vltra conſuetas horas & dies non adfligit, *temporaria* quoque vocatur.

III. *SIGNA*.

Hæc e differentia graduum partim, partim e ſequentibus pateſcunt.

1. In cauſſa *ſanguinea* præceps ſæpe & tranſitoria viſus obnubilatio oritur; concurrente aurium ſuſurru & obiectorum externorum gyratione.

2. Hoc quidem præcipue contingit, quando caput terram verſus inclinatum erigere ægri intendunt; dantur autem, quibus ſine capitis inclinatione hæc contingere ſolent.

3. Conſpirant vaſorum capitis inflationes & rubor faciei; niſi quidem a nimia ſanguinis depletione vertigo orta fuerit.

4. In non nullis concurrunt punctiones quaſi per transuerſum caput adfligentes.

5. Hæc oculorum obnubilatio & reliqua ſymptomata in aliquibus ita inualeſcunt, vt pedes officii ſui immemores vacillent, ægrique in terram prolabantur. Ac tum quidem apud pleroſque vertigo facile tranſit. Qua de cauſſa ſedentibus iam aut decumbentibus nil harum moleſtiarum euenire ſolet.

6. In illa autem vertigine, quæ e vitio *primarum viarum* per conſenſum prouenit, inſignes circa ventriculum alterationes obſeruantur, nauſea ſcilicet inſtante prandii hora, pathemata cardialgica & flatulenta.

IV. *SVBIECTA*.

Vertigini præ aliis obnoxii ſunt

1. Homines plethorici, de plena diæta gaudentes & a laboribus corporis alieni.

2. Lit-

2. Litterati, qui phantaſiam & memoriam nimium fatigant, cum primis, quando ſtudia anxio quodam deſiderio tractant.
3. Qui ſunt temperamenti ſanguineo-melancholici.
4. Seniores præ iunioribus.
5. Quibus euacuationes ſanguinis naturales rite & ſufficienter antea ſucceſſerunt, iam vero quacumque de cauſa ſuppreſſæ ſunt, aut parciusfluunt.
6. Qui euacuationes artificiales, tam ſanguineas, e.c. venæ ſectiones, ſcarificationes, hirudinum applicationem: quam ſeroſas, vt ſunt ſudores nocturni, & laxationes antea conſuetas neglexerunt.
7. Qui hæmorrhagias narium, & hæmorrhoides nimias paſſi ſunt: nec non feminæ hyſtericæ, quarum vires fluxus diuturnior exhauſit.
8. Quibus vires per morbos admodum attritæ ſunt. Raro enim æger a grauiori morbo reſtitutus, ſine vertiginis moleſtia per hypocauſta primis diebus, ambulare potis eſt.
9. Qui tabaci fumo præter conſuetudinem aſſueſcere satagunt.
10. Qui aliorum ſermones aut querelas nimis diu & attente audiunt, animi vires eo ipſo intendunt, & præmeditate reſpondent.
11. Qui olim in capite grauiter læſi ſunt.
12. Qui cibum aliquando ſolito largius, præcipue poſt ieiunium inſuetum adſumunt.
13. In primis *cacoſtomachi*: alii quidem ventriculo vacuo, alii autem, quando cibum vel potum ſumſerunt.

V. *CAVSSAE.*

1. In eruenda cauſſa vertiginis multi quidem ingenii ſui vires exercuerunt, neque tamen rem ita confecerunt, ac ſi aliis, in perſcrutanda & explicanda vera vertiginis cauſſa, nihil remanſiſſet negotii.
2. Veterum opiniones, *de ſpiritibus flatuoſis*; *humoribus a calore in vapores reſolutis*; *de ataxia & diſtortis ſpirituum animalium viis, de deſcenſu ſpiritus animalis ad oculum, & motu ante humorem cryſtallinum quaſi ſaltatorio*; eo minus hic erunt atten-

tendendæ, quo certius eſt, eas omnes infirmo niti fundamento, ac ne veri quidem habere ſimilitudinem.

3. Longe feliciores hac in re fuerunt recentiores, qui plethoram & ſpecialem ſanguinis verſus caput directionem, cauſſam vertiginis eſſe tradiderunt, minime tamen omne negotium exhauſerunt: cum vertigine affici videamus tales, qui minus plethorici, ſed humoribus potius valde exhauſti ſunt. Cuius phænomeni ratio neutiquam reddi poteſt, niſi in ſubſidium vocetur tamquam hypotheſis, illa ſententia, quæ non ita pridem in Actis medicorum Berolinenſium cum publico communicata eſt; quod *nerui* nimirum non *ex cerebro* ſed meningibus ſuum trahant ortum. Nam cerebri ac medullæ ſpinalis ſubſtantia mollis ac humida ex ſua natura ad aliquam tenſionem inepta eſt: meninges vero & nerui tamquam corpora duriora, ſunt motus tonici perquam capaces. Quando enim e cerebro egrediuntur, formato prius ganglio, medullaris ſubſtantiæ amittunt conſiſtentiam, ac in progreſſu firmi fiunt & duri, meningibus circumueſtiti, vt functiones illas, quibus, tamquam ſenſus & motus inſtrumenta, dicati ſunt, apte ſubire poſſint. Bene ergo ſuo iam tempore iudicauit *Iul. Cæſ. Claudinus*, ſcribens: *cerebrum ſentit non ratione ſui, ſed ratione membranarum quibus inuoluitur.* Vt *diſſenſum*, qui inter principes anatomicos *de neruor. origine*, viget, nunc non attingamus. Huius ſententiæ vberiorem euolutionem vide *in diſſertatione noſtra, de vertigine.* Quibus præmiſſis ad ipſas tandem accedimus cauſſas vertiginis & quidem

1) *idiopathicæ illius, vbi ſanguinis vrget abundantia.*

a) *Cauſſa materialis* antecedens *remota* plethora eſt, cum ſpiſſitudine ſæpius coniuncta.

b) *Cauſſa propior* eſt congeſtio ſanguinis verſus caput.

c) *Cauſſa proxima & immediata* eſt infarctus ſeu ſtagnatio ſanguinis, vaſa capitis moleſte diſtendens.

d) *Cauſſa inſtrumentalis* ſunt ipſæ meninges & inde exorientes nerui.

e) *Cauſ-*

e) *Cauſſa formalis*

1. eſt tremulus neruorum motus, qui a ſpaſtico meningum reniſu exoritur. Wenn man an den Stamm ſchlägt, ſo zittern die Aeſte. Sic etiam reniſus ille & tonico ſpaſtica coarctatio, in meningibus ſuſcepta, neruos tamquam ramuſculos e meningibus ortos, & in his neruum præcipue opticum in tremulum concitat motum, qui tunicis atque humoribus oculorum communicatus talem efficere poteſt motum, vt imago ſubiecti per gyrum moueri videatur, in primis cum obiecta in ſtatu vertiginis numquam in linea recta ſe repræſentare ſciamus.
2. Interea hoc formale mechanicum non ſimpliciter vt mechanicum, ſed ordinatum organicum conſideramus, & pro cauſſa efficiente horum motuum principium quoddam ſapiens & dirigens agnoſcimus; videlicet ipſa natura per hunc reniſum ſpaſticum humorum ſtaſin & moleſtam vaſorum diſtenſionem auertere intendit.

2) *Idiopathica, vbi ſanguinis manifeſta eſt depletio vel defectus.*

a) Humorum depletio & conſumtio fit vel per hæmorrhagias
1. *naturales* e. g, per nares, pulmones, ventriculum, renes, hæmorrhoides, menſes, lochia, abortus.
2. *artificiales*, per prodigam venæ ſectionem, quo etiam violentæ læſiones præcipue ſpectant.
3. vel per ſanguinis in ſerum reſolutiones; quis enim neſcit corporis per grauiores morbos conſumtionem?

b) *Cauſſam inſtrumentalem* & *formalem* itidem hic agnoſcimus motum meningum & neruorum tremulum.

c) Sic etiam *cauſſa efficiens* eadem hic conſideranda eſt. Iuſtiſſimam enim natura habet cauſſam, vt humoribus amiſſis, & motu tonico deficiente, per eiusmodi contractionem meningum, vaſorum collapſum præpedire & æqualem tonum reſtaurare nitatur.

d) *Cauſſæ occaſionales.*

1. Refrigeratio pedum corpore calente.
2. Abuſus vini & ſpirituoſorum.
3. Commoratio ad muſtum fermentans.
4. Halitus carbonum ardentium.
5. Odor ſuaueolentium in ſubiectis ſenſibilioribus.
6. Motus gyratorius, in ducendis choreis.
7. Proſpectus in præcipitia.
8. Adſpectus rerum per gyrum motarum, aquarum verticoſarum.
9. Seſſio in anteriori currus parte, wenn man rückwerts ſitzend gefahren wird.
10. Strepitus fortior, vel inſtrumentis muſicis, vel vociferationibus excitatus.
11. Commoratio in aura libera, in ſubiectis vltimæ ſenſibilitatis.
12. Sanguinis circa vaſa venæ portæ impeditior circulatio, quæ occaſionalis ratio certo ſenſu etiam ad ſymptomaticam referri poteſt. Quæ porro ad cauſſas occaſionales referendæ eſſent, opportune ſupra indicauimus in deſignatione ſubiectorum, quæ vertigini præcipue ſunt obnoxia.

3) *Symptomatica.*

Huius cauſſæ ſunt

a) Cruditas primarum viarum, a concoctionis vitio inducta.

b) Rigida partium membranoſarum diſtenſio circa ventriculum a flatibus incarceratis.

c) Connexio & conſenſus capitis cum ventriculo, qui ob par octauum perquam notabilis eſt.

4) Quamuis autem vertiginis cauſſam in certis quibusdam materiis poſuerimus e. g. in ſanguinis abundantia, defectu, ſpiſſitudine circa venam portæ, & vitiis primarum viarum: docet tamen experientia, dari nonnumquam vertiginem ſine cauſſis hiſce materialibus, vbi in mo-

moralibus rationibus vnice eſt acquieſcendum, præcipue autem in conſuetudine & ſenſibilitate.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Vertigo *ſymptomatica* a ſtomachi vitio proueniens, crebrius quidem occurrit, quam idiopathica, hæc tamen longe periculoſior eſt illa.
2. Imperitiæ indicium eſt, quibuslibet vertiginoſis, ſine diſcrimine ætatis, apoplexiæ inſecuturæ prognoſin formare: iunioribus enim triginta annos nondum egreſſis, a *periculoſa* quoque vertiginis ſpecie nulla imminet apoplexia: niſi vita ſimul nimis ſedentaria aut ingentes animi commotiones accedant.
3. His potius *valde plethoricis*, ex inualeſcente vertigine facilius conuulſiones exoriuntur: iidem etiam ſi ſubito & cum vehementia corripiuntur vertiginoſi, in epilepſiam plane incidere poſſunt.
4. Quo magis cephalalgia cum vertigine in ſenioribus complicata eſt, eo facilius febres inflammatoriæ, vel affectus arthritico - ſpaſtici in ſuperioribus partibus; vel apoplexia ſanguinea accidere poſſunt.
5. Symptomatica vertigo cum ſenſibili flatulentia, nauſea & cardialgia coniuncta, maxime ſi tempore inſtantis cibi aſſumendi contingat, nullum quidem portendit periculum; ſenioribus tamen, progrediente tempore, cauſſa occaſionalis fieri poteſt adparatuum apoplecticorum.
6. Vertigo conſenſualis hypochondriacorum aut hyſtericarum, quarum menſes iamdum ceſſarunt, fit ob defectum ſufficientis motus, ab his ſubiectis non facile obtinendi, plerumque habitualis & difficile curabilis.
7. Vertigo ſolis topicis non curatur: facilius contra euaneſcit poſt hæmorrhagiam narium, hæmorrhoidum & menſium eruptionem ſufficientem, nec non repetitas venæ ſectiones.
8. Vertiginoſi plethorici, hæmophobi, ſi venæ ſectionem pertinaciter auerſantur, ob hoc morale impedimentum curari vix poſſunt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *In paroxyſmo.*

Vertigo, etiam idiopathica dicta, eſt tantum ſymptoma alterius affectus, quo ſublato etiam ipſa ceſſat: vnde ventilatio ſanguinis & euacuatio ventriculi vniuerſum fere negotium abſoluit.

1. *In vertigine idiopathica, vbi ſanguinis vrget abundantia,*

a) exhibeantur primo loco blandiora laxantia ad reuellendos humores verſus caput congeſtos. In hunc finem egregie conducunt

1. Helleborina: nempe extractum hellebori nigri cum aliis conuenientibus mixtum, vel eſſentia illius methodo Stahliana parata.
2. Gummi-reſinæ: e. g. gummi ammoniacum cum aceto ſquillitico ſolutum.
3. Extractum panchymagogum *Crollii.*
4. MP. de ſuccino Cratonis.

b) Quæ laxantia in progreſſu medicationis, ſi opus eſt, ſubinde repetantur, & aluus quouis modo laxa ſeruetur.

c) Poſt laxationem pediluuia conueniunt, quæ aliquoties repeti debent.

d) Subiungatur deinde venæ ſectio in pede, quæ iteratis vicibus celebranda eſt, cum conſueta æquinoctialis vel altera hic neutiquam ſufficiat, vt nuper demonſtrauit *Doctiſſ. D. Dan. Abrah. Hancke* in peculiari ſcripto, quod tamquam appendicem diſſertationis inauguralis, de frequente venæ ſectione in regionibus frigidis, germanice edidit Hafniæ 1732.

e) Interponantur nitroſa temperantia & cinnabarina.

f) Et ſimul in ſubſidium vocentur *externa* ad diſcuſſionem infarctus promouendam. In hunc finem laudantur

1 Camphorata: e. g. ſpiritus vini camphoratus vertici & temporibus applicatus.
2. Salia volatilia odore adhibita, quæ blandam ſtricturam

ſturam partibus membranoſis inducunt, atque hac ratione diſcuſſionem promouent.

3. Ad reuulſionem conducunt frictiones pedum cum ſale & aceto; item ligaturæ partium extremarum.

g) Denique *tonica* ſubiungantur, ad partes affectas iterum roborandas, e. g. MR. polychreſta, tonico-neruina *Stahlii*.

h) Diæta tenuis & eupepta; potus dilutus & temperatus.

i) Quæ vertigini velificare vllo modo poſſent, caueantur.

k) Affectus animi, ſanitatis turbatores, coërceantur & remedia commendata ſuperius, prout poſtulat neceſſitas, ſubinde repetantur.

2. *In vertigine idiopathica, vbi manifeſta eſt depletio ſeu ſanguinis defectus,*

a) Propinentur bene nutrientia, gelatinoſa, euchyla; interpoſitis analepticis temperatis.

b) Partium tonum reſtituentia.

c) Animus a curis & intenſis meditationibus liber ſit.

d) Ab ira, metu, ſolitudine æger abſtineat, & quidquid animum ægritudine clam adficere poteſt, ſerio vitet.

3. *Vbi ſola ſubeſt moralis cauſſa ſeu falſa æſtimatio*, quæ opinionis errore facile ſibi pericula fingere adeoque cauſſam vertiginis conſtituere vnice poteſt, ibi æſtimationem corrigentibus opus eſt:

a) habitus nempe contrarius inducendus.

b) obiecta hactenus reformidata ſæpius vſurpanda oculis.

c) Occaſiones, quæ alias ad vertiginem leui opera diſpoſuerunt, crebro arripiendæ, vt iis adſueti vertiginoſi aliter ſentire diſcant, omnisque metus, qui turbatæ imaginationis origo eſt, penitus euaneſcat.

4. *In vertigine ſymptomatica*

a) Corrigantur cruditates primarum viarum per ſalia digeſtiua.

b) præparatæ & correctæ expurgentur
1. per vomitum, vbi nihil contra indicat, e. gr. Recipe tart. emet. gr. iij. tart. vitriolat. gr. X. miſce.
2. vel per laxationes cum epicraſi.
c) deinde verſus tempus ciborum aſſumendorum propinentur *ſtomachica* & inteſtinorum tonum roborantia. Commendantur in hunc finem
1. puluis ſtomachicus Birckmanni & Quercetani.
2. acorus, zingiber & condit.
3. eſſentia cortic. aurantiorum.
4. eſſentia abſinthii compoſita cum TR. vitrioli martis Lud. maritata.
5. eſſentia carminatiua amara e rad. ari, gentianæ rub. imperatoriæ, zedoariæ, herb. tanaceti, cent. min. parata.
6. diæta moderate aromatica & vinoſa.
7. præcipue etiam ſemen ſinapi & coriandri aceto correctum, mane ſumenda laudantur, quia fermentationi ſtomachi egregie ſuccurrunt.

B. *Extra paroxyſmum.*
1) *In vertigine idiopathica*
a) *plethora imminuatur*
1. per venæ ſectiones, non æquinoctiales ſolum, ſed extra hos terminos ſæpius reiterandas.
2. per reuocationem ſuppreſſarum hæmorrhagiarum.
3. per blandas laxationes.
b) nimia memoriæ fatigatio præcaueatur, motus autem voluntarius continuetur: idque tanto magis, ſi ob hæmophobiam ægrotantes renuant venæ ſectionem.
c) transſpiratio quouis modo promoueatur.
2) *In vertigine ſymptomatica*
*Qualitas* ſanguinis *ſpiſſior* corrigatur, per infuſa ex herbis antiſcorbuticis & radicibus alexipharmacodiureticis, cum laxantibus, præcipue helleboro nigro coniunctis; quibus ſalium digeſtiuorum conti-

continuatio accedat. Pedes ceterum tecti & blando calore ſemper foueantur.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Vbi grauius malum metuendum eſt, non permittit tempus methodum *tardiorem*, ſupra indicatam, obſeruare, ſed illo caſu *clyſma* ſtimulans exhibere, & ſtatim deinde venæ ſectionem in pede inſtituere.

2. Si flatulenta ventriculi diſtenſio ſubſit, a *vomitu* abſtrahendum eſt: facile enim flatulentia anoterica habitualis inducitur, & anxietates augentur.

3. Conuenit potius in tali caſu materiam digerere, mobilem reddere & per laxantia euacuare. Ad materiam digerendam, præter ſalia digeſtiua, adhuc commendantur: rad. enulæ, irid. florent. ariſtoloch. long. raphani, herbæ amaræ, & incidentes, e. g. abſinth. cent. min. & antiſcorbuticæ, item gummata.

4. Formulæ *pilularum* in ſubiectis melancholicis non adeo commode operantur, præſtat igitur *liquidas* in illis adhibere.

5. *Gummi ammoniacum* cum aceto ſquillitico ſolutum, ingrati quidem ſaporis, ſed egregiæ virtutis eſt, ad ſordes primarum viarum abſtergendas.

6. Venæ ſectio, ſi aluo nondum aperta inſtituitur, præpoſterum edit effectum, nempe congeſtionem *particularem* facile in commotionem *vniuerſalem* transmutat, id eſt, cephalalgia vertiginoſa in febrem traducitur.

7. *Cucuphæ* in ſpeciebus ita dictis cephalico-neruinis odoratioribus, quæ ad vertiginem arcendam, & ad memoriam confortandam vulgo ſolent applicari, plus perturbationis, maxime plethoricis, adferunt, quam leuaminis exoptati.

8. In phlegmaticis autem frigidis vſui eſſe poſſunt, ſed diſcretio vertiginis idiopathicæ a ſymptomatica valde neceſſaria eſt: in hunc finem conducunt rad. irid. florent. bryon. cyper. rotund. herb. hyſſop. ſummitat. ſerpilli, ſem. fœnic. carv. camph.

9. Cau-

9. Caute etiam adhibenda ſunt aromatica, odorifera, balſamica, volatilia, ne per vſum illorum malum potius augeatur, quam minuatur.

10, Pediluuia ſub methodo laudauimus, magis tamen vſum habent, vbi vertigo e redundantia ſanguinis verſus caput contingit, quam in cauſſis vitii primarum viarum.

11. Cum vertigine conſpirat familiariter memoriæ debilitas, cui autem ſimul occurritur, ſi vertigo per methodum commendatam remouetur.

12. Ceterum quia nemo facile ſanus *anxie* vomit, quin ſimul vertigine quadam corripiatur, hæ circumſtantiæ nullo modo cum genuinis vertiginoſis affectibus confundendæ ſunt.

---

# TABVLA XXVIII.
## DE
# CORYZA, GRAVEDINE
## ET
# PHLEGMATORRHAGIA.

I. D*EFINITIO.*

1, *Coryza* eſt adfectus catarrhalis, qui excretione ſeroſo-mucida modo benigniore, modo acriore, per nares & ſæpius etiam per fauces ſeſe manifeſtans plerumque cum ſternutatione coniunctus eſt, & a compreſſoria reſtrictione humorum verſus caput maximam partem originem ducit. Deriuatur a κορυζάω, grauedine laboro.

2, *Grauedo*, ſecundum receptam diſtinctionem, eſt adfectus itidem catarrhalis, qui nulla quidem perruptione materiæ ſeroſæ, maiore autem illius congeſtione & ſtagnatione ad nares & partes vicinas manifeſtus, atque hinc maioribus etiam incommodis ſtipatus eſt.

3. *Phleg-*

3. *Phlegmatorrhagia* eſt verus continuus fluxus ſeu ſtillicidium limpidi phlegmatis e naribus, qui itidem a congeſtione humorum verſus caput, haemorrhagiam narium reſpiciente, originem ducit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Catarrhorum praecipuæ ſpecies ſunt coryza, grauedo, phlegmatorrhagia, raucedo, tuſſis & catarrhus ſuffocatiuus. De coryza, grauedine & phlegmatorrhagia hac, de reliquis autem ſpeciebus aliis tabulis agemus.

2. Vulgus quidem aliam adhuc ſpeciem adcuſat, nempe catarrhi lapſum in ſtomachum, es ſey ihnen ein Fluß in den Magen gefallen; eſt autem conſenſualis tantum moleſtia, a faucium catarrhali incommodo, ſeu veteribus dicto *brancho*, circa orificium œſophagi & ductum illius vna eveniens.

3. Liceat hic paucis indicare differentiam *catarrhi* a *rheumate*, ad euitandam vulgarem confuſionem.

a) Rheuma plus ſanguinis ſtricte dicti inuoluit, quam catarrhus, qui ſeroſo-mucidae magis eſt craſeos.

b) Rheuma febriculam qualemcumque ſemper habet comitem, quae tanto fortior & acrior eſt, quanto plus ſanguinea ſubſtantia altius ad partes ſeriferas diffunditur, cui congeſtioni rheumaticae aliquando otalgia cum vel ſine parotidum dura inflatione ſupernenit; catarrhus autem ſimplex nulla febre ſtipatus eſt, ſed tum demum eamdem habet comitem, quando ſanguineæ portiones his ſtaſibus accedunt, & corruptionis periculum minantur. *conf. tab. de febre catarrhali benigna.*

c) Rheuma ad exitum non peruenit, ſed dolore premente, tendente, immo interdum lancinante ac fremebundo percellit; in catarrho autem materia ſeroſo-mucida excernitur. *conf. etiam differentia tab. de rheumatiſmo.*

4. *Coryza*, eſt vel *recens* & *tranſitoria*, vel *habitualis.*

5. Vel *vaga*, vel *periodica*, circa certa anni tempora eueniens.

6. Differentia *coryzæ, grauedinis* & *phlegmatorrhagiæ* ex definitionibus eluceſcit.

Hh III. *SI-*

III. *SIGNA.*

1. *Coryzæ.*

1) Præcedunt pruritus & ſternutationes, quæ, vt hanc humiditatem immobiliorem reddant fluidam, inſeruiunt.

2) Concurrunt torpor animi, ſomnolentia ſenſuum externorum, nempe guſtus, viſus, auditus & olfactus qualiscumque hebetior conditio.

3) Interdum ipſa grauedo coryzæ prodromus eſt.

4) Subſequitur excretio materiæ ſeroſo-mucidæ, per nares, fauces, & ſubinde etiam per oculos.

5) Quo tenuior & acrior eſt hæc catarrhalis materia, eo magis adficit illa loca, per quæ excernitur, ita vt ſæpius leviter illa arrodantur, & ardoris ſenſu infeſtentur.

6) Aluus ordinarie eſt clauſa, vrina pauca & ſudor ſuppreſſus.

7) Aliquando tuſſis cum raucedine coniuncta eſt, præ primis ſi magna quantitas materiæ ſeroſæ acris ad fauces pellitur.

2. *Grauedinis.*

1) Temulenta & adgrauans capitis adflictio.

2) Dolores prementes, tendentes, frementes, immo pungentes & vrentes, a ſummitate quaſi capitis, quam occupant, ad occiput, & in primis ad ipſos vsque proceſſus maſtoideos ſe ſe extendentes.

3) Vaſa notabiliter turgent.

4) Concurrit ſitis cum oris ſiccitate.

5) Somnus eſt inquietus.

6) Pectus etiam in conſenſum trahitur, & oppletione quadam grauante occupatur.

7) Grauedo, quæ diutius durat, non ſolum ſenſibus externis, quod familiare eſt, verum etiam adpetitui incommoda quædam adfert.

8) Non nulli, ſi intenſior eſt adfectus, modo horrores, modo æſtus vagos, præſertim aere frigido-humido, perſentiſcunt.

3. *Phlegmatorrhagiæ.*

1) Præ-

1) Præcedunt congeſtiones ad caput, moleſtæ per ſenſum oppletionis, grauitatis & preſſionis.

2) Succedit ſtillicidium limpidi phlegmatis per nares, quod poſt effluxum plurium guttularum ſponte ſua iterum ceſſat.

3) Coniunctus etiam eſt ſenſus grauitatis circa oculos & radicem naſi.

IV. *SVBIECTA.*

1. Ætas infantilis, præcipue ſi tranſpiratio ſuppreſſa vel, ſecundum *Riuerii* obſeruationem, vrinæ excretio in illis non ſuccedit.
2. Puerilis ætas, multa lympha ſaliuali abundans.
3. Præcipue etiam *prouectior* ætas, quæ, ob ſanguinem inertiorem, ſinceris hæmorrhagiis non magis par eſt.
4. Temperamentum in primis phlegmaticum, vel ſanguineo-phlegmaticum, plethorici.
5. Sexus ſequior præ virili.
6. Homines otioſi, lautæ diætæ dediti, ſommolenti.
7. Qui frequentiori eius modi euacuationi adſueti ſunt; præcipue ex *interna* diſpoſitione. Hanc enim magis hic reſpicere conuenit, quam accidentales & externas occaſiones, ab intemperie aëris humido-frigidi dependentes.
8. Adulti etiam & viri, qui congeſtionibus verſus caput ſine ſuccedente hæmorrhagia adhuc obnoxii ſunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Quæ ſcena in hæmorrhagia narium, illa etiam in coryza luditur: huius enim cauſſa primaria etiam eſt congeſtio ſanguinis verſus caput, hæmorrhagiæ narium deſtinata.
2. Huic adſerto non repugnat, quod coryza per aliquot dies duret: nam hæmorrhagiæ narium ſatis eſt familiare, vt non vnica ſemper eruptione abſoluatur, ſed per aliquot ſæpe dies repetitis ſucceſſibus continuet.
3. Hinc coryza pro *accidentali* tantum euentu hæmorrhagiæ, cui proprie deſtinata fuit congeſtio, habenda eſt. Quoniam enim in talibus ſubiectis ſanguis, ſtricte dictus, cum tenui abundante ſero ſufficienter non ſubactus eſt, atque ob hanc cauſſam craſſa rubicunda portio vlterius progredi non valet: tum euenit, vt tenuior ſolum pars excernatur,

 & qui-

& quidem ſatis ſubinde copioſe; de qua re notabile exemplum apud *Salmuthum* reperitur.

4. A *reſtagnatione paſſiua*, nempe detentione humorum ſeroſo-lymphalium intra & circa glandulas, tamquam illorum colatoria, aliquando quidem coryzam prouenire poſſe, non negatur, ſed hoc rariſſime.

5. Cauſſæ *externæ* & *occaſionales*.

1) Euacuationes catharticæ, conſuetæ, ſuppreſſæ, naturales.

2) Artificiales, circa æquinoctia celebrari ſolitæ, neglectæ.

3) Aer humido-frigidus, immo etiam humido-calidus, cum repentina refrigeratione permutatus.

4) Crebriores crapulæ, ſecundum prouerbium: Güſſe machen Flüſſe.

5) Vſus herbæ nicotianae, antea frequens, iam ſimul & ſemel abrogatus, & abuſus pulueris ſternutatorii.

6) Omne illud, quod tranſpirationem naturalam impedire ſolet.

7. Suppreſſio vrinae ſecundum *Riuerium*.

8) Qui veneris abuſu vigore ſanguinis ſpoliati ſunt.

6. Tandem de *ſternutationis* cauſſa non nulla adiicienda ſunt.

1) *Hippocrates* & *Ariſtoteles* ſtatuerunt, non tantum aërem, ſed & ſerum illud viſcidum, quod ſternutando excutitur, prouenire ex *cerebro* per oſſis ethmoidei poros ad nares. Quum vero ob viarum anguſtiam ſponte ſua id fieri non poſſe animaduerterent, a *cerebri contractione* impetum hunc deriuabant.

2) Recentiores hunc errorem detexerunt, & ſternutationem pro actione *thoracis* ex principiis anatomicis & mechanicis iuſtius declararunt. Eo autem redit ſententia, quod aër, qui per inſpirationem ad pulmonum cellulas transmiſſus eſt, & ordinarie *blande* iterum emittitur, hic per violentum *thoracis* & in primis *diaphragmatis* motum vno actu impetuoſe explodatur, & ab hac forti exploſione aeris, ex amplo pulmonum ſpatio in anguſtam tracheam & narium foramina protruſi & repercuſſi, *ſonus* ille & *ſtrepitus* importunus proueniat.

3) Sic de formali mechanico & de cauſſis *inſtrumentalibus* bene

bene quidem iudicant; quando autem de cauſſa *efficiente* huius impetuoſi motus dicunt, ſolas materias acres, quæ fibras narium nerueo-membranaceas vellicent, adcuſant. Sed vti manca eſt hæc pathologia, ita motum hunc rationalem omni iure tribuimus principio cuidam rationali, quod *propter* materiam, ſiue *acrimonia*, ſiue *ſpiſſitudine*, ſiue alia ratione moleſtam, vehementiſſimum hunc laborem reſolutionis, diſcuſſionis & expulſionis ſuſcipit.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Simplex tam coryza, quam grauedo parum in receſſu habent periculi, & quando certis temporibus, in primis circa æquinoctia, recurrunt, ſalutares ſunt, & a multis ſeroſis capitis adfectibus præſeruant.

2. Immo ipſa etiam habitualis horum adfectuum ſedes, ſi ætas & reliqua conſtitutio adhuc vegeta eſt, directum periculum non adfert. Interea tamen *chronica* hæc coryza *olfactum* facile lædit.

3. In *annoſioribus* autem & *effœtis* aliter ſe res habet: in illis enim perpetuus hic copioſus adpulſus ad caput & fauces vertiginoſa, apoplectica, hemiplectica, paralytica conſectaria tandem inducit; vel adfectus aſthmatici & catarrhi ſuffocatiui oriuntur, ſi decubitus huius materiæ acris ad pulmones contingit; quo intuitu etiam in *iunioribus* phthiſica exulceratio produci poteſt.

4. Coryzæ nonnumquam ſuperuenit febris catarrhalis, quæ infantibus periculoſior eſſe obſeruatur. *Conf. tab. de febre catarrhali benigna.*

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Rariſſime quidem contingit, vt ægri, coryza, grauedine aut phlegmatorrhagia laborantes, Medici conſilium quærant; quod ſi tamen omnino hoc fieret, ſequente modo incedendum eſt.

1. Iuſta & neceſſaria *euacuatio* in *grauedine* promoueatur.

2. Euacuationi per hæc loca *alia* conuenientior ſubſtituatur, & hac ratione coryza auertatur & intercipiatur.

3. Ad primam indicationem quod attinet, adhibeantur in gra-

vedine vel lenia *ptarmico-errhina* e g. herb. maioran. betonic. thym. ſerpill. flor. lauendul. lilior. conuall. &c. vel odor *ſalium volatilium* vrinoſorum naribus excipiatur: ita enim facile reſoluitur, ſaltem ad fluxilitatem reducitur mucida illa ſubſtantia, quæ tenſionem & infarctum pepererat.

4. *Secundæ* indicationi vt ſatis fiat, præſcribantur circa æquinoctia laxantia, venæ ſectiones in pede, & pro re nata ſcarificationes.

5. Subiungantur lenia diaphoretica & diuretica. Hic præcipue laudem merentur tinct. antimonii cum eſſ. ſuccini & alexiph. *Stahlii* mixta, coniuncto moderato regimine.

6. Medicatio *curatiua* non quidem requiritur, conueniunt autem lenes laxationes & lenia catarrhalia, ex quibus nominamus MP. de ſuccino *Cratonis*, extract. helleb. nigr. mercur. dulc. eſſent. alexiph. ſuccini, quorum vſus cum leni diaphoreſi coniunctus eſſe debet.

7. In *nimis copioſo* autem effluxu catarrhali, præmiſſis laxantibus & diapnoicis, vna vel altera exigua doſis MP. de cynogl. cum puluere quodam tonico & cinnabarino mixta, exhibeatur. Pro ſcopo tonico conducit præcipue pulvis & eſſent. caſcarillæ.

8. In coryza *acriore*, in primis illa, quæ cum ſenſibili dolore capitis iuncta eſt, vſus camphoræ externus e. gr. mixtura ex ſpiritu vini camph. ſalis armoniac. lilior. conuall. roſar. & eſſent. croc. vertici & fronti adplicata, multum leuaminis adfert.

9. Denique *præſeruatiue* adhuc commendantur:

1) Mixtura tonico-neruina *Stahlii*, quæ egregiæ hic eſt efficaciæ.

2) Venæ ſectiones & ſcarificationes verſus æquinoctia præſertim in plethoricis & adſuetis, inſtituendas, ſuperius iam nominauimus.

3) Alui debitus ſucceſſus.

4) Modeſtus vſus pediluuiorum.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Deckerus* in notis ad praxin *Barbette* inſignem efficaciam *vapori turis*, *aceti* & ſimilium adſcribit; ſed cauendum eſt,

eſt, ne ad repellendum potius, aut mucum illum reſtagnantem in altiorem carcerem detrudendum, talia remedia inſeruiant, & hoc caſu periculoſa pathemata producantur.

2. Minime omnium nudi tales repulſus in *grauedine habituali*, ſæpius recurrente, tolerantur.

3. In hac parum etiam efficiunt ipſa *volatilia* & *ptarmico-errhina*; immo frequens & quotidianus ptarmico-errhinorum vſus adfluxum copioſius inuitat, & homines habitualibus eius modi catarrhis obnoxios reddit.

4. Idem præſtat *fumus tabaci* multum vſurpatus. Qui vero horum vtrorumque vſui adſueuerunt, non poſſunt, quin eidem, ſed intra limites ſubſiſtendo, rurſus ſe ſe ſubmittant.

5. Sic etiam *ſalia volatilia vrinoſa* in coryza acriore & tenuiore adfluxum, ſaltem ruboris & pruritus paſſionem circa radicem narium intendunt, & grauedinis valde moleſtum ſenſum ibidem gignunt; cui potius *nitroſis collutionibus*, modeſte vſurpandis, ſuccurritur. In coryza autem *mucoſa* & *grauedinoſa* externe non reiicienda ſunt volatilia vrinoſa; ſi quidem, quod nimium eſt, quodque caput & memoriam debilitat, euitemus.

6. A remediis externis *ſubacidis* & *adſtringentibus* in coryza abſtinendum eſt.

7. In *coryza* præcipue *acriore*, & ſpeciatim *contagioſa*, præmiſſa leni laxatione, vſus alexipharmacorum temperatorum & nitroſorum egregie conuenit; in *ſimpliciore* vero, præſertim ad habitum iam propendente, eximii vſus eſt eſſ. ſuccini, ſiue ſola, ſiue cum eſſent. lignorum, & præcipue eſſent. ligni ſaſſafras, combinata.

8. *Succini* circa collum geſtatio cui vmquam vere profuerit, non conſtat: licet enim globuli pellucidi, ab eius modi catarrhoſis geſtati, obſcuritatem, quem ad modum corallia pallorem aliquando præbeant, hoc tamen ſine vllo aegri leuamine vtrimque euenire obſeruatur.

9. *Fonticuli* & *ſetacea* poſſunt quidem fluxus tales catarrhales inter-

interdum intercipere, praeſertim in iunioribus, plura autem incommoda hoc tentamen premunt.

1) Saepius ſine vllo effectu adhibentur.

2) Raro diu iuuant, licet fonticuli continuentur & ſetacea repetantur.

3) Non continuata antiquum incommodum grauius reuocant, immo grauiora alia pathemata introducunt.

4) Ætati iuniori debilitationes fonticuli plerumque conciliant.

5) Quibus penſitatis eluceſcit, quod remedium grauius & moleſtius ſit ipſo morbo.

10. *Thermarum* vſus ſi praegreſſis debitis euacuationibus proportionate inſtituitur, non quidem inefficax eſt, magis autem in praeſens, quam pro vniuerſo malo conſtanter auferendo conducit; niſi vitae genus otioſum in laborioſum mox mutetur.

11. *Venaeſectio* tempeſtiua & proportionata eximium vſum praeſtat. Hinc non audiendi ſunt, qui per illam vires exhauriri, & ſanguinem magis vappidum, mucidum, vel antiquorum vocabulo, frigidum reddi, ex falſo ſpirituum principio ſtatuunt; cui commento innumera fere exempla, hiſce ventilationibus adſueta, quantumcumque ſeniora, alacriter contradicunt. Quibus autem totius ſanguinis craſis mucida & phlegmatica eſt, iis venæ ſectio non aeque conducit.

12. *Eſſentia ſuccini*, praemiſſa methodo euacuante, in adfectibus catarrhalibus, non adeo *acribus*, eximiae eſt efficaciae, & id praeſtat, quod ab aliis fruſtra exſpectatur: modo *ſine alcali* parata ſit.

13. *Lignum ſaſſafras* in decocto quidem aliquem habet vſum, eſſentia autem eius nimis calida eſt.

14. *Maſſa pilularum de Succino Cratonis* reuocat decubitum excretionis mucidae a capite ad inteſtina, tamquam debita excretoria ſed corrigenda eſt eo modo, vt minus aloës & plus ſuccini eamdem ingrediatur.

15. *Extract. panchymagogum Crollii* ſatis bene & leniter purgat, quando conueniente doſi propinatur.

16. *Eſ-*

16. *Eſſentia hellebori nigri*, bene ſaturata & cum tinct. ialappæ mixta, egregium etiam præſtat effectum, in primis quando circa æquinoctia & tempus adpropinquantis catarrhi exhibetur.

17. *Radix ari* ad euacuandam colluuiem ſeroſam in nodulis ſeu infuſis numquam contemnenda eſt.

18. *Motus corporis ſufficiens* magis commendari meretur, quam vlla alia remedia. Per hunc enim abundantia ſeri diſſipatur, & ſtatus humidus in ſiccum mutatur; cauendum autem eſt, ne calefactum corpus refrigeretur.

19. In phlegmaticis largus vſus *zingiberis*, in cibis egregie conducit.

20. *Puluis sternutatorius* ad grauedinem expediendam ſi non ſufficit, grana VI. *euphorbii* pulueriſati cum vna vel altera vncia vini coquantur, & modicum huius decocti in nares trahatur; ſic has ſatis potenter ſtimulando humores diſcutit; quod *vitriolum album* in aqua maioranæ ſolutum etiam præſtat.

21. *Cortex mezerei* aliquo modo lenius operatur. Inter ea hæc remedia non niſi poſt alia conuenientiora adhiberi debent.

22. *Cucuphæ*, quas catarrhoſis ex herbis aromaticis parare ſolent, vſum quidem aliquem in pure phlegmaticis exhibent, in ſanguineis autem cauendum eſt, ne vertiginoſi adfectus ſequantur.

23. *Balſama apoplectica* & *cephalica* ſubiectis talibus magis nocent, quam conueniunt: quia caput valde grauant

24. In *coryza acriore*, præmiſſis per tres circiter dies nitroſis & temperantibus, *MP. de cynogloſſa* vſum habet. Præter ea in omnibus coryzæ ſpeciebus, *cinnabaris* conuenit, præcipue in hac ſpecie acriore, in qua etiam eſſent. alexiph. plus, quam eſſent. ſuccini præſtat.

25. Multi catarrhoſi, quando aliquid cibi adſumſerunt, inſolitam ad *vomitum* habent procliuitatem; cuius ſymptomatis tractatio a reliqua methodo non differt, in primis ſi hæc emeſis catarrhoſam & cum coryza complicatam capitis oppletionem ſequatur.

26. Veteres per *trageas* huic rei mederi voluerunt, e rad. helen. ari, galang. zedoar. coſt. ver. cinnamom. &c. quæ vero, licet contemni non mereantur, effectum tamen non ita promptum edere ſolent.

27. *Coſtus verus* dentibus in ore contritus leuiores ſtaſes catarrhales ſatis cito diſcutit.

28. Melioris energiæ eſt *rad. pimp. alb.* vel per ſe, vel in forma eſſentiæ adhibita.

29. Radix *vincetoxici* in adfectibus ſeroſis præ reliquis laudabilis eſt: *radix bardanæ* eidem intentioni optime inſervit; item *radix petaſitidis*, magis tamen in phlegmaticis ſubiectis.

30. Ex hiſce radicibus extracta eſſentia *ſine vehiculo* debet propinari, ita vt 6-8-10 guttulæ per ſe deglutiantur, & vſus illius per aliquot dies repetatur. Hac ratione vomitui optime conſulitur, & fauces a ſeroſa oppletione liberantur.

31. Conuenit etiam cochleare vnum alterumue ſpiritus communis ardentis, bonæ notæ, poſt adſumtos cibos, & ſub vſu eſſentiæ in primis pimpinellæ albæ, adſumere.

## TABVLA XXIX.

## DE

# BRANCHO & RAVCEDINE.

I. DEFINITIO.

*Branchus* eſt materiæ ſeroſo mucoſæ intra fauces & aſperam arteriam ſeceſſio, a congeſtione humorum verſus has partes originem trahens.

*Raucedo* eſt tunicæ glanduloſæ & partium glanduloſarum, circa ſuperiora aſperæ arteriæ ſitarum, conſtrictio, qua debitus prouentus lymphæ, aſperam arteriam humectantis, intercipitur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Branchus* ordinarie cum raucedine ſolet confundi. Qua de cauſſa ſequentes attendendæ ſunt differentiæ: 1) In

1) In *brancho* ſub initium adſunt molimina hæmoptyica. Quando autem euacuatio ſanguinis locum non inuenit, decubitus ſeu ſeceſſio fit humorum ſeroſo-mucidorum; in raucedine autem haec omnia deſunt, contra lympha, ad irrigationem neceſſaria, eſt intercepta.

2) Hinc in *brancho* toni relaxatio, in *raucedine* autem conſtrictio adeſt.

3) *Branchus* excipit ordinarie coryzam & grauedinem, *raucedo* autem ſine his occurrit.

4) *Raucedo vera* chronice & per multos interdum annos adfligit, branchus breuioris eſt periodi.

2. Vterque adfectus eſt vel *lenior*, quae a cauſſis externis generatur, vel *pertinacior*, quae a cauſſis internis originem ducit.

3. Praeter ea, ſecundum reliquas diuerſas cauſſas, diuerſo modo adhuc differunt, vti inferius ſub *cauſſis* dicetur.

III. *SIGNA.*

1. Coryza & tuſſis ſiue humida ſiue ſicca plerumque praecedunt, vel ad minimum accedunt *branchum*.

2. Quo acrior eſt decubitus, eo certius aſpera arteria interne excoriata ſentitur.

3. Superuenit difficilis reſpiratio, vox rauca & reliqua ſymptomata coryzam concomitantia.

4. Quando *lenior* eſt hic adfectus, tuſſis vel coniuncta obſeruatur, vel eumdem ſequitur.

5. Cum *grauiore* vero facile conſpirant adfectus catarrhales, ſcorbutici, immo ſubinde venerei.

6. *Raucedo* per ſe ſatis dignoſcenda & non raro cum adfectibus phthiſicis ſtipata eſt.

7. Hinc loco aſperae, profundae & raucae vocis, quae in *brancho* adeſt, in *raucedine* potius vox ſuppreſſa ſeu aphonia obſeruatur.

IV. *SVBIECTA.*

Branchus euenit

1. Iuuenili & conſiſtenti aetati, vbi adhuc vigent congeſtiones verſus pectus.

2. Interdum quoque infantibus.
3. Phlegmaticis in primis ſenibus, & cauſſis infra nominatis expoſitis.
4. Raucedo euenit
   1) Tuſſi ſiccae adfectis.
   2) Phthiſicis.
   3) Feminis obſtructione menſium laborantibus.
   4) Diu multumque clamitantibus.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *proxima branchi* eſt congeſtio ſanguinis ad fauces, ſub qua in partes glanduloſas materia ſeroſo-mucida ſecedit.
2. Cauſſa vero *proxima interna raucedinis* eſt interceptio lymphae, quae arteriam aſperam humectat.
3. Cauſſa *concomitans*, quae lymphae prouentum impedit, eſt plerumque conſtrictio partium glanduloſarum, circa ſuperiora arteriae aſperae.
4. In cauſſa vero ſcorbutica & venerea eroſio epiglottidis praeſto eſt.
5. *Cauſſae externae* & *occaſionales.*
   1) Decubitus rei alicuius extrinſecus delatae, e.g. particularum puluerulentorum.
   2) Tuſſis vehemens.
   3) Frequens & diuturna ſermocinatio, immo vociferatio.
   4) Cibi nimium pingues.
   5) Humores acres billioſi, circa haec loca ſtagnantes.

VI. *PROGNOSIS.*

1. *Branchus ſimplex* parum periculi portendit.
2. Quando autem iam *habitualis* factus eſt, nonnumquam, praeſertim apud ſenes, in catarrhum ſuffocatiuum abit; apud iuniores vero plerumque tuſſim vel aſthma relinquit.
3. *Raucedo*, a cauſſis *externis* producta, leuioris eſt conſiderationis.
4. Quae a cauſſis *internis* dependet, non, niſi his ſublatis, tollitur.
5. Quo grauiores ſunt morbi complicati, eo difficilius raucedo

cedo tollitur: hinc in cauſſa venerea & ſcorbutica ſatis pertinax obſeruatur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *In brancho.*

1. In *brancho* ad humorum adfluxum a pectore deriuandum, præmiſſis lenioribus laxantibus, propinentur nitroſa, abſorbentia cum cinnabarinis mixta.

2. Ad mucorem incidendum & reſoluendum conducit aqua veronicæ vinoſ. eſſent. alexipharmac. *Stahlii*, eſſent. ſuccini.

3. Paucis: vti cum hac mucida ſtaſi coryza & tuſſis concurrunt, ita & eadem medicatio locum habet, quæ tabulis de coryza & tuſſi indicata eſt.

B. In *raucedine.*

1. Ad ſtricturam partium glanduloſarum relaxandam & acrimoniam obtundendam exhibeantur lubricantia, e. g. oleum amygdal. dulc. ſyrup. liquirit. de eryſimo *Lobelii*, capilli veneris, violar. iuſcula mucilaginoſa raparum, avenæ, hordei, decocta ex herbis veronic. hyſſopi, ſaluiæ, hederæ terreſtr. ſemin. aniſi, fœniculi.

2. Quo magis humores acriores bilioſi in hoc adfectu peccant, eo melius conducunt abſorbentia cum nitro & antimoniato quodam fixo combinata, coniuncto leni regimine diapnoico.

3. In cauſſa ſcorbutica, venerea, phthiſica, primarii adfectus reſpiciendi ſunt.

4. Aluus ſubinde per lenia laxantia ſoluenda eſt.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. In vtroque caſu fugienda ſunt *expectorantia.*

2. *Relaxatio* arteriæ aſperæ in raucedine vulgo quidem ſolet adcuſari, & hac ratione branchus cum raucedine confundi; qui vero omnes circumſtantias in vera raucedine occurrentes, & præcipue relaxantia remedia, quæ ipſi ſalutariter opponuntur, penitius conſiderat, ille potius *conſtrictionem* ſubeſſe obſeruabit.

3. *Helmigius* bene obſeruauit, quod raucedo in ſexu feminino contingens, menſium obſtructionem interdum pro fundamento habeat, quo intuitu venæ ſectionem commendat.

4. De hac re notum eſt ſingulare exemplum, videlicet virginis duo de viginti annorum, cui menſium ſuppreſſione & raucedine laboranti, ſuaſu quorumdam *Batauiæ* Medicorum, breui tempore vena ſepties ſecabatur. Quam diu ſanguis fluebat, virgo voce ſonora naturali eloquebatur; quam primum autem, vena compreſſa, profluere ceſſabat, mox aderat vox ægerrime percipienda, quæque aphonia magis quam ſimplex raucedo dicenda fuiſſet. Menſes poſt ea per remedia conuenientia aliquo modo reuocabantur, manebat autem aphonia. Tandem ſub vſu decocti *veronicæ* naturalis loquela reſtituebatur.

# TABVLA XXX.
## DE
# ANGINA.

I. D*EFINITIO.*

Angina eſt ſtaſis ſanguinis inflammatoria circa fauces & vicinas illarum partes collecta, a tumultuaria humorum congeſtione, medium quaſi locum inter caput & pectus occupante, & hinc modo hæmorrhagiam narium, modo hæmoptyſin reſpiciente, originem ducens. Deriuatur vel a Græcorum ἀγχω, præfoco, ſtrangulo, vel a Latinorum ango.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Variæ & ſolicitæ tam veterum quam recentiorum anginæ diuiſiones vix quidem vllam in praxi habent vtilitatem, quoniam tamen formandæ *prognoſi* quodam modo inſeruiunt, breuiter illas tangemus.

2. An-

2. Angina eſt vel *vera*, vel *ſpuria* ſeu *notha*.

1) *Vera* dicitur, quando tumor inflammatorius magis *interne* obſeruatur; nempe in larynge, pharynge & partibus vicinis, inſuper etiam cum febre acuta ſtipata eſt.

2) *Notha* autem vocatur, vbi tumor *externe* magis ſe ſe manifeſtat, videlicet circa tonſillas & glandulas poſt aures ſitas, ſine concurſu febris acutæ.

3. Angina a veteribus ratione partis adfectæ diuidebatur in cynanchen, paracynanchen, ſynanchen & paraſynanchen.

*Cynanche* dicitur, quando muſculi laryngis *interni* inflammati ſunt, & tamen neque intus neque extus tumor adparet, & febris exquiſita coniuncta eſt.

2) *Paracynanche* vocatur, quando tumor inflammatorius in muſculis laryngis *externis* occurrit.

3) *Synanche* eſt, quæ inflammationem muſculorum *pharyngis internorum* format, & maiorem degluciendi, minorem vero reſpirandi difficultatem coniunctam habet, & cuius tumor magis *extrorſum* vergit.

4) *Paraſynanche* inflammationem muſculorum *pharyngis externorum*, cum febre coniunctam, veteribus denotat.

4. Sunt, qui quintam ſpeciem his adiiciunt, quam *prunellam* vocant, quando *lingua* intumeſcit, & in ſuperficie *fiſſuras* dolore ſtipatas concipit, ac glutine quaſi viſcido oblinitur. Quum vero plerumque ſymptoma febrium malignarum ſit, inſuper etiam confinia faucium ſimul adficiat, non eſt, cur ab angina ſymptomatica eam ſeparemus. Eſt enim

5. Angina vel

1) *Idiopathica*, quæ per ſe & ſponte ſua exoritur, & a ſola plethora dependet; vel

2) *Symptomatica*, quæ febribus acutis, præcipue circa ſtatum, vel aliis morbis accedit. Vide *ſubiecta* & *cauſſas*.

6. Hæc

6. Hæc omnia differunt *gradu*; in aliis enim *mitior* eſt, in aliis autem cum tali impetu angina inuadit, vt paucis momentis omnia inualeſcant.
7. Diuiſio anginæ in *ſanguineam* & *mucoſam* non differentiam cauſſarum, ſed temperamentorum inuoluit; illa magis ad *veram*, hæc autem ad *notham* referenda eſt.

III. *SIGNA.*

1. Manifeſtat ſe ſub initium *aliqua* deglutiendi difficultas.
2. Quæ more conſueto cum tumore & ſenſu doloris pulſantis ac pungentis, modo in alterutro latere, modo in vtroque ad ceruicem vsque ſe extendens, coniuncta eſt.
3. His accedit notabilis ardor in faucibus & inflammatio.
4. Paucis horis hæc ita increbeſcunt, vt vix deglutire quidquam valeant ægrotantes, immo deglutita, in primis potulenta, ſæpius per nares reddant.
5. Lingua inſigniter tumeſcit, & venæ quaſi nigricantes *ſub* illa adparent.
6. Facies turget & rubicunda exſiſtit.
7. Vaſa circa tempora intumeſcunt.
8. Vaſcula in oculis ſanguine ita repleta comparent, vt ipſi oculi e capite quaſi prominentes, vt in ſtrangulatis, conſpiciantur.
9. Reſpiratio fit difficillima, & malo vlterius procedente orthopnœa ſequitur, quæ ægros periculo ſuffocationis exponit.
10. Vox clangoſa & rauca, cum loquendi difficultate.
11. Animus valde anxius.
12. Manus ſunt pallidæ & tactu frigidæ.
13. Æger ipſe modo horrore leuiore, modo æſtu volatico percellitur.
14. Pulſus potiſſimum frequens, durus & inaequalis.
15. Vrina variat: *Symptomatica* enim angina talem exhibet, qualem febres acutae; *idiopathica* autem, praecipue notha, qualem adfectus congeſtorio-inflammatorii offerunt.
16. Haec vero omnia in angina notha multo mitiora deprehenduntur.

IV. *SVB-*

IV. *SVBIECTA.*

1. Angina *idiopathica* potiſſimum euenit *iuuenibus*, vix tamen aliis quam inſigniter plethoricis.
2. Quibus præcedentibus annis hæmorrhagiæ narium familiares fuerunt.
3. Qui ad hæmoptyſin proni ſunt.
4. Qui diæta calida aromatica & vinoſa vtuntur.
5. *Symptomatica* vero angina, quæ acutis & aliis morbis accedit, reliquæ etiam ætati obtingere ſolet, præcipue ſanguineo-cholericis ſubiectis.

V. *CAVSSAE.*

1. *Idiopathica.*
   1) Cauſſa *materialis remota* eſt turgida ſanguinis abundantis ebullitio.
   2) Cauſſa *propior* eſt tumultuaria humorum verſus hæc loca congeſtio.
   3) Cauſſa *proxima* ſeu *continens* eſt ſtaſis inflammatoria, circa caput laryngis aut pharyngis collecta.
   4) Cauſſa *efficiens* eſt naturæ intentio ad ſanguinem exonerandum, fluctuans tamen & hæſitans, num per nares vel per pulmones excretio inſtituenda ſit: hinc medio quaſi loco humores detinentur.
   5) Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* ſunt
      a) Hæmorrhagia narium per ætatis rationem ſuppreſſa.
      b) Hæmorrhoidum tam in feminis quam in viris repetitinæ cohibitiones.
      c) Venæ ſectiones & ſcarificationes conſuetæ neglectæ.
      d) Fluxus dyſentericus male tractatus, aut cito ſuppreſſus.
      e) Senſibiles faucium ſtimulationes & arroſiones per remedia valde acria, adſtringentia, vehementiora vomitoria &c.
      f) Refrigeratio corporis repentina poſt æſtum.
      g) Ebrietas.
      h) Abuſus pulueris ſternutatorii acrioris ad fauces delabentis.

i) Clamores & vociferationes.

k) Luxationes colli.

2. *Symptomatica.*

1) Incompleta ſanguinis verſus hæc loca congeſtio:

a) in febribus acutis præcipue epidemicis.

b) in adfectibus vagis arthriticis &c.

2) Cauſſæ *occaſionales* in acutis ſæpiſſime ſunt

a) vel incongrua venæ ſectio, quæ præcipue circa dies criticos anginam prouocat. Vel

b) quando ægri conſiliis non obtemperant, ſed impatientia & inquietudine reſiſtunt. Vel

c) Quando per incongrua artificia & regimina calida, aut etiam refrigerantia peruerſæ & anotericæ humorum commotiones excitantur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Angina quo maiore impetu inuadit, eo maius periculum minatur.

2. Angina *notha* mitior eſt quam *vera*.

3. Species mitiſſima eſt *paracynanche*.

4. *Cynanche* autem omnium eſt periculoſiſſima; conf. *Hippocrat. Sect.* IV. *aphor.* 34. 35.

5. Quando *orthopnœa* accedit, quo ſcilicet ſtatu ægri non amplius iacere poſſunt, ſed erecti hiante ore, canum inſtar, aërem petunt: ſæpius eodem, vel ſecundo aut tertio die ſuffocantur.

6. Qui *cynanche* pereunt, & quidem ita, vt ſpumas ante os agant, illi conuulſionibus magis, quam ſuffocatione moriuntur: magnum enim periculum ſphaceloſæ corruptionis ibi proſtat, quod naturam in tales motus tremulos coniicit.

7. Angina *idiopathica* quando ſubiecta adultiora corripit, periculoſior obſeruatur, quam in iunioribus.

8. Angina in febribus *acutis* circa dies *criticos* contingens, eſt pernicioſa. Nam per eiusmodi tumultuariam humorum congeſtionem intra fauces reliquus febrilis decurſus peruertitur, dum ad febrem pertinentes neceſſarias excre-

excretiones turbat, & ad ſecundariam magisque accidentalem ſanguinis euacuationem collineat.

9. Angina luxationem vertebrarum colli ſecuta, lethalis. *Conſ. tab. chirurg. de luxatione colli.*

10. Quando angina *ſubito* euaneſcit, recurſum ad interiora denotat,

11. Quibus ex angina liberatis ad pulmonem fit conuerſio, ii intra dies ſeptem moriuntur, ſi vero hos euaſerint, purulenti exſiſtunt. *Hippocrat. Sect. V. aphor.* 10.

12. Staſeos diſcuſſio, quando non obtinetur, ſuppuratio contingit, & tum anceps valde eſt euentus.

13. Anginam interdum per narium hæmorrhagiam, interdum per hæmorrhoidum aut menſium fluxum ſolui, experientia teſtatur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *In paroxyſmo.*

1. Ante omnia *clyſma* adplicetur, & quidem extemporale, ob periculum quod eſt in mora. In hunc finem conducit vrina calida, vel aqua calida ſalina. Si tempus conducit, ſtimuli loco *pulpa* colocynthid. in petia ligata & cocta, addatur, vel electuar. hier. picr.

2. Deinde in caſu *vrgente*, larga venæ ſectio in brachio, vel adhuc melius in pede, inſtituatur, & ſi poſt aliquot horas mali vehementia non remittat, *ranina* etiam ſecentur.

3. In *mitiore* autem adfectu venæ ſectio in paroxyſmo non æque neceſſaria eſt, ſed ſufficiunt plerumque remedia, quæ impetum ſanguinis mitigant, e. g. nitroſa, abſorbentia, leniter diapnoica, cum grano MP. de cynogloſſ. combinata, & ſæpius adhibita; qui pulueres in malo etiam *vrgente*, immo per vniuerſum morbi decurſum ſalutares eſſent, ſi modo deglutiendi difficultas non obſtaret.

4. Facta ſanguinis ſiue ſola *contemperatione*, ſiue ſimul ipſius quantitatis per venæ ſectionem *imminutione*, locum habent *gargariſmata*. Remedia ad illa paranda triplicis ſunt generis.

1) *Reſoluentia & neruino-diſcutientia.* e. g.

a) *Radices*: irid. Flor. ſigill. Salom. vincetox. caryophyllat. bryon, ariſtoloch. vtriusque, helen.

b) *Herbæ*: hyſſop. chærefol. ſalu. origan. centaur. min. comæ abrotan. ſcabioſæ, licet inſipidæ.

c) *Flores*: chamomill. melilot. bellid.

d) *Semina*: aniſi, carui, dauci, fœnugræci.

2) *Lenientia* & *demulcentia* ad ardorem & æſtum, plus minus inflammatorium, temperandum. In hunc finem laudantur.

a) *Mucilaginoſa*: e. g. ſemen cydonii, pſylli, lini, malua & althæa.

b) *Aqua* roſar. rubr. cum ſem. cydonii.

c) *Syrupi*: rub. idæi, dianuc. & adhuc magis diamôr.

d) *Specifica*: album græcum & quadantenus fungus ſambuci.

e) Quorum omnium princeps eſt *nitrum*.

3) *Adſtringentia.* Huc pertinent

a) *Herbæ traumaticæ*: pyrolæ, prunell. ſanicul. auricul. muris, ab *Heurnio* commendata.

b) *Radices*: biſtortæ, tormentill. ſymphyt. maior. pſeudo-acori.

c) *Cort.* & fol. mali punici.

d) *Validiora*: tinct. terræ catechu, gallæ, alumen crudum.

5. Sub initium adplicentur aliquoties *gargarismata* ſine adſtringentibus, vel leniſſimis tantum, parata, deinde *leniora* ex illis, & de hora in horam fortiora addantur. Vid. *cautel.*

6. Eodem tempore, quo gargarismata in vſum vocantur, neceſſarium etiam eſt, extrinſecus adplicare *emplaſtra* diſcutientia & emollientia, e. g.

1) Emplaſtr de melilot. camphor.

2) Emplaſtr. diachylon ſimplex abſente inflammatione.

3) Emplaſtr. diachyl cum gummatibus, ſi ardorem & inflammationes ſubeſſe adparet.

4) Si inſignis calor & ardor aeſtuoſus vrget, loco emplaſtri ſpiri-

ſpiritus vini camphorat. croeat. cum linteis multiplicatis adplicetur.

7. Quando autem ſtaſis inflammatoria hanc methodum discuſſoriam adſpernatur, & propria ſua pertinacia ad ſuppurationem tendit, ruptio *ſpontanea* exſpectanda eſt. Vid. *cautel.*

8. Ruptione vero facta, ſponte quaſi reſtituitur aeger, ſine peculiari concurſu medicamentorum. Poteſt tamen ad mundificationem loco gargariſmatis adhiberi *vinum* calidum cum pauco *melle*, ſiue ſimplice, ſiue roſaceo. Item aliquid myrrhae, ſaluiae & prunellae pro conſolidatione.

9. Aluus ſemper aperta ſeruetur, ſiue per clyſteres, ſiue per moderata laxantia.

10. Vbi ſuffocationis metus impendet, *bronchotomia* vltimum eſt refugium.

B. *Extra paroxyſmum.*

1. Plethora imminuatur
   1) Siue per euacuationes ſanguinis *naturales*, iuſta methodo reuocandas.
   2) Siue per *artificiales*, nempe venæ ſectiones æquinoctiales, in pede inſtituendas, & non facile prætermittendas.

2. Motus verſus hæc loca congeſtorius præoccupetur
   1) per laxationes ſubinde inſtituendas.
   2) per eſſentiam alexipharmacam Stahlii cum mixtura tonico-neruina coniunctam & anniuerſaria periodo recurrente exhibitam, cum regimine leniter diapnoico, per motum corporis voluntarium promouendo.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In angina *notha* & magis *mucoſa* adhiberi poſſunt reſoluentia *penetrantiora*, e. g. rad. ari, helen. pimpinell. alb. bardan. vincetox. Herbæ nonnihil aromaticæ, lign. ſaſſafr. guaiac. gummi galban. ſagapen. myrrh.

2. Aluus autem in illa mucoſa conſtitutione non tam aperta ſeruanda, quam potius *purganda* eſt, e. g.

Recip. MP. de ſuccin. Craton. ſcrup. I.
Reſin. ialapp. gr. V - VI.
Extract. trochiſc. alhandal. gr. II. III.
M. f. pilulæ.
Mercur. dulc. quoque locum habet.

3. Rob *dianucum* in mucoſa angina, in ſanguinea autem magis rob *diamoron*; in vtroque caſu fungus ſambuci conuenit.

4. *Venæ ſectio particularis*, ſub lingua nempe inſtituta, ſi vniverſali nondum præmiſſa adminiſtratur, duo grauia incommoda parit

1) vel enim, quod ſæpe contingit, ſanguis ſufficiente quantitate non emittitur, ob vaſa minus capacia, & ſic adfluxum vehementiorem adfert, omniaque deteriora reddit.

2) Vel fluxus ſi ſatis procedit, vix vllo remedio poteſt ſedari, qua ratione æger viribus exhauritur, & febres facile lenteſcentes ſubſequuntur.

5. *Venæ ſectionem generalem* in pede inſtituere, ad reuulſionem quidem maioris efficaciæ deprehenditur, quam illa, quæ in brachio adminiſtratur; ob tenacem autem aliorum conſuetudinem nonnumquam conniuendum eſt.

6. Venæ ſectionem quando *inquietudo* & crebra iactatio corporis excipit, *frictiones* fortiores in pedibus & *pediluuia* conueniunt.

7. Ne error in *gargariſmatibus* committatur, duo ſimul coqui poſſunt: vnum e diſcutientibus & demulcentibus; alterum e ſolis adſtringentibus paratum. Hac enim ratione ſub initium vel nulla, vel tantum exigua portio decocti adſtringentis alteri immiſceri, ſenſim vero ſenſimque augeri poteſt, e. g.

Recip. rad. irid. Florent. drachm. III,
helen.
caryophyllat.
althææ ana vnc. ſemis.
herb. ſaluiæ.
bellid. min.
hyſſop.

flor.

flor. chamomill. ana man. ſemis.
caricar. ping. num. IV.
Coq. in aqua ſimplice q. s. colaturæ add.
Rob diamoron.
Alb. græc. ana drachm. III.
Nitri cryſtalliſat. vnc. ſemis.

Item

Recip. Rad. biſtort.
tormentill. ana vnc. ſemis
herb. prunell.
pyrol. ana manip. I.
gallar. drachm. I.
coq. in aqua communi & colaturæ addatur pro re nata minus plus aluminis crudi.

8. Ratione *adplicationis* ſequentia obſeruanda ſunt.

1) Caueatur ne æger ſub iniectione ſupinus iaceat, ſed antrorſum quodam modo caput incline t, vt infuſum cito poſſit refluere.

2) Chirurgi monendi ſunt, ne gargariſmata cum impetu, vt moris eſt, iniiciant, vtpote quo pruritum & ardorem faucibus inferunt. Modeſte adhibita æque bene penetrant.

9. *Nitrum* ſenſum ardoris egregie demulcet, ſaliuam in conſiſtentiam ſubmucidam coagulat, & ſic ſubitaneam illius ſiccitatem impedit, inſuper leni ſua acrimonia abſtergendi ſimul efficaciam præſtat.

10. *Sal commune* ad morbos faucium etiam conducit, nam acrimonia ſua inſigni, in ore detenta, adfluxum ſaliuæ prouocat, & ſic humectationem oris inducit.

11. *Album græcum* ad ardorem demulcendum ſpecifica & egregia ſane virtute præditum eſt. Hinc non ſolum hic præſtat, quod vulgaria gargariſmata præſtare non poſſunt, ſed etiam in internis ardoribus inteſtinorum, & inde inducto *ileo*, egregiam mitigationem adfert.

12. *Terra catechu* in repentino anginæ caſu, vbi ad coctionem, qua pleraque vegetabilia indigent, tempus non conceditur

tur eximium edit effectum adſtringentem, aqua ſoluta & adplicata.

13. Sic etiam *radix biſtortæ* ad repentinas ſtaſes diſſipandas egregiam habet efficaciam.

14. *Galenus* refert de quodam per inſomnium edocto, vt in angina pertinaci vteretur ſucco *lactucæ*, & quod illo vſurpato conualuerit.

15. *Pulucrulenta*, niſi tenerrima, & lactis inſtar liquoribus innatent, non habent locum: faucibus enim adhærent, & titillando irritant.

16. Ob exquiſitum hunc ſenſum faucium abſtinendum etiam eſt ab omnibus iſtis, quæ eas magis adfligere poſſunt: quo pertinent omnia acria, acida valde adſtringentia, eſſentiæ feruidiores, aromaticæ, reſinoſa & peregrina balſamica, ſaturnina, terræ bolares, item cortex caſcarillæ, quæ ob acredinem ſuam adflictas fauces magis adficit.

17. Ad motus congeſtorio-dolorificos aliquo modo mitigandos remedia *ſedatiua* omnino, ſed parca doſi & cum aliis tutis remediis adhibere licet, v. g. MP. de cynogloſſa ſub pulueribus temperantibus; ſemen papaueris, ſemen cardui mariæ ſub emulſionibus; ſyrupus papaueris rhæados & diacodyum *Montani* ſub formulis lenientibus exhiberi poſſunt: *opiata* vero in tali caſu plane excludenda ſunt.

18. Ab *emollientibus pure* adhibendis, abſtinendum quoque eſt, ſtrangulationem enim, ſecundum *Foreſti* obſeruationem, inducere valent, maiorem adfluxum inuitando. Hinc in gargariſmatibus cum neruino - diſcutientibus hic copulari debent.

19. In *epithematibus*, extrorſum adplicatis, maiorem vſum præſtant, relaxando poros, vt humores introrſum congeſti, reuocentur.

20. *Salia vrinoſa*, e. g. ſpiritus ſalis ammoniaci, exiguam hic adferunt opem: *maiore* enim copia adhibita, irritantem edunt effectum; *minore* autem doſi nihil notabile præſtant.

21. *Sup-*

21. *Suppuratio*, (quæ in angina *notha* frequentius contingit quam in *vera*) quo magis impediri poteſt, eo melior ſucceſſus ſperandus: illa enim ingentes inuoluit dolores, & tumorem ita auget, vt intra 4 - 5. dies ne potulenta quidem deglutire queant; quo tempore miſeri ineffabili ſiti anguntur, quam tamen ob degluciendi impotentiam, reſtinguere non poſſunt.

22. Si iſta ſeu diſcuſſio poſt quartum, ad ſummum, diem non contingit, & hinc illius reſolutio non magis exſpectanda eſt, tum adſtringentia e gargarismatibus ſunt ſegreganda & lenientibus tantum ac emollientibus vtendum eſt.

23. Ad ruptionem apoſtematis promouendam nihil tentandum eſt: per ſe enim intra 4 - 6. dies, cum effuſione materiæ albicantis, ſubſequitur. Cauendum proinde eſt ab ambiguo, immo ſubinde temerario illo conſilio, quod per *vomitoria* ruptionem promouere commendat. Immisſio candelæ cereæ, quam nonnulli ſuadent, eſt quidem tolerabilior, non caret tamen difficultate.

24. In angina febribus acutis ſuperueniente non negligenda eſt genuina febrium methodus, vbi ſimul pulueribus antifebrilibus *camphora* immiſceri poteſt ad gr. III. pro doſi, quæ inter deglutiendum aliquid opis adfert partibus inflammatis.

25. Præcipue videndum eſt, ne diaphoreſis deficiat, alia enim ratione humores per impetuoſam congeſtionem ad fauces copioſius feruntur. Hinc decocta dilutiora, reſoluentia & diureſin adiuuantia ordinari poſſunt ex rad. cichor. ſcorzoner. leuiſt. herb. veron. ſcord. chærefol. flor. ſambuc. raſur. C. C. & hordeo excorticat.

26. Cauendum autem eſt a capitali illo errore, hunc morbum ſymptomaticum in febribus, cum *ſudoriferis* tractare.

27. *Bufo* in vino aduſto ad putredinem quaſi maceratus, &, euaporato ſpiritu, reſiduum aqueum magma cum linteo vertici calide adplicatum, in angina febribus petechialibus accedente, leuamen præſentaneum adferre dicitur.

28. In *Holſatia* bufonem *viuum* in ore detinent, qui ibidem moritur, ægro poſtea conualeſcente.
29. Quæ circa *bronchotomiam* obſeruanda ſint, ex tabula chirurgica de operationibus in collo ediſci poſſunt.
30. Denique prophylaxis, ſub *methodo* commendata, quam maxime obſeruetur: ſolet enim hoc malum vel anno revertente, vel alia occaſione, facile recrudeſcere,

# TABVLA XXXI.
## DE
# TVSSI.

I. D*EFINITIO.*

*Tuſſis* eſt exſpiratio vehemens & ſonora, cum partium muſculoſarum exſpirationi potiſſimum deſtinatarum, thoracis, laryngis, lumbarium & abdominis motu ſpaſtico facta, quo motu diſcuſſorio & eliſorio principium vitale materiam aliquam moleſtam euacuare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Tuſſis eſt vel *humida* vel *ſicca.*
2. Vtraque vel vere *pectoralis* exſiſtit, vel per *conſenſum* tantum pectus adficit; illa *idiopathica*, hæc autem *ſymptomatica* ſeu *conſenſualis* dici meretur.
3. *Conſenſualis* hæc ipſi tandem pectori incumbere ſolet, vt *complicatus* denique adfectus inde oriatur.
4. Tuſſis *ſymptomatica*, ſeu *conſenſualis*, eſt
   1) vel *catarrhalis*, quæ coryzam habet ſociam, ſtrictiore ſenſu, grauedinem, maxime *branchum*, aliquando etiam tonſillarum tumores. In hac tuſſis ſpecie nulla fit inſignis euacuatio, præter ea ad modum vehemens ſeu *ferina* eſt, & ſalſum infert ſaporem, iunctæ ſunt ſternutationes, horripilationes; & non raro febris catarrha-

lis accedit. Sentitur titillatio in larynge, & deſcenſus materiæ cuiusdam in fauces: tempore nocturno ſæpius exacerbatur: Guſtus læditur & adpetitus proſternitur.

2) Vel *hypochondriaca*, quæ exoritur

a) Aliquando a *ſtomachi* vitiis: vnde tuſſis *ſtomachalis ſicca* vocatur, quæ tamen *humida* euadit, quando duratione ſua pulmones inconſenſum trahit.

b) Aliquando ab *hepatis* ſcirrho, vnde tam hecticis quam hydropicis familiariter euenit.

5. Tuſſis ab *internis* cauſſis pendens, bene diſtinguenda eſt ab illa, quæ ab *externis* concitatur, *vid. cauſſæ.*

6. Tuſſis *humida* & *ſicca* differunt

1) Subiectorum & cauſſarum diuerſitate. *conf. ſubiecta & cauſſæ.*

2) *Sicca* diuturnior, & coniuncta eſt cum dolore capitis, pectoris & dorſi. Præter ea facilius quam humida recurrit.

3) Nulla humiditate conſpicua eſt, niſi vel incaleſcentia febrilis, vel ſanioſa materia; vel aëris conſtitutio catarrhalis concurrat.

7. Tuſſis *ſtomachalis* per conſenſum orta, dignoſcitur e copioſo lento ſputo, poſt paſtum ſe ſe exſerente, & vomitionem prouocante, dolore, vel ad minimum titillatione, in ſcrobiculo cordis. Hæc ſtomachalis *humida* differt a ſtomachali *ſicca*, de qua ſuperius dictum eſt.

8. Tuſſis reliqua *hypochondriaca* ab aliis diſcernitur

1) ſiccitate efferа & vehemente, vocem ſatis illibatam relinquente, vel ad ſummum ſicca quadam raucedine adficiente.

2) Augmento illius poſt paſtum & motum, præcipue adſcenſorium, item poſt potum largiorem vel frigidum.

3) Maiore tolerantia aëris frigidi, per quem ita non exacerbatur, vti tuſſis *pectoralis.*

4) Senſu concuſſionis hypochondriorum ſub tuſſi vehemente, & dolore grauatiuo in regione iliaca.

9. Tuſſis *habitualis* a *phthiſica ſicca* dignoſcitur
   1) ex inſigni humiditate.
   2) Ex materia non ſanioſa, nec ſanguineis ſtriis mixta, ſed pulpoſa, virideſcente, & per plures interdum dies prodeunte. Praeter ea
   3) In *habituali* nulla tabida conſumtio occurrit;
   4) Neque tam inſignis exacerbatio ab opiatis, phthiſicæ tusſi inimiciſſimis, ſentitur.
   5) *Habitualis* notabile leuamen a mediocriter purgantibus nanciſcitur, phthiſica nullo modo.
10. Denique tuſſis plurimum etiam differt ratione *ætatis* & *temperamenti.*

III. *SIGNA.*
1. Signa tuſſis generaliora ſatis ſunt manifeſta.
2. Iungitur plerumque raucedo, & occurrit vel cum vel ſine copioſa muci excretione.
3. Signa ſpecialia diagnoſtica ſub *differentia* iam indicata ſunt.

IV. *SVBIECTA.*
1. Tuſſis non cuilibet ætati & ſubiecto communis, ſed infrequentior & rarior eſt quam prima perpenſione iudicamus. Ex multis enim, qui eisdem iniuriis aëris expoſiti ſunt, pauciſſimi tuſſientes obſeruantur. Huic accedit, quod non ita pauci reperiantur, qui tuſſim re vera per totam vitam numquam experiuntur.
2. Tuſſis *ſimplex idiopathica*, ab *internis* & quaſi domeſticis cauſſis exorta, non ſolum *humida*, ſed etiam *ſicca*, nec non *ferina*, ætati iuuenili, & conſtitutioni plethoricæ propria eſt.
3. Tuſſis *catarrhalis ſymptomatica*, & ab *externis* cauſſis orta omnibus fere ætatibus, maxime tamen ſenili, impendet.
4. In ſpecie tuſſi *ſicca* ſuccumbunt:
   1) Iuuenes floridæ conſtitutionis, habitus corporis ſiccioris & ſtrictæ texturæ.
   2) Ætas virilis & ſenilis e prægreſſa adſuefecta diſpoſitione, item

item ex hæmorrhoidum vel menſium regeſtione & ventilationum ſanguinis adſuetarum neglectu.

3) Male conformati, gibboſi, ſcrofuloſi.

4) Calculis bronchialibus vel nodis pulmonum ſcirrhoſis obſeſſi.

5) Quibus ſcabies repulſa vel variolæ male tractatæ fuerunt.

5. *Humida* autem tuſſi magis obnoxii ſunt homines phlegmatici, ſanguinei, qui

1) Habitus corporis ſucculenti, catarrhoſi.

2) Otioſi præcipue, & ſenſibiles delicatuli, qui ab aëre humido-frigido autumnali refrigerationem colli & pectoris incurrunt.

3) Qui conſuetas venæ ſectiones vel ſcarificationes neglexerunt,

4) Qui ſpiritu vini vel acidis abutuntur.

5) *Infantes* maxime quidem obnoxii ſunt tuſſi *ſtomachali humida*, quando autem dentitionis labor diu continuat, tuſſis *ſicca* ipſis familiarior eſt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa tuſſis *pectoralis idiopathicæ* eſt ſtagnatoria congeſtio humorum circa pectus, modo hæmoptyicam excretionem reſpiciens, modo ſcirrhoſis collectionibus veſtigia legens; prior ſpecies, quia ſanguis ad exitum non peruenit, ſimplici oppletione anguſtiam inducit, & per vices ægrotum exercet; poſterior magis continuo adfligit, infarctum enim, intra veſiculas pulmonales collectum, reſoluere & diſcutere intendit.

2. Nonnumquam ſub hac congeſtione, in primis in tuſſi *ferina*, *tenuis* & *acris* portio humorum arripit teneras pulmonum membranas & neruos, eoque ipſo vehementiorem tusſim prouocat.

3. Cauſſæ *concurrentes externæ*, quæ in deſcriptione *ſubiectorum* nominatæ ſunt, ſymbolam ſuam etiam contribuunt, & partim lapſu irritante vlteriorem adpulſum verſus pectus prouocant, partim ſpasmodica ſtrictura, quam vicinis partibus inferunt, refluxum ſanguinis impedi-

 unt,

unt, & hoc modo ſeceſſionem materiæ mucidæ promovent, e. g. acida, potus frigidus, pectoris & capitis refrigeratio.

4. His concurrentibus cauſſis omni iure etiam adcenſentur remedia *expectorantia*, præcipue *iuiubæ* & *ſebeſten*, quæ humores verſus pectus propellunt.

5. Cauſſa tuſſis *hypochondriacæ* eſt vel obſtructio aut induratio hepatis vel vitium ſtomachi.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Tuſſis *idiopathica* pectoralis, quando adhuc *recens* eſt, frequentiſſime ſine medicamentis, ſolo motu diſcuſſorio vel ventilationibus ſanguinis, perite inſtitutis profligatur.

2. Quando autem iam *habitualis* facta eſt, pertinaciſſime ſe gerit: Licet enim imperitum ſit, illam pro phthiſica ſtatim tuſſi pronunciare, periculum tamen ſubeſt, ne tandem eroſionem pulmonum inducat.

3. Tuſſis ſicca iuuenum diuturna merito ſuſpecta eſt, fomenta enim hæmoptyſeos & phthiſeos inuoluit, & in hæc etiam non raro transmigrat.

4. Abit interdum ſicca hæc in tuſſim *ferinam*, qua vix ad ſe redire, vel ſpiritum recipere poſſunt ægri.

5. Tuſſis vernalis mitior eſt, & facilius etiam tollitur, quam autumnalis.

6. Tuſſis *periodica*, quæ ſtatis temporum mutationibus repullulare conſueuit, quando iam emanet, nec alia euacuatio ſiue a natura, ſiue ab arte ſubſtituitur, varios incommodos habet ſucceſſores e. g. adpetitus & digeſtionis vitia, catarrhos ſuffocatiuos, paralyticos adfectus.

7. Tuſſis antea humida, quando in ſiccam repente commutatur, nihil boni portendit.

8. Tuſſis *hypochondriaca ſicca* vehemens, frequenter cedens & recurrens, aut noctu exacerbari ſolita, merito ſuſpectam reddit ſcirrhoſam, in primis in hepate, ſicceſcentem conſtitutionem; & quo magis certis horis ſe ſe exſerit, eo certius obfirmatam viſceris alicuius obſtructionem indi-

indicat. Hinc prognoſis ipſius non eſt diſſimulanda.

9. Hoc periculum augetur, ſi viſcerum abdominalium labi ſuperuenit vitium pulmonum, & ita morbus fit complicatus.

10. Tuſſis ſtomachalis, grauis & diuturna infantum, atrophiam vel præſentem vel futuram indicat.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Tuſſis pectoralis.*

1. *Humidæ.*

1) Ad humorum adfluxum a pectore deriuandum exhibeatur purgans aliquod, ſatis quidem ſenſibile, a vehementia tamen alienum: in hunc finem laudantur MP. de ſuccino *Cratonis*, de ammoniaco *Quercetani*, extractum panchymagog. *Crollii*, mercur. dulcis, reſina ialappæ, trochiſci alhandal.

2) Deinde materia catarrhalis ad euacuationem præparetur.

a) Quando *ſimpliciter* eſt *mucoſa*, tum exhibeantur reſolventia & diſcutientia catarrhalia, e. g.

α) *Radices* vincetox, pimpinell. alb. helen. ari, irid. Florentin. ariſtoloch. vtriusque, gentian. rubr.

β) *Herbæ*, hyſſop. marrub. alb. centaur. min. capill. vener. epithym. cuſcut. tusſilag. ſcabioſ. roris ſolis, veronicæ.

γ) *Gummi-reſinæ* e. g. ammoniac. galban. ſagapen. benz.

δ) *Semina* aniſi, fœniculi, cumin.

ε) Ex *compoſitis* huc faciunt eſſent. alexipharmaca *Stahlii*, eſſent. lign. ſaſſafras, ſyrup. de eryſimo *Lobelii*, de praſio, capilli veneris, tincturæ alcalinæ e. gr. antim. tartari.

b) Quando autem *viſcida tenacitate* peccat, incraſſetur potius, & in pulpoſam volubilem conſiſtentiam redigatur; id quod præſtant rad. liquiritiæ & illius ſuccus, gumm. Arabic. tragacanth. ceraſor. paſſulæ, ficus,

cus, amylum, flor, ſulphur. balſam. ſulphur. cum oleo amygd. dulc. parat.

c) Si vero materia *tenuis* & *acrimonia* irritante prædita eſt, obtundentia in vſum veniant, e. gr. emulſiones, decocta hordei, auenæ, cum rad. polypod. vel althææ parata. Item mucilag. ſemin. pſyllii, cydoniorum, gelatinæ, pinguia & oleoſa, oleum amygdalar. dulc. ſperma ceti, abſorbentia marina.

3) Vſui horum reſoluentium & præparantium *laxantia* ſubinde interponantur, vel, in tuſſi præcipue habituali, iisdem coniungatur.

4) *Motus conſuetudinis* ſi, ſublata materia, cedere recuſat, ſopiatur anodynis correctis, præcipue MP. de cynogloſſa.

5) Denique, ad tonum in pulmonibus reſtaurandum, propinetur mixtura tonico-neruina *Stahlii*: conducit etiam eſſent. ſuccini, & ſpecifice aqua veronicæ vinoſa.

2. *Sicca.*

1) Hic lenisſimæ tantum laxationes, præcipue rhabarbarinæ, præmittantur.

2) Deinde, ad ſanguinem ſtagnantem a pectore diſcutiendum, propinentur infuſa ſeu decocta ex herbis veronic. tusſilag. heder. terreſtr. ſcabioſ. ſuccis betonic. capill. vener conſolid. ſaracen.

3) Sub horum internorum vſu *pediluuia* ſubinde adhibeantur.

4) Denique mixtura tonicô-neruina *Stahlii*, & aqua veronicæ vinoſa continuata egregium vſum præſtant.

5) Si ſuppresſio menſium vel hæmorrhoidum in cauſſa eſt, iuſta methodo in ordinem redigantur.

6) Si ſcirrhus pulmonum, vel ipſorum cum pleura concretio, hanc tusſim ſiccam prouocat, confert ſolum methodus priuatiua.

3. Tusſis *phthiſica* quomodo tractanda ſit, videatur tabula de *phthiſi*.

B. *Tuſ-*

B. *Tuſſis hypochondriaca.*

1. Quando vitium *hepatis* ſubeſt, niſi illi conſulatur, tusſis numquam tollitur. Hinc adfectum primarium, non vero adeo ſymptomaticum, reſpicere conuenit: methodum & remedia exhibet *tabula de infarctu hepatis*, qua ſimul difficultates, quæ hoc negotium circumſtant, adnotatæ ſunt.

2. Si vero tusſis hypochondriaca a vitio *ventriculi* dependet, conſideretur, num ſicca vel humida exſiſtat.

   1) *Sicca* quando adparet, non tam in ventriculo, quam circa eumdem vitium hæret, & hinc motus ſanguinis congeſtorii in vena portæ reſpiciantur, & conueniente methodo tractentur. *Conſ. tabul. de malo hypochondriaco.*

   2) Stomachalis *humida* pectus per conſenſum adficit & hinc *ſtomachico-pectoralis* dici meretur: mucus enim, qui in faucibus hæret, & ſcreatu magis quam tusſi per diem excutitur, ſecundum veri ſimilitudinem ex ipſo œſophago adſcendit, & leuem talem tusſim ſuſcitat; nocturno autem tempore, quo hæc excretio ceſſat, facile aliquid in aſperam arteriam defluit, quod mane iterum eliditur. Hæc ſequente methodo tractetur.

      a) Laxationes leniores cum rhabarbaro, ſale Anglicano, magneſia alba præmittantur, & interponantur.

      b) Deinde adhibeantur remedia, quæ viſcoſas impuritates a prima coctione pullulantes reſoluunt; quo intuitu egregie ſe gerit eſſent. pimpinellæ albæ, gentianæ rubr. vel in phlegmaticis eſſent. helenii, item coſtus verus parua quantitate maſticatus & deglutitus: in cibis conducunt piper, zingiber, ſinapi, coriandrum, armoracia, hauſtus ſpiritus vini, cubitum eundo, *vid. cautel.*

      c) Miteſcente notabiliter adfectu eſſentia ſuccini, vel in feminis liquor. C. C. ſuccinatus propinetur. Commodum etiam effectum exſerit mixtura polychreſta *Stahlii.*

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1 *Venæſectiones* in plethorica corporis conſtitutione, quando tempeſtiue inſtituuntur, impetum morbi magnopere frangunt; immo ipſam phthiſin arcere,& corruptorium illius vlcerosum effectum diu ſane retardare valent: Largius autem inſtituendæ ſunt, ne parcior emiſſio, in primis in brachio celebrata, maiorem ſanguinis adpulſum & oppreſſionem pectoris inuitet.

2. Magis autem neceſſaria eſt venæ ſectio in tuſſi *ſicca* quam *humida*; niſi hanc ſuppreſſiones hæmorrhagiarum naturalium vel artificialium præceſſerint.

3. Tanto certius requiruntur in tuſſi venæ ſectiones, quandò recurſus poſt aliquam remiſſionem cum impetu quodam pectus & pulmones obruit.

4. *Scarificationes* antea adſuefactae, poſtea autem neglectae, repetantur.

5. *Purgantia*, vti in tuſſi *humida* praeſentioris ſunt effectus, ita in *ſicca* minus tuto adhibentur; talis enim materia, quae *fortiter* educenda eſſet, in illa non reperitur; ſufficiunt lenes laxationes.

6. *Sudationes* & *regimina ſudorifera* in tuſſi nullum habent vſum, niſi vltimo loco, ſublata nempe materia & placato motu, quo temporis puncto, ad humores per vniuerſum corpus aequaliter diſtribuendos,& materiæ ſeroſae ventilationem, adhiberi poſſunt.

7. In *ſimpliciore tuſſi* paucis medicamentis opus eſt: incidentia enim & materiam ad euacuationem praeparantia cum laxantibus, vniuerſum ſaepe negotium abſoluunt.

8. Neque conuenit commotiones tuſſis humidae non adeo vehementes, ſopire, quia non ſunt periculoſae: Quando autem motus tales contumaces ſunt, & adfluxus vel nimius, vel paucior *acris* adeſt, ſopientia, praemiſſis praemittendis, locum habent, e. g. MP. de cynogloſſa, diacodium Montani recte praeparatum, quod vehementius eſt, quam MP. de cynogloſſa.

9. Ad diſcuſſionem expediendam minime conueniunt elixiria calida, olea deſtillata, balſam. ſulphur. aniſat. ſalia vola-

volatilia oleoſa, tincturae bezoardicae, infuſum *Ioëlis* e zedoar. ſale ammoniac. flor. ſulphuris, croco, &c.

10. In chronicis pectoris adfectibus *ſimplicia abſorbentia* & terrea tenacem mucum magis augent quam reſoluunt; *marina* autem, cum *acido* ſaturata, vſum præſtant.

11. *Squilla* prudenter & modeſte vſurpata, in chronicis mucoſis malis humores ad euacuationem egregie præparat. *Conf. Stahlii diſſert. de pectoris adfectibus.*

12. *Expectorantia* vulgato abuſui obnoxia, adfluxum humorum ad locum adfectum augent, congeſtionem ſeu decubitum maiorem reddunt, & potius *per* pectus, quam *ex* pectore (non ſecus ac purgantia per inteſtina) euacuant. Hinc in tuſſi humida, præcipue habitutali, niſi vſus illorum breui abrumpatur, & reſoluentia vel interponantur, vel ſtatim ſubiungantur, phthiſeos periculum faciunt, in *ſicca* autem tuſſi certius & citius eandem inducunt. De *glycyrrhiza* in ſpecie notandum, quod ſpiſſitudinem non tenacem, ſed mollem & pulpoſam faciat, & hinc præ aliis dulcibus expectorantibus eligenda ſit, abſtinendum autem a nimio & diuturno illius vſu, alias materia augetur: in præſens tantum vſurpanda, & tunc diſcusſio iuvanda eſt.

13. *Nitri* moderatus vſus ad expectorationem illius portionis, quæ in pulmonibus iam hæret, plus ſane valet, quam vulgus crediderit. Vnde ſalutariter ad modum iunioribus calidis, in primis tusſi ſicca laborantibus, ad eumdem ſcopum & orgasmum ſanguinis temperandum, exhibetur.

14. *Febricula* quando tusſi accedit, vel qualiscunque inquietudo, & adpetitus decrementum, tum abſorbentia cum acido ſubtili ſaturata & nitro remixta vſum habent.

15. Quando tusſis a *ſcabie retropulſa* dependet, interne ſulphur & mercurius dulcis moderato vſu laudari merentur,

16. *Aqua veronicæ vinoſa*, quæ poſt digeſtionem per 8-10-12, dies deſtillando ita parata eſt, vt ſpiritum vini dilutisſimum exhibeat, egregiam habet efficaciam diſcutientem,

& in recentiori tum hectica, hypochondriaca, tum pectorali phthiſica tuſſi mirificas ſubinde virtutes exſerit, ſi mane & verſus ſomnum ad vncias II. ſumitur, & vſus illius per aliquod tempus continuatur.

17. Ad irritationes placandas *opium* meritò damnatur: *cortex* autem *caſcarillæ* vt egregium pectorale diſcutiens pariter ac ſedatiuum ſe commendat, ſi reliquis iuſto tempore ſubordinetur, *Conf. num.* 8.

18. *Extractum tabaci*, per diuturnam coctionem præparatum, tuſſim pectoralem, non æque autem hypochondriacam, citius ſæpe, quam expedit, ſedat. Hinc circumſpecte exhibendum eſt: materiam enim circa pulmones hærentem reſoluit quidem, & motum corrigit, adfluxum autem humorum non cohibet, vnde periculum ſuffocationis in vehemente pectoris infarctu adfert; dextre autem propinatum, vnica ſæpe doſi ad grana tria vel quatuor exhibita, admirandum edit effectum, & ipſam adeo *chronicam* tuſſim profligat.

19. *Sulphuris* vſus in adfectibus pectoris catarrhalibus præmiſſis præmittendis, non reiiciendus eſt: interne ſatis efficaciter exhibetur in forma pulueris, florum, aut in oleo amygdalarum dulcium ſolutum, in forma autem balſami dicti, cum quocumque oleo deſtillato, ambiguus eſt effectus. *Vid. num.* 9.

20. *Externe vapor florum ſulphuris* halitu attrahi ſolet, ſed longe commodior, & ſatis euidente efficacia huic par eſt *fumus antimonii* in crucibulo, ſufficiente ignis impetu, fuſi; cuius effectus in cohibenda non ſolum ſimpliciore, verum etiam ſuſpecta, vlcerosa pectoris tuſſi, plus ſemel confirmatus eſt.

21. *Humida* tuſſes non promiſcue & æqualiter totos pulmones occupant, ſed ſatis frequenter & ſenſibiliter ex vno ſaltem latere adſcendunt: in tali tuſſi intemperantia conatus excuſſorii ab ipſis ægris ſæpius fouetur, & hac ratione tuſſis magis excitatur: hinc a voluntaria tali intemperante tuſſi ſerio dehortandi ſunt.

22. Tuſſis

22. Tuſſis *ſtomachalis*, immo *ſtomachico-pectoralis humida*, licet vehemens ſit, non raro tamen feliciter intra aliquot dies profligata eſt per vſum ſpiritus vini, propinando verſus ſomnum 2-3. cochlearia: tanto certior autem eſt effectus, ſi homines tales potui ſpirituum ardentium non ſunt addicti, & tuſſis pure ſtomachica exſiſtit.

23. *Oleum aniſi*, licet ad pectoris adfectus multis elogiis commendetur, referendum tamen eſt ad calida illa, quorum *num.* 9. mentio facta eſt. Hinc, niſi ſumma circumſpectione adhibeatur, phthiſicis, hecticis, febrilibus accidentibus viam ſternere poteſt.

24. *Incraſſantium* vſus in hiſce adfectibus ſemper ſit moderatus & rationalis: ante omnia diſtinguatur incraſſatio *volubilis, pulpoſa* ab altera *tenaci mucoſa*; hæc multo peior eſt & excretionem impedit, qualem effectum edunt *ſaccharata*, immo etiam *mellita*; illa autem mobiliorem conſiſtentiam conciliat, & interdum neceſſario requiritur; remedia quæ hoc præſtant præcipue ſunt *emulſiones* ſatis ſaccharatæ, & præ omnibus aliis *glycyrrhiza*, cui *ficus* ſubiungere conuenit. *Conf. num.* 12. *& methodus.*

25. *Eſſentia alexipharmaca Stahlii* ſucceſſum expectorationis ad modum praeſentem ſaepisſime exhibet; quam proinde & *nitrum*, pro optimis & ſecuris expectorantibus habemus. *Vid num.* 12. *&* 13.

26. Pectus externe *vnguinoſis* illinere, non omni quidem caret efficacia, praecipue in teneris & ſucculentis; quando autem febrile quid concurrit, minus tuto peragitur, ob pororum obſtructionem; & inflammatorio-ſuppuratorias congeſtiones hinc metuendas.

27. In tuſſi *habituali* minime omnium expectorantia conducunt: In hac enim ſana ratio dictitat, quod tantum materiae, quantum quotidie excernitur, diu in pulmonibus haerere non potuerit: conuenit potius ventilationes ſanguinis iuſto tempore inſtituere, euacuationes ſeroſo-mucidas catharticas tolerabili quantitate & motu adminiſtrare, & pro circumſtantiarum ratione repetere; tandem

vero alexipharmaca, diaphoretico-diuretica ſubiungere, & de reliquo tempus aliquod reſpirandi naturæ ſubinde concedere, ne medicationibus adſueſcat.

28. Ante omnia ex vſu erit, in eiusmodi caſibus habitualibus languentem admonere, vt notabili ſubleuatione contentus ſit, nec plenam reſtitutionem impatienter adfectet.

29. Tuſſes etiam *infantum* & *puerorum* euacuantibus catharticis expugnare, non ſine fundamento *Sydenham* commendauit; melius autem eſt aliquoties tantum euacuationes inſtituere, quam in crebris purgationibus *curationis neruum* collocare,

30. *Traumatica* licet modice tantum adſtringant, viſcera & præcipue pulmones ſtringunt, materiam profundius infarciunt, & hinc malum notabiliter augent.

31. *Frigida* & *potus frigidus* materiam inſpiſſant & illius exeretionem opprimunt: potus vero calidus ad materiæ reſolutionem & diſcuſſionem commode adhibetur.

32. *Cibi* condiantur antiſcorbuticis e. gr. armoracia, naſturtio, ſinapi; *acidi* fugiantur, & in pectoris morbis cautus ſit *ſalium* vſus, tam medicus quam diæteticus.

33. Senſibiles ſedulo ſibi caueant a *refrigeratione* capitis, pectoris, & pedum; item a ſubita permutatione aëris calidi & frigidi, & denique ab *alui obſtructione*.

# TABVLA XXXII.

## DE

# ASTHMATE.

I. DEFINITIO.

Aſthma eſt liberæ reſpirationis præcluſio; modo ab atonia partium, modo ab humorum tenacium aut ſcirrhi pulmonalis concurſu, modo a ſpaſtica, rigida & actiua contentione

tione originem ducens. Deriuatur ab ἀσθμάζω, anhelo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Aſthma eſt

1) vel *defectiuum*, quod a neruorum labefactationibus dependet, & multum cognationis habet cum adfectu illo catarrhali ſeniorum, qui circa caput & fauces obtingit, cumque raucedine ac difficili reſpiratione coniunctus & in habitum deductus eſt.

2) Vel *actiuum* ſeu *ſpaſticum*, hodie *conuulſiuum* dictum, vbi rigida & ſpaſtica contentione libera reſpiratio impeditur.

3) De aſthmate *defectiuo* hac tabula, de *actiuo* infra agemus.

2. Aſthma *defectiuum* eſt

1) vel *humidum*, quod cum humorum tenacium, in primis bronchiis inhærentium, notabili concurſu ſe ſe manifeſtat.

2) vel *ſiccum*, vbi nulla excretio mucoſa contingit.

3. Aſthma in genere non eſt adfectus ſoli *pectori* proprius, ſed etiam aliquando in *hypochondriis* ſedem ſuam habet, & *dyſpnœa hypochondriaca* vocari ſolet, quæ modo ante, modo poſt paſtum, poſt motum corporis & nocturno tempore augetur; effectus tamen ipſe in partes pectoris redundat, ob neruorum *recurrentium* cum negotio reſpirationis connexionem, de qua re notabile eſt *Galeni* de cane, his neruis interceptis, aſthmatico facto, experimentum per *Lovverum* in actis Anglicanis repetitum.

4. Aſthma raro *idiopathicum*, ſed plerumque *ſymptomaticum*, nempe tuſſi valde humidæ, ſcirrhoſis collectionibus & pulmonum læſioni accedens, reperitur.

5. Differt tamen aſthma a *tuſſi*: datur enim aſthmatica adfectio ſine notabili tuſſi, præcipue in ſtatu *ſicco*.

6. Aſthma ratione recurſus paroxyſmorum eſt

1) vel *periodicum*, quod certo per interualla tempore e. gr. circa æquinoctia,

2) vel

2) vel *vagum*, quod incerto tempore,
3) vel *diurnum*, quod dedie,
4) vel *nocturnum*, quod noctu,
5) vel *continuum*, quod abſque intermiſſione adfligit.

7. Aſthma differt etiam *gradu*: quo reſpectu id, quod mitius eſt aſthma, vocatur *dyſpnœa*; ſummus autem gradus, quo ægri non niſi in lecto erecti decumbere poſſunt, *orthopnœa* adpellatur.

8. De aſthmate *ſpaſtico* ſeu *conuulſiuo* adhuc notandum eſt, quod quidem ſymptoma interdum reperiatur aſthmatis *defectiui*, ab hoc autem differat
1) repentina inuaſione,
2) frequente paroxyzante recurſu,
3) exitu breuiore, ſæpius funeſto.

III. *SIGNA.*

1. *Humidi.*
1) Sibilus vehementior & ſonus ſpumidæ quaſi ebullitionis.
2) Laborioſa, difficilis & breuis reſpiratio.
3) Anxietas præcordiorum, vt, quo ſe vertant adflicti, ſæpius neſciant.
4) Inſignis raucedo, vel ad minimum aſperitas vocis.
5) Concurrit plurimum tuſſis, quæ aliquid muci quidem excutit, ſed ſine leuamine, niſi aſthma plane temporarium & ipſius tuſſis ſymptoma exſiſtat, aut ab hac originem ducat.
6) Tempore autumnali frigido & pluuioſo hæc reſpirandi difficultas augetur.
7) Aluus magis magisque exſiccatur.

2. *Sicci.*
1) Humidus ſcreatus abeſt.
2) Reſpiratio eſt quidem difficilis, ſed non breuis, aërem enim hauſtum diutius retinent.
3) Sibilus & ſonus acutus, quando inſpirant, auditur.
4) Tuſſis non iugiter coniuncta eſt, bene vero in adfectu inueterato & quando ſcirrhi pulmonum ad exulcerationem tendunt, aut vera corruptio iam adeſt.

5) Ma-

5) Matutino & veſpertino tempore magis adfligit.
6) Ab inſpiratione aeris frigidi & a vaporibus acribus facile irritatur.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Humidi.*

1) Phlegmatici, otioſi & obeſi facile hunc adfectum incurrunt.
2) Senili ætati, præcipue quando aliæ congeſtionum ſpecies incommode ceſſarunt, plus quam omnibus aliis obtingere ſolet aſthma.
3) Iuniori ad modum ætati minus familiare eſt, niſi ab extraneis cauſſis inducatur, e. gr. vaporum, puluerum corroſiuorum, aëris frigidi, humidi &c. admiſſione ſcabiei, in primis ſiccæ, ferinæ vel aliorum capitis impetiginoſorum inquinamentorum retropulſione, a variolarum aut morbillorum reliquiis in veram phthiſin abeuntibus: item a cauſſis violentis externis, vitio hæreditario, morbo venereo, male curato, &c.
4) Qui conſuetas ſanguinis emiſſiones neglexerunt.

2. *Sicci.*

1) Homines ſtrictioris habitus magis, quam quibus is laxior eſt, hoc malo corripiuntur. In primis
2) Iuuenes floridæ & plethoricæ conſtitutionis, qui ordinarie quidem otioſi ſunt, nonnumquam autem vehementes corporis motus ſubeunt.
3) Hypochondriaci ſiniſtre curati & ſcirrho viſcerum aliaque labe laborantes.
4) Qui fodiendis & repurgandis metallis manus admovent.
5) Præcipue, qui ab euacuationum ſanguinis conſuetarum intermiſſione prægrauati ſunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſæ aſthmatis *defectiui* cum tuſſis cauſſa plurimum conveniunt & ex iis, quæ ſub *differentia* diximus, illuſtrantur.
2. Nempe aſthmatis cauſſa *continens* eſt materia mucido-viſcida circa pectus copioſius collecta.
3. Cauſſa *antecedens* & *concomitans* eſt flacciditas texturæ pul-

 mo-

monalis membranaceæ ex prægreſſis pectoris congeſtionibus & neruulorum, non tam intercoſtalium, quam pulmonalium; vnde paucis momentis talis humorum adfluxus contingit; quod fieri non poſſet, ſi nerui illi in debito tono ſeruarentur,

4. In grauiore autem & inſolito aſthmate nerui etiam intercoſtales, pulmonibus propinquiores in conſenſum trahuntur.

5. Cum his omnibus in aſthmate præcipue *ſicco*, tamquam cauſſa *primaria* conſpirat plurimum actiua humorum verſus pectus congeſtio, euacuationi hæmoptyicæ deſtinata.

6. Cauſſæ *occaſionales* & *aduentitiæ* ſunt:
   1) Euacuationes ſanguinis naturales ſuppreſſæ, vel artificiales neglectæ.
   2) Tuſſis humida deprauata.
   3) Flatulentia anoterica.
   4) Mutatio vitæ generis laborioſi in otioſum.
   5) Mala pectoris conformatio & gibboſa.
   6) Concretio pulmonum cum pleura.
   7) Puluerulenta per reſpirationem intra pulmones hauſta, a quibus collectio ſcirrhoſa, immo tophacea induci poteſt.
   8) Halitus mercuriales, arſenicales, ſaturnini & ſubtiles orgaſtici.
   9) Diuturnæ refrigerationes.
   10) Oedemata retropulſa,
   11) Abuſus opiatorum in tuſſi præmature conſopita.
   12) Abuſus ſpirituoſorum.
   13) Hydrops aſcites.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Aſthma generatim eſt adfectus valde pertinax, præcipue in annoſis, gibboſis & polypoſis, vbi immedicabilem ſæpe contumaciam induit.

2. Inualeſcens iunioribus minatur ſcirrhos, ſuffocationes pectorales, immo ſi materia in bronchiis hærens acrimoniam concipit, pulmonum exulcerationem & phthiſin indu-

inducit; quo caſu ne ſeuiores quidem a phthiſica hac exulceratione liberi ſunt.

3. Aſthma in corpore ſtricto peripneumoniam, in laxo & humido facile cachexiam aut hydropem inducit.

4. Mitigatum aſthma ob diætæ errores facile recrudeſcit.

5. Difficilius curatur aſthma abſente, quam concurrente tuſſi: hæc enim quando non adeo enormis eſt, excretionem materiæ aliquo modo promouet.

6. Hæmorrhoides aſthmati ſuperuenientes malum notabiliter ſæpius mitigant; id quod eo certius contingit, ſi adfectus ab earum ſuppresſione ortum traxit.

7. Vbi materia valde tenax & pauca exſiſtit, ibi pertinacisſimum eſt aſthma cum concurrente phthiſi.

8. Iuniores aſthmatici, qui vel a retropulſione ſcabiei & impetiginis, vel a variolarum reliquiis in hoc malum coniecti ſunt, certo tandem in phthiſin transmigrant.

9. Aſthma *ſiccum* inueteratum raro funditus tollitur, ſi autem in tusſim ſiccam mutatur, ſpes melior curationis adfulget.

10. Aſthmati *ſicco* diuturno cachexia, œdemata & hydrops ſuccedunt, in primis quando aſthma hocce nocturno potisſimum tempore adfligit.

11. Scirrhus hepatis, vel etiam alia viſcerum labes quando cum aſthmate coniunctum eſt, malum vel inſanabile, vel curatu difficillimum reddit.

12. Aſthma hæreditarium numquam fere curatur.

13. Aſthmaticus ſtatus, febribus acutis ſuperueniens, omnino ſuſpectus eſt.

14. Orthopnœa quando accedit, plerumque breui tempore funeſta fit.

15. Aſthma venereum non niſi ſublato morbo primario, curationem admittit.

16. Qui gibboſi ex aſthmate aut tusſi fiunt, ante pubertatem pereunt.

17. Quo magis attollitur pectus cum ſcapulis in aſthmaticis, eo periculoſior eſt ſtatus.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Humidi.*

1. Huius medicatio partim congruit cum tuſſi humida, partim ab illa differt.
   1) Conuenit
      a) materia copioſa vappida, hic etiam præſente;
      b) reſolutione materiæ.
      c) diſcusſione materiæ, ſeu potius motus illius, ne decubitus ad locum adfectum perpetuo contingat.
   2) Differt aliquo modo *euacuatione*: materia enim non ſolum reſoluenda, ſed & euacuanda atque excutienda eſt.
2. Hinc, præmiſſa laxatione, ad infarctus mucoſi reſolutionem exhibeantur remedia illa reſoluentia, quæ præcedente tabula indicata ſunt.
3. His per aliquod tempus continuatis, ad materiæ præparatæ euacuationem reſpiciatur.
   1) In robuſtis ac bene diſpoſitis natura ipſa huic excusſioni ſufficit.
   2) In aliis puluis nitroſus, verſus ſomnum exhibitus tusſim vehementem excitat, cuius ope materia ſoluta intra aliquot dies feliciter euacuatur, quo facto tusſis ſponte iterum euaneſcit.
   3) In aliis materia reſoluta per laxantia commodius eliminatur. *Conf. vbique methodus tab. præced.*
4. Denique miteſcente adfectu, *tonica* propinentur & congruum regimen prophylacticum præſcribatur.
   1) Scopo tonico inſeruiunt mixtura ex ſpiritu C. C. & tinctura antimonii tartariſata, eſſ. ſuccin. & lign. ſaſſafr. decoct. ex rad. gent. rubr. & herb. veron. heder. terreſt. hepat. nob. ſcord. ſem. fœnic. cort. citr. & cinnam. It. ſucci harum herb. cum tantillo balſam. Peruu. aut de Copaiua &c.
   2) Diæta ſit moderata, animus quietus, motus corporis ſufficiens. In primis reſpiciatur cauſſa illa, ex qua aſthma natum eſt, c. gr. ſuppresſiones hæmorrhagiarum

rum naturalium, vel omiſſiones artificialium. Aër frigidus & humidus fugiatur.

B. *Sicci.*

1. Huius tractatio cum tuſſis ſiccæ methodo in genere prorſus conuenit, modo per plures dies medicatio continuetur, & venæ ſectio æquinoctialis inſtituatur. In ſpecie ſequentia notentur.
2. Quando aſthma ſiccum a retropulſis ſuperficialibus inquinamentis aut tumoribus dependet,
   1) Lenia laxantia ex mercurio dulci, extr. panchym. *Crollii* & MP. de ſuccin. *Cratonis* ordinanda ſunt.
   2) Materia retropulſa *corrigitur* per abſorbentia ſiue ſimplicia ſiue acidulata. *Expellitur* per decoct. ex rad. chin. ſaſſaparill. ſcorzoneræ, vincetox. herb. ſcord. fumar. lign. ſaſſafr. aut eſſ. alexiph. ſigillatim per modeſtum ſulphuris vſum, cuius aliquot grana, abſorbenti cuidam mixta, & ter per diem repetita, bene ſe gerunt.
3. Aſthma ſiccum ex *flatulentia* ortum per clyſteres & temperata ſtomachica tractatur.
4. Quando autem ſcirrhi hepatis vel lienis hoc malum ſuſtentant, methodo, in tab. horum adfectuum propoſita, vtendum eſt.
5. Si atonia pectoris in aſthmate ſicco potiſſimum peccat, decocta ex ſpeciebus roborantibus proſunt.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quæ cautelæ *præcedente* tabula traditæ ſunt, illæ etiam in adfectibus aſthmaticis obſeruandæ commendantur.
2. In primis *expectorantia* in aſthmate, tanto magis *ſicco*, quouis modo fugiantur, quia adpulſus humorum, qui per illa ad pectus inuitatur, nihil certius, quam vlceroſo-ſanioſam corruptionem eius modi ſcirrhoſis collectionibus inducit.
3. *Vomitoria* non promiſcue, ſed tantum in aſthmate ſtomachali præmiſſis incidentibus & reſoluentibus ſunt vſurpanda.
4. Ab *adſtringentibus, acribus* & vulgaribus *opiatis* abſtinendum eſt.

5. Quo magis adfectus eſt *chronicus*, eo potentiora reſoluentia requiruntur, e. g.

   1) *Rad.* imperat. angelicæ, petaſit. ariſtol. vtriusque, zedoar. leuiſt. bardan. apii, dracunc. præcipue commendari meretur in aſthmate humido rad. ari, in maiori etiam doſi & repetitis vicibus exhibita,

   2) *Herb.* antiſcorb. trifol. fibr. fumar. naſturt. beccabung.

   3) *Ligna* antiuenerea, quaiaci, ſaſſafr. iuniper.

   4) *Sem.* ammios, dauci.

   5) *Baccæ* iuniperi.

   6) *Gummata* penetrantiora, nominatim gummi *ammoniac.* quod non ſolum reſoluit, ſed etiam per pulmones & aluum materiæ euacuationem quodam modo promouet.

   7) Ex *compoſ.* ſpir. ſal. ammoniac. vrinoſ. liqu. c. c. ſucc. in phlegmaticis, potiuncula *Brunneri* e gumm. ammoniac. vnc. ſemis, in acet. ſquillit. vnc. I. ſolut. add. aquæ veronic. vnc. II. ol. tart. per deliqu. gr. X - XII. ſacch. vnc. ſemis.

6. Extra paroxysmum optima eſt medicatio: ſi autem ſuffocationis periculum vrget, blanda incidentia & expectorantia, inprimis vero ſperma ceti in iuſculo calido ægrotis exhiberi poſſunt.

7. *Venæ ſectio* in aſthmate *ſicco*, niſi ſtatim in principio paroxyſmi inſtituatur, vel poſt octo dies *ſecunda* ſubiungatur, nil iuuat.

8. In aſthmate ſenili & flaccida præſertim paralytode pulmonum læſione, atque aliis humidis pectoris conſtitutionibus chronicis egregie conuenit diuturnior vſus *aquæ veronicæ vinoſæ* deſtillatæ, it. *aquæ hyſſopi*: porro diæta vinoſa, leniter aromatiſata reſoluentibus & balſamicis iungenda.

9. *Cinnabaris* antimonii, in aqua quadam aſthmatica propinata, ab *Osvvaldo Kremſio* ad modum extollitur, & eius ope ægrum talem intra menſis ſpatium reſtitutum eſſe adſeverat.

10. In ſubiectis humidis, *aſthmate humido* laborantibus, adfluxus diſcutitur & pectus quodam modo roboratur per mo-

modeſtam inſpirationem *fumi* ex *antimonio* fuſo adſcendentis.

11. *Baglinius* particulas *nitroſas* inter *arandum* reſpiratione attrahendas, aſthmaticis commendat; quod remedium politicum, ad placidum & continuum motum corporis impetrandum, non reiiciendum eſt.

12. Dantur exempla aſthmatica, in quibus conſtrictio humorum non ſolum verſus pulmones, ſed totum etiam caput contingit, vbi *tabaci vſus* mediocris, & quidem mane ieiuno ſtomacho adhibitus, ſubleuationem adfert.

13. *Segmenta pinea*, fornaci calefactæ impoſita, fundunt reſinam, cuius vapor, naribus attractus, in adfectibus aſthmaticis tuſſiculoſis ſenſibile leuamen aliquando attulit.

14. *Vrtica vrens* ſpecifice ſolet laudari, ita quidem vt vel in forma decocti vel quod melius, in ſubſtantia nempe radix, herba & ſemen ad ſcrup. I. luna decreſcente ſumatur. Solum ſemen eſt D. *Michaelis* ſpecificum.

15. *Fonticuli* & *veſicatoria*, ſuris adplicata, num aliquod levamen aſthmaticis adferant, vlteriori experientiæ relinquimus.

16. Conferatur *Horlacheri* ſcriptum germanicum de catarrhis, quo fabulis anilibus contradicit, ac ſi in aſthmaticis talibus catarrhis aliquid *ex capite in cauitatem arteriæ aſperæ defluat*.

17. Quo magis *aſthma ſiccum* exſiſtit, eo conſultius curæ initium cum *venæ ſectione* in pede faciendum eſt.

18. *Scarificationes* & *hirudines*, locis hæmorrhoidalibus adplicatæ, etiam commendari merentur.

19. Vltimo loco adiicimus *caſum notabiliſſimum* in puero quodam 14. annorum, qui, quum aſthmate per integrum annum adfectus fuiſſet, inſigni hæmoptyſi tandem corripiebatur. Hæc ſanguinis reiectio, quæ fruſta coagulata continebat, per aliquot hebdomadum interualla aliquoties & tanto quidem impetu repetebatur, vt mortem ſingulis horis exſpectaremus, præcipue quum vniverſum corpus ſumme extenuatum eſſet, & facies *Hippocra-*

*pocratica* conſpiceretur. Verum enimvero mox ſurgebat hic tabidus, edebat, dormiebat & intra menſis circiter ſpatium, vniuerſi corporis incrementa, non turgida, ſed ſolida & genuina capiebat. Quum vero exiguo hoc tempore corpus vere ſaginatum recuperaſſet, atque, præter aſthmatis conſueta incommoda non haberet, de qua re conquereretur, ſubito incipiebat lugere, atque ab omni cibo abſtinere, donec ſeptimo die exſpiraret. Facta cadaueris ſectione ne minima quidem pulmonum veſtigia reperiebantur, vaſa autem ſanguinea, in congeriem quaſi ſurculorum colligata, cum pleura concreta erant, & cor in ſuſpenſo tenebant.

# TABVLA XXXIII.
## DE
# PALPITATIONE CORDIS.

I. DEFINITIO.

Palpitatio cordis eſt ſpaſtica cordis contractio, per interualla inſultans: quo vehemente, licet erroneo motu principium vitale vel abundantiam ſanguinis per ſinceram euacuationem imminuere, & ſimul craſin illius corrigere, vel collectionem ſcirrhoſam aut concretionem polypoſam abſtergere & remouere intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Palpitatio cordis eſt
   1) vel *idiopathica*, quæ rarius occurrit,
   2) vel *ſymptomatica*, quæ aliis morboſis adfectibus ſuperuenit.
2. Palpitatio cordis *vera* diſtingui debet a nudis fortioribus cordis commotionibus & ſanguinis orgaſmo; quæ incommoda ab improuiſo terrore & ira, vel a vehementibus

bus prægreſſis motibus corporis oriuntur & ſubito plerumque tranſeunt.

III. *SIGNA.*

1. Vehemens pulſatio cordis ad partes ſolidas thoracis, ita vt a circumſtantibus ſæpe videri, immo audiri poſſit.
2. Arteriarum quoque, præcipue carotidum in collo, fortior conſpicitur pulſatio.
3. Præcedunt nonnumquam vel coniuncta ſunt
   1) Anxietas præcordiorum ad ſudorem vsque.
   2) Languor artuum.
   3) Pallor faciei.
   4) Reſpiratio anxia, cardialgica, cum intercepto libero vocis vſu.
   5) Lipothymia.
4. Adſtrictio alui ſæpius complicata eſt.
5. Flatulentia itidem in abdomine detenta.
6. Quando remiſit palpitatio, multum animi & corporis languorem atque virium defectum poſt ſe relinquit.

IV. *SVBIECTA.*

1. Hic adfectus frequentius euenit plethoricis, ſpeculabundis & vitæ ſedentariæ deditis.
2. Specialiter hypochondriacis, ſcorbuticis & hyſtericis, vitio menſium laborantibus.
3. Plerumque obtingit iuuentuti, & ex hac in adultiorem ætatem tranſcendere ſolet.
4. Spontaneis euacuationibus ſanguinis adſuetis, quæ vero iterum ceſſarunt.
5. Qui adſuetas ſanguinis ventilationes ſtatis temporibus non continuarunt.
6. Qui animi pathematibus, iisque ſupprimendis, facile mouentur, præcipue qui terrore conturbantur: vnde nonnumquam *idiopathicus* adfectus induci obſeruatur; de qua re notabile exemplum ſub *cautelis* legendum eſt.
7. Qui diutius ſub cœlo frigido quieſcunt.
8. Temperamentum melancholicum præ aliis huic adfectui obnoxium deprehenditur.
9. Præcipue virgines pallidæ chloroticæ iuniores, quarum

 men-

menſes vel nondum eruperunt, vel ſuppreſſi ſunt, & tamen laborioſa molimina ad eorum productionem conſpirant.

10. Qui febres acutas vel intermittentes parturiunt.

11. Plethorici quidam nonnumquam ſub ſomno palpitationibus cordis corripiuntur, & quando terrore alicuius inſomnii excitantur, palpitationem talem vigiles aliquamdiu adhuc perſentiſcunt.

12. Qui polypos cordis habent, palpitatione hac cum difficili continua reſpiratione corripiuntur.

13. Deprehenditur etiam ſuperuenire ſubiectis hæmoptyicis, & quando in pulmonibus ſcirrhoſa quædam labes eſt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* eſt
   1) vel plethora & ſpiſſitudo ſanguinis.
   2) vel polypus cordis aut ſcirrhus pulmonum, aut tubercula cordis.

2. Hæc natura tamquam cauſſa *efficiens* imminuere, corrigere & abſtergere intendit, ac proinde, licet ex errore, humores verſus pectus copioſius reſtringit. Falſa itaque eſt illa pathologia, quæ hunc motum auctiorem a ſtimulatione & irritatione cordis deriuare vult.

3. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* ſunt:
   1) Animi pathemata, e. g. improuiſus terror, timor, tacita & ſuppreſſa indignatio; quibus omnibus reſtrictio humorum verſus interiora contingit: licet enim palpitationes cordis, ab hiſce animi pathematibus dependentes, rariores ſint, quam quæ a materialibus cauſſis oriuntur, vix vllum tamen exemplum contingit, in cuius palpitatione non aliqua animi anxietas conſpiret.
   2) Euacuationum, præcipue ſanguinearum, adſuetarum ſuppreſſio vel neglectio, e. g. obſtructio menſium, hæmorrhoidum, neglectæ venæ ſectiones, purgationes, obſtructio alui &c.
   3) Diæta lauta.
   4) Vitæ genus ſedentarium, ſpeculabundum.

5) Pal-

5) Palpitationes cordis in adoleſcentibus, & puellis menſes nondum expertis, non raro a *vermibus* fouentur.

6) Reliquæ cauſſæ occaſionales præcedente membro indicatæ ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Initium huius adfectus non adeo ſonticum eſt; quo magis autem inualeſcit, & in conſuetudinem degenerat, eo maioris fit periculi.
2. Quo plures cauſſæ concurrentes conſpirant, eo maior eſt metus, & familiarior palpitatio recidiua, cum primis quia leui etiam occaſione hic adfectus ſolet recrudeſcere.
3. Varia deinde mala pectoris emergere poſſunt nempe inflammationes, hæmoptyſes in iunioribus, polypi cordis, infarctus viſcerum.
4. Frequentius febres poſt ſe relinquit, quæ periculo non vacant, tranſeunt enim facile in ſtatariam, diuturnam, peſſimam ſanguinis commotionem.
5. Immo morbi conuulſiui, vel aliquando deſertiones tonicæ & adfectus paralytici inde prouenire ſolent.
6. Qui polypos in corde gerunt, ex improuiſo ſæpe moriuntur.
7. In hypochondriacis & hyſtericis plerumque ſine periculo occurrit.
8. Si in his hæmorrhoides & menſes ordinatim fluant, malum mitigatur, quandoque etiam tollitur.
9. Palpitatio cordis, quando a *nudo* terrore exoritur, quod tamen raro contingit, malum curatu eſt difficillimum.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Præmittitur *euacuatio* primarum viarum per rhabarbarina, ſennata, melanagoga.
2. Deinde, ad *plethoram* imminuendam, venæ ſectio in pede inſtituatur, ſed ſufficiente quantitate & magna inciſione, alias directe ad palpitationem cordis nulla datur medicatio.
3. Poſt venæ ſectionem, ad *orgaſmum* ſanguinis temperandum, exhibeantur temperantia, nitroſa, cinnabarina, acidulata, e. g. nitrum depuratum, conch. præpa-

rat ocul. cancr. mat. perlar. cinnab. antimon. tinctur. bellid.

4. His per duos vel tres dies continuatis, *ſpiſſa* ſanguinis *craſis* reſpiciatur. Hanc corrigunt
   1) Præ omnibus aliis motus corporis *placidus* & *diuturnus*, cum potu ſufficiente ac diluto.
   2) Alexipharmaco - diuretica, e. g. eſſent. alexipharm. *Stahlii*.
   3) Antiſcorbutica temperatiora, nempe naſturtium, beccabung. cochlear. trifolium fibrinum.
   4) Anticatarrhalia.
5. Denique ad motum erroneum ſedandum, & æqualem ſanguinis diſtributionem promouendam ſubiunguntur
   1) *Interne*.
      a) Mixtura tonico - neruina *Stahlii*, ex ſpiritu quodam volatili vrinoſo & tinctura alcalina acri parata; item eſſent ſuccin. crocus exigua doſi exhibitus.
      b) Gemmata analeptica: tinctura coralliorum, confect. de hyacinth. alkermes, vinum rubi idæi, condit. citr. &c.
      c) Anodyna correcta: M. P. de cynogloſſa, pilulæ *Wildeganſii* genuinæ.
   2) *Externe*
      a) clyſteres reuulſorii.
      b) Pediluuia.
      c) Adpenſio camphoræ.
      d) Epithema cordiale ex aqua carbunculi, Anhaltina, eſſentia croci, caſtorei, balſam. vitæ.
      e) Epithema *Foreſti* ex herb. meliſſ. borrag. cum aceto & aqua roſarum.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Venæ ſectio* in hoc adfectu numquam prætermittatur, absque enim illa omnis medicatio minus efficax erit.
2. Extra paroxyſmum inſtituta efficacior quidem deprehenditur, præcipue ſi adſuefacta fuerit neglecta, ſed circumſtantiæ hanc moram non ſemper tolerant: hinc eo tantum reſpiciatur, vt ſub paroxyſmo, non adeo exacerbato,

to, adminiſtretur, ne commotiones febriles exoriantur.

3. *Malum hypochondriacum* quo magis conſpirat, eo magis ſalia media digeſtiua cum pulueribus nitroſo - temperantibus remiſcenda ſunt.

4. In *chlorotica virginum* conſtitutione pilulæ *Stahliana*, *Beckeriana*, vel amara cum laxantibus & martialibus per 8 - - 14. dies præſcribantur.

5. Quando *menſium* vel *hæmorrhoidum* adſuetus fluxus ſuppreſſus eſt, tum extra paroxysmum conueniente methodo reuocetur.

6. Quando alii adfectus, vt vitia pulmonum, polypus cordis &c. ad palpitationem cordis anſam præbent, eorum cura eſt reſpicienda.

7. Vbi *vermes* in ſuſpicionem veniunt, ibi anthelmintica propinentur.

8. Concurrente *ſcorbuto* antiſcorbutica, ſub methodo commendata, cum alexipharmaco - diureticis combinentur.

9. Vulgaris ordinatio cordialium acriorum neruinorum & ſpiritibus dicatorum, nihil ad hunc adfectum confert.

10. Cauendum a ſanguinis, in mobilitate ſua impediti, ſubita fortiore commotione: item a remediis valde calefacientibus.

11. Vomitoria & purgantia fortiora exſulent, adfectum enim peiorem reddunt.

12. Numquam ad *motus ſopitionem* properetur, niſi cauſſa materialis, nempe plethora & ſpiſſitudo ſanguinis, prius remota ſit: exceptis illis rarioribus caſibus, vbi *ſola* animi pathemata, e. g. mœrores, terrores, anxietates, metus in culpa ſunt, in quibus gemmata cum M. P. de cynogloſſa ſufficiunt.

13. Præ aliis gemmatis laudatur *hyacinthus vera*, quæ ſane, placando trepidantem naturam, ad pauidos tales adfectus notabilem efficaciam præſtat.

14. Deinde etiam *ſmaragdus vera*, exiguis doſibus, nempe gr. I - II. exhibenda.

15. Hæc gemmata, tonica analeptica cum nitroſis, cinnabarinis, longo interuallo poſt ſe relinquunt *opiata*, quæ recidiuas inducere obſeruantur.

16. *Martialia* & *ſalia volatilia*, præmature exhibita, malum in grauius mutant.

17. *Pediluuia*, præmiſſis generalioribus, cum effectu verſus ſomnum vſurpantur, præſertim ſi palpitatio cordis magis nocturno, quam diurno tempore exacerbetur.

18. *Thermarum* & *acidularum* vſus ad ſpiſſitudinem ſanguinis reſoluendam, non penitus eſt reprobandus; vti balnea *domeſtica*, cum moderamine vſurpata, proficiunt.

19. Methodus prophylactica, per venæ ſectiones æquinoctiales & pulueres nitroſo-temperantes, numquam omittatur, vtpote quæ interdum plus facit, quam curatoria.

20. Diæta conueniens, & cauſſas occaſionales excludens, vbique iniungatur.

21. Præcipue animus modeſte & tolerabiliter exhilaretur; quod vinum modice & medice vſurpatum, præ aliis præſtat, niſi ſcorbutus vel orgasmus ſanguinis, in primis autem febres acutæ, ardentes, immo intermittentes, contra indicent.

22. Mutatio vitæ otioſæ, ſpeculabundæ, ſedentariæ, in mobilem & laborioſam plus ſane ad ſanguinem attenuandum confert, quam vniuerſus medicamentorum adparatus.

23. Coronidis loco ſubnectere placet eminens exemplum, quod egregie confirmat, in palpitatione cordis *quantitatem* ſanguinis, & illius *ſpiſſitudinem*, magis eſſe reſpiciendam, quam fictam acrimoniam ſcorbuticam. Vir quidam ad annos quinquaginta natus, plethoricus & vitæ ſedentariæ magis quam laborioſæ deditus, temperamenti ſanguinei, leuiter cholerici, animi commotionibus, in primis terrori, facile obnoxius, quum annum ageret triceſimum tertium, arceſſebatur, vt coniuges quosdam, contentionibus diſtractos, in priſtinam reduceret concordiam. Gemebundus citato pede aduolabat, quumque ſcalam veloci

hoc

hoc curſu adſcenderet, vehementiſſima cordis palpitatione cum præcluſo ſermonis vſu corripiebatur, & totam horam inter ſummas præcordiorum anguſtationes abſumebat. Poſt ea hic adfectus innumeros fere habuit recurſus, atque per multos annos & Patientem & Medicos multum vexauit. Simul ac enim, commotiones animi acceſſerunt, vel corpus celeri curſu, ſcanſione montium, ſcalarum &c. vehementer commotum, aut caput verſus terram præceps incuruatum fuit, malum hoc cum tanta vehementia Patientem infeſtauit, vt non adſtantes ſolum, ſed alii in altero hypocauſto horrendos illos pulſus, qui per quinque interdum horas durarunt, audirent. Huic adflictioni multi Medici multa quidem remedia oppoſuerunt, quoniam autem, vt plerumque moris eſt, plethoram & ſpiſſitudinem ſanguinis non reſpiciebant, ſed acrimoniam tantum illius corrigere intendebant, radicem huius mali exſtirpare non potuerunt. Tandem patiens, quoniam leuamen ægritudinis ſuæ in hominibus hactenus viderat nullum, animum erigebat, atque ſupremi Numinis auxilium precibus quærebat. Poſt preces ſomno placido vtebatur, atque per inſomnium videbat *lanceolam*, qua venam in brachio ſecare, & ter multum ſanguinis emittere cohortabatur: er ſolte die Ader dreymahl fein hoch ſpringen laſſen, ſo würde er geſund werden. Experrectus nouum Medicum vocabat, atque huic, quid ea nocte in ſomno ſibi eueniſſet, enarrabat: quumque & Medicus & æger hoc inſomnium non a luſu phantaſiæ, ſed ab altiori principio deriuarent, venæ ſectionem inſtituendam decernebant. Hac peracta Patiens intra quatuor hebdomades a malo ſuo, quod per ſedecim annos durauerat, ita reſtitutus eſt, vt grato in Deum animo hæc verba ſæpius repeteret: *ex periculo ereptus ſum.*

# TABVLA XXXIV.

## DE

# PHTHISI.

I. DEFINITIO.

Phthiſis eſt vlceroſus pulmonum adfectus, a ſtaſi ſanguinis ibidem collecta, & in corruptionem deducta oriundus, atque lenta corporis extenuatione maxime conſpicuus. Deriuatur a φθίνω, conſumor, tabeſco.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Phthiſis differt *gradu*: in læſione enim pulmonum eſt vel vlceroſa tantum diſpoſitio, vel vera iam & conſummata vlceratio.

   1) *Vlceroſa diſpoſitio* nihil aliud eſt, quam collectio & infarctus ſcirrhoſus materiæ tenacis & viſcoſæ, ſeu etiam mucidæ portionis ſanguinis; quæ materia lenteſcens, diſcuſſis repente partibus fluidis, in duritiem, & calcaream conſiſtentiam abit, atque *nodos* ſeu *tophos* format, & hinc in actum corruptionis non ita promte deducitur. Hæc eſt ratio, quod tabidi in hoc ſtatu per plures annos viuere poſſint, & vix aliqua phthiſeos ſuſpicio in plures cadat.

   2) *Vera exulceratio* dicitur, quando vlceroſa hactenus, ad corruptionem diſpoſita, ſcirrhoſa collectio altiores radices egit, & vlcus iam erumpens vel plane conſummatum conſtituit; ſub qua conſtitutione febris *hectica* cum reliquis ſymptomatibus exacerbatur, & æger intra breue tempus conſumitur.

2. Cum hoc tophaceo & vlceroſo ſtatu nonnumquam etiam coniuncta eſt *concretio pulmonum cum pleura*; quamquam nonnulli recentiorum ex obſeruationibus anatomicis adſtruere volunt, hanc concretionem in plurimis ſubiectis reperiri, & ita ad ſtatum naturalem pertinere.

3. Phthi-

3. Phthiſeos differentiam ab *hectica abdominali* anxie quærere, vix vllam in praxi habet vtilitatem. Sicut enim remedia placide reſoluentia & diſcutientia, ac, ſine omni acredine, balſamica phthiſicorum vnica ſunt ſolatia, ſic etiam iisdem, & eadem quidem methodo, hecticis ſtricte dictis ſubuenitur. Sequentes tamen obſeruationes hanc differentiam & diagnoſin præcipue docent.

1) Hectica abdominalis ſemper inuoluit febrem, phthiſis autem aliquando ſine febre, ad minimum notabili, obſeruatur.

2) Si a profunda aëris attractione tuſſis augetur, & anguſtia ſeu reniſus in pectore ſentitur, tum eſt læſio *pulmonum*.

3) *Tuſſis* pulmonalis, niſi grauiſſimæ commotiones ſuppuraſcentes iam adſint, cedit extracto *tabaci*, abdominalis non item.

4. Sic etiam phthiſis ab *atrophia* infantum non niſi *loco* & *ætate* differt; nempe atrophia eſt læſio glandularum meſenterii, pancreatis, vel ipſius quoque hepatis, infantili ætati communis; phthiſis autem læſionem pulmonum inuoluit & iuuenili ætati familiaris eſt. De reliquo quoad cauſſam *continentem* prorſus conueniunt.

5. Differt etiam phthiſis a *maraſmo* ſenili, ſeu illa corporis extenuatione, quæ annoſioribus e quacumque cauſſa obtingit

6. Phthiſis differt quam maxime a *vomica pulmonum*, nam

1) in *phthiſi* eſt *vlcus* ſtricte dictum, in *vomica* autem *abſceſſus* ſeu *apoſtema*. Falſum enim eſt axioma; *vbi pus, ibi vlcus*, nam in *puris* efformatione tota differentia apoſtematis ab vlcere fundatur.

2) Vlcus phthiſeos in partibus *exſanguibus*, humidis tamen & mollibus, reſidet, apoſtema autem in *ſanguiferis* reperitur.

3) Hinc *vomica*, tam breuioris & præcipitis eſt ſucceſſus, vlcus autem phthiſicum longioris periodi.

4) Phthiſis licet ex *vomica*, non lethaliter rupta, ortum ſumere poſſit, euidens tamen manet differentia rei *ſuccedentis* a *præcedente*.

5) Immo licet viciſſim ex vlceroſa pulmonum conſtitutione vomica tandem erumpere poſſit, per accidens tamen hoc tantum contingit, nempe quando vaſa eroduntur, & præceps inflammatio vlceri *ſegniori* phthiſico ſuperuenit; rara autem huius ſucceſſionis vomicæ ſunt exempla.

II. *SIGNA.*

1. Phthiſis *lenius* incipiens vix vlla habet ſigna, nam eo tempore exigua ſolum *tuſſis* ſeſe manifeſtat.
2. Tuſſiunt autem omnes fere phthiſici, plerique *acrius*.
   1) Alii cum multa *excretione*,
   2) Alii cum pauca,
   3) Alii cum nulla, & hoc quidem vel ſub initium, vel in fine. *Conferatur Hippocrat. aphor. 16. Sect. III.*
3. Tuſſim autem quamcumque, etiam diuturnam & notabili excretione conſpicuam, pro certo phthiſeos ſigno declarare, error eſt ſatis communis: nam vitia primæ concoctionis tuſſim prouocant, phthiſica interdum maiorem.
4. Hinc in phthiſeos diagnoſi ſigna *ſocia* ſemper ſunt coniungenda, nempe
   1) Ætas infra ſub *ſubiectis* adnotata.
   2) Tuſſis diuturnitas, & illius exacerbatio ab aëre frigido, halitibus acribus, acidis adſumtis, & profunda reſpiratione.
   3) Materia profundius excuſſa, ſanguineis ſtriis infecta, ódorata, ſanioſa aut puris æmula, ſæpius etiam coloris cineritii & ſubnigri.
   4) Pectoris anguſtia cum ſenſu rei cuiusdam illud comprimentis.
   5) Virium lapſus.
   6) Deiectio adpetitus, vel frigidorum tantum cupido.
   7) Somnus non reficiens ſed magis delaſſans.
   8) Siccitas oris & ſaliua glutinoſa
   9) Calor hecticus poſt prandium in partibus exterioribus, in primis vero in manuum volis ſe exſerens.
   10) Facies rubicunda & turgida, præcipue creſcente hectico calore.

11) Pul-

11) Pulſus pro gradus præcipue diuerſitate variat: modo enim paruus & debilis, modo febrilis, modo ſerratus ac inæqualis deprehenditur.

12) Senſibilitas & impatientia *animi* ſubiracúndi.

13) Senſibilitas etiam *corporis*, præcipue circa mutationem aeris.

5. Si his ſignis accedant prægreſſæ violationes pulmonum, & diſpoſitio hæreditaria, tum certitudinem phthiſeos fere indubiam reddunt. Tales violationes pulmonum contingunt

1) in hæmoptyſi.

2) in peripneumonia.

3) per violentas externas contuſiones & vulnerationes.

4) per diuturniorem inter corroſiuos minerales, ſulphureos vapores obuerſationem.

6. Quando autem his omnibus conſpicua extenuatio totius corporis, & vltimo etiam faciei, quæ *Hippocratica* adpellari ſolet, cum notabili *febre hectica* acceſſit, de phthiſi *confirmata* non magis eſt dubitandum.

7. Sputum *purulentum* eſt quidem phthiſeos *conſummatæ* certiſſimum ſignum, ſed non vnicum: datur enim phthiſis ad ἀκμὴν deducta, ſine tali ſputo; nempe in iis, quibus vlcus bronchiorum, aut membranaceæ pulmonis portionis, citra ſanguinis concurſum adhuc perſtitit.

8. Pro ſputo autem purulento non debet reputari materia illa craſſa, pultacea, e flauo virideſcens, quæ in tuſſi quoque ſimplice innoxia ſolet excerni.

9. Vrinæ phthiſicorum ſanis frequenter ſunt ſimillimæ, niſi quod ſpumam diutius ſeruent: hoc tamen in ſimplice etiam tuſſi, & habitu phlegmatico contingit.

10. Interdum vero etiam intenſe rubræ, interdum colorem vrinæ febrium intermittentium æmulantes & ſedimentum farinaceum album, aliquando etiam ſubrubrum deponentes.

11. Si *vomica* pulmonum phthiſi ſuperuenit, febris, alias lenteſcens, acutam indolem induit, & tuſſis antea dolore

obtuſo incommoda, iam interlancinante adfligit, & reſpiratio maiore difficultate laborat.

12. *Diarrhœa* & *ſudores colliquatiui*, defluuium capillorum & aphthæ, quando proueniunt, de malo *conſummato* teſtantur.

13. *Tophi* pulmonum admodum latent, & vix aliqua ſigna diagnoſtica manifeſta præbent, niſi quod

1) Tuſſis ſicca ſonora & quaſi clangens cum reſpirandi difficultate & ſenſu doloris in pectore interdum eos prodat.

2) In quibusdam poſt motum aut tuſſim fortiorem eiusmodi globuli, pus vel materiam viſcidam continentes, excernuntur,

14. Neque etiam *concretio pulmonum cum pleura* in viuis ex certis & indubiis ſignis cognoſci poteſt, niſi quod in quibusdam inſolita pectoris anguſtia occurrat.

IV. *SVBIECTA.*

1. Phthiſis in pauciora ſubiecta cadit, nempe quamplurimum in iuuenes ab anno XVIII. ad XXXV. *Conf. Hippocr. aphor. 29. ſect. III. aphor 7. ſect. VIII.*

2. Ex his autem homines plethorici, ſani, floridi, otioſi, cholerico-ſanguinei, magis in phthiſin prolabuntur, quam mucoſi, ſcorbutici, phlegmatici, laborioſi.

3. Seu, quod idem eſt, longe maiore numero phthiſici fiunt, qui hæmorrhagiis frequentioribus, capitis doloribus æſtuoſis & lancinantibus, hemicraniis acutis, reſpirationis difficultati a motu corporis citatiore, & veræ hæmoptyſi expoſiti fuerunt, quam qui obnoxii ſunt catarrhalibus defluxionibus, coryzæ, tuſſi ſimplici, diarrhœis, ſcabiei ſeroſiori & vlceribus externis.

4. Sexus femininus phthiſi magis expoſitus eſt quam virilis; quod ſequente fundamento innititur: euacuationes ſanguinis *ſuppreſſæ* vtrumque ſexum diſponunt ad phthiſin, & quoniam *pauciores* in virili ſexu hæmorhagiarii ſunt, in feminino autem ordinarie *omnes*, fit inde, vt numero longe maiore ſuppreſſio ſanguinis, & hinc etiam phthiſis, ſexui ſequiori, quam virili, obtingat.

5. Quum

5. Quum autem alii de hac ſententia in partes contrarias abeant, & infrequentiam phthiſeos in ſexu ſequiore præ virili ex ipſo beneficio negotii menſtrui deriuare volunt, pauca ad ſententiam noſtram roborandam adponemus:

1) Si in eiusmodi loco, vbi magna iuuentutis cohors tam in ſcholis quam in academia reperitur, obſeruationes practicas inſtituimus, plures phthiſicos in ſexu maſculino quam feminino deprehendemus. Si quis autem alibi, vbi vterque ſexus in æquali fere numero, & a ſtudiis litterarum remotus viuit, in praxi conſtitutus eſt, is ſi paullo attentius rem obſeruabit, deprehendet, quod ſexus femininus phthiſi & hæmoptyſi ob menſium turbas & anomalias magis obnoxius ſit quam virilis.

2) Phthiſis differt gradu: alia eſt incipiens, alia confirmata, illa facilius poteſt curari, hæc autem non. Hinc negari non poteſt, quod in ſexu ſequiore natura ſibi magis proſpicere & phthiſin completam auertere poſſit quam in virili. *vid. prognoſis.*

6. *Seniores* non facile fiunt phthiſici, niſi a manifeſtis cauſſis externis: neque *pueri*, exceptis illis, quibus hæmorrhagia narium largior familiaris fuit, & repente ſuppreſſa eſt.

## V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa phthiſeos antecedens *remota* eſt ſtatus plethoricus.
2. Cauſſa *propior* eſt ſpecialis congeſtio ſanguinis ad pectus, præcipue floridioris, ſeroſi rarius.
3. Congeſtio floridi ſanguinis deſtinata eſt ad euacuationem hæmoptyicam, ſeroſioris autem ad *becchicam.*
4. *Hæmoptyica*, ſi propter difficultatem non perrumpit, vel poſt perruptionem portio mucida relinquitur, ſtaſin & hinc corruptionem, ſiue vlceroſam ſiue ſuppuraſcentem infert.
5. *Becchica* euacuatio quando non ſuccedit, materia illa tenax, mucoſa, ſeroſa, affatim congeſta, corruptionem ſalſo-acrem ſubit, & hinc etiam vel abceſſum vel vlcus producit. Eiusdem indolis eſt materia illa acris, quæ in

coryza per nares excernenda fuiſſet, ſi ad pulmones defluit.

6. Cauſſæ *externæ, occaſionales* & *procatarcticæ* ſunt:

1) Lapſus aut ictus violentus in pectoris regionem factus.
2) Nimis vehemens tuſſis.
3) Aër autumnalis, qui tabidis in primis noxius eſt; *conf. Hippocr. aphor. 10. Sect. III.*
4) Fumi corroſiui.
5) Scabies retropulſa, vlcera antiqua manantia imprudenter conſolidata.
6) Potus frigidus corpore inſigniter æſtuante.
7) Quando pulmones a pleuritide, peripneumonia, tophis, vomica, aut etiam a miaſmate poſt variolas vel morbillos relicto, exulcerati ſunt.
8) Abuſus veneris & potuum ſpirituoſorum.
9) Suppreſſio hæmorrhoidum & menſium.
10) Mala artificia, e. gr. expectorantia, quibus non modo copioſior ſanguinis adfluxus inuitatur, ſed etiam pulmonum oppletio augetur, & ordinaria tenſio relaxatur,
11) Peruerſa curatio morborum prægreſſorum, in primis febrium & hæmorrhagiarum per adſtringentia ſuppreſſarum.
12) Diſpoſitio hæreditaria ad phthiſin plurimum etiam confert.

7. Cauſſa *tuſſis* eſt intentio naturæ ſtaſin diſcutiendi, vel ſubnatam ex illius corruptione materiam acrem excernendi.

8. *Tophi pulmonum* oriuntur vel

1) ex congeſtione ſanguinis ad pectus, nulla ſubſecuta cruoris excretione aut eiusdem plenaria diſcuſſione. Vel
2) a tuſſi humida laborioſa, vbi pars materiæ illius tenacis in pulmonibus remanſit. Vel
3) ab impulſu humorum intra pulmones, per qualemcumque pectoris motum concitato, quo pertinent cantationes

tiones, intentiores clamores, nec non qualiacumque exercitia, pectoris motum requirentia.

9. Cóncretio pulmonum cum pleura vel ad vitia formationis in vtero materno referenda eſt, vel etiam per accidens & ob certas cauſſas occaſionales contingere poteſt, e. gr. quando infantes tenelluli ſemper in vno eodemque latere portantur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Frequentia phthiſeos tanta non eſt, quanta quidem vulgo exiſtimatur vel metuitur: quoniam frequenter tuſſis humida pectoralis & expectoratio materiæ mucidæ, quoad colorem non ſatis ingenuæ, cum vera phthiſi confunditur.

2. Corruptio, quæ in pulmonibus adeſt, non ita præceps exſiſtit, hinc natura corpus ſuum tam diu conſeruare adlaborat, quam diu fieri poteſt; inter ea tamen illud nutrire ceſſat, quia periculum læſionis auertere & vlceri præſenti proſpicere, ne citius ſe expandat, intendit; & hoc modo corpus ſub vitalium motuum continuatione conſumitur & paulatim marceſcit.

3. Corruptio autem illa, quæ pulmones obruit, eſt vlceroſa, non autem ſphaceloſa, cum ſanguis continuo per pulmonum texturam refluit.

4. *Incipiens* phthiſis ancipitis eſt prognoſeos, *conſummata* lethalis.

5. Ratio hæc eſt: nullum vlcus curatur, niſi tota eius ſuperficies abſterſa ſit, aut abſceſſerit, (daß die Wunde friſchen Grund bekomme,) ſed hæc *mundificatio* in partibus internis vix habet locum; inſuper *conſolidatio* vulneris in pulmonibus ægre ſuccedit, quia perpetuo aëris concurſui, motui & vehementi tuſſis concuſſioni obnoxii ſunt.

6. Proſtant tamen exempla phthiſeos incipientis curatæ, in quibus veſtigia autocraticæ reſtitutionis & cicatricularum detecta ſunt.

7. Subiecta ſicciora longe citius humidis, agiliora languidis, iuniora ſenilibus conſumuntur.

8. Se-

8. Sexus femininus, ſicut, ob faciles menſium turbas, præ virili phthiſi magis expoſitus eſt, ita etiam facilius ab illa liberatur, quia fluxus ſanguinis ſuppreſſus iuſta methodo poteſt reuocari, negotium autem ſanguinis in viris non ita feliciter ſuccedit.

9. Phthiſis non accelerat mortem, ſed febris hectica, phthiſi ſuperueniens: hinc quo frequentius hecticæ tales exacerbationes recurrunt, eo celerius æger opprimitur; & quo magis phthiſis ſine febre hectica ſibi quaſi ſola conſtat, (quod in ſubiectis non ita ſenſibilibus & incurioſis obſeruare licet) eo diutius patiens viuere poteſt.

10. Sputum vere purulentum, diarrhoeæ & ſudores colliquatiui prognoſin funeſtam non fallunt.

11. Tumores tam præcordiorum quam pedum œdematoſi, quando phthiſi ſuperueniunt, lethale ſignum eſt.

12. A phthiſeos periculo liberati facile iterum eidem ob leuiſſimas etiam cauſſas ſubiiciuntur.

13. Ceterum quidquid vulgo de phthiſi *curata* circumfertur, his fere innititur fundamentis.

1) Vel ſola fuit tuſſis catarrhalis in habitum deducta, & in primis craſſum, pulpoſum, viridem mucum proferens.

2) Vel febris lenta cum largis ſudoribus & repentina corporis extenuatione coniuncta.

3) Vel recens hectica, ex febre lenta pullulans.

4) Vel aſthmatica ſolum pectoris adfectio.

5) Vel æger euaſit cum ancipiti periculo; tum vegeta ſuppuratio, ſeu vomica, ſcirrho alicui minori ſuperuenit.

6) Vel hæmoptyſis pro phthiſi venditata eſt.

7) Vel plane ſingulare robur naturæ cum ſpecialibus circumſtantiis, a milleſimo vix exſpectandis, concurrit.

14. Tophi, ex ſanguine nati, peioris ſemper ſunt euentus, quam qui ex pituita generantur, nam facile in ſuppurationem abeunt, & vomicam pulmonum ac phthiſin poſt ſe trahunt.

15. Quando autem hi nodi peculiari folliculo incluſi ſunt, vita, adcurata obſeruata diæta & prudenti medicamentorum vſu, diu protrahi poteſt: valetudinarii tamen ſunt, & facile in febrem putridam incidunt tales ægrotantes.

16. Ex tuberculi ruptione vomitus & animi deliquium fit.

17. Tuberculum, ſi quam citiſſime maturuerit, & eruperit, & pus totum exſpuatur, & cauitas, in quo delituerat, contrahatur & reſiccetur, penitus ſanus euadet.

18. Si vero penitus reſiccari non poterit, & ipſum tuberculum a ſe ipſo pus produxerit, & pituita a reliquo corpore ad tuberculum defluens putreſcit, & pus exſpuitur, accedente ventre fluente, opprimitur.

19. Quod ſi multo tempore rumpi non poſſit, neque ſua ſponte neque a medicamentis, conſumitur debilitatus a doloribus vehementibus, tuſſi & febribus, & ſæpius perimitur. *conferatur Hippocr. lib. I. de morbis XIV. 5. 6. 7. 8. 9. 10*

20. Si pus per vomitum eiectum fuerit album, & fibræ in ipſo ſubcruentæ, effugit, ſi vero liuidum & cum virore pallidum ac graueolens, moritur. *Hippocrat. l. II.* de morbis LV. 20. 21. 22.

21, Phthiſis hæreditaria & a mala pectoris conformatione oriunda inſanabilis & funeſta eſt.

22. Concretio pulmonum cum pleura non exiguum incommodum liberiori pulmonum motui & reſpirationi adfert.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A *Methodus generalis.*

1. Adfluxus ſanguinis ad pectus copioſior deriuandus eſt per venæ ſectiones, ſcarificationes, pediluuia, laxantia lenia.

2. Materia vlceroſa eſt reſoluenda, abſtergenda, diſcutienda.

3. Facta vlceris mundificatione conſolidatio ipſius reſpicienda.



4. Ana-

4. Analepſis neceſſaria præſtanda.
5. Tonica roboratio perficienda.
6. Symptomata febris, tuſſis &c. decente ratione mitiganda ſunt.

*B. Methodus ſpecialis.*

1. *Tempore exacerbationis*

1) Curationis initium fiat per leniſſimam *laxationem*. Conueniunt hic blandiora laxantia, e. g. rhabarb. elect. paſſulæ minores, manna, tamarindi.

In ſubiectis cacochymicis conducit etiam ſenna, agaricus, reſina ialappæ, mercurius dulcis, ſed hic raro adhibeatur, ne ſaliuationem particularem pulmonibus inducat.

2) Deinde per aliquot dies, immo hebdomadas propinentur reſoluentia, abſtergentia & diſcutientia. In hunc finem laudantur:

a) *Radices*: pimpinell. alb. vincetox. helen. irid. Florent. ariſtoloch. vtriusque, maxime ari. &c.

b) *Herbæ*: capill. veneris, cuſcut. epithym. marrub. alb. hyſſop. bellid. min. &c.

c) *Gummi reſinæ*: ammoniac. ſagapen. galban.

d) *Abſtergentia ſalina*, & *abſorbentia* cum acido tartari vel citri ſaturata, e. gr.

Recip. tartar. vitriolat.
Ocul. cancr. acido citr. ſaturat. ana vnc. ſemis.
aquæ ſcord.
ſcabios.
chærefol. ana vnc. III.
M. dos. cochl. I. bis per diem, interpoſito ſubinde *nitro* ad æſtum febrilem mitigandum.

e) Formulæ nonnumquam mutentur, quia æger medicamina diu debet continuare. Hinc aliquando vſus decocti alicuius ex ante dictis reſoluentibus & diſcutientibus ſubſtituatur, e. gr.

Re-

Recip. rad. ari.
pimpinell. alb. ana vnc. ſemis.
herb. veronic. tuſſilag. chærefol.
bellid. ana man. I.
capill. veneris, pyrol. ſanicul. ana manip. ſemis.
Fiat decoctum cum pauco melle dulcificandum.

f) Aqua veronicæ vinoſa, bis de die ad cochl. III. ſumta, etiam laudatur.

3) Poſt ea ad *conſolidationem* ex balſamicis temperatiora ſunt eligenda, e. gr. terebinthina cocta, maſtix, olibanum, balſam. Peruuian. de Copaiua, *Locatelli*, rubinus ſulphuris, e. gr.

a) Recip. balſam. Peruuian. ſcrup. I.
gumm. iuniper. ſubtiliſſ. pulueriſat. maſtich. elect. ana drachm. I.
amygdal. excorticat. num. XXX.
Contuſis adde aquæ ſcord. hyſſop. ſcabios. tuſſilag. ana vnc. II.
Miſc. edulcorentur ſaccharo q. ſ. ad gratum ſaporem.
Doſ. cochl. I. ſingulis binis horis repetenda.

b) Puluis ſympatheticus, ſputo purulento iniectus, & leni calori impoſitus, bonum ſæpius effectum edidit, & hinc, vbi ſputum purulentum adeſt, poteſt probari.

c) Quid valeat encheireſis a *Weisbachio* p. 132. edit. nou. commendata, ad balſamica ſub forma vaporis pulmonibus adplicanda, vlterius inquirendum eſt.

4) Semper coniungatur moderata nutritio ex emulſionibus amygdalatis & gelatinis cum conſerua roſarum.

5) Paroxyſmo denique remittente, propinetur mixtura tonico-neruina *Stahlii*.

6) Denique adfluxus & tuſſis, ſi non remittunt, cohibeantur per M. P. de cynogloſſa vel extractum tabaci. e. gr.

Recip. Ocul. cancr. acido citri ſaturat. drachm. I.
M. P. de cynogloſſa gr. VI.

 M. d

M. d. in 4. partes.

Vel.

Recip. extract. tabac. gr. III. IV.

Soluantur aqua cichor. vel alia conueniente, mane in lecto propinentur, & quando nauſea ſuccedit vomibunda, hauſtus vini calidi cum ſaccharo & cinnamomo dulcificati ſumatur.

2. *Tempore remiſſionis.*

1) Circa æquinoctia venæ ſectio largior in pede inſtituatur, & pediluuia ſubiungantur.

2) Vel ſuppreſſæ ſanguinis euacuationes, iuſta methodo reuocentur, e. g. hæmorrhoidum, menſium.

3) Si ætas & reliqua indicent, *hirudines* ad hæmorrhoidalia loca poſſunt adplicari.

4) Ceterum non opus eſt tempore euſtadias medicamentis obruere languentem: ſufficit aluum ſeruare laxam, & eſſentiam alexipharmacam *Stahlii* cum eſſentia ſuccini maritatam ſubinde vſurpare.

5. Diæta ſit mollis & euchyla, & motus corporis placidus.

*Vid. cautel. & tab. de hectica.*

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Phthiſis cum non ſolum generatim, quoad cauſſam continentem, & pleraque ſymptomata, cum hectica aliarum partium nobiliorum conueniat, verum etiam viſcus tenerioris texturæ occupet, tanto magis ſollicite omnia ſunt obſeruanda, quæ tabula de *febre hectica* monuimus.

2. Sic *adſtringentia* vulneraria & balſamica acriora vulneratis pulmonibus deſtinare, nemo ſanæ mentis vtile iudicab[it]; quia aliorum viſcerum conſtrictionem, neceſſariæ ſecretionis ſuppreſſionem, reſpirationis maiorem anguſtiam, materiæ vlceroſæ concluſionem, inflammationis & febris augmentum, certiſſime inferunt; quod adeo verum eſt, vt etiam in externis vlceribus, tali incongruente modo tractatis, hoc obſeruare liceat.

3. Balſami *Locatelli*, &, qui correctior eſt, *Meibomii* pectoralis quantulacunque efficacia, *ceræ* imputanda eſſet, quid reliqua ingredientia valeant, notum eſt.

4. *Mar-*

4. *Martem* pectori cumprimis inimicum eſſe, vel eius patroni inficiari non audent.

5. Hinc *tinctura antiphthiſica Grammanni* multa damna infert, quia nihil aliud eſt, quam ſolutio quædam vitrioli martis; & ſi quid forte de ſaccharo ſaturni in ea remanſerit, etiam huius vſum nemo peritus adprobare ſuſtinebit.

6. Non minore damno adhibetur famoſum illud *antihecticum Poterii. vid. tab. de febre hectica.*

7. Abſorbentia *terrea* concoctionem debilitant, excretiones retardant & ſupprimunt.

8. Hinc etiam *antimonium diaphoreticum* nihil prærogatiuæ ad hunc adfectum habet, licet a *Syluio* ad vlcerationes internas admodum commendetur.

9. Omnia *expectorantia* dulcia motum congeſtorium adhuc magis verſus pectus inuitant, & craſſos humores non tam *ex pectore*, quam potius *per pectus* cum maiore exacerbatione expurgant. Hinc caute in phthiſi vſurpanda.

10. *Nitrum*, quando *vera* exulceratio ſuſpecta eſt, non ita larga manu, adſidue & perenniter exhibendum; ſi vero *ſcirrhoſa* tantum conſtitutio, & impendens collectio maturatoria ſeu apoſtematodes præſto eſſe iudicatur, tum nitrum omni modo locum habet.

11. Si poſt copioſam *nitri* propinationem tuſſis augeſcit, cum multa materiæ expectoratione, tum vera vlceratio adeſt; ſin minus expectoratur, & tuſſis potius miteſcit, de vlceroſa tantum collectione teſtatur, & ita cum nitro pergendum eſt.

12. Immo etiam in ipſa exulceratione, vrgente febre hectica non *plane* a nitro abſtrahendum eſt, ſed intrepide illud interponere licet, altero aut tertio quouis die.

13. *Sulphur* nullum vlcus, immo ne puſtulam vllam de fœcunda ſcabie curat, ſed motum tantum humorum immutat & hoc præſentiſſime, pauca etiam doſi; craſin vel plane non, vel languide demum corrigit. Non quadrat itaque eius adplicatio ad vlcus phthiſicum, tanto minus, quia æqualitatem liberæ excretionis turbat.

 14. Plus

14. Plus autem ſperandum de ſulphure, flammam non adepto, florum exhalantium forma extrinſecus per inſpirationem attracto, pro tuſſi nempe ſedanda. Hinc *ſulphuris* & *antimonii fumus* tutior erit, quam realgaris ſeu ſandaracæ Græcorum ſecundum Riuerium.

15. *Rubinus ſulphuris* nihil aliud eſt quam ſulphur oleo deſtillato coniunctum & ſubtilius agiliusque redditum, tenax, amarum & nauſeabundum, hinc modo adlegatur, non autem admodum extollitur.

16. *Paracelſus*, licet in aliis morbis promtus fuerit, ad medicamenta ſpecialiſſimæ efficaciæ promittenda, in phthiſi tamen admodum temperans obſeruatur. *Murem* quidem *campeſtrem* laudat, ſed modeſte.

17. Adſeclæ autem illius tanto audacius hoc fecerunt, & medicamina commendarunt, quæ pulmones, hepar, renes &c. *regenerarent*, etiam ſi iam ad iuglandis magnitudinem abſumta forent, ſcilicet reſtante tantum eorum ſeminio.

18. Ceterum optandum eſſet, vt *traditio Paracelſi* de vlcerum expurgatione & mundificatione ſpontanea *ab intra*, per circumſpectam experientiam melius tentata & explorata haberetur; ſi enim in vlla, certe in hac adhuc aliquid ſolidi ſubſidii pro phthiſico vlcere ſupereſt. *Conf. illius tractat.* von Spital-Kranckheiten.

19. Reliqua *ſpecifica*, quæ paſſim commendantur, obiter attingere placet:

1) De *nummularia* circumfertur, quod vlcerationibus pulmonum in *hominibus* ſalutaris ſit, in *ouibus* autem vlcerationem iisdem inducat.

2) De radice *trifolii fibrini* prædicant, illam hominibus phthiſicis & ouibus eſſe ſalutarem.

3) *Bonetus* refert phthiſicum per *naſturtii aquatici* adſiduum vſum eſſe reſtitutum. *Vid. lib. II. Sect. VII. c. 23.*

4) *Pulmones vulpis* & aliorum animalium, *ranæ* pulmones & hepar, *ſperniola Crollii* & alia magnam haud dubie fiduciam a medico & ægroto mutuari neceſſe habent, pro laudato effectu obtinendo.

20. De *equitationis* efficacia in phthiſi, quam indubiam fere facit *Sydenham*, ipſe legi poteſt. Conf. etiam *Programm. D. D. Stahlii* de hac materia. Qui placidum & continuum corporis motum poterit inſtituere, ille his ſumtibus facile ſuperſedebit, & eamdem vtilitatem, immò maiorem, experietur.

21. *Acidularum* vſum nemo phthiſicis, quocumque etiam gradu conſtitutis, facile ſuadebit.

22. De *thermis* diſſident practici: alii omnes, alii peculiares tantum commendant; alii internum vſum reiiciunt, alii moderatum laudant. Feruidiores improbantur, temperatæ poſt venæ ſectionem facilius tolerabuntur, ad ſummam autem rei nihil faciunt.

23. Decantata *lactis* cura nihil aliud eſt, quam modice viuere, & negotium naturæ commendare. Laudatur tamen ideo in *diæta*, quod continuationem eius per multos menſes æger non facile faſtidiat. Certum enim eſt, vlcus phthiſicum breuem & ſinceram ſanationem non recipere.

24. *Vena ſectio* tempeſtiua quam ſalutariter phthiſicis ſuccedit, tam certo noxia eſt, ſi in exacerbatione febrili inſtituatur.

25. Omnia *ſalſa* & *acida* nocent; inter quæ acida mineralia, maxime *ſalis communis*, immanem tuſſim cum doloribus & morbi exacerbationibus prouocant.

26. In emulſionibus exſulent ſemina *frigida*, e. gr. cucum. melon. quia ventriculum refrigerant, & cardialgias flatulentas inducunt

27. Nec *amygdalæ* per ſe adhibeantur in emulſione, quia facile in auſterum acorem degenerant. Semper alquid de ſale digeſtiuo adiiciatur.

28. Ceterum *emulſiones* omni modo commendantur; temperant enim ſalſam, ſeri acrimoniam, & præoccupant omnem aſperitatem, quæ tuſſim ſolet exacerbare.

29. *Bellis minor* non reiicula eſt in hoc adfectu, leniter enim adſtringit & diſcutit.

30. Nec

30. Nec *charefolium*, præſertim recens adhibitum, eſt contemnendum.

31. Plantæ, quæ colliquationem promouent, egregie hic conducunt, e. g. *ſanicula*, &c, ſi ardor maior concurrat, *pyrola*, quales herbæ in formula mellita, ſeu cum glycyrrhiza vſurpatæ, effectum ſæpe edunt ſpe maiorem.

32. Radix *ari* in primis commendatur, nam reſoluendo & abſtergendo omnibus palmam præripit.

33. Moderato harum radicum vſui addi poteſt herba *capilli veneris*, quæ ad reſoluendas ſtaſes materiæ mucidæ & catarrhalis egregium vſum præſtat.

34. Specialem ad modum efficaciam aperiendo & abſtergendo in materia reſoluenda attribuit *Foreſtus marrubio albo*, cum primis in hepatis adfectibus. Etiam in pectore vim eius laudat, ſed monet, ne æger in renibus vitium habeat; quod ſi adſit, notabiliter damnum augeat Vnde conuenientia inter renum & pulmonum læſiones adparet, quæ viſcera inuicem ſibi prodeſſe & nocere poſſunt.

35. In recentibus apoſtematibus pectoris, peritus *mellis* vſus non contemnendus eſt ad mundificandum & conſolidandum, cauendo, ne imperito vſu latentes adhuc diſpoſitiones apoſtematodes exacerbentur. Plura vide *tabula de vomica pulmonum*.

36. *Tuſſis* quoniam vel ſtaſi diſcutiendæ, vel, ſi hoc non magis integrum fuerit, vlceroſæ materiæ abſtergendæ & excernendæ a natura deſtinata eſt, caueatur ne per intempeſtiua *anodyna opiata* ſopiatur, ob grauia detrimenta, quæ hac ratione importantur.

# TABVLA XXXV.

## DE
# VOMICA PVLMONVM.

Dagadas.

I. **D**EFINITIO.

*Vomica* eſt collectio ſanioſa, ſeu apoſtema quoddam in pulmonibus propria ſua tunica incluſum, modo in ſuperficie, modo in meditullio huius vel iſtius lobi, occurrens, &, facta ruptione, purulentæ materiæ reiectionem exhibens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differentiam vomicæ pulmonum a *phthiſi*, præcedente tabula ſatis indicauimus.
2. Vomica differt ab *empyemate*, in hoc enim materia purulenta in cauitatem thoracis effuſa eſt, & hinc *paracenteſin* requirit, in illa autem abſceſſus intra tunicam ſuam adhuc incluſus eſt. Quando autem *vomica in ſuperficie* pulmonum rumpitur, & materia illa corrupta in cauitatem thoracis effunditur, tum *empyematis* nomine venit.
3. Ex eodem fundamento vomica etiam differt a *ſuppuratione ſtaſeos* inflammatoriæ, quæ in pleuritide & peripneumonia nonnunquam contingit.
4. Porro vomica pulmonum a *tophis*, qui ſæpius in pulmonibus reperiuntur, vt conſequens ab antecedente diſtinguenda eſt. *Conf. tab. de phthiſi.*

III. *SIGNA.*

1. Vomica pulmonum non facile prius dignoſcitur, quam data occaſione rumpatur.
2. Sub initium æque ac in phthiſi plerumque paruus tantum ſcirrhoſus nodus in veſicula quadam pulmonum exoritur, qui deinde creſcendo veſiculam illam expandit, & denique ſi ad maturitatem deductus eſt, perrumpit.
3. Nonnunquam, ſed rarius, vomica a ſtaſi impetuoſa & repentina collatione exoritur.

4. Febris hectica eſt comes indiuidua, cum tuſſi ſicca, ſed tolerabili, quæ poſtea fit humida.
5. Quam vel ſtatim, vel ſucceſſu temporis ſequitur difficultas reſpirandi.
6. Aegri dolorem obtuſum, & interdum lancinantem in certo pectoris loco adcuſant.
7. Facies inæqualiter rubet.
8. Per reliquum autem corpus languor, magis magisque creſcens, ſentitur; & motus tonici ſtrictura cum pallore in peripheria occurrit.
9. Adpetitus inconſtans reperitur.
10. Ægrotus variis anxietatibus conflictatur.
11. Sudoribus copioſis alii, alii lipothymiis corripiuntur.
12. Tandem, ſub febre ſatis aucta concluſum apoſtema rumpitur, & ingens puris quantitas cum periculo ſuffocationis reiicitur.

IV. *SVBIECTA.*

Perículoſiſſimi morbi vti omnium ſunt rariſſimi; ita etiam *vomica* pulmonum ſatis infrequens eſt, & in pauciora cadit ſubiecta.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa antecedens *remota* eſt plethora, quæ cum cacochymia interdum coniuncta reperitur.
2. Cauſſa *propior* eſt congeſtio ſiue *ſanguinea* ſiue *becchica* ad pectus.
3. Cauſſa *proxima immediata* & *continens* eſt ſtaſis intra veſiculas pulmonum facta, quæ pro circumſtantiarum ratione tardius vel celerius abit in corruptionem.
4. Cauſſæ *externæ occaſionales* & *procatarcticæ* ſunt:
   1) ſuppreſſæ euacuationes ſanguinis naturales, præcipue per adſtringentia.
   2) Neglectio euacuationum artificialium adſuetarum.
   3) Lapſus, ictus, aut alia violenta pectoris vulneratio.
   4) Celerior curſus ad reſpirationis fere interceptionem.
   5) Refrigeratio thoracis corpore calente.
5. Cauſſæ *rupturam* vomicæ promouentes ſunt:
   1) Succuſſio corporis valida.

2) Ve-

2) Vehemens riſus & clamor.
3) Tuſſis ad modum enormis.
4) Sternutatio impetuoſa.
5) Illapſus materiæ, licet non ſemper acris, in aſperam arteriam.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Vomica quo lenius incipit, eo diutius ante latitare poteſt, quam erumpit: materia enim in peculiari folliculo clauſa detinetur, qui cum reliqua pulmonum ſubſtantia non multum commercii habet, vnde corrupta licet materia, vlterius rodendo ſerpere non poteſt.
2. Quæ autem cum *ſtaſi impetuoſa* & *repentina collectione* contingit, illa breuioris eſt periodi.
3. Quando vomica in *ſuperficie* pulmonum hæret, minore quidem periculo in *præſens* ruptio ſuccedit, quam ſi profundam ſedem in iisdem habuerit.
4. In *futurum* tamen euentus valde anceps eſt: materia enim purulenta in concauum thoracis effunditur: & ſic *empyema* conſtituit; quod malum æque calamitoſum eſt, niſi per tempeſtiuam paracenteſin illi occurratur.
5. Quo magis autem vomica in *profundo* pulmonum latitat, eo grauiore periculo ruptura illius contingit.
6. Vel enim æger ſub ipſa eruptione ſuffocatur, præcipue ſi febris acuta hectica ſuppurationem præceſſerit,
7. Vel breui poſt iugulatur, ſi ipſa ſuppuratio copioſior fuerit.
8. Vel ſi absque vitæ periculo vomica rupta eſt, degenerat facile in *vlcus*, (omnibus apoſtematibus, recedente inflammatione, familiare,) quod eſt initium phthiſeos pulmonalis. In vniuerſum ſequentia adhuc notanda ſunt.
9. Quando ſub ruptura *pus tantum* euacuatur, & quidem in quantitate non ita enormi, tum promptior reſtauratio ſperanda; vbi autem copioſa quantitas eiicitur, ibi conſolidatio maiorem inuoluit difficultatem, quia in tali caſu inſignis ſinus in pulmonibus excauatus eſt.

10. Status antecedens ſemper reſpiciendus eſt: in corporibus enim vbi ſegniter talia procedunt, id eſt, vbi adfluxus ſanguinis vel plane excluſus eſt, vel tamen parcius concurrit, ibi difficulter fit reſtauratio.

11. Vbi autem copioſior ſanguinis adfluxus & inflammatio reperitur, ibi promptior eſt reparatio; nam ſulphureæ ſanguinis particulæ maiorem ſiccitatem parti conciliant, ad conſolidationem neceſſariam.

12. Ex hoc fundamento in vomica reparatio eſt facilior, quam in alio vlcere ſegniore ſalſo ſeroſo.

13. Item: quo magis temperamentum ſanguineum præſto eſt, eo facilius reparatio contingit. Contrarium eſt in temperamento phlegmatico.

14. Quando poſt ruptionem vomicæ febris cum reſpiratione difficili continuat, & corpus magis magisque extenuatur, coniuncta virium debilitate, præſagium eſt funeſtum.

15. Sic etiam vomica diu in pectore ſine ruptione perſiſtens, & ſudore frigido, frigore extremorum ac lipothymiis coniuncta, lethalis eſt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

Eadem hic fere, quæ in phthiſi, valet medicatio, ſed alio ordine collocanda, nempe

1. Apoſtema abſtergendum & mundificandum eſt; quod obtinetur per ſic dicta *expectorantia* cum *diſcutientibus* copulata.

   1) *Expectorantia* ſunt: paſſul. maior & minor. ſebeſten, iuiub. ficus, rad. liquirit. mellita, & ſyrupi varii officinales.

   2) *Diſcutientia*, præter ea, quæ præcedente tabula indicata ſunt, particulatim adhuc laudantur:

      a) *Aquæ* diſcutientes diapnoicæ; e. gr. ſcabioſ. card. benedict. plantag. hyſſop. ſcord. chærefol. bellid. min.

      b) *Semina*: hyperic. ſophiæ chirurgorum, in primis card. mariæ, quod pectoris inflammationibus & ſuppurationibus efficaciter ſuccurrit.

2. So-

2. Solutio continui eſt conſolidanda. Faciunt hoc

1) *Balſamica* temperatiora, e. g. terebinth. cocta, maſtix, olibanum, balſam. Peruuian. de Copaiua, galban. ſarcocolla & myrrha, quæ autem, quia humores inſigniter commouet, tum quidem locum non habet, quando metus eſt ſanguinis eruptionis.

2) *Traumatica* leniora, e. g. ſymphyt. hyperic. plantag,

a) *Ettmullerus* commendat heder. terreſtr.

b) Alii veronicam.

c) Sed efficacior eſt, in hoc genere, virga aurea *Geſneri*.

d) Item: conſolida Saracenica.

e) Conyza communis vulneraria ſatis etiam efficax eſt.

f) Specialiter adhuc ad vulnera pectoris commendantur: pyrola, ſanicula, alchimilla, auricula muris maior. rad petaſitidis.

3 Metuenda ſymptomata præoccupanda ſunt.

1) *Affluxus* humorum auertitur per venæ ſectionem in pede.

2) *Commotiones febriles* occupantur per pulueres e nitro, antimon. diaphoret. ocul. cancr. oſteocoll. item per eſſent. alexipharm. *Stahlii* cum multa ſcordii portione parata, quæ effectum habet diſcutientem, balſamicum, leniter diureticum, & hinc acrimoniam e ſanguine per vias vrinarias eliminantem.

3) Ferociam *tuſſis* ſedat MP. de cynogloſſa pulueribus abſorbentibus & nitroſis admixta & veſperi adhibita.

4) *Sitis*, quæ fere cum febre hectica coniuncta eſt, mitigatur, præter nitroſa, ſuccis acidulis, in primis ſucco citri, qui præ ceteris pectori amicus eſt.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. *Aluus* primum aperienda & per totam curam expedita ſeruanda eſt,

1) Siue per clyſteres carminatiuo-emollientes.

2) Siue per lenia laxantia e. g.

Recip. herb. veronic.

hyſſop. ana f. decoctum.

Recip. huius decocti vnc. III.
mannæ calabrin. vnc. 1. & ſemis·
ſirup. violar. vnc. 1. m. d. pro doſi.

2. Quando notabilis *plethora* præſto eſt, ſubiungatur venæ ſectio reuulſoria in pede.

3. Deinde adhibeantur ad mundificationem expectorantia cum diſcutientibus maritata e. g.

Recip. rad. ari, petaſitid. pimpinell. alb. vincetox. ana drachmas III.
herb. capill. vener. cuſcut. hyſſop. bellid. ana manip. I.
ſemin. aniſi, card. mariæ, ſophiæ chirurgorum ana drachm. II.
liquirit. vnc. ſemis.

inciſ. coq. cum q. s. aquæ ſimpl. vt circiter duæ libræ remaneant. His adde ſirup. de althæa vnc. I. & ter de die vitrum propinetur. Vel præparentur emulſiones ex aquis card. bened. plantag. hyſſop. ſcordii, cum ſeminibus card. mariæ, ſophiæ chirurg. &c.

4. His ſubiungantur vel ſtatim coniungantur balſamica temperata, & leniter traumatica, ad conſolidationem promouendam. *Vid. method. ſpecial. tabul. præcedentis.*

5. Denique, ad ſymtomata febrilia præoccupanda, & mitiganda, aliquoties per diem pulueres nitroſo temperantes cum antimonio diaphoretico permiſti; mane autem eſſent. alexipharm. *Stahlii* ad gutt. XXX. propinentur.

6. *Tuſſis* quando nimium adfligit, addatur his pulueribus MP. de cynogloſſ. gr. I. pro doſi.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In vomica pulmonum præcipue cauendum eſt, ne ægri, qui iam per ſe in magno periculo verſantur, inepta & tumultuaria medicatione in maiora damna præcipitentur.

2. Hinc abſtinendum eſt, tam a fortioribus *purgantibus* quam a reliquis *commouentibus* & præ primis *volatilibus.*

3. Fo-

3. *Foreſtus* obſeruauit, quod iuuenis, vomica pulmonum laborans, per tuſſim reiecerit particulam quamdam, quaſi veſiculam pure repletam, & deinde hæmoptyicus factus ſit.

4. *Practici*, & in primis Chirurgi, in febribus vulnerariis, ad quas vomica referenda, ita neceſſariam iudicant venæ ſectionem, vt *Schelhammerus* ſtatuerit, illam ſine læſione conſcientiæ prætermitti non poſſe.

5 In primis *alui* legitimus ſucceſſus per totum morbum maxime neceſſarius eſt: hac enim ratione bilioſæ partes excernuntur.

6. Sic etiam reliquæ excretiones bene reſpondeant, præcipue *vrina* & *tranſpiratio* naturalis, ad quas promouendas egregium habet vſum eſſent. alexipharm. *Stahlii*, quæ præter effectum, quem edit, diaphoretico-diureticum, pectorali & balſamica virtute, ad conſolidationem promouendam, prædita eſt.

7. Quando *nimius adfluxus* mucidorum humorum ad pectus vrget, & moderata anodynorum interpoſitio neceſſaria iudicatur, tum *diacodium Montani* locum etiam habet. Veteres vtebantur electuariis opiatis, e. gr. *Philonio Romano*. Conſerua roſarum, in primis antiqua ſeu ſaccharum roſarum, aliis interpoſitum, etiam præſtat effectum.

8. A *terris ſigillatis* & *hæmatite* abſtinendum eſt.

9. *Nitrum* quidem egregie æſtum febrilem temperat, ſed dum tuſſim auget prudenter & paruis doſibus eſt vſurpandum. *Conf. tab. de phthiſi & hectica.*

10. Expectorantium dulcium abuſus vitandus eſt, quia corruptionem & adfluxum ad pectus auget.

11. *Alchimilla* externo vſu egregium quidem & potens eſt balſamicum, interne autem motum ſanguinis inteſtinum & inflammationem cum febre exacerbat; quod etiam de *myrrha* obſeruandum eſt.

12. Ad diætam ſufficiens tenuis potus commendatur, cum animi tranquillitate.

TAB.

# TABVLA XXXVI. DE EMPYEMATE.

I. DEFINITIO.

Empyema eſt effuſio materiæ purulentæ in concauum thoracis, cum variis incommodis circa diaphragma, mediaſtinum, pleuram, & pulmones coniunctum. Deriuatur ab ἐν, intus, & πύον, pus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Empyema* quantum differat a *vomica* pulmonum, præcedente tabula demonſtratum eſt.
2. Differt ab *hydrope thoracis*, quæ quidem etiam paracenteſin admittere ſolet, empyematis autem nomine venire nequit, quia nullo *pure* ſed ſola *aqua* conſpicua eſt.
3. Differt porro empyema ratione *originis*; de qua re ſub *cauſſis* mentionem faciemus.
4. Differt denique ab *vlcere pulmonum*. Hoc enim materiam ſuam ichoroſo-ſanioſam vel in aſperam arteriam infundit, vel ſi in cauitatem pectoris hiat, empyema demum producit, atque hoc poſteriore euentu vti antecedens a conſequente differt.

III. *SIGNA.*

1. Repentina ceſſatio doloris, qui antea in pectore erat continuus.
2. Senſus ponderis alicuius in diaphragmate, & materiæ fluctuantis, paſſim verſantis & non raro etiam tantum ſonum excitantis, vt ab adſtantibus audiri poſſit.
3. Tranſitus febris acuta in hecticam, verſus noctem ſe ſe exacerbantem.
4. Tuſſis ſicca continua, moleſta.
5. Reſpiratio ſumme difficilis, ob impotentiam expanſionis pulmonum.

6. In

6. In illo latere, in quod effuſio apoſtematis facta eſt, commodius adhuc iacere poteſt æger quam in latere oppoſito. In hoc enim ſi recumbit, materia purulenta mediaſtino incumbit & incommoda adfert.
7. Quo magis calor hecticus augetur, eo magis corpus extenuatur & vires labuntur.
8. Euenit nonnullis, vt declinato corpore ſuffocationis periculum incurrant; quod vero mutato hoc ſitu euaneſcit.
9. Sputum in nonnullis purulentum obſeruatur.
10. Accedunt anxietates, palpitationes cordis, & lipothymiæ.
11. Interdum adcuſant ægroti ſenſum vaporis calidi, e pectoris cauitate ad os adſcendentis.
12. Alii in malo grauiore percipiunt ſaporem putridum in ore.
13. Sudores nocturni copioſi corpus extenuant & vires proſternunt.
14. Facies rubet in primis eo in latere, in quo abſceſſus ruptus fuit, nonnumquam vero phlogoſes tantum adſunt.
15. Tandem facies *Hippocratica* accedit, & oculi fiunt concaui.
16. Pulſus, in primis in latere adfecto, eſt celer, ſed ſæpius intermittens.
17. Nonnumquam vngues curui, & puſtulæ in thorace adparent.
18. Sæpius, obſeruante Hippocrate, pedes fiunt tumidi, & in pectoris latere adfecto obſeruatur cutis inflatio ac tumor.

IV. *SVBIECTA.*

Empyema æque ac vomica pulmonum, in pauciora ſubiecta cadit, nempe in illa tantum, quæ cauſſis ſpecialibus mox adlegandis, implicantur.

V. *CAVSSAE.*

Empyema oritur

1. Vel a *vomica* in ſuperficie pulmonum rupta.
2. Vel a ſuppuratione ſtaſeos inflammatoriæ in *pleuritide* & *peripneumonia*.

3. Vel nonnumquam a ſuppuratione ſtaſeos in *angina*, quando nempe inflammatio ad arteriam vsque aſperam ſe extendit, & hæmoptyicam quaſi excretionem molitur: vnde ægri niſi ſeptimo die moriantur, empyici euadunt. *Conf. Hypocrat. Aphor. X. Sect. V.*

4. Vel a *violentis cauſſis* e. g. a vulnere thoracis, quando ſanguis extrauaſatus, & inflammatione correptus, in ſuppurationem tranſit.

VI. *PROGNOSIS.*

1, Pauciſſimi empyici a morte liberantur, cum primis ſi tempeſtiua paracenteſis neglecta fuit.

2. Paracenteſi peracta, ſi *magna puris* quantitas, ſubcruenti tetri coloris & fœtoris, emittitur, febris continuat, & materia purulenta, pallida, ſpumeſcens, liuida, viridis exſpuitur, & vires labuntur, res eſt conclamata.

3. Quando autem *exigua* puris quantitas, albi coloris, & minoris fœtoris excernitur, febris & ſitis mox ceſſant, adpetitus redit, exerementa aluina compacta excernuntur, vires etiam aliquo modo ſibi conſtant, tum ſpes eſt reſtitutionis.

4. Si materia poſt ſeptem circiter hebdomades nondum ſicceſcit, ſed fluxus adhuc continuat, tum facile exoritur fiſtula, quæ deinde per longum tempus Chirurgi patientiam exercet.

5. Suppuratio periculoſior eſt, quæ vtramque thoracis partem, quam quæ vnicam, occupat.

6. Suppurationes, quas *pulmonum* morbi excitarunt, facilius *ſenes*, reliquorum autem viſcerum frequentius iuuenes trucidant.

II. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

1. *Materia purulenta* in cauitatem thoracis effuſa, quantocyus euacuanda eſt; id quod optime fit per *paracenteſin*, ſeu ſectionem thoracis, certo inſtrumento, ad hanc operationem adaptato, intra quintam & ſextam coſtam inſtitutam. *Conf. cautel.*

2. *Vlcus*

2. *Vlcus* reſiduum abſtergendum & conſolidandum eſt. Faciunt hoc decocta ex reſoluentibus vulnerariis & balſamicis parata, & per ſyringam iniecta. *Vid. tabul. de Phthiſi, item de febre hectica.*

3. *Symptomata* vel præſentia, vel in futurum metuenda, ſunt reſpicienda.

   1) *Æſtum* febrilem mitigant pulueres ex antimonio diaphoretico & abſorbente quodam parati.

   2) *Vires* reficiunt analeptica & alexipharmaca e. g. emulſiones amygdalatæ, ſed non ſaccharatæ, eſſent. alexipharmac. *Stahlii.*

   3) *Aluum* adſtrictam ſoluunt clyſteres.

   4) Adfluxus quo modo per tempeſtiuam venæ ſectionem præoccupandus ſit, *vid. ſub cautelis.*

   5) *Externe* applicatio ſpiritus vini camphorati leniter crocati, aut ſacculorum, ex neruinis & diſcutientibus paratorum, vſum habere poteſt, vt humorum adfluxus & ſtagnationes auertantur, ne aliqua ſuſpecta ſtagnatio remaneat.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. Facta per Chirurgum inciſione, materia non vno impetu, ſed paulatim euacuetur, ne nimia naturæ eneruatio, vel partium ſphacelatio ſuccedat.

2. Deinde decoctum aliquod vinoſum, ex balſamicis & traumaticis paratum, per ſyringam bis de die iniiciatur e. gr.

Recip rad. ſymphyt.
angelic. ana vnc. j.
Herb. ſcordii
hyperici.
agrimon.
fanicul. ana manip. I.
Myrrhæ drachm. ij.
Mellis roſat. vnc. j.
Fiat cum vino decoctum.

3. *Interne* exhibeantur

   1) ante meridiem ſemel vel bis gtt. XXV-XXX. de eſſent. alexipharm. *Stahlii.*

2) Poſt meridiem autem duæ doſes ſequentis pulueris propinentur.

Recip. Ocul. cancr. acido citri ſaturat.
Antimon. diaphoret. ana drach. I.
M. doſ. ſcrup. j.

4. Emulſio analeptica ſubinde interponatur.
5. Toto curationis tempore aluus aperta ſeruetur per clyſteres emollientes.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Venæſectio*, quando vrgentibus ante eruptionem ſymptomatibus, vel etiam ſtatim poſt eruptionem inſtituitur, vſu ſuo caret, ſed tunc diſcutientia & repellentia debent ſubiungi.
2. Abſint ab hoc adfectu *anodyna* præmature adhibenda, quia ſphacelum, vel ad minimum vlcus peſſimi moris inducunt.
3. Decoctis traumaticis addatur *myrrha*, ouo ſoluta, ſeu, vt vocatur, oleum myrrhæ per deliquium.
4. Conducit etiam *nitrum*, ſed non ſæpius repetendum, quia ſalſa in vlcerationibus adhibita, maiorem vellicationem & pruritum concitant.
5. *Nitri* autem *internus* vſus, vrgente febre hectica, non eſt reformidandus, ſed audacter pulueri, ſupra deſcripto, ſubinde miſcendus.
6. *Bontius libro de medicina Indorum* refert, quod empyema per paracenteſin feliciter ſublatum ſit.
7. *Petrus Dionis* non numerat coſtas, ſed quatuor digitis ab angulo ſcapulæ, & totidem e latere ſpinæ dorſi inciſionem facere docet. Ceterum adnotat, in ſuppuratione pleuritidis naturam ipſam ſæpius indicare locum incidendum, videlicet per tuberculum aliquod, in ea regione proueniens, in qua apoſtema ſedem habuerit. *Conf. tab. chirurg. de paracenteſi.*
8. *Externe* ſuperimponi poteſt vulneri vel ſpiritus camph. vel ſacculus ſub methodo indicatus, vel emplaſtrum de ſperm. ranarum camphoratum.
9. *Ægyptii*, teſte *Alpino*, non ſecant, ſed inurunt locum, per quem materia purulenta euacuari debet.

10. Sub

10. Sub vſu eſſentiæ alexipharm. *Stahlii* obſeruari poteſt, num veſtigium aliquod inueniri queat illius adſerti, quod materia empyematis per vrinam poſſit euacuari. Neque modus, neque etiam viæ patent, quo modo pus e pectore ad illa loca perduci queat, ſed potius renum vel veſicæ læſio adcuſatur, ſi pus cum vrina excernitur. Inter ea tamen multi probati auctores ex hoc fundamento diuretica in empyemate præſcribunt.
11. *Aër* frigidus in hoc adfectu ſemper noxius eſt, ſiue per aſperam arteriam in pulmones, ſiue per apertum pectus, in eius cauitatem ingrediatur.
12. Fugienda quoque ſunt in diæta omnia calida & animi pathemata grauiora, quæ febrem, aliaque ſymptomata exacerbant,

## TABVLA XXXVII.

### DE

# MALO HYPOCHONDRIACO-HYSTERICO.

I. DEFINITIO.

Malum hypochondriaco hyſtericum eſt complexus moliminum ſpaſticorum circa venam portæ & viſcera huic adnexa, ad imminutionem ſanguinis *abundantis*, & reſolutionem *ſpiſſioris* collineantium : quo motuum concurſu tam poſitiuæ *actiones*, nimirum ſpaſticæ tractiones, preſſiones, congeſtiones, quam *paſſiones* oppletoriæ, inflatoriæ, diſtenſoriæ, reſtagnatoriæ obſeruantur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quod malum hypochondriacum cum *ſcorbuto* non ſit confundendum, tabula de *ſcorbuto* monuimus.
2. *Malum hypochondriacum a paſſione hyſterica* non differre, ab aucto-

auctoribus, quorum primus fuit *Highmorus*, ſatis iam confirmatum eſt.

Conueniunt enim

1) ratione *locorum*, quæ adficiuntur. Sunt hæc hypochondria, præcordia, inteſtina, meditullium meſenterii, & reliqua viſcera cum vena portæ connexa. Immo non raro partes remotæ pectoris & capitis.

2) ratione *cauſſarum* generaliorum: vbique enim plethora & ſpiſſitudo ſanguinis peccant.

Differunt autem quodam modo

1) ratione *graduum*: Sicut enim feminæ a morbis frequentius & grauius exercentur, quam viri, ſic etiam malum hyſtericum illas acerbius adfligit, quam viros malum hypochondriacum.

2) ratione cauſſarum & intentionum *ſpecialiorum*: in feminis enim ad negotium menſium, in viris autem ad hæmorrhoides reſpicitur.

3. Ceterum ipſum malum hyſtericum, ſecundum quorumdam auctorum diſtinctionem eſt

1) vel *late* ſumtum, quod vniuerſum adparatum motuum in hoc morbo occurrentium complectitur.

2) Vel *ſtricte* dictum, quo *exacerbationem* huius mali deſignant.

III. *SIGNA.*

1. *Mali hypochondriaci.*

1) Dolores tendentes, prementes, anguſtantes, angentes ſub coſtis, maxime in latere ſiniſtro.

2) Qui interdum exacerbantur, vt pungentes, ardentes, & interlancinantes euadant.

3) Familiare ſymptoma eſt *inflatio* ſiniſtri hypochondrii; quæ interdum ſtataria fit, vt figuram oblongam & faſtigiatam, *cotis* inſtar exhibeat: hunc adfectum *Hippocrates magnorum lienum* nomine indicaſſe videtur.

4) Si in *dextro* hypochondrio hæc pathemata magis ſentiuntur, accedunt ſæpe adfectus colici, ardores volatici, præcipue in capite, cum fugitiuo faciei rubore.

5) Moleſtiæ circa *ſcrobiculum* cordis cardialgicæ.

6) Ali-

6) Aliquando enim *ieiuno* ventriculo, præſertim in edacioribus, aliquando *ſub paſtu*, vt repentina ſatietas oriatur, aliquando vna vel altera hora *poſt cibum* anguſtia occurrit.

7) *Adpetitus* de cetero ſatis bonus, immo auidus, nonnumquam autem vagus eſt: frigida magis quam calida deſiderant, & parcius bibunt.

8) *Ructibus* expoſiti ſunt anxiis, in primis ſub paſtu, aut ſero poſt eumdem; multo frequentius autem *flatibus* ſtricte dictis.

9) Ante autem, quam ructus erumpunt, infeſtant plerumque præcordia anguſtando, tendendo, premendo, murmurando; poſt eruptionem autem multo melius ſe habent.

10) *Palpitatio cordis* eſſentiale hic eſt ſymptoma, & in nonnullis, præcipue feminis, tam euidente gradu excedit, vt motus hic tremulus in circumſtantium oculos incurrat. *Conf. tab. de palpitatione cordis.*

11) *Adſtrictio alui* huic adfectui familiariſſima, & ita ſæpe pertinax eſt, vt purgantibus ſtimulantibus non obediat. Aluus autem laxa hypochondriacis non eſt propria, exceptis illis, qui, cibis durioribus antea adſueti, iam molliores elegerunt, a quibus inteſtinorum laxitatem experiuntur, & ſenſim ad hypochondriacum malum accedunt.

12) Hypochondriaci ſunt *ſputatores*, alii magis ieiuno, alii repleto ventriculo.

13) *Nares* fere habent ſicciores.

14) Satis profunde dormiunt, & ſi quid a ſomno illis detrahitur, ſtatim incommode habent.

15) *Vrina* in malo exacerbato eſt limpida, ob maiorem in illa regione ſtricturam; miteſcente vero impetu nihil peculiare offert; cryſtalli enim tartareæ, quæ lateribus vaſorum adfiguntur, in ſtatu etiam ſano non raro obſeruantur.

16) *Dolores capitis* ſi concurrunt, ſunt illi prementes, tenden-

dentes, contuſorii, grauantes & vertiginoſi, rarius pungentes & lancinantes.

17) Exacerbatio horum pathematum non raro ad *animi* vsque perturbationes progreditur: ſunt enim ægroti anxii, ſolliciti, mœſti, ſuſpicaces, ſolitudinis amantes, ſuſpirioſi, immo nonnumquam ipſa melancholia hypochondriaca accedit.

2. *Paſſionis hyſtericæ.*

1) Hic eadem quidem pathemata, modo recenſita, ſed *acerbiora* obſeruantur, occurrunt enim

2) Circa *præcordia* vehementiſſimæ anxietates, oppreſſiones, ſuffocationes, conatus vomendi pertinaces, cum perpetua fere inadpetentia, immo nauſea, aut adpetitu vago, frequenter abſurdo.

3) *Medio ventre* contingunt repentinæ & violentæ compreſſiones, quaſi duabus manibus illa regio corripiatur; vbi præcipue *vmbilici* profunda retractio obſervanda venit.

4) In *inteſtinis* flatulentia vel ſtataria vel oberrans ſentitur, es wälzet ſich wie eine Kugel im Leibe herum.

5) In pectore inſignis difficultas reſpirationis contingit cum vehementibus ſæpe cordis palpitationibus.

6) Nonnumquam ſpaſticæ motus tonici exacerbationes in conuulſiones, quas vulgo *epilepſiam vterinam* vocant, excurrunt.

7) In *faucibus* vitia deglutiendi, & tam vehementem ſenſum non raro percipiunt, ac ſi nucleus, vel res dura œſophago incluſa eſſet; ac tum quidem præcedunt plurimum pandiculationes, oſcitationes & reſpirationis temporaria interceptio, aut ſtrangulatio ac ſi laqueus collo iniectus eſſet, quem ſenſum nonnumquam inſignis ſuffocatio excipit, ita vt per longum aliquando tempus ſine pulſu & reſpiratione inſtar mortuarum iaceant.

8) In *capite* dolores adfligunt velut immanes, magis tamen hemicranici, quam vniuerſum caput occupantes. *conf. tab. de clauo hyſterico, ſub ſignis.*

9) In

9) In emiſſione *vrinæ* exquiſitiſſimi dolores ſub exacerbatione huius mali interdum ſe ſe manifeſtant, & adnotante *Sydenhamo calculum mentiuntur*; quod ſymptoma multis medicis imponit, vt verum ſubeſſe adfectum calculoſum iudicent.

10) *Mentis* adfectiones *grauiores*, quam in viris, obſeruantur.

IV. *SVBIECTA*.

Huic malo quam maxime expoſiti ſunt homines

1. Vix vmquam alii, quam inſigniter plethorici.
2. Vitæ ſedentariæ & otioſæ addicti; atque huc ante omnia litterati referendi ſunt.
3. Qui adpetitui largiter indulgent, ſicciores dapes eligunt, & parum bibere ſolent.
4. Temperamentum melancholicum, ob craſin ſanguinis ſpiſſiorem, præcipue hoc malum incurrit.
5. Sanguineum autem temperamentum quando illi obnoxium fit, ratio in vitio diætæ & abuſu rerum non-naturalium quærenda eſt.
6. Ludit hic adfectus tragœdiam ſuam in terminis *iuuentutis* ab anno circiter XVIII. ad XXX.
7. *Ætas* autem *puerilis* quam minime ab hoc malo corripitur.
8. Nec etiam adeo frequenter ætas *annoſior* ſexus *virilis*, niſi vel continuationem priſtini mali vel palindromen ſentiant, vel lautiori admodum diætæ & vitæ otioſæ dediti, vel ſuppreſſionem hæmorrhoidum experti ſint.
9. In feminis autem hoc malum magis occurrit ætate iuuenili *prouectiore*, nempe ab anno circiter XXX ad XL & L. Immo ceſſatio menſium proprium quaſi tempus eſt, quo ſexus hic potiſſimum huic adfectui exponitur.
10. Familiarius etiam malum hypochondriacum in ſexu hoc ſequiore, quam in virili obſeruatur: quam primum enim vitia vterina, e. g. menſium, lochiorum, molarum incurrunt, ſtatim ab hoc malo infeſtantur.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis antecedens* eſt plethora cum ſpiſſitudine coniuncta.
2. Cauſſa *proxima* eſt impeditus ſanguinis progreſſus circa venam portæ & viſcera illi adnexa.
3. Cauſſa *efficiens* horum motuum eſt ipſa natura, quæ hic plethoram imminuere, & impeditum ſanguinis progreſſum ſubleuare adlaborat.
4. Cauſſæ in hunc finem *inſtrumentales* ſunt motus illi ſpaſtici, tenſorii & preſſorii; immo ipſa adeo profunda ſuſpiria hypochondriacorum eo collineant.
5. Cauſſæ *occaſionales, procatarctica* & *aduentitia* permultæ ſunt:
   1) Suppreſſæ euacuationes ſanguinis, præcipue menſium & hæmorrhoidum.
   2) Diæta plena & lauta; potus autem parcus.
   3) Vitæ genus ſedentarium.
   4) Abdominis inconueniens compreſſio.
   5) Excretionum quarumlibet, præcipue alui, ſuppreſſio.
   6) Conſuetudo horum motuum & hæreditaria diſpoſitio.
   7) Flatulenta inteſtinorum atonia.
   8) Animi pathemata, e. g ira, terror, deſideria veneris &c.
   9) Speciatim vero nauſea & ſenſibilitas; quo pertinet odor moſchi, ambræ, zibethi, roſarum &c.
   10) Peculiaris ſtructura venæ portæ omni iure ad numerum cauſſarum refertur, quæ præ omnibus aliis in corpore humano partibus apta eſt, ad hoc malum fouendum.
   11) *Diſtenſio* vaſorum oppletorum tamquam cauſſa *coniuncta, prouocans* & *acerbans* conſideranda eſt.
6. Exſulent itaque cauſſæ *pure paſſiuæ obſtructionum, venenoſi halitus ſanguinis menſtrui retenti, ſalium ſtimulantium &c.* vnica enim animi commotio plus hic valet, quam *ſexcenti Hippocratis ſapores.*
7. Exſulent etiam craſſæ illæ vulgi opiniones de *vteri locali translatione, adſcenſione, volutatione.*

VI. *PRO-*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Malum hypochondriacum *ſibi relictum*, nec præpoſteris medicationibus tractatum, plus incommodi quam periculi portendit.
2. Quando autem quocumque modo turbatur, grauiora mala inducuntur:
   1) Scirrhoſæ indurationes.
   2) Tumores vel œdematoſi, vel rubro-liuidi in pedibus.
   3) Melancholia hypochondriaca, timida, taciturna, ſpeculabunda, anxia, deſperabunda.
   4) Vomitus cruentus, mictus cruentus, nephritis.
   5) Febres intermittentes, lentæ, hecticæ, vel acutæ inflammatoriæ.
   6) Vniuerſa ſcena adfectuum arthriticorum.
   7) Icterus ſimplex in iunioribus, niger in annoſis.
   8) Catarrhus ſuffocatiuus.
   9) Vertigo, paralyſis, apoplexia.
3. Quo magis motus circa præcordia & lienem vrgent, eo magis ad vomitum cruentum reſpiciunt; qui tamen in viris non ita facile, quam in feminis metuendus eſt.
4. Vbi vero motus ad inferiora tendunt, ibi fluxus hæmorrhoidalis prouocationem reſpiciunt.
5. Hæmorrhoides quando proueniunt, & legitime continuant, malum hypochondriacum ſoluunt.
6. Quando autem per illarum ſuppreſſionem hoc malum inductum eſt: contumaciſſime ſe gerit.
7. Malum hoc ſicut annoſos rarius infeſtat, quam iuniores, ita grauius illos adfligit, & ægrius in iisdem profligatur.
8. Iuniores autem ſucceſſu annorum ſponte ſæpius ab his pathematibus liberantur, ſi vitæ genus mediocriter tantum mutetur.
9. Sicut hæmorrhoidum fluxus hypochondriacos inſigniter ſubleuat, ita menſium fluxus ordinatus ad hyſtericum malum imminuendum, multum contribuit.
10. Quo magis in ſequiori ſexu circa lienis confinia pathemata vrgent, eo maior de vomitus cruenti eruptione ſuſpicio habenda eſt.

11. Quando vero in inferioribus abdominis partibus incommoda magis ſentiuntur, negotium pro ſexus diuerſitate vel ad hæmorrhoidum vel ad menſium promotionem tendit.

12. Vomitus *vacuus* maiorem metum eruptionis ſanguinis incutit, quam *repletus*.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

1. *Quantitas* ſanguinis eſt imminuenda

1) per *venæ ſectionem*, ſed non aliam quam in *pede*, circa æquinoctia, & quidem luna decreſcente, quo tempore natura ad dimittendos humores magis inclinat: magna inciſione, vt ſpiſſior ſanguis breui tempore ſatis & libere effluere poſſit.

2) per *hirudines* ad hæmorrhoidalia loca adplicatas. *Vid. diſſertat. Stahlii de ſanguiſugarum vtilitate, & tab chirurg. de hirudinum adplicatione.*

3) per reuocationem menſium ſuppreſſorum. *Conf. tab. de ſuppreſſione menſium.*

2. *Craſis* ſpiſſior eſt corrigenda & attenuanda

1) per conuenientem potiſſimum *diætam*, nempe per duo illa adminicula, ſatis efficacia, *motum* & *potum*. Potus diluit, & motus ſubagitat diluens cum diluendo.

2) Per medicamenta ſanguinem incidentia & attenuantia, quæ autem ad efficaciam commendatæ iam diætæ non accedunt. Laudantur in hunc finem

a) *Radices*: ari, vincetoxici, helen. pimpin. alb. cichor. tarax. caryophyllat. rub. tinctor. dictamn. &c.

b) *Herbæ*: ſcord. fumar. ſcolopendr. capill. vener. cent. min. card bened. cuſcut. epithym.

c) *Salia digeſtiua*: tartarus vitriolatus, tartar. tartariſat. arcan. duplicat. nitr. antimoniat. liquor terræ foliat. tartari, ſal tartari.

d) *Gummi-reſinæ*: ammoniac. galban. ſagapen. item gum. heder. iuniper.

e) *Antiſcorbutica* quantum hic valeant, illuceſcet ex num. 23 *cautelar*.

f) *La-*

f) *Laxantia* cum reſoluentibus dictis coniuncta, e. g. hellebor. nigr. polypod. rhabarbar. fol. ſennæ &c.

g) *Compoſita*: ex his vſum habere poſſunt pilul. *Beckeri*, *Stahlii*, ſal Anglicanum, tinct. ſalis tart. antimon. eſſent. alexipharm.

3. *Commotiones* ſpaſticæ exacerbatæ ſunt mitigandæ. Præſtant hoc

1) Nitroſa cum ſale quodam digeſtiuo, & cinnabari ſociata, quibus etiam abſorbens aliquod exigua doſi addendum eſt.

2) Vbi valde anomalæ commotiones circa venam portæ occurrunt, ibi conducunt

a) Decoct. *millefol.* vel eius eſſentia cum ſpiritu C. C. moderate interdum maritanda.

b) Vel eſſent. *adianthi albi*, quæ herba eumdem effectum ac millefolium in turbis circa venam portæ habere dicitur.

c) *Cortex caſcarillæ* eximium etiam præſtat vſum, ad commotiones tales impetuoſas mitigandas.

4. *Excretiones* ordinariæ ſunt promouendæ.

1) *Aluum* adſtrictam ſoluunt

a) *Diluentia*: e. g. potus calidus coffée, qui plus valet aluo expediendæ, quam thée, hic enim valde ſaturatus ſubadſtringit.

b) Solutio *nitri* per potum ordinarium.

c) *Rhabarbarina* cum ſpeciebus reſoluentibus & forma infuſi vſurpata.

d) *Extracta* reſoluentia & abſtergentia cum gummatibus & moderatiſſime aloeticis coniuncta.

e) *Clyſteres* emollientes eximiam hic ſemper habent vtilitatem.

2) *Transpirationem* naturalem & lenem *diureſin* promouet eſſent. alexipharm. *Stahlii*, ſub placido corporis motu vſurpata.

5. Tonus partium nimis diſtentarum eſt roborandus. Faciunt hoc

1) *Martialia*, legitimo tempore adhibenda e. gr. crocus

 mar-

martis antimoniat. aperitiuus *Stahlii*, tinctur. martis aperitiu. *Ludouici*, & eiusdem crocus martis ſulphuratus, &c.

2) *Salia volatilia* cum tincturis alcalicis mixta, e. gr. tinctura tonico-neruina *Stahlii*.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. *In paroxyſmo.*

1) Ante omnia *aluus* aperiatur, & ſemper aperta ſeruetur, per clyſteres emollientes, & ſpaſticos rigores demulcentes; eius modi ſunt bene pingues, ex oleo amygdal. dulc. oliuar. recent. chamomill. aneth. ſeſam. parati.

2) Deinde temperantia nitroſa, & incidentia ſalina cum cinnabarinis exhibeantur, & ter per diem repetantur. e. gr. nitrum depurat. nitrum antimoniat. cinnabar. antimon. ocul. canc. cum acido tartari ſaturat.

3) Impetus ſi hiſce cedere recuſat, eſſentia vel decoctum millefolii parce & moderate propinetur, vel alia ſuperius adlegata adhibeantur.

2. *Extra paroxyſmum.*

1) Remittente impetu ſanguis imminuatur per venæ ſectionem, circa æquinoctia repetendam.

2) Et tum ad ſanguinem diluendum & attenuandum, ſuperius commendata remedia, præcipue diætetica, adplicentur.

3) Menſium etiam & hæmorrhoidum ratio habeatur, per methodum ſuo loco commendatam.

4) Denique ad tonum reſtituendum martialia, vel volatilia ſalia cum alcalicis tincturis mixta, propinentur, vel crocus martis antimoniat. cum MP. *Stahlii* ſociatus.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Si vmquam, certe in decantato hoc adfectu, cautelis opus eſt; vbi multæ quidem prædicationes variorum remediorum, ſed exigua auxilia reperiuntur.

2. Sufficiens labor & humectatio corporis plus valent, quam vni-

vniuerſus medicationis adparatus, optima licet methodo inſtitutus.

3. Quam diu ſanguis abundat, omnia reſoluentia, & tonum roborantia, ſunt fruſtranea.

4. Si tentamen medendi inſuper *impetuoſe* in talibus circumſtantiis inſtituitur, facile hæmoptyſis, aſthma conuulſiuum, catarrhus ſuffocatiuus, adfectus-arthritico rheumatici, ſiue vagi, ſiue fixi, inducuntur.

5. Item repentinæ anxietates præcordiorum, infarctus viſcerum, vel febres inflammatoriæ. *Vid. prognoſis.*

6. Non imminuta ſanguinis quantitate *ſymptomata* ſtatim adgredi multo adhuc periculoſius eſt tentamen.

7. *Vena ſectio* curatiue, aut in brachio, inſtituta, magis nocet quam prodeſt: facile enim pathemata ad ſuperiores partes prouocat, & contumaciora reddit; iuſto autem tempore & loco adminiſtrata durabilem ſæpe ſubleuationem adfert, & reliquæ medicationi viam ſternit. Si preſſiones magis *in dextro* latere ſentiuntur, & nullum vitium in pectore vel diſpoſitio vertiginoſa ſubeſt, tum in brachio etiam locum habet.

8. *Scarificatio* vix talem effectum infert, qualis huic malo conducit.

9. *Hirudines* nec opportuno tempore nec iuſto ordine adplicatæ, maioribus anomaliis anſam præbent; dextre autem adhibitæ ad molimina hæmorrhoidalia mitiganda, & motus congeſtorios a ſuperioribus viſceribus reuocandos, vſum habent eximium, tanto magis, ſi venæ ſectio præmiſſa eſt. *Vid. tab. de ſuppreſſione hæmorrhoidum.*

10. *Emetica* hypochondriaco-hyſtericis, iuxta hodiernos mores, præſcribere, infelix eſt tentamen: pathemata exacerbantur, in habitum obfirmantur & facile vomitus cruentus, præcipue in feminis, metuendus eſt.

11. Vbi autem malum adhuc recens, & conſpicuum diætæ vitium ſubeſt, ſubiectum inſuper euemetum & robuſtum, ibi *moderatum emeticum* conceditur.

12. *Purgantia fortiora*, frequentius adhibita, hypochondriacis etiam non conueniunt: motus ſpaſticos magis augent

&

& ſanguinem adhuc ſpiſſiorem reddunt: vnde a frequentibus purgantibus malum hypochondriacum nonnumquam inducitur.

13. Accuſata enim *ſaburra* in primis viis hypochondriacorum, ad quam eliminandam vomitoria & purgantia primario præſcribuntur, plurimum nulla eſt.

14. Fruſtraneus etiam eſt metus, quaſi *acida pungentia*, malum hypochondriacum fouentia, in primis viis generarentur; quæ proinde expurganda eſſent.

15. De *polypodio* in ſpecie adhuc dubitandum, num hoc loco tantos effectus præſtet, quanti per meram ſæpe credulitatem de illo prædicantur.

16. *Mercurialia* non poſſunt admitti, nedum deteſtanda hic *ſaliuatio*; quæ contracturas, paralyſes, apoplexiam, aſthmata conuulſiua, immo mortem inducere valet.

17. *Diaphoretica* calida etiam nocent, ſanguinem enim vel in orgasmum deducunt, vel humiditatem ei ſubtrahunt: abſint itaque alexipharmaca calida, carminatiua, olea deſtillata, myrrhata, camphorata, ſalia oleoſa & omnia ſulphurea acria, quæ infarctibus & phlogoſibus occaſionem præbent.

18. Methodus, quæ per *alterantia*, edulcorantia, acrimoniam corrigentia, ſalibus ſuſpectis ſubuenire docet, ſalutaris non deprehenditur; inducit potius adfectus aſthmaticos, ſcirrhoſos, œdematoſos, ictericos, aſciticos, colicos, iliacos, podagricos, vertiginoſos, inflammatorios, paralyticos, apoplecticos.

19. Neniæ illæ, de efficacia *martialium abſorbente*, *fundente* & *colliquante*, experientiæ practicæ non reſpondent, neque etiam chymiæ experimentali; conſpicuus potius effectus adſtringens, ſolo gradu differens, in omnibus *martialibus* deprehenditur.

20. Hinc *martialia*, in *vigore* paroxyſmi vſurpata, maiores anxietates, infarctus viſcerum & adſtrictiones alui inferunt; *remittente* autem impetu & præmiſſa venæ ſectione adhibita & continuata, leni adſtrictione venarum diſtentarum iuſtum tonum reſtituunt; & hoc tanto efficacius, ſi cum

ſi cum eſſentia millefolii miſcentur. Cæterum a crudo marte abſtrahendum eſt.

21. *Salia volatilia* mirifice quidem hodie extolluntur, & virtus illorum reſoluens & attenuans ad nauſeam prædicatur, ſed pauca grana, quæ pro doſi adhibentur, ſatis demonſtrant, quod non in *humores*, ſed in *vias* agant, iisque ſtimulum ad conſtrictionem organorum incutiant; quæ ſtrictura, quando ſanguis minus mobilis, & viæ nimium repletæ ſunt, male cedit. Hinc intempeſtiuus & liberalis illorum vſus cum martialibus eadem damna inducit.

22. Neque *abſorbentia* ad ſummam medelæ peculiare quid conferunt, licet id vulgo credatur; largius enim & frequentius vſurpata, humores magis inſpiſſant, & tenaciores reddunt, in primis etiam viis turbas & moleſtias procreant.

23. *Antiſcorbutica*, plenis buccis commendata, fundamentum huius mali non attingunt, *acriora* potius illud exaſperant; præmiſſa tamen venæ ſectione, *temperata* cum reliquis incidentibus, ſuperius commendatis, poſſunt coniungi.

24. Idem de *antiuenereis* ſentiendum eſt.

25. Vſus *acidularum* aſylum hypochondriacorum vulgo reputatur, ſed propter exiguum re vera effectum, & propter iacturam temporis ac ſumtuum cenſemus, quod *remedium grauius ſit morbo ipſo*. Præter ea, vbi ſufficiens motus, ſiue per virium defectum, ſiue per ſumtuum ad vecturam deſtitutionem, obtineri non poteſt, ab vſu illarum prorſus abſtinendum eſt. *Conf. diſſert. Stahlii de fontium ſalutarium vſu & abuſu.*

26. *Nitrum*, in adfectibus hypochondriacis prudenter adhibitum, egregium præſtat effectum: ſpaſticam enim partium fibroſarum ſtricturam relaxat, & qualemcumque ardoris ſenſum in viſceribus obtundit.

27. *Nitrum* cum ſale digeſtiuo & pauca abſorbentis cuiusdam quantitate miſtum, flatulentiam hypochondriacam, poſt

Uu cibos

cibos præcipue emergentem, promptius ſubigit, quam vllum aliud medicamentum.

28. *Aloëticorum* vſus in malo hypochondriaco cautiſſimus & parciſſimus eſſe debet: quando enim hic adfectus eo iam peruenit, vt euacuationes reſpiciat, tum incongruens illorum vſus grauiſſimas exacerbationes inducit, quia aloë ſanguinem quidem commouet, ſed non ad exitum perducit.

29. Vſus *clyſterum* emollientium, vti huic malo efficaciter occurrit, ita in *feminis* præcipue laudatur. Parantur ex herbis emollientibus, lubricantibus, mucilaginoſis, oleoſis & temperatiſſimis carminatiuis.

30. *Veronica* cocta, &, adiecto oleo ac ſale, in clyſtere adhibita, ad hypochondriaco hyſtericos lumbares & iſchiadicos ſpasmos, egregium præſtat effectum.

31. *Laxantia*, licet mitiſſima ſint, ad commodum tamen clyſterum vſum non accedunt: ipſa *rhabarbarina* relinquunt aliquam adſtrictionem, & hinc ſui repetitionem efflagitant.

32. *Manna* & folia *ſennæ* flatulentiam excitant & naturam ſenſim in conſuetudinem deducunt, vt nihil deponat, niſi adhibitis hiſce ſtimulis: vſus itaque eorum ſit moderatus.

33. *Pruna Damaſcena* ad expediendam aluum vtiliter adhibentur in iis, qui a dulcibus alias non læduntur; modo non ſtatim bibatur cereuiſia fermenteſcens, ſed hauſtus vini, vel alius conueniens ſpirituoſus.

34. Exſulent in hyſtericis tot decantata *vterina*, e. gr. elixiria, eſſentiæ, tincturæ, aquæ deſtillatæ aromaticæ, die hitzige Mutter-Waſſer.

35. Speciatim reiicitur *caſtoreum*, licet tot laudibus exaltatum; internus enim illius vſus ad pauca quidem momenta leuamen adfert, deinde autem grauiora incommoda inducit, præcipue vero caput obnubilat, & anguſtias præcordiorum auget. Ante omnia ab illo abſtinendum eſt, quando pathemata hypochondriaco - hyſterica nauſeabunda & vomibunda occurrunt.

36. *Mil-*

36. *Milleſolii* vſus debet eſſe prouidus, præcipue in viris; in feminis maiori ſecuritate adhibetur; vbi eſſentia, cum croco mixta, impetum commotionum & anxia molimina, ad menſes tendentia, egregie mitigat. In viris quando adhibetur, eſſent. millefol. p. I. cum eſſent. pimpinell. alb. p. III. & ſpirit. ſalis ammoniac. p. ſemis miſceatur.

37. Vſus *marinorum animalium*, e. g. dent. hypopot. lap. manat. priap. cet. prorſus improbatur: licet enim motus per illa in præſens ſupprimantur, in futurum tamen vel maiore impetu reuertuntur, vel infarctus & ſcirrhi viſcerum, aut plane hydrops ſuccedunt.

38. Quid de *cucuphis*, quæ in capitis doloribus hyſtericarum adhibentur, cenſendum ſit, tabula de *cephalalgia*, & altera de *clauo hyſterico* indicauimus.

39. Quibus locis etiam cautelæ de *duplicis generis odoramentis*, in ſuffocatione hyſterica admodum vſitatis, adiectæ ſunt.

40. Occurrunt nonnumquam hyſtericæ, quæ nullum plane odorem ſub tali conſtitutione perſentiſcunt: in his præſtat ab odoramentis plane abſtinere, quam grauius damnum inferre.

41. *Camphoræ* vſus in capitis doloribus hyſtericarum citatis locis euoluatur, vbi ſimul conſilium datur, qua ratione etiam in illis feminis vtiliter adhiberi poſſit, quæ alias illius odorem faſtidiunt.

42. Vſus *carnis lupinæ*, de collo ſuſpenſæ, in malo præcipue feminarum, loco ſecreti a quibusdam habetur; id quod experientiæ relinquendum eſt.

43. *Narcotica* ſedant quidem promtius exacerbationes hypochondriaco-hyſtericas, ſed vehementius illæ recrudeſcunt; & deinde etiam hæc remedia a natura adſpernantur.

44. Denique *diæta*, non quidem ſcrupuloſa, conueniens tamen commendatur; cauendo a cibis acidis, craſſioribus, frixatis, placentis butyraceis. Qui ſegnitie alui laborant,

certo tempore huic negotio indulgeant, & paullo ante cibum exiguum panem largo butyro illitum præmittant.

# TABVLA XXXVIII.
## DE
# INFARCTV LIENIS.

I. DEFINITIO.

*Infarctus* lienis eſt inflatio viſceris huius laxi & celluloſi, a reſtrictione ſanguinis verſus ramum ſplenicum orta, & eruptionem per vaſa breuia reſpiciens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Infarctus lienis a recentioribus pathologicis *obſtructionis* nomine venit; ſed hæc, vi vocis, plenariam ſanguinis interceptionem deſignat, & multas confuſiones inducit; de qua materia legi meretur *diſſertat. Stahlii de obſtructione vaſorum ſanguiferorum.*
2. Infarctus lienis quidem non differt a *malo hypochondriaco*, ſpecialem autem ſanguinis directionem & determinationem verſus viſcus lienis inuoluit.
3. Non confundendus eſt lienis infarctus cum *doloribus nephriticis*, verſus ſiniſtrum latus ſeſe extendentibus, & *profundius* adfligentibus. *Conf. ſigna nephritidis,*

III. *SIGNA.*

1. Inflatio in latere ſiniſtro ſub coſtis ſpuriis.
2. Cum doloribus prementibus & tendentibus, raro autem interlancinantibus.
3. Durant hæc incommoda per vnum vel alterum diem, & dehinc remittunt.
4. Sub adflictione laborant difficultate reſpirationis.

5. An-

5. Anxietate etiam præcordiorum & animi mœrore adficiuntur.
6. Concurrit tuſſis ſicca periodica.
7. Ingens diminutio virium, torpor ad actiones & moroſitas.
8. Adpetitus plurimum languet.
9. Manifeſtat ſeſe ventriculi inflatio, quæ a ructibus magis, quam a flatibus ſtricte ſic dictis tollitur.
10. Palpitatio cordis, & ſæpius etiam motus palpitatorius in ipſo liene obſeruari ſolet.

IV. *SVBIECTA.*

Huic adfectui ſæpius obnoxii ſunt homines

1. Mediæ & conſiſtentis ætatis, ſexus feminini præ virili.
2. Temperamenti præcipue melancholici, vel ſanguineo-melancholici.
3. Qui pathemata generaliora hypochondriaca, præcipue autem ſuppreſſiones hæmorrhagiarum diu perpeſſi, & ſub his incongruenter, in primis adſtringentibus tractati ſunt.
4. Qui vitæ ſedentariæ, ſpeculabundæ, variis curis & ſollicitudinibus obnoxii exſiſtunt.
5. Verbo: omnia fere illa ſubiecta, quæ præcedente tabula deſcripta ſunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt plethora cum ſpiſſitudine coniuncta.
2. Cauſſa continens & proxima eſt infarctus & reſtrictio ſanguinis verſus ramum ſplenicum; ſub quo impedito & perplexo negotio natura eruptionem ſtagnantis ſanguinis per vaſa breuia reſpicit.
3. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* ſunt:
   1) otioſum vitæ genus.
   2) Cibi craſſiores & parcior potus.
   3) Neglectio adſuetarum euacuationum ſanguinis.
   4) Inepta medicatio in febribus *intermittentibus* per adſtringentia, & in *acutis* per refrigerantia.
   5) Neglectio alui expediendæ.
   6) Refrigerationes partium corporis extremarum.
   7) Diſpoſitio hæreditaria & animi pathemata.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Infarctus lienis non eſt præſentis periculi, & quo recentior eſt, eo facilius adhuc cedit congruæ medicationi.
2. Quando ſibi relinquitur per aliquot annos ſine vitæ iactura durare poteſt.
3. Progrediente autem tempore, & accedente in primis medicatione improuida, facile in febrem quartanam transmigrat.
4. Vel in ſcirrhum abit, quem tamen per plures etiam annos geſtare poſſunt lienoſi. *Conf. tab. ſequens de ſcirrho lienis.*
5. Tandem febres lentæ, hecticodes.
6. Vel œdematoſi, cachectici, aſcitici adfectus hanc ſcenam claudunt.
7. In feminis vomitus cruentus, in viris autem hæmorrhoides hoc malum nonnumquam ſoluere ſolent.
8. Nonnumquam ſtaſis inflammatoria ſuppuraſcens, ſed rariſſime, exoritur, & materia purulenta coloris teterrimi, per vomitum vel aluum reiicitur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

1. *Quantitas* ſanguinis eſt imminuenda; id quod obtinetur
   1) per venæ ſectionem in dextro pede circa æquinoctia inſtituendam & numquam omittendam.
   2) per reuocationem hæmorrhagiarum ſuppreſſarum.
   3) per hirudines in negotio hæmorrhoidali.
2. *Qualitas* ſanguinis ſpiſſior eſt corrigenda. In hunc finem commendantur
   1) *Radices*: cichorii, tarax. helen. vincetox. pimpinell. alb. ari, bardan. apii, petroſelini, graminis.
   2) *Herbæ*: abſinth. card. bened. centaur. min. fumar. hyſſop.
   3) *Antiſcorbutica temperata*: naſturt. beccabung. cochlear. acetoſell.
   4) *Salia enixa*: tartar. vitriolat. arcan. duplicat. nitrum antimoniat. in primis tartarus tartariſat.

5) *Gum-*

5) *Gummi-reſinæ*: ammoniac. ſagapen. ſarcocoll. galban. bdell. myrrh. ſuccin.

6) *Diluentia* per ſufficientem potum cum labore corporis coniunctum.

7) *Laxantia* cum reſoluentibus modo commendatis, nupta e. g. hellebor. nigr. ſenn. rhabarbar.

8) *Compoſita*: pilul. *Becherianæ*, *Stahlianæ*, tartareæ *Bontii*, extract panchymagog. *Crollii*, magnes. alb. ſal. Anglican. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, eſſent. abſinthii compoſita.

9) *Externa reſoluentia & roborantia*: emplaſtr. de ammoniac. ſaponat. *Barbette*, diaphoret. *Mynſichti*, de ſpermat. ceti, de cicuta. Item *emollientia*: emplaſtr. diachylon, de meliloto, *linimenta* ex vnguent. de althæa, ol. cappar. chamomill. irin. camphor. alternatim regioni lienis adplicata.

3. *Motus* tonicus in liene relaxatus eſt roborandus, ad congeſtoriam ſanguinis reſtagnationem diſcutiendam, & nouum infarctum præoccupandum. Huic indicationi ſatis faciunt

1) *Martialia teneriora*: croc. martis antimoniat. *Stahlii*, eſſent. vitrioli martis *Zvvelferi*, vel *Ludouici*.

2) *Salia volatilia* cum tincturis alcalinis maritata, e. gr. MR. tonico neruina *Stahlii*.

3) *Specifica antiſplenetica*, qualia creduntur eſſe

a) Rad. rub. tinctor. caryophyll. capparum.

b) Herb. cuſcut. epith. ſcolopend. ceterach. millefol. adianth. nigr. præcipue vero *alb*.

c) Cortex & lignum fraxini, circa ſolſtitia cæſum, item cort. & lign. tamariſci.

B. *Methodus ſpecialis*.

1. Ante omnia *aluus* aperiatur, & aperta ſeruetur, ſiue

1) per *clyſteres* neruino-carminatiuos, reuulſioni & roborationi diſcuſſoriæ aptos, e. g.

a) *Radices*: maluæ, althææ.

b) *Flores*: chamomill. verbaſc. melilot. ſtœchad. citrin. ſummit. origani.

c) *Se-*

c) *ſemina*: aniſi, fœnicul. fœnugræci; ſiue
2) per blandiora *laxantia*, e. g.
a) Infuſa helleborina.
b) Pilul. *Becheri, Stahlii.*
2. His laxantibus ſubiungantur reſoluentia, diluentia, & ſanguinem ſpiſſum attenuantia, ſuperius commendata.
3. Et quando ſymptomata febrilia vrgent, pulueres nitroſo-temperantes ſimul adhibeantur. *Vid. cautel.*
4. Poſt paroxysmum obſeruetur iuſtum tempus *venæ ſectionis* circa æquinoctia repetendæ; coniunctis iterum reſoluentibus & leniter laxantibus.
5. Menſium vel hæmorrhoidum ſpecialis ratio habeatur.
6. Denique tonica martialia legitime propinentur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Obſeruationes, quas præcedente tabula de malo hypochondriaco commendauimus, etiam in hoc adfectu notandæ ſunt.
2. *Venæſectio* præſente paroxysmo non neceſſaria eſt, quia per aliquot tantum dies impetus durat, & medicatione commendata profligari poteſt. Ad præcautionem itaque inſtituatur.
3. Febrium intermittentium incongruens tractatio, quando huic adfectui anſam dedit, & ſuppreſſæ febres ſub vſu medicamentorum reuocantur, tum methodus iis conueniens adhibenda, & eo facilior huius mali eradicatio ſperanda eſt.
4. *Martialia* prius non concedantur, quam ſufficiens obtenta eſt reſeratio; quæ ex vrina largiore & craſſa (non tamen aurantii coloris, hecticam indicantis) cognoſcenda eſt.
5. Quando autem *martialia* cum *aliis* coniuncta propinantur, tum methodus ſatis ſecura eſt, e. g. ſi mane reſoluentia, & veſperi *laxantia* leniora adhibentur, *martialia* verſus meridiem ſunt concedenda; quo caſu hæc MR. commendari poteſt.

Rec. tinct. aperitiu. *Ludouici* vnc. I.
eſſent. adianth. alb. vnc. ſemis.
M. doſ. XL. guttæ, verſus tempus prandii ſumendæ.

6. Si

6. Si vero hecticæ vera indicia iam adſunt, tum *martialia* locum non habent, ſed methodus tabula *de hectica* commendata.
7. Auctores obſeruarunt, quod lienis infarctus reſoluti indicium ſit, ſi ſuperueniat febris acuta, cum petechiis complicata, & excretio ſanguinis coagulati nigri & fœtentis per aluum.
8. Quid de radice *polypodii*, quæ in ſplenetico adfectu præ aliis effertur, ſentiendum ſit, præcedente tabula ſub *cautelis* indicatum eſt.
9. Alii laudant radicem *aſari*: quod experientiæ relinquitur.
10. *Opiata*, ad dolores placandos adhibita, infarctum augent, & aluum adſtringunt.
11. Quod lignum *fraxini* lienem conſumat, fabula eſt.
12. Neque reſoluentia *acriora*, e. g, rad. bryoniæ, teneris & ſanguineis improuide præſcribenda ſunt, quia metum exulcerationis inferunt.
13 *Lumbrici* terreſtres, reſoluente & diuretico effectu præditi, quid in hoc morbo præſtent, experientia quemuis docebit.
14. Semper iniungenda eſt ægris continuatio vſus remediorum ad minimum per aliquot hebdomades, præcipue, quando malum diu iam perſtitit & inualuit, alias irrita ſunt omnia, etiam ſi optima fuerint remedia; nullæ enim viſcerum obſtipationes præcipitem curationem admittunt. Abſit itaque omnis *heroica* medicatio, tum *euacuans*, tum *alterans*, effectus enim funeſtos accelerat.
15. *Nuda* vero *inflatio* lienis, quæ vel in feminis a menſium regeſtione, vel in febribus intermittentibus contingit, facilius & citius profligatur per methodum & remedia, ſuperius commendata.
16. Infarctus lienis quando in *vlcerationem* tranſit, (idquod reiectio purulentæ & fœtidæ materiæ per vomitum vel alvum manifeſtat,) tum conſolidatio promouenda eſt. In hunc finem laudantur
   1) Cortex *fraxini* in decocto vel cum melle exhibitus.
   2) Conſerua *roſarum*.

3) Terebinthina cocta, cum ouo ſorbili vel cereuiſia calida propinata.

4) Balſamum Peruuianum cum emulſione amygdalarum vſurpatum.

5) Interpoſitis pilulis laxantibus ex gummi ammoniaco, ſagapen. extract. panchymagog. *Crollii*, mercur. dulci, aloë &c.

17. *Succi* recenter expreſſi ex radicibus & herbis, ſub methodo generali commendatis, e. g. ex radice cichorii, taraxaci, herbis antiſcorbuticis, efficaciores deprehenduntur, quam ſi hæc remedia ſub alia forma exhibentur.

18. *Acidulæ* minorem adhuc locum hic habent, quam in malo hypochondriaco, in quo materia peccans ad ſpecialia loca nondum determinata eſt: augent enim obſtipationes, inducunt cachexiam, hydropem, vel hecticam, immo mortem maturius aduocant.

19. *Thermæ*, niſi venæ ſectio, leniora reſoluentia & euacuantia præmittuntur, faciliori lienis exulcerationi anſam præbent.

20. Diæta mollis, lubrica, potulenta medelam egregie promovet, ſed tanto efficacior eſt, quo magis corporis motus, primo placidus, & deinde ſubeſſlatorius coniungitur.

21. Cibi moderate aromatiſati & vinum bonum, modice ſumtum, vti ſalutaria ſunt remedia, ita immodicus eorum vſus quam maxime nocet

22. Præ cæteris laudantur cibi capparibus conditi; num vero potus ſpecialem efficaciam adquirat, quando ex *poculis ligni tamariſci* hauritur, experientiæ relinquendum eſt.

23. Animi pathemata, vti ad concitandum hunc adfectum præſentis ſunt efficaciæ, ita & mentis tranquillitas multum confert ad malum felicius profligandum.

24. Ceterum notari meretur, quod *Ettmullerus* hunc adfectum non lieni, ſed inteſtino *colo*, a flatibus vel induratis ſcybalis diſtento, adſcripſerit; quam autem opinionem tres præcipue circumſtantiæ refutant;

1) Infarctus lienis *periodice* recurrit.

2) Per aliquot dies *conſtanter* durat.

3) Cly-

3) Clyſteribus emollientibus confeſtim non cedit, quorum omnium in adfectibus flatulentis contrarium obſeruatur.

# TABVLA XXXIX.

## DE
# SCIRRHO LIENIS.

I. D*EFINITIO.*

Scirrhus lienis eſt tumor huius viſceris induratus a reſtagnatione humorum ſenſim ſpiſſeſcentium, &, exhalantibus tenuiſſimis portionibus, ſicceſcentium, originem ducens. Deriuatur a σκιῤῥόω, induro.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Scirrhi ſunt vel *ſeroſo gelatinoſæ*, vel *ſanguineæ* indolis.
2. Scirrhoſa lienis conſtitutio differt a ſimplice illius *infarctu*; Hic enim facilius adhuc felicem conſequitur diſcuſſionem: Scirrhus autem vix vmquam. *Vid. prognoſis.*
3. Scirrhus lienis differt *gradu*; in aliis enim lien in *totum*, in aliis in *tantum* induratus eſt.

III. *SIGNA.*

1. Obuia tactui durities ſub coſtis verſus latus ſiniſtrum & lumbos retrorſum, cum ſenſu ponderis cuiusdam, huic lateri incumbentis, & hinc decubitum in latus dextrum moleſtum reddentis.
2. Color faciei, immo reliqui corporis, luridus, ad fuſcum nigricantem ſubuiridem tendens.
3. Cum oculorum altiore quaſi retroceſſione, & circa orbitam liuente ambitu.
4. Anguſtia pectoris eſt fere perpetua, cum difficultate reſpirandi, & tuſſi ſicca pertinaci coniuncta.
5. Adpetitus crebro auidus eſt, interdum tamen ſine cauſſa manifeſta fit nauſeabundus.

6. Repletio, aut potius inflatio ventriculi poſt ſumtos cibos, & ſenſus preſſionis.
7. Aluus eſt valde ſegnis, vel tamen inconſtans.
8. Vrina tenuis, parca, ſubliuida, virideſcens, immo dilute nigricans.
9. Quando inueteratus eſt ſcirrhus, in pede *ſiniſtro* inflatio turgida, liuida & dura occurrit, donec tandem tumor vlterius ſe extendat.
10. Languor corporis inſignis.
11. Animus præ ſe fert torporem, tædioſam moroſitatem, taciturnitatem, anxietatem, & hæc omnia ſine cauſſis manifeſtis.

IV. *SVBIECTA.*

1. Vterque ſexus obnoxius quidem eſt huic labi, ſed ea non ita frequenter occurrit.
2. *Viri*, qui diu hypochondriaci fuerunt, & *feminæ* a malo hyſterico frequentius vexatæ.
3. Ætas virilis & prouectior.
4. Perſonæ, quæ in febribus intermittentibus, præcipue in quartana, adſtringentibus, vel in acutis inconueniente ratione tractatæ ſunt. *Conf. cauſ.*
5. Otioſæ, ſedentariæ, & ſpeculabundæ.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt congeſtio ſanguinis reſtagnatoria in ramo ſplenico.
2. Cauſſa *proxima* eſt repentina diſſipatio partium fluidarum, & *tenuiorum*, relictis ſolis *ſpiſſioribus*, in talem duritiem abeuntibus.
3. Cauſſæ *occaſionales, procatarcticæ & aduentitiæ* ſunt:
   1) Peruerſæ medicationes, quæ præ aliis ſcirrhos inducere valent, e. gr. adſtringentia in febribus intermittentibus, refrigerantia & ſalia volatilia in acutis, topicorum frigidorum adplicationes in ſimplice adhuc *infarctu*; vulgo kühlend Pflaſter auf die Miltz leger.
   2) Vehementes contuſiones & vellicationes.

3) Diæ-

3) Diæta craſſa, mucida, lenteſcens, e. gr. nimius vſus piſcium, carnis infumatæ, lacticiniorum.

4) Inſignia animi pathemata.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Diſcuſſio ſcirrhi *veri*, vel plane nulla exſpectari poteſt, vel certe difficillimi, & ſumme ancipitis euentus eſt; id quod contra vanas pollicitationes, a multis iactatas, probe tenendum eſt.

2. In ſcirrho quidem *recentiore* aliqua diſcuſſionis ſpes adhuc adfulget. Quippe nonnumquam per vomitum cruentum in feminis ſoluitur.

3. Econtra quando ſcirrhum ſymptomata hectica & aſcitica ſequuntur, peſſimum eſt malum.

4. Scirrhus *ſibi relictus*, per multos annos ſine corruptione & vitæ periculo durare poteſt.

5. Quando autem ſola *emollientia* adhibentur, quæ cum *maturantibus* inſeparabilem nexum habent, euentus præceps & periculoſus acceleratur: laudabilis enim huius ſtaſeos ſuppuratio vix vmquam ſperanda eſt.

6. Scirrhus perpetuo procliuis eſt ad corruptionem, ſed magis ſphaceloſam, quam inflammatorio-ſuppuratoriam, aut vlceroſam.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Scirrhus lienis *incipiens* tractatur, vti infarctus. *Vid. methodus tabulæ præcedentis.*

2. Sigillatim autem adhuc notandum, quod *reſoluentia* paullulum *fortiora*, hic magis locum habeant, quam in lienis infarctu, e. gr. rad. gentian. bryon. ari, ſquillæ, radices quinque aperientes, item rad. chinæ, ſarſaparillæ, herb. capillares, antiſcorbuticæ, & gummi-reſinoſa: bdell. ſagapen. ladan. galban. ammoniac.

3. Item: quod venæ ſectio ſtatim poſt abſterſionem primarum viarum poſſit inſtitui.

4. *Externe* eadem emplaſtra, ſub infarctu commendata, adhibeantur, quibus *emolliens* aliquod linimentum per vices ſubſtituatur, e. g. vnguent. lith. cum medulla crur. vitulin. & camphora mixtum.

5. Vbi autem ſcirrhus iam obſirmatus eſt, in primis quando plus de ſanguinea ſubſtantia participat, ibi præſtat artis inopiam profiteri, quam vanis pollicitationibus ægrum lactare & ●uſtrari.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quem ad modum iam *Hippocrates* conſilium dedit, vt *cancer occultus*, qui nihil aliud eſt, quam *ſcirrhus ſanguineus*, intactus relinquatur, ſic etiam præſtat, in veriore ſcirrho manum detrahere, quam per emollientium continuum vſum ſtatim hanc ad maturationem perducere.
2. Sectio venæ *ſaluatellæ* (inter annularem & minimum digitum) quam veteres hic commendant, ad ſummam quidem rei nihil facit, præmiſſa tamen venæ ſectione generaliore, ſpecialior hæc, cuiuscumque demum efficaciæ, poteſt ſubiungi.
3. Illud pro axiomate habendum eſt, quod in vitiis viſcerum *ſcirrhoſis* æque ac *vlceroſis*, neque autocratia naturæ, neque artis miniſterium ad ſolidam curationem ſæpe aut multum quid proficiant.

---

# TABVLA XL.
## DE
# INFARCTV HEPATIS.

I. D*EFINITIO.*

Infarctus hepatis eſt ſtagnatoria ſanguinis in hoc viſcere congeſtio, ſiue a ſpaſtica hepatis contractione, ſiue a nimia motus tonici remiſſione, originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quomodo *infarctus a ſcirrho* hepatis differat, ſequente tabula indicatum eſt.
2. Vitium hepatis hic duplici modo conſiderandum eſt:

1) Vel

1) Vel enim hepar motu ſpaſtico nimium *contractum* eſt; id quod ordinarie in adultioribus contingit.
2) Vel nimium *expanſum*, & hoc ſæpius in iunioribus reperitur; qui vterque ſtatus motum ſanguinis per hoc viſcus liberiorem impedit, & infarctum efficit. De hac materia legi meretur *diſſertatio Stahlii de hydrope.*

III. *SIGNA.*

1, Anguſtia præcordiorum, præſertim circa hypochondrium dextrum, cum reſpiratione difficili.
2. Dolor grauans & obtuſus, interdum etiam pulſui reſpondens.
3. Æſtus volaticus, & phlogoſes repentinæ, cum rubore faciei, & colore inſigni in volis manuum.
4. Sitis vaga.
5. Oris ſiccitas & amaritudo.
6. Saliua glutinoſa.
7. Tuſſis ſicca hypochondriaca.
8. Proſtratio adpetitus.
9. Cardialgia inſignis.
10. Laſſitudo & grauitas artuum.
11. Somnus inquietus & iactatione corporis turbatus.
12. Habitus corporis flaccidus, immo, ob impeditam liberiorem lymphæ ſeparationem, contabeſcens.
13. Vrinæ ſub initium ſunt tenuiores; quo magis autem hectica accedit, eo magis ſaturati aurantii coloris exſiſtunt, & deinde rubicundum ſedimentum exhibent.
14. Augmentum doloris, quando hypochondrium digitis tangitur.
15. In ſtatu nimiæ hepatis expanſionis, tumor dextri hypochondrii notabilior viſu & tactu diſcernendus ſentitur.
16. Aluus plerumque adſtricta, & reliquarum actionum tardior ſucceſſus obſeruatur.

IV. *SVBIECTA.*

1. Sunt hic fere eadem, quæ tabula de infarctu lienis indicata ſunt.

2. Præ-

2. Præcipue tamen temperamentum melancholico-cholericum huic malo magis ſubiacet.
3. Hypochondriaci & hyſtericæ, congeſtione verſus venam portæ laborantes.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens remota* eſt plethora cum ſpiſſitudine ſanguinis coniuncta,
2. Cauſſa *antecedens propior* eſt vniuerſus motuum hypochondriacorum adparatus.
3. Cauſſa *immediata* & *proxima* eſt vel
   1) ſpaſtica hepatis contractio, vel
   2) motus illius tonicus remiſſior.
4. Cauſſæ *occaſionales, procatarctica* & *aduentitia* ſunt:
   1) Suppreſſio hæmorrhagiarum in primis hæmorrhoidum & menſium.
   2) Neglectio artificialium adſuetarum.
   3) Im peditus ſanguinis progreſſus per hypochondria.
   4) Peruerſa febrium medicatio, intermittentium quidem per adſtringentia, acutarum autem per ſalia volatilia vel refrigerantia topica.
   5) Peruerſi vſus vomitoriorum, maxime in plethoricis paullulum adultis & ſpontaneis ſanguinis euacuationibus adſuetis.
   6) Iracundia, præcipue inter cibum, vel ſtatim poſt eumdem.
   7) Diæta craſſa & potus parcior.
   8) Frequentiſſime hauſtus frigidus, corpore calente.
   9) Abuſus acidulorum adſtringentium in morbis chronicis.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Infarctus hepatis legitime tractatus, admittit quidem curationem, præſertim in ſtatu recente; ſi autem ineptis medicaminibus tractatur, inflammatio cum febre acuta, immo ſuſpecti vomitus & alui fluxus accedunt.
2. Quando mature non tollitur, facile tranſit in ſcirrhum, & denique in hydropem, cachexiam ictericam, hecticam.

3. In-

3. Infarctus hepatis, *expanſione* viſceris conſpicuus, facilius tollitur, quam qui cum nimia hepatis *conſtrictione* coniunctus eſt; cuius etiam veſtigia hectica ſæpius legit.
4. Hæmorrhoides vel menſes quando hepatis infarctui, a ſanguine congeſto oriundo, ſuperueniunt, ſæpius malum ſoluunt.
5. Ira, vti morbum grauiorem, ita etiam difficiliorem reddit medicationem.
6. Infarctus *hepatis* maioris eſt momenti, quam infarctus *lienis*, tam ratione periculi, quam difficultatis medendi.
7. Rarius infarctus hepatis ſubit corruptionem.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Methodus differt ſecundum cauſſas.

1. In ſpaſtica *contractione*, ſequente modo procedendum eſt:
   1) Primæ viæ abſtergendæ & euacuandæ ſunt per lenia laxantia, ſennata, rhabarbarina &c.
   2) Deinde, ad cauſſam antecedentem auferendam, inſtituatur venæ ſectio in pede, in hæmorrhoidibus vero ſuppreſſis, hirudinum ad anum adplicatio.
   3) Poſtea materia, in hepar impacta, incidatur, reſoluatur & abſtergatur. In hunc finem præ aliis commendantur:
      a) *Radices:* cichorii, taraxaci, graminis, vincetoxici, pimpinellæ albæ, ononid. apii, polypod. ſquillæ, quæ autem modeſte adhibenda eſt.
      b) *Herbæ*: hepat. nobil. capill. veneris, cuſcutæ, acetos.
      c) *Flores*: bellid. min. borrag. bugloſſ.
      d) *Semina*: aniſi, fœniculi, carui, baccæ lauri & iuniperi
      e) *Cortices*: winteran. citr. cinnamom. aurantior.
      f) *Gummata*: ex quibus præcipue ammoniacum ab *Ettmüllero* laudatur. *Vid. cautel.*
      g) *Salia digeſtiua*: nitrum antimoniat. tartar. vitriolat. arcan. duplicatum, ſal Anglican. mirabile *Glauberi*,

quibus nitrum & modicum abſorbentis adiiciendum eſt.

h) *Compoſita*: pilulæ *Stahlii*, *Becheri*, quæ tanto magis commendantur, quia febres ſuppreſſas facile reuocant, & hinc medelam reddunt faciliorem.

i) *Laxantia cum epicraſi*; vbi reſoluentia, iam commendata, cum lenioribus euacuantibus, præcipue cholagogis maritanda ſunt.

4) Ad relaxandam hepatis *ſtricturam* conducunt

a) *Interne*: laxantia modo indicata.

b) *Externe*: Emplaſtra emollientia, non continenter, ſed per vices regioni hepatis imponenda, ne ſuppurationem inducant, & cum tonico-neruinis alternanda e. gr. imponatur emplaſtr. emolliens, ſiue ſit diachyl. cum vel ſine gummatibus, ſiue de meliloto, & poſt 24 horas emplaſtr. tonico-neruinum ſubſtituatur, v. gr. diaphoret. *Mynſichti*, de ſpermat. ceti eiusdem.

2. In nimia hepatis *relaxatione* ea ipſa methodus adhibenda eſt, quam *tabula de infarctu lienis* commendauimus.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Cautelæ, quæ tab. de infarctu lienis traditæ ſunt, etiam hic obſeruari debent.

2. *Gummi ammoniacum* egregiam ſane reſoluendi habet efficaciam, quando autem, ſecundum *Ettmullerum*, vel in vino, vel in aqua deſtillata ſoluitur, & in tali fluida forma propinatur, ad modum nauſeoſum exhibet ſaporem. Commodius itaque in forma pilularum ſumitur, e. g.

Recip. Gumm. ammoniac. depurat. drachm. I.
Extract. panchymag. *Crollii* drachm. II.
centaur. minor.
card. bened. ana drachm. ſemis.
Mf. pilulæ doſ. ſcrup. I.

3. Quo magis *volaticus æſtus* vrget, eo ſæpius nitroſa cum abſorbentibus & ſalibus digeſtiuis maritata, propinanda ſunt.

4. *Cichorium* hic ſpecifice laudatur, a cuius radicis conditæ ſolo v-

lo vſu ægrum eius modi reſtitutum eſſe, *Stahlius* meminit.

5. *Millepedes* in obſtipationibus glandularum a plerisque quidem commendantur, ſed quia fortius reſoluunt, partium autem veræ obſtipationes præcipitem medicationem ægre tolerant, caute hinc adhibeantur.

6. *Tuſſis*, ſi non adeo vrget, ſpeciali non indiget medicatione; quando autem exaſperatur, tractanda eſt, vti tabula de tuſſi indicauimus.

7. Si *commotiones febriles* ſuperueniunt, nitroſa & abſorbentia, cum acidis ſaturata, proſunt.

8. *Potus* ſufficiens, humectans, iniungendus eſt, non ſolum ſub therapia, verum etiam poſt eamdem. Item *motus* corporis placide ſuccuſſatorius, abſtinendo a venere, diæta calida, aromatica, vinoſa.

9. *Cauſſæ occaſionales* quidem omnes euitandæ ſunt, maxime tamen peruerſæ *febrium intermittentium ſuppreſſiones*: nam infarctus hepatis & lienis tam certe inde proueniunt, vt etiam vulgus cauſſam horum infarctuum per denominationem Fieber-Kuchen manifeſte deſignet.

10. *Venæſectiones* in ſuperioribus corporis partibus adminiſtratæ, non ſolum nullum vſum, ſed & ſæpius damnum adferunt.

11. Ad *alui obſtructiones* & incommoda flatulenta conducunt clyſteres emollientes, roborantes; cauendo, ne ſtimulantia addantur: aluo enim adſtricta reliqua remedia parum proſunt.

12. *Diſcutientia acriora* & *volatilia* hepatis ſtricturam augent.

13. *Purgantia acriora* noxia exſiſtunt.

14. Ex *ſedatiuis*, optima virtute prædita ſunt, cinnabaris, & cortex caſcarillæ.

15. *Specifice* ad ſpaſmos hypochondriacos coërcendos conducit *millefolium*.

16. Abſorbentia terrea, acida & alia incraſſantia ſunt euitanda.

# TABVLA XLI.
## DE
# SCIRRHO HEPATIS.

I. *DEFINITIO.*

Scirrhus hepatis eſt tumor huius viſceris induratus, a reſtagnatione humorum, ſenſim ſpiſſeſcentium, &, exhalantibus tenuiſſimis ſanguinis portionibus, ſicceſcentium, prognatus. Deriuatur a σκιῤῥόω, induro.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Scirrhus hepatis differt *gradu*: alius enim totum viſcus, alius vero partem eius obſidet.
2. Differt ab *infarctu* eiusdem viſceris non ſolum gradu *læſionis*, ſed & *ſymptomatum*; ſcirrhus enim ſemper adfectus œdematoſo-hydropicos, vel hecticam pro comite habet.
3. A *ſcirrho lienis* hic ſcirrhus hepatis differt ratione *loci* & *ſymptomatum*.

III. *SIGNA.*

1. Tumor & durities in hypochondrio dextro, ceu regione hepatis; quæ pathemata conſtanter & durabiliter ſentienda, immo tactu ſæpe externo percipienda ſunt.
2. Dolores obtuſi, tendentes & grauantes.
3. Iunguntur velut ordinariæ & indiuiduæ comites tuſſis & adfectio aſthmatica, vtraque ſicca.
4. Decubitus incommodus in latere oppoſito.
5. Adpetitus ad modum languet, & poſt ſumtos in minore quantitate cibos ſubitanea ſatietas, cum preſſione circa ventriculum, & difficultate reſpirationis, accedit.
6. Concurrit ſenſibilis hectica, quæ tabem in partibus ſuperioribus, in inferioribus vero tumorem pedum, primum leuiorem, deinde vero aſciticum contumacem comites habet.

7. Vri-

7. Vrina coloris eſt aurantii, & conſiſtentiæ craſſæ, pauca prodit cum ſedimento ſubmucido, interdum graui & ſpiſſo, roſei coloris.
8. Adſpectus eſt pallidus, cachecticus, ictericus.

IV. *SVBIECTA.*

1. Subiecta conueniunt cum illis, quæ præcedentibus tabulis indicata ſunt.
2. Inprimis autem huic malo ſubiiciuntur perſonæ, quæ in febribus *intermittentibus*, præcipue quartanis, cum *china chinæ*, in *acutis* cum *ſolibus volatilibus*, *refrigerantibus* topicis in regione hepatis, in *lentis & hecticodeis* cum *decoctis vulnerariis* & *tincturis antiphthiſicis* vulgaribus tractatæ ſunt.
3. Item, quibus in hæmorrhagiis valida ſiſtentia adhibita ſunt, vel in *chronicis* adfectibus inconſideratus acidularum vſus male ceſſit.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt congeſtio ſanguinis reſtagnatoria in hepate.
2. Cauſſa *proxima* eſt repentina partium fluidarum & tenuiorum diſſipatio, relictis ſolis ſpiſſioribus, in talem duritiem abeuntibus.
3. Cauſſæ *occaſionales*, *procatarcticæ* & *aduentitiæ* ſunt:
   1) ſuppreſſiones euacuationum ſanguinis naturalium.
   2) Neglectiones artificialium adſuetarum.
   3) Peruerſæ medicationes, e. g.
      a) Febrium intermittentium, per adſtringentia.
      b) Febrium acutarum, per refrigerantia & ſalia volatilia.
      c) Infarctus adhuc ſimplicis, per topica frigida.
      d) Hæmorrhagiarum, per poſitiue ſiſtentia. *Vid. ſubiecta.*
   4) Vehementes contuſiones & vellicationes.
   5) Inſignes animi commotiones.
   6) Diæta craſſa, mucida, lenteſcens.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quæ de ſcirrho *lienis* ſub *prognoſi* dicta ſunt, illa valent etiam de ſcirrho hepatis, nempe
2. In caſu recentiore aliqua adhuc diſcuſſionis ſpes eſt.
3. De reliquo euentus ſalutaris vel plane nullus, vel certe difficillimus, & ſumme anceps, obtinetur.
4. Scirrhus ſemper pronus eſt ad corruptionem ſubeundam, ſiue inflammatorio-ſuppuratoriam, ſiue ſphaceloſam.
5. Neutra harum corruptionum ſalutariter euenit: ſphaceloſa enim paucis horis mortem, ſuppuratoria autem exulcerationes & hecticam lethalem inducit.
6. Induratio hepatis quando in ſubiectis cholericis aut ſiccis contingit, hecticam, in humidioribus vero hydropem inducit.
7. Quo lentiore progreſſu generatur ſcirrhus, eo magis medicationem eludit.
8. Scirrhus hepatis, vti ſequitur, ſic etiam ſæpe præcedit icterum, præſertim nigrum, interdum hydropicos & aſciticos tumores, Comitatur nonnumquam cachexiam, maxime icteroidem, febres lentas, ex iracundia natas, quartanas ſuppreſſas.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. In ſcirrho hepatis adhuc *incipiente*, diſcuſſio ſequente methodo tentetur.
   1) Aluus aperiatur per clyſterem neruino-carminatiuum, reuulſionem & roborationem diſcuſſoriam promouentem. In hunc finem laudatur rad. alth. maluæ, flor. millefol. chamomill. verbaſc. aniſ. fœnicul. &c.
   2) Deinde venæ ſectio in pede inſtituatur, cum adplicatione hirudinum ad anum, in primis in ſubiectis hæmorrhoidariis; coniunctis pulueribus nitroſo-temperantibus.
   3) Poſt ea reſoluentia & diſcutientia cum laxantibus ſubiungantur. e. g.

Recip.

Recip. rad. gentian. rubr.
bryon. ana drachm. II.
pimpinell. alb.
ari ana vnc. ſemis.
herb. centaur. min.
card. benedict.
fumar. ana manip. I.
hyſſop.
capill. vener. ana manip. ſemis.
lign. ſaſſafr. drachm. III.
fol. ſenn. vnc. I.
fibr. hellebor. nigr. vnc. ſemis.
rhabarbar. drachm. III.
cremor. tartar. drachm. II.
Inciſ. contuſ. Mf. nodulus, vino immergendus, dóſ.
Ein Wein-Gläßgen morgens nüchtern.

4) *Externe* emplaſtra reſoluentia & roborantia regioni hepatis imponantur. *Conſ. methodus* præcedentium tabularum & *cautelæ* ſequentes.

5) Tonica martialia non prius, quam facta diſcuſſione propinentur.

2. In ſcirrho hepatis *obſirmato* irritus eſt omnis conatus, ne tamen nihil agere videamur, dicto modo medicatio inſtituatur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quæ tabula XXXVIII, XXXIX & XL. ſub *cautelis* dicta ſunt, omnia hic obſeruanda commendantur.

2. *Mercurius dulcis* in adfectibus ſcirrhoſis non reiiciendus eſt, egregie enim reſoluit, e. g.

Recip. tartar. vitriolat.
ocul. cancr. acido citri ſaturat. ana drachm. I.
mercur. dulc. gr. XII. m. f. puluis.
diuid. in ſex partes æquales, & verſus veſperam vna doſis ſumatur.

3. *Topi-*

3. *Topica* alternis diebus permutentur, e. gr. ſi hodie emplaſtrum de ammoniaco, aut de cicuta *Foreſti* adplicatum fuerit, cras emplaſtrum diachylon vel de melilot. imponatur, vel emplaſtrum emolliens cum reſoluente coniungatur, & ſic quotidie continuetur.

4. Quod ſi vero exacerbationes hecticæ frequenter & acriter his ſcirrhoſis conſtitutionibus ſuperueniant, aut in *ſpongioſis*, præcipue eneruatis aut annoſis, ſtaſes hydropicæ accedant, & impetus talis typum ſeruet æquinoctialem aut ſolſtitialem, tum prognoſin magis lethalem formare, quam therapia ſollicita ægrum defatigare præſtat: reuertente enim æquinoctio vel ſolſtitio periodus clauditur.

---

## TABVLA XLII.
### DE
# ATROPHIA.

I. DEFINITIO.

Atrophia eſt defectus debitæ corporis nutritionis, a chylo, qui ob varia primarum regionum vitia, præcipue autem ob infarctum glandularum meſaraicarum, ad maſſam ſanguineam ſufficiente quantitate non poteſt deferri, originem ducens, & lenta partium externarum conſumtione potiſſimum ſeſe manifeſtans. Deriuatur ab ἀ priuat. & τρέφω, nutrio.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Atrophiæ* differentiam ab *infarctibus lienis* & *hepatis*, collatio præcedentium tabularum docet.

2. Differt atrophia, *ſtricte* ſumta, a tabida *hectica* conſumtione
   1) ratione *cauſſarum*: in atrophia enim *infarctus* tantum, vel ad ſummum durities glandularum meſeraicarum, in *hectica* autem vera plerumque exulceratio cum febre aliisque ſymptomatibus ſubeſt.

2) Gra-

2) Gradu *ſymptomatum*: in *hectica* enim omnia ſunt acerbiora, quod ex *ſignis* inter ſe collatis, illuceſcit

3) Ratione *ætatis*: hectica *vera* potiſſimum pubertatem ſupergreſſos, *atrophia* vero iuniores magis adfligit.

3. A *phthiſi*, quod ex adfecta parte ipſisque cauſſis, pulmone ſcilicet & exulceratione eiusdem patet.

4. Ab *aridura partium*, quæ aliqua tantum membra infeſtat, atrophia autem vniuerſum corpus occupat.

5. A *macie*, vbi tantum pinguedo conſumitur: in atrophia autem ipſæ quoque partes muſculoſæ contabeſcunt.

6. A *rhachitide*, quæ conſectarium potius ac productum eſt atrophiæ.

7. Differentia tandem ipſius atrophiæ ex infra dictis *ſignis* atque *cauſſis* patebit.

III. *SIGNA.*

*A*, In atrophia, ex obſtructione *glandularum meſenterii* proueniente, ſequentia ſigna adparent:

1. Languor & flaccida conſtitutio totius *corporis* in dies inualeſcens.
2. Remiſſio *animi*, faſtidium omnium rerum, & ſumma ſenſibilitas.
3. Color *faciei* deprauatus cum aliqua eiusdem inflatione & labiorum pallore.
4. *Oculi* fulgore priſtino deſtituti ſunt, palpebræ interdum poſt ſomnum tument, & reliquæ corporis partes externæ contabeſcunt.
5. Somnus eſt leuis & inconſtans.
6. *A*dpetitus vagus, frigida magis deſiderans.
7. *A*nguſtia & maior moleſtia poſt cibum.
8. Calores interni cum ſiti multa ac ſiccitate oris.
9. *A*bdomen turgidum, durum, & in progreſſione huius mali flacceſcente nonnihil abdominis tenſione, nodis tactu ſentiendis obſeſſum deprehenditur, *Conf. obſeruat, Ludouici in A. N. C. dec. I. an. III. p.* 453.
10. *A*luus plerumque iuſto ſiccior eſt & adſtricta.
11. Vrina craſſa, interdum plane chyloſa adparet.
12. Corpus ſenſim extenuatur, concurrente febricula & maiore ſiti per noctem potiſſimum adfligente.

13. Quæ ſymptomata nonnumquam ita exacerbantur, vt æſtum fere hecticum cum virium notabili decremento ægri certo tempore incurrant.

B. Quando autem, ſecundum quorumdam auctorum obſeruationes, ab *obſtructione tunicæ villoſæ* inteſtinorum atrophia naſcitur, ſequentia præcipue ſigna ſeſe manifeſtant.

1. Nulli nodi ſunt ſentiendi.
2. Aluus quæ alias ſiccior, quam maxime eſt fluxilis cum reiectione ciborum ſemidigeſtorum.
3. Febris quando occurrit, longe lenior obſeruatur.

C. A *vermibus* tandem atrophia dependens, in adultis ſigna ad modum habet dubia, in iunioribus vero ſatis manifeſta, nempe

1. Conqueruntur de variis abdominis doloribus *ſpaſticis*, & maxime *morſicantibus* circa vmbilicum.
2. Experiuntur varia *tormina* tenesmodea, vt ſæpius deſidere conentur, in primis ieiuno ſtomacho.
3. Vexantur crebrioribus *vomendi* conatibus, ſub quibus copioſus liquor in os effunditur; id quod *lumbrico* ſic dicto *cordiali*, dem Hertz-Wurm, vulgus adſcribit.
4. Nares perpetuo mucoſo adfluxu, immo excoriatione adfectæ ſunt, ob perpetuam titillationem ac frictionem.
5. Fœtor oris, vt & fæcum aluinarum eſt teterrimus.
6. Quibus omnibus frequentiſſimæ ſternutationes interdum iunguntur. *Conf. tabul. de vermibus.*

D. Malo diutius in *teneris* perſiſtenti, non raro ſuccedit *rhachitis*, vulgo die Engliſche Kranckheit, cum tumoribus & ſuperadcretionibus artuum, mit gedoppelten Gliedern, vel incuruatione tibiarum, ſpinæ dorſi, gibboſa deformatione, coxis excreſcentibus, daß die Hüfte auswachſen; quæ atrophiam quidem ſoluunt, ſed triſti ſpectaculo ſæpe per ætatem corpus deturpant.

IV. *SVBIECTA.*

1. Atrophia eſt morbus *potiſſimum infantilis*, quem tenera hæc ætas facile incurrit poſt diapnoën ſubito repreſſam, item poſt præmaturam exhibitionem cibi nimii craſſioris & cereuiſiæ fæculentæ, acidæ, lac coagulantis, in primis ſi

potus

potus frigidus noctu, ſudante corpore, exhibetur, vel ſpontaneæ diarrhoeæ adſtringentibus ſupprimuntur.

2. Non raro etiam *pueri* & *adoleſcentes* ad modum voraces, diæta cruda, obſtruente, vel ſpiritu vini abutentes, vermibus infeſtati, vel in febribus male tractati, ab hoc malo infeſtantur.

3. Hunc quoque morbum incurrunt homines, qui grauibus morbis, reliquias in viſceribus relinquentibus, exhauſti, vel nimiis hæmorrhagiis debilitati ſunt.

4. Qui ſcrofulis vel glandularum externarum infarctibus obſeſſi ſunt, ſæpe etiam glandulas meſenterii habent obſtipatas.

5. Item inſignibus internarum partium concretionibus laborantes.

6. Tandem etiam effaſcinati, vel incantati, in quibus vitale negotium naturæ perturbatur, & ſic actus etiam nutritionis confunditur.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt maxime infarctus glandularum meſeraicarum, quibus chylus retardatur.

2. Obſeruarunt etiam nonnulli auctores, quod *obſtructio tunicæ villoſæ* huic malo anſam præbere poſſit: quando enim *oſcula vaſorum lacteorum*, in tunicam nerueam & cruſtam ſic dictam villoſam inteſtinorum hiantium, obſtructa ſunt & obdurata, aliter fieri non poteſt, quin chylo aditus ad maſſam ſanguinis præcludatur.

3. *Vermes* quoque non raro hunc adfectum inuitant.

4. Cauſſa *continens* eſt impeditus vel chyli vel lymphæ motus, a dictis cauſſis antecedentibus inductus. Vnde tumor abdominis dependet. *Conf. cauſſa tab. de hydrope.*

5. Cauſſæ *occaſionales*, procatarcticæ & aduentitiæ in ſubiectis modo indicatæ ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quemadmodum atrophia in adultis & annoſioribus raro prius dignoſcitur, quam aſciticos vel hecticos effectus

iam attraxerit, ita præſagium, horum malorum genio conſonum, exinde redundat.

2. *Recentior* atrophia non difficulter tollitur, præcipue, quæ ab vſu mucidorum, viſcidorum, glutinoſorum ortum traxit, & obſtructionem tunicæ villoſæ inteſtinorum effecit.

3. Quando vero ab *infarctu glandularum* orta eſt, difficilis ad modum eſt curatio. Nam
   1) altas facile agit radices.
   2) Febris accedens illa remedia, quæ ad reſolutionem ſcirrhi efficacia ſunt, non permittit.
   3) Huic difficultati adnumeranda eſt infantum pertinacia, quæ vſum remediorum chronicum ſaepe reſpuit.

4. *Dolor* quando adhuc adeſt in ſcirrho, bene nos ſperare iubet, teſtatur enim, quod materia infarcta aliquo modo adhuc mobilis, & facilius reſolutioni obſecundatura ſit.

5. *Inueterata* contumax quidem eſt, longe autem felicioris curationis, & mitioris euentus obſeruatur quam *hectica*.

6. Quo magis vero hæc complicatur, eo periculoſior & intractabilior atrophia exſiſtit; id quod fere fit in adultioribus.

7. Atrophia, quæ a morbis prægreſſis, e. gr. nimiis hæmorrhagiis, febribus male tractatis, originem duxit, longe difficilius perſanatur, quam quæ ex diætæ vitiis exorta eſt.

8. Quo magis vrget *diarrhœa* in atrophia, eo citius ſuccumbunt patientes.

9. Vrina quando flammea redditur & rubicunda, cum frequente æſtu ac phlogoſibus poſt cibum, præſentiam hecticæ indicat.

10. Atrophia inueterata interdum degenerat in *rhachitidem*, quæ plurimum omnem reſpuit curationem.

11. Eiusdem quoque ſortis eſt atrophia illa, quæ ab incantationibus prouenit.

12. Quæ vero inducta eſt a vermibus, his enecatis & ſublatis, atrophia, non nimium inueterata, feliciter tollitur.

VII.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Ante omnia ratio habenda eſt cauſſarum, quæ atrophiam produxerunt. Sic

1. Quando *glandulæ meſeraicæ* obſtructæ ſunt, vel *tunica villoſa* inteſtinorum in cauſſis eſt, primo loco ſordes primarum viarum educendæ ſunt per lenia *laxantia* & *abſtergentia*. Huc faciunt: mercur. dulc. legitime præparatus, ſal cathart. amar. arcan. duplicat. ſal polychreſt. vel ſyrupus de cichorio cum rhabarb. item ſal Anglican. manna, ſyrupus de ſpina cerui, domeſticus dictus. Hæc laxantia in progreſſione curæ aliquoties repetenda, vel ſequentibus ſubinde interponenda ſunt.

2. Deinde ad infarctum glandularum meſeraicarum quantocyus expediendum, & debitum chyli ac lymphæ progresſum reſtituendum, exhibenda ſunt incidentia, reſoluentia & attenuantia, cum tonicis martialibus ſociata. In hunc finem laudantur

 1) *Radices*: ari, vincetox. pimpin. alb. zedoar. leuiſt. imperat. galang petaſit.

 2) Ex *herbis* hedera terreſtr. in ſucco & iuſculis.

 3) *Salia enixa digeſtiua*: tart. vitriolat. arcan. duplicat. ſal abſinth. centaur. min. card. bened.

 4) *Compoſita*: tinct. antimon. tartariſat. tinct. ſalis tartar. eſſent. ſuccin. eſſent. alexipharmac. *Stahlii.*

 5) *Tonica martialia* huc facientia ſunt: crocus martis antimoniat. aperitiuus *Stahlii*, tinct. vitriol. mart. *Ludouici* e. gr.

 Recip. tartar. vitriolat. drachm. I.
  croci mart. antimoniat. ſubtiliſſ. ſcrup. I.

 Miſc. doſis pro ætatis ratione differt, a gr. 6. 8. 10. 20. qui puluis bis quotidie ſumendus, & per duas vel tres hebdomades, ſubiuncto poſt octauum circiter diem aliquo ſemper laxante, continuandus eſt.

3. Si quid *febrilis*, vti fere fit, concurrit, pulueri modo deſcripto antimon. diaphoreticum, &, vrgente æſtu, nitrum immiſceri poteſt in infantibus, pueris inſuper eſſent. a-

 lexi-

lexipharmac. multa eſſent. ſcordii ſaturata propinetur; infantibus autem adhuc *ſugentibus* talia non æque conueniunt, ſed nutricibus potius exhibenda ſunt.

4. Cum hiſce internis coniungantur ſimul *externa.* Laudantur præ aliis

1) *Emplaſtrum* ſaponat. *Barbette*, quod abdomini late impoſitum probe reſoluit & aluum relaxat, vnde nonnullis das Purgier-Pflaſter audit. Item emplaſtr. de ammoniac.

2) *Linimenta*, quæ præcedentibus tabulis ad infarctus viſcerum commendata ſunt, e. g. ex oleo laurin. lumbricor. terreſtr. vnguent. de althæa & oleo ceræ.

3) *Balnea* ex aqua dulci parata, *vid. cautel.*

4) Contactus *manus* illius hominis, qui *tabe mortuus* eſt. Hoc enim remedium quoniam ſcrofulas diſcutit, multo magis infarctus reſtituere ab illis creditur, qui ad propriam experientiam prouocant.

5. Quando autem affectus a *vermibus* originem ducit, illæ necandæ ſunt ac eliminandæ. *Confer. tabul. de vermibus, & infra cautel.* 2.

6. Remotis impedimentis *nutrientia*, & alimenta, laudabilem chylum largientia, porrigantur, v. g. iuſcula hordeacea, lacticinia, emulſiones, gelatinæ cum amygdalis &c.

7. De cura ſpecialioribus cauſſis deſtinata ſub cautelis dicemus.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quum morbos curare, ſit cauſſas eorum tollere; hinc in atrophia ſemper ad cauſſas ſpecialiores, huic malo anſam præbentes, reſpicere, easque conuenienti modo remouere decet Medicum.

2. Quando itaque *vermes* hoc malum induxerunt, non cedet atrophia, niſi colluuies iſta anthelminticis amaris, e. gr. myrrha, ſem. ſantonici cum pane mellito, vel inſipidis, v. gr. corallina, C. C. vſto, mercurialibus, enecetur, & extra corporis fines proſcribatur. *Conf. tab. de vermibus.*

3. Si a nimia *ſanguinis profuſione* nata ſit atrophia, gelatinis nutrientibus vires reficiantur.

4. Quod ſi vero magicas *incantationes* ſubeſſe certum ſit, res eſt calamitoſa. Commendantur autem in tali caſu *balnea* ex antimagicis parata, e. g. ſideritide, conyza flore violaceo, ſtœchad. citrin. antirrhin. aruenſ. hyperico, abrotano &c. cum formicis.

5. *Balnea* in omni tabe, tanto magis in infantibus, egregie conueniunt, non opus autem eſt, peculiaria additamenta herbarum adhibere, niſi incantationis ſuſpicio præſto ſit, ſed aqua dulcis ſola ſufficere poteſt.

6. Vſus *acidularum* internus, cum vſu *thermarum* externo effectum ſæpius haud contemnendum edit in infarctu nondum inueterato.

7. *Senſibilitas* ſubiectorum vbique attendenda eſt, ne per vehementiora remedia, vel maiores doſes iuniores & tenellos exagitemus & obruamus.

8. Adultioribus & non adeo ſenſibilibus *gummata* proſunt. Gummi *ammoniacum* ſane temperatiſſimum, *galbanum* autem iam nimis acre obſeruatur.

9. *Mercurius dulcis* non repetitis & magnis doſibus propinandus eſt, vomitus enim in ſenſibilioribus excitat, qui quidem non adeo reformidandi ſunt, reſpiciendum autem eſt, ne plus iuſto contingant.

10. Remedia *volatilia* vt & *martialia*, absque præmiſſa conueniente reſolutione & euacuatione adhibita, materiam profundius in glandulas impellunt, & febrem augent, vt adeo facilius hectici fiant.

11. Circa vſum *topicorum* euitetur partim *nimia emollitio*, partim *nimia tonica roboratio*; priora enim *abſceſſum*, poſteriora vero maiorem *indurationem* inducunt.

12. A multis *lacticiniis* pueris & infantibus cauendum eſt; quando autem adhuc ſugunt, nutricibus ad lac corrigendum exhibeantur remedia abſorbentia, ſalina digeſtiua, diuretica, immo anticatarrhalia e. g. oculi cancri, arcan. duplic. eſſent. ſuccin. pin. pin. alb.

13. In *rhachitide* ſuccedente eadem tractatio tutiſſima eſt, maxime

xime per tincturam antimon. acrem, & martialia cum radice ari, & ſalibus digeſtiuis. *Externe* linimenta, vel ſpiritus neruini, item balnea ex neruinis coronariis, in primis ſerpillo, frictiones, varia machinamenta, ad partes corporis in debitam molem, ſitum & ordinem reducendas, ſimul in auxilium trahantur.

14. Intermittentes ſuppreſſæ, reuocandæ & curandæ ſunt per laxantia & digeſtiua. *conf. tab. de febre tertiana*: reuocatæ enim febres vtilem atrophicis exhibent medicinam.

15. In diæta euitentur refrigerium, ſpiritus vini, potus noctu & ieiuno ventriculo conceſſus, fæculentus, cibi crudi, azymi, acidi: eligantur ex aduerſo iuſcula aromatiſata, decoct. C. C. paſſulatum, vel cum radic. polypodii, decoct. hordei, cum aniſo, fœniculo, aliisque leniter reſolventibus, quæ felicem curationis ſucceſſum non parum promouent.

# TABVLA XLIII. DE NEPHRITIDE.

I. DEFINITIO. Vese Fajdalma

Nephritis eſt adfectus renum inflammatòrio-eryſipelaceus, a congeſtione ſanguinis ſtagnatoria, hæmorrhoides externas eminus reſpiciente, natus. Deriuatur a νεφρὸς, ren.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Nephritis *ſimplex*, ſeu *pura*, differt a *calculoſa* ſequente ratione.

1) Nephritis *ſimplex* per longum tempus ſine vllo calculo, & *calculus* ex aduerſo ſine vlla vera nephritide ægrum poteſt adfligere.

2) In nephritide *ſimplice* occurrit dolor & ardor lumborum

rum profundus, premens & tendens; in *calculoſa* autem dolor acutiſſimus adfligit, *conf. ſigna* ſubſequentia.

3) In *ſimplice*, vrina poſt ſui demum refrigerationem, vti in omnibus arthriticis adfectibus, cryſtallos pellucidas & rubicundas lateribus vitri adfigit; in *calculoſa* vero ſabulum non adeo rubrum ſtatim poſt emiſſionem, vel pauciore mora, in fundo ſubſidet.

4) *Simplex* placido corporis motu, præcipue ambulatorio, ſubleuatur; *calculoſa* autem per illam exaſperatur, & quieta continentia potius miteſcit.

5) Tandem *calculoſa* vix vmquam curatur, *ſimplex* autem quando tempeſtiue & legitime ei ſuccurritur, omnino curari poteſt & ſolet.

2. Nephritis *vera* differt a *nephritide ſpuria*, quæ dolore ſpaſtico, tenſiuo & lancinante, in externis potiſſimum dorſi & lumborum muſculorum partibus ſe ſe manifeſtat.

3. Differt quidem *profundus nephriticus* dolor a doloribus *iſchiadicis*, qui magis externas muſculoſas partes adficiunt, ob conſpirationem autem cauſſarum & vaſorum, quam nephritis cum malo iſchiadico fouet, hi dolores ita interdum colludunt, vt dubium videatur, num magis rheumatico-iſchiadici, an vero nephritici habendi ſint.

4. Differentiam doloris *colici* in regione lumbari a nephritico docent diuerſitates ſubiectorum & antecedentium cauſſarum.

III. *SIGNA.*

1. Dolores in regione lumborum, non ita frequenter *vtrumque*, ſed potius *alterutrum*, præcipue vero *ſiniſtrum* latus occupantes.

2. Sunt illi ſub initium magis tendentes & prementes;

3. Senſim autem fiunt acutiores, lancinantes & inflammatoriæ acerbitatis, cum anxia inquietudine.

4. Occupat hic dolor ægrotos ſæpe numero cum commotionibus febrilibus, horrore nempe, vel ad minimum cum horridula vaga percurſatione;

5. Cui ſuccedit calor acri ardore moleſtiſſimus.
6. Querela de imminutione aut plane ceſſatione adpetitus, virium ſumma deiectione & ſiticuloſitate.
7. Somnus vel plane nullus, vel tamen ad modum inquietus eſt.
8. Concurrit capitis dolor obtuſus, aut ad minimum perturbatio & vertiginoſa debilitas.
9. Interdum moleſtiæ circa primas vias, nempe tormina inteſtinorum colica, & vomitoriæ ventriculi ſubuerſiones, ſiue concurrunt, ſiue nouum inſultum præcedunt.
10. Nonnunquam dolor per totum femur excurrit, vel tamen illud ſtupore & rigore adficitur.
11. Impetus non per multos dies, ſed per paroxyſmos ſæuit, interpoſitis longis, præcipue ægro cautius viuente, interuallis.
12. Sub impetu aluus potiſſimum adſtricta obſeruatur.
13. Adeſt conatus mingendi crebrior, vrina parcior, tenuis, vel, ſi obtuſi ſolum dolores adſint, craſſior, & filamentis quaſi mucidis imbuta procedit.
14. Nonnumquam vaſa ſpermatica, quæ ad teſtes procedunt, tumore & dolore ſimul adficiuntur; de qua re legi meretur *theoria Stahlii pag. 1126. ſeqq.*

IV. *SVBIECTA.*

Nephritidi præ aliis obnoxii ſunt homines

1. Temperamenti *ſanguinei;* aut dominante ſanguineo præditi, qui ſunt habitus corporis laxi, ſpongioſi, ſucculenti.
2. *Hippocrates* nephritidem non niſi *ſenioribus* familiarem obſeruauit, ſed in noſtris *regionibus* & *moribus* etiam *conſiſtenti* ætati euenit.
3. Iunior autem & infantilis ætas ab hoc morbo non corripitur, niſi hæreditaria diſpoſitio, vel violentæ cauſſæ externæ concurrant.
4. Sexus virilis longe frequentius a nephritide exercetur quam femininus, vtpote a motibus hæmorrhoidalibus magis immunis exſiſtens.

5. Qui

5. Qui poſt adſuetæ ſanguinis euacuationis neglectum motibus corporis concuſſoriis fortioribus ſe exponunt.
6. Vel cauſſis occaſionalibus ſubſequentibus ſubiacent.
7. Podagrici & iſchiadici plurimum ſunt nephritici, ob connexionem cauſſarum & vaſorum.
8. Nephritidi *ſpuriæ* præcipue ſubiacent illi, qui hæmorrhoidum fluxum vel iam ſunt experti, vel ad eumdem procliues.
9. Itidem qui a vita agili ad otioſam tranſeunt, & diæta calida, venere & fortioribus motibus ſuccuſſoriis gaudent.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa antecedens ***remota*** eſt ſtatus plethoricus.
2. Cauſſa antecedens ***propinqua*** eſt rheumatica congeſtio ſanguinis verſus renes, hæmorrhoides ***eminus*** reſpiciens.
3. Cauſſa ***immediata*** & ***proxima*** eſt ſtaſis ſanguinis congeſti in renibus, propter quam motus inflammatorius accedit.
4. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarcticæ* ſunt:
   1) Euacuationes ſanguinis naturales neglectæ.
   2) Artificiales adſuetæ prætermiſſæ.
   3) Abuſus diureticorum calidorum & acrium e. g. oleorum deſtillat. terebinthin. iuniper. ſuccini, balſam. ſulphur. ſpirit. acris empyreumat. tartari &c.
   4) Abuſus veneris & aphrodiſiacorum, e. g. ſtinc. marin.
   5) Violentæ corporis & animi commotiones per vecturam, equitationem & iracundiam.
   6) Violentæ læſiones per ictum, lapſum &c. in regionem lumbarem.
   7) Diæta calida, aromatica, vinoſa.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Nephritis *ſimplex*, ſi mature & recte illi conſulitur, poteſt curari, *calculoſa* autem vix vmquam.
2. Licet enim quæuis internæ inflammationes grauioris momenti æſtimandæ ſint, nephritis tamen omnibus aliis levior habetur, ob perpetuam abſterſionem, & corruptionis inhibitionem per vrinam præterlabentem.
3. Inter ea metum facit ſubſecuturæ exulcerationis, quæ pro-

ximam viam munit ad calculum generandum & hecticam renalem inuitandam.

4. Quo frequentius & acrius paroxyſmi redeunt, eo maius periculum minantur, & eo grauius exulceratio præualeſcit.

5. Rariſſime fit, vt ren vterque corrumpatur, ſed plerumque tantum ſiniſter.

6. Quo maior ebullitio ſanguinis adeſt, eo peior eſt ſtaſis inflammatoria. Hinc in iunioribus longe vehementius nephritis exacerbatur, & difficilius tollitur, quam in ſenioribus, vbi minor orgaſmus occurrit.

7. Quo copioſius calidiora diuretica in vſum trahuntur, eo pertinacius adfectus perſiſtit, & eo certius calculus renalis & hectica ſeſe adſociant.

8. *Hippocrates* aphor. XI. ſect. VI. iam obſeruauit, quod hæmorrhoides, nephriticis ſuperuenientes, pathemata huius adfectus ſoluant.

9. Aluus adſtricta dolores exacerbat.

10. Nephritis *ſpuria* non raro in ſenibus *maraſmum* poſt ſe relinquit.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *In paroxyſmo.*

1. Ante omnia *aluus* expediatur per clyſterem, non ſtimulantem, ſed emollientem, cum lacte vel iure carnium parandum. *Simon Pauli,* experientia duce, commendat herbam *veronicæ* coctam, & cum oleo quodam atque pauciſſimo ſale adplicatam.

2. Deinde ad *orgaſmum* ſanguinis & ardorem temperandum, exhibeantur

1) Pulueres nitroſi, cum ſale quodam digeſtiuo & cinnabari optima coniuncti, ac intra tertiæ horæ ſpatium repetendi; immo nitroſa ipſa in potu.

2) His pulueribus verſus veſperam antimon. diaphoreticum cum abſorbente quodam immiſceatur e.g. antimonii diaphoret. gr. VIII. ocul. cancr. gr. IV. pro doſi.

3) Huic indicationi etiam fauent *emulſiones,* cum aquis diapnoicis & temperantibus. e.g. Re-

Recip. ſemin. card. Mariæ drachm. III.
papau. alb. drachm. II. contuſ. adfund.
Aquæ ſcord. veronic. ſcabioſ. card. bened. ſambuc. chærefol. ana vnc. I. aquæ roſarum, cinnamom. ana vnc. ſemis, fiat s.a. emulſio, cui adiiciantur antimon. diaphor. drachm. I. ocul. cancr. ſcrup. II. & edulcoretur cum ſaccharo.

4) It. ſerum lactis, decoct. ex ſcorzoner. hordeo, C.C. ebore, gelatina C.C. ol. amygdal. dulc. cum ſpermate ceti vel manna, decoct. *Foreſti* ex ſemin. althææ, malu. cicer. rub. IV. frigid. maior. hord. caric. pingu. ſebeſt. rad. liquirit.

3. His temperantibus interponatur ſemel vel bis ante meridiem eſſent. alexipharmaca acidulata, ſed ſine regimine, ad æqualem tantum diſtributionem humorum obtinendam.

4. *Externe* conducunt ad *diſcuſſionem*

1) ſacculi ſicci ex floribus chamomill. melilot. ſemin. fœnu græc. &c. lumbis imponendi.

2) Spiritus ſerpilli abſtractiuus, dolenti regioni adplicandus, item ſpiritus formicarum.

3) Emplaſtrum ſaponat. *Barbette*, quod tamen non vltra 10. 12. horas in lumbis relinquendum, alias facile euenit, quod ſub *ſignis* num. 12. indicatum eſt; vel loco dolenti adplicetur vnguentum Comitiſſæ, aut refrigerans *Galeni*, it dialth. ceruſſæ.

5. Ad *reuulſionem* autem congeſtionis inflammatoriæ, præter clyſteres ſuperius commendatos, aliquid etiam contribuunt

1) *Frictiones* & *ligaturæ* partium oppoſitarum.

2) Quando nimium increbeſcit, adplicatio *hirudinum*; quæ omnia quoque *iſchuriæ* accedenti ſubueniunt.

6. Remittente autem inſultu, vſum laudabilem præſtat MR. polychreſta *Stahlii*, ad tonum in renibus reſtaurandum.

7. Toto medicationis tempore ſufficiens humectatio neceſſa-

ria eſt, in quem finem potus tepidus, dilutus, leuiter acidulatus & potus thée laudatur.

B. *Extra paroxyſmum.*

1. *Venæ ſectio* æquinoctialis in pede numquam negligatur, vel *ſacrificatio* menſtrua.
2. *Dyſcraſia* humorum interdum per lenia *laxantia*, e.g. rhabarb. ſennam, paſſulas educatur.
3. Negotium hæmorrhoidale prudenter reſpiciatur.
4. Alui ſiccitas, huic adfectui familiaris, corrigatur diæta molli, lubrica, temperata & diluente: vitando diætam calidam, vinoſam, aromaticam, venerem & iracundiam.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Nephritis *ſimplex* a *calculoſa* diſtinguenda quidem eſt, ad *prognoſin* tanto certius formandam, ad vſum autem *practicum* hæc diſtinctio non adeo inſignis eſt vtilitatis: vniformis enim horum malorum tractatio tutiſſima cenſenda.
2. *Sanguinis ventilationes*, vti ſemper ad anteuertendum morbum maioris efficaciæ ſunt, quam ad curandum, ita etiam præſtat, in paroxyſmo nephritidis ab illis abſtinere.
3. Vbi autem inſignis *plethora* concurrit, ibi *venæ ſectio in pede* vix poterit omitti; quæ in vrgente tali caſu ſtatim poſt clyſteris adplicationem inſtituenda eſt.
4. *Extra paroxyſmum* tempeſtiuæ *venæ ſectiones* & *hirudines* non ſolum multum leuaminis adferunt, ſed etiam futuræ medicationi viam præparant, vt longe veriorem efficaciam exhibeat.
5. A medicatione *calida* & *acriore*, ſanguinem feruidius commouente, quam maxime hic cauendum eſt.
6. Inprimis peſſimi ſunt effectus vſitata hodie *diuretica*, præcipue oleoſa, e. g. ol. deſtillat. terebinth. iuniper. ſuccin. pic. ſpiritus acris empyreumat. tartari, ſpiritus nitri ſimplex & clyſſiformis, immo, largiore vſu, etiam dulcificatus; millepedes, raphanus ruſticanus, baccæ alkekeng. arill. cynosbat. amygdalæ rancidæ & amaræ; in ſenſibilioribus etiam aqua fragorum, petroſelini &c. quæ aucta vlceratione, calculum citius progenerant.

7. Ipſa

7. Ipſa *ſalia volatilia*, tanto magis *oleoſa*, ſanguinis orgaſmum, & congeſtionem ad renes augent: Vnde hæc quidem nullius, illa autem, declinante paroxyſmo, alicuius adhuc vſus ſunt.

8. Externe *fotus* calidus egregium doloribus adfert ſolamen.

9. Nimia *refrigerantia* inflammatoriam ſtaſin magis coagulant, *leniora* autem, antea laudata, eandem mitigant.

10. *Sacculi* ex ſpeciebus paregoricis, ſiue *ſicci*, ſiue cum *vino* cocti, inter diſcutientia fere ceteris ſunt præferendi.

11. *Thermæ* externe aliquam vtilitatem præſtant. *Acidularum* temperatarum vſus internus non eſſet contemnendus, niſi labis internæ ſuſpicio dehortaretur.

12. *Emplaſtica* obſtruunt poros, & ſic diſcuſſionem ſtaſeos remorantur; emplaſtrum autem *Barbette*, cum prædicta cautione vſurpatum, egregii & præſentis eſt effectus.

13. *Camphora*, licet alias externo vſu ſatis potenter ſuccurrat inflammationibus, in nephritide tamen cautius adhibenda eſt, ob diureticam, quam efficit, ſtimulationem: vnde vel plane omitti, vel cum refrigerantibus mixta adplicari debet.

14. *Millefolii* vſus in hoc malo haud ſincerus eſt & probatus.

15. Nephritici ab oneratione *primarum viarum* ad modum ſibi caueant: ob ſingularem enim conſenſum huius mali cum ventriculo & inteſtinis omnia edulia flatulenta, leguminoſa, concoctu difficilia e. g. carnes fumo induratæ, piſces duriores, oleracea nimia, caſeus macrior &c. nephritidem præſentiſſime exacerbare ſentiuntur.

16. *Purgantibus* autem *acrioribus* ſordes primarum viarum eliminare velle, infelix eſt tentamen: *blandiora* conceduntur.

17. Excretionem *vrinæ* legitimam conuenit reſpicere, quam, vti diuretica acriora diſturbant, ita pulueres, ſub methodo commendati, placide promouent.

18. Diuretica *culinaria*, e. g. petroſelin. aſparag. apium, cicerес rubri, cepæ, allium, raphanacea &c. nephriticis non concedantur.

19. In

19. In refractaria alui obſtructione clyſteribus commode M. P. *Beccheri* vel *Stahlii* miſceri poteſt. e. g. drach. ſemis ad drachm. j.
20. *Vinum*, licet adſuetum, parciſſime tamen ſumendum: tantum eius proderit, quantum cibis parandis admiſceri poteſt.
21. Mutatio potus ſpirituoſi in aqueum calidum, optime nephriticos ſolatur.
22. Quæcumque in *pectoris* vitiis ſolamen adferre ſolent, ea *renalibus* quoque læſionibus commode ſubueniunt. *Conſ. tab. de phthiſi caut.*
23. Quam ob cauſſam & vulneraria, pectus conſolidantia, renum vlceribus & calculorum prouentui, maxime nephriticis recurſibus, obuiam eunt, e. g. conſolid. Saracen. heder. terreſtr. in forma thée vſurpata.

# TABVLA XLIV.
## DE
## CALCVLO RENVM ET VESICAE.

I. D*EFINITIO.*

1. Calculus *renum* eſt concrementum quoddam mucido-ſalinum a congeſtoria ſanguinis ſtaſi, & hinc ſubnata huius viſceris corruptione, ſiue vlceroſa, ſiue apoſtematode oriundum.
2. Calculus *veſicæ*, qua talis, eſt concrementum mucido-ſalinum, ex hæreditaria parentum labe plerumque transmiſſum & prognatum.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Calculus *renum* a calculo *veſicæ* differt ſequentibus.
   1) *Magnitudine*: *renalis* enim piſi menſuram raro excedit, *veſicæ*

*veſicalis* autem ita ſæpe excreſcit, vt ab oui columbini mole vsque ad anatini magnitudinem accedat.

2) *Textura: renalis* frequentiſſime aſperitatem in ſuperficie exhibet, *veſicalis* autem glaber & læuigatus quaſi adparet, inſuper ex pluribus lamellis, ceparum ſimilitudine ſibi inuicem ſuperinductis, ac ætatem circiter huius concrementi deſignantibus, conſtat, in meditullio autem ſui ſubſtantiam plerumque ſabuloſam fouet.

3) *Firmitate: renalis* ante, quam ſiccior euadit, fragilis, immo friabilis, *veſicalis* autem durus eſt.

4) *Numero:* in renibus multi ordinarie calculi reperiuntur, in veſica autem pauci, immo ſæpe vnicus tantum deprehenditur.

5) *Colore:* renalis ordinarie rufeſcit.

6) *Calculus renum* frequentius occurrit, quam calculus veſicæ.

7) *Reliquam differentiam ſigna, ſubiecta* & *cauſſæ* docebunt.

2. Calculi *renalis* differentiam *a nephritide,* & conuenientiam pariter cum illa, præcedente tabula exhibuimus.

3. Calculus *renum* non confundendus eſt cum *tartarea* illa *concretione*, quæ in vrinis atthritico-rheumaticorum obſeruatur, & vulgo hominibus pro ſabulo imponit: nam verum ſabulum, & calculi, ſtatim poſt vrinæ miſſionem in conſiſtentia ſolida fundum petunt, concrementum autem tartareum arthriticorum po ſt refrigegerium demum vrinæ coaleſcit.

4. Calculus *veſicæ* eſt vel

1) *indigena*, qui in ipſa veſica natus, aut educatus eſt; vel

2) *aduena*, qui ex renibus per vreteres in veſicam prolabitur, & vlterius dehinc promouetur.

5. *Motus* calculoſi ab ipſa calculi præſentia bene ſunt diſtinguendi: ſæpe enim ingentes ſpaſtico-dolorifici motus adſunt, vbi tamen vel nullus, vel tantum exiguus calculus, præcipue in veſica geſtatur, ſine inſignibus doloribus & vitiis vrinæ.

6. Diuiſio calculi *in dolentem & non-dolentem* fundata potiſſimum eſt *in ſubiectis:* Phlegmatici enim, ob laxiorem partium texturam tam exquiſitos dolores & cruciatus numquam incurrunt, quos ſanguinei experiuntur. *Conf. ſigna calculi renalis.*

7. Ceterum in aliis quoque corporis partibus, e. g. hepate, pulmonibus, concrementa eius modi occurrunt, quæ cum adfectu noſtro, qui καὶ' ἐξοχὴν calculus dicitur, quod ad cauſſas præcipuas attinet, conueniunt.

III. *SIGNA.*

1. Calculi *renalis.*

1) Dolor in lumbis vel vtrimque vel in alterutro tantum latere.

2) Isque profundus, conſtrictorius, tenſiuus, preſſorius & talem ſenſum exhibens, ac ſi palus ibidem infixus eſſet: ad minimum a ſuſpicione ſuppurationis aut vlcerationis non alienus eſt.

3) In *pure* ſanguineis hic dolor ad exquiſitisſimos cruciatus, & inflammatorios ardores excedit.

4) In phlegmaticis autem ſtupor ſolum, languor & flatulentia obſeruatur.

5) Quieto corpore dolor notabiliter miteſcit, a leui autem occaſione paroxyſmus denuo prouocatur.

6) Tempore huius exacerbationis ægri, præcipue ſanguinei, multa & diuturna horripilatione, vel frigore plane percelluntur, cum phlogoſibus intercurrentibus, & tonici motus alternis mutationibus, donec tandem calculi excretio ſubſequatur.

7) In paroxyſmo autem curuati incedere coguntur calculoſi.

8) Ipſi motus conuulſiui in grauiore paroxyſmo eosdem interdum occupant.

9) Aluus ordinarie adſtringitur.

10) Interdum dolor quidam in glande penis ſentitur, & paruuli calculi ſeu granula quædam *faſtigiata*, quæ faciem cryſtallorum ſalinarum repræſentant, in illa reperiuntur.

11) Quan-

11) Quando calculus per vreterem deſcenſum tentat, ad regionem oſsis *ilii* vsque dolor excurrit.

12) Qui in vno magis latere calculum gerunt, illi tempore exacerbationis ſtuporem femoris & reſtrictionem teſticuli in illo latere perſentiſcunt.

13) Vomitus, tormina colica & defectus adpetitus ſæpe paroxyſmum antecedunt, ſicuti *mictus cruentus* ipſius calculi geneſin.

14) Vrinæ vitia frequenter concurrunt: modo enim iſchuria, modo dyſuria, modo, & ſæpiſſime quidem, adfectus ex his duobus mixtus, nempe ſtranguria, adfligit.

15) Præter ea interdum ſabulo, interdum paruulis calculis, interdum muco viſcido, ab ordinario veſicæ muco diſtinguendo, vrina imbuta eſt.

16) Renes calculoſi, facta ſectione, ordinarie flaccidi, ſemi conſumti, cum purulentis & fiſtuloſis tractibus reperiuntur.

2. Calculi *veſicalis*.

1) Calculus *veſicæ* magis ad quietem compoſitus eſt, quam *renalis*, cuius elidendi conatus fere indomiti exſiſtunt.

2) Quando autem concrementum illud in veſica commouetur, tum atrociſsimi dolores inducuntur.

3) Hic vitia vrinæ æque ac in renum calculo occurrunt, nempe frequens ſtranguria aut plenaria huius excretionis ſuppresſio.

4) Quando patientes deſident, ſenſum alicuius ponderis in perinæo obſeruant.

5) Qui ſenſus poſt vrinæ misſionem facile exacerbatur.

6) Vrina, quando omnino procedit, furfuraceum quaſi mucum exhibet, interdum etiam aliquid arenæ.

7) Speciale ſignum eſt, huiusmodi ægros varia ſpaſtica incommoda circa anum & genitalia perſentiſcere.

8) Specialisſimum & omnium certisſimum ſumitur a contactu calculi per cateterem.

IV. *SVBIECTA*.

1. Calculi *renalis*.

1) Eadem fere ſubiecta, quæ a nephritide corripiuntur, calculo etiam obnoxia euadunt, nempe
2) Homines temperamenti *ſanguinei* dominantis, habitus corporis laxi, poroſi,& ſpongioſi, in quem ſanguis altius penetrare poteſt.
3) *Graciliores* rarisſime a calculo infeſtantur, niſi vel hæreditaria diſpoſitio vel cauſſa violenta, externa, vel peruerſa empyrica aliorum adfectuum tractatio, vel euacuationum ſanguinis adſuetarum ſuppresſio, aut neglectio, accedat.
4) Ætas iuuenilis, frequentius autem virilis, & ſæpe etiam ſenilis huic malo ordinarie expoſita eſt.
5) Hæmorrhoidarii, ſi hunc fluxum ſæpe, diu & copioſe habuerint, poſt ea autem illius ſuppresſionem incurrant, valde præcipites ſunt in mictum cruentum, nephritidem & calculum renalem.
6) Vel quibus hæmorrhoides parce & impedite ſuccedunt.
7) *Podagrici*, multum & grauiter a ſuo malo vexati, ſæpe etiam a calculo adfliguntur.
8) *Sexus virilis* longe magis calculo *renum* expoſitus eſt, quam *femininus*.

2. Calculi *veſicalis*.

Calculus veſicæ euenit

1) Ætati puerili, immo infantili, ſi vel parentes, vel proximi agnati, calculoſi aut arthritici fuerunt; ad quod negotium ſalſa *nutricum* diæta multum etiam contribuere poteſt.
2) Ætati autem adultiori & ſenili, quando calculus euenit, is ordinarie *natales* ſuos renibus, & *incrementum* tantum veſicæ debet.

## V. *CAVSSAE.*

1. Calculi *renalis*.

1) Cauſſa *antecedens remota* eſt congeſtio ſeu reſtrictio ſanguinis verſus renes.
2) Cauſſa *antecedens propinqua* eſt inflammatoria ſtaſis, & deinde corruptio, ſiue purulenta, ſiue ſalſo-vlceroſa

3) Cauſſa

3) Cauſſa *proxima* & *continens* eſt lympha γλισχρὰ ſeu glutinoſa, quæ ex vlcere renali exſudat, & accedente *ſalſugine* vrinæ, primum in lentum mucorem, mox in tophaceam cruſtam, & ſenſim in duritiem conuertitur, quod concrementum tam diu augetur, donec aliqua occaſione auulſum conſtrictione peluis atque vreterum, in veſicam detrudatur.

4) Calculum enim non conſtare ex ſola materia lapidea & terrea, adparet primo exinde, quod neque totus, neque breui in menſtruis ſalinis ſoluatur, deinde, ſi excretus libero aëri exponitur, pondere notabiliter imminuatur, tertio igni commiſſus non ita parum ſalis volatilis, olei empyreumatici & humiditatis exſpiret, & quarto, recens eiectus friabilis ſit.

5) Cauſſæ *procatarctica* ſunt vel phyſicæ, e. g.

a) Concusſio corporis per nimiam equitationem aut vecturam.

b) Lapſus aut ictus in lumbos.

c) Abuſus vini & veneris.

d) Abuſus diureticorum calidorum; vel

6) *morales*, eæque omnium efficacisſimæ e. g.

a) Iracundia.

b) Terror etiam, licet ἀνομαλῶς.

c) Quibus hæreditaria diſpoſitio omni iure adnumeratur.

2. Calculi *veſicalis*.

Huius cauſſæ eruendæ diu exercuerunt Medicos, quorum alii fundamentum in exſiccatione muci per exhalationem quæſiuerunt, alii autem certos ſpiritus *petrificos* & entia *lapidifica* finxerunt; ſed genuina ratio calculi *veſicæ* non multum diſpar eſt rationi calculi *renum*, nempe

1) Cauſſa *formalis* conſiſtit in erroribus motuum excretoriorum, per hæreditatem communicatis.

2) Cauſſa *materialis* eſt materia mucido-ſalina, quæ per motum talem erroneum nimis copioſe in hac ætate ad vias vrinarias propellitur.

3) Cauſſæ

3) Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* ſunt
a) diæta craſſa in tenera ætate.
b) Potus fæculenti & acidi.
c) Vehementes abdominis concuſſiones.
d) Situs infantum in vtero etiam aliquid ad hunc cenſum poteſt contribuere.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Generatim
1) Verus calculus eiusmodi malum eſt, quod rariſſime exſtirpatur, adeo, vt iactatæ huius morbi heroicæ curationes omni iure in dubium vocandæ ſint: ſæpiſſime enim in talibus caſibus error ſubeſt diagnoſeos, & tartarus vrinæ cryſtallinus pro ſabulo vero diiudicatur.
2) Calculoſi pereunt ſæpiſſime hecticis conſumtionibus; quando autem *grandior* calculus præſto eſt, præcipue in veſicam prolapſus, tum exacerbationibus, immo conuulſionibus, febris facile *acuta* ſuperuenit, & mortem accelerat.

2. Calculi *renalis* ſpeciatim
1) Conſtans perſanatio non ſperanda eſt, ſed
a) vel fruſtra tantum, & quidem ad breue tempus, ſopitur
b) Vel in hæmorrhoides aut podagram fit tranſitus; quo tamen caſu vix vmquam impetus aut ſolidus proventus calculi tollitur.
c) Vel tranſit denique in *magnam* vlcerationem renum, quam non inepte *phthiſin renalem* quidam adpellant.
2) Non deſunt quidem exempla, quæ ſemel iterumue calculo renum laborarunt, & liberata ſunt, ſed id bonitate magis vegetæ naturæ, quam medicamentis factum eſt.
3) In ſubiectis autem annoſis, & præſente virium iactura, nihil integrum eſt ſperare.
4) Conſtitutionem autem vlceroſo-calculoſam in renibus æque ac in phthiſi pulmonali, per plures annos ab euentu lethali defendi poſſe, experientia docet.

5) Non-

5) Nonnulli calculoſi cum quotidie materiam vlceroſo-ichoroſam emiſerint, a calculis poſt ea immunes vixerunt.

6) Mictus cruentus, vt calculum renalem ſæpe antecedit, *vid. ſigna*, ſic etiam eidem frequenter ſuperuenit, rariſſime tamen illis; qui magnorum calculorum vel multorum tenuiorum, prouentu laborant. Hinc quo copioſius in talibus conſtitutionibus calculoſis ſanguis per mictum cruentum excernitur, tanto minor vel dolor vel calculi prouentus, aut concurſus deprehenditur.

7) Calculus maioris molis minores & perraras excernendi moleſtias faceſſit.

8) Quo magis autem aſper eſt, eo acutiores infert dolores.

3. Calculi *veſicalis* in *ſpecie*.

1) Veſicæ calculus, præcipue maior, toti pharmaciæ hucusque non obedit, ſed chirurgica plerumque ſubſidia efflagitat.

2) Licet autem chirurgica operatione ſemel ſublatus ſit calculus veſicæ, nouæ tamen concretionis periculum ſemper impendet.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Calculus renum & veſicæ vna eademque pharmaceutica methodo commode tractantur.

1. *In paroxyſmo.*

1) Præ omnibus aluus per clyſteres expediatur, & ſi etiam aperta ſit, aliquoties tamen adhibeantur: hi enim anxietates ſyncopticas, & tormina colica, eximie levare ſolent, præcipue ex veronica parati.

2) His protinus iungantur pulueres nitroſo-temperantes cum ſale digeſtiuo & cinnabari combinati, e. g.

Rec. Nitr. depurat.
tartar. vitriolat. ana drach. II.
ocul. cancr. acido citri ſaturat.
ſang. hirci præparat. ana drach. I.

cina-

cinabar. opt. ſcrup. II. M. doſ. ſcrup. I.
Singulis binis horis repetatur, donec dolores miteſcant.

3) Loco huius pulueris *ſenibus*, ſalia minus tolerantibus; exhiberi poſſunt diluentia, lubricantia & emulſiua. Huc pertinent
- a) Diluentia calida ex infuſis thée, coffée, decoctis aperitiuis ex cichor. aſparag. &c.
- b) Lubricantia pinguia & emollientia, e. g. oleum amygdalar. dulc. emulſiones dulciores, & abunde ſaccharatæ, ne vel in mucorem, vel in acerbam auſteritatem degenerent, mucilago hordei, auenæ, infuſ. lini.
- c) Pectoralia fere omnia.
- d) Decoctum nephriticum *Foreſti*.
- e) Conſerua roſarum.
- f) Decoctum & ſuccus rad. altheæ, glycyrrhizæ.

4) In dolorum nimia exacerbatione anodynorum refractæ doſes interponantur. Huc pertinent
- a) Theriaca cæleſtis.
- b) Maſſa pilularum de cynogloſſa.
- c) Pilulæ *Wildeganſii* genuinæ.
- d) Tinctura opii *Langelotti*.
- e) Cum hiſce anodynis alexipharmaca coniungantur.

5) *Externe*, præter clyſteres ſuperius commendatos, ſimul in auxilium vocentur relaxantia.
- a) Balnea ex furfuribus cum ſemine lini, fœnugræci, &c.
- b) *Fotus* aut calidi ſacculi ex herbis & radicibus emollientibus, e.g. rad. altheæ, maluæ, herb. violar. parietar. chamomill. melilot. branc. vrſin. adiectis ſeminibus modo dictis.
- c) *Vnguenta* emollientia ex pinguedine human. medull. ceruin. in calculo *veſicæ*.
- d) *Olea* in eadem calculi ſpecie, e.g. ol. lumbric. terreſtr. camphoræ.

6) Vbi minorum calculorum præſentia ſatis conſtat, ibi pro

6) Vbi minorum calculorum præſentia ſatis conſtat, ibi pro ſubiectorum conditione *pellentia* ſubiungere, vel potius cum vſu relaxantium coniungere conſultum eſt. Huc pertinent *diuretica* & ſic dicta *lithontriptica* temperata, e. g.

a) Fraga, præcipue infuſum illorum, cum ſpiritu vini.
b) Fructus alkekengi.
c) Fructus cynosbati.
d) Nuclei perſicorum.
e) Rad. & herb. petroſelini.
f) Semen milii ſolis, violarum, vrticæ, dauci.
g) Ciceres rubri in decocto.
h) Succus raphani, qui egregie pellit, & tamen æſtum non auget.
i) Præ ceteris amygdalæ amaræ, quotidie 6-8. comeſtæ.
k) Item ſemen bardanæ ad ſcrup. I.
l) In infantibus aquæ fragor. petroſelin. vrticæ minoris.
m) Tincturæ alcalinæ. e. g. tinct. antimon. tartariſat. tinct. ſalis tartari.
n) Diureſin etiam promouet puluis ille ſalinus num. 2) deſcriptus.

7) Et quoniam febriles commotiones ordinarie accedere ſolent, opponi illis ſtatim poſſunt alexipharmaca & æqualem humorum diſtributionem promouentia. Huc pertinent

a) Eſſ. alexipharmaca *Stahlii,* mane exhibita.
b) Antimon. diaphoret. pulueri ſub num. 2) immiſcendum.
c) Diluentia calida, e. g. potus thée, coffée
d) regimen leniter diapnoicum.

8) Tandem remittente exacerbatione neruino-ſtomachica adhibeantur.

9) Calculus *renalis* quando in veſicam demiſſus eſt, conducit infuſum quoddam, in primis ſem. lini, in loco ſubfrigido ad impletionem veſicæ hauſtum, quo multa demum vrina eiiciatur.

 2. *Extra*

2. *Extra paroxyſmum.*
1) Quantitas ſanguinis imminuatur
a) vel per reuocationem euacuationum naturalium, e. g. hæmorrhoidum, menſium.
b) Vel per ſubſtitutionem artificialium, e. g. venæ ſect. æquinoctial. ſacrificat. quæ maxime repetendæ ſunt, ſi forte æger eas neglexerit.
2) Laxationes quater per annum inſtituantur per rhabarbar. fol. ſenn. cum cinnamom. aniſ. tartar. ſolub. in vin. infuſ.
3) Mundificatio & conſolidatio tentetur per balſamica & traumatica, ex quibus primum locum hic habere creduntur
a) Virga aurea *Geſneri,* & reliquæ conſolidarum ſpecies,
b) Chærefolium.
c) Heder. terreſtr. pyrol. ſanicul. auricul. muris, in ſucco, vel melius cum melle in decocto, aut electuario, exhibita.
d) Conſerua roſarum.
e) Succinata temperatiora; reliqua videantur ſub *cautelis.*

3. Diæta cruda, flatulenta, venus, corporis & animi inſignes commotiones euitentur. Potus ſit aqueus, calidus, ex infuſ. thée, veronic. heder. terreſtr. virg. aur. emulſiuus cum pectoralibus; cereuiſia bene defæcata, vel, more Anglicano, cum ſucco betulæ, vel ſemine dauci fermentata.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. In adfectibus *calculoſis* per ancipitem prognoſin fama artis ſemper tuenda eſt; præcipue in ſtatu iam inueterato.
2. In calculo *veſica grandiore,* viarum proportionem excedente, pharmacia moderamen tantum ad aliquod tempus præſtare, ſolidum autem auxilium adferre non poteſt. Magnitudo vero calculi explorari poteſt in viris per digitum inteſtino recto immiſſum.
3. Confugiendum ergo erit in vegetioribus ad chirurgica præ-

præſidia, extractionem nempe, vel exſectionem; niſi intolerandos fere dolores interdum experiri, perpetuo catateris vſu iſchuriam ſoluere, maiorem calculi epigeneſin, conuulſiones, & tabem corporis, præſtolari malint.

4. *Extractio* calculi magis locum habet in feminis, ob breuiorem & ampliorem vrethram, quam apud viros; quamquam Ægyptii in his quoque extractionem, & quidem hac encheireſi tentare ſoleant, vt flatu immiſſo vrethram dilatent, & ſic egreſſum calculi commodiorem promoueant.

5. *Exſectio* ſeu *lithotomia* noſtro tempore vnicum & vltimum fere eſt conſilium.

6. Quamvis autem calculus vel pharmacia, vel chirurgica manu, excluſus fuerit, reſtat tamen periculum *noui* illius prouentus; cum iteratam geneſin intercipere non ſemper ſit in Medici poteſtate.

7. *Lithontriptica*, ſeu calculum reſoluentia & comminuentia per *tria regna* a Practicis decantata, veritatis vix vmquam teſtimonium merentur: calculus enim non eſt indolis pure terreæ, ſoluentibus menſtruis auſcultantis; vti quidem multi fingunt, & hinc modo *ſpiritum tartari* ex ſymboliſmo ad concretiones tartareas diſſoluendas, modo *ſpiritum nitri*, quod nitrum lapides in pollinem reducere videatur &c. laudant. Multa talia vel præbent materiam, vt ſabuloſa vrina mox excernatur, vel ad minimum adfluxum materiæ, in corpore iam hærentis, ad renes augent, cuius cenſus etiam ſunt *lapis iudaicus*, lyncis, & ſimilia.

8. Efficaciæ *aſellorum* præparatorum nemo peritus ſubſcribet, licet a *Dygbao* valde extollatur.

9. Neque efficacia *gryllorum*, in actis N. C. adlegata, experientia ſatis confirmata eſt.

10. Idem ſentiendum eſt de experimento illo, quod eodem loco de *veſica leporis* combuſta enarratur, ac ſi calculus per eamdem in limum ſit reſolutus.

11. Sic etiam *ſtupenda* efficacia *virgæ aureæ Geſneri*, ad reſoluendum

dum calculum, nondum innotuit, licet a multis commendetur.

12. *Petroſelinum, fraga, baccæ alkekengi* ſatis quidem efficaciter vrinam & calculum pellunt, ſed non reſoluunt.

13. Quidquid in hoc genere ſperare integrum eſt, magis in iniectione per *ſyringam,* quam adſumtione per os quærendum, licet de menſtruis acrioribus, hodie præſentibus, non immerito metuendum ſit, ne veſicam citius quam calculum arrodant.

14. Dictorum omnium manifeſtiſſimum ſpecimen cernere poſſumus, ſi remedium tale lithontripticum, etiam optimum, ſufficiente ſatis quantitate, calculo cuidam humano adiiciatur, & ex effectu deinde conſideretur, quid in corpore humano exiguæ illæ guttulæ effectura ſint, de quibus, quantum ad locum adfectum pertingat, non facile poteſt colligi & exacte declarari.

15. *Pellentia* cautiſſime adhibenda ſunt; præcipue ſi vel maiores ſint calculi, vel acutiores: nam expulſio requirit ſpaſmodicam conſtrictionem renum & vreteris, vnde tranſitus calculi potius impeditur, dolores exacerbantur, viæ læduntur, adfluxus augetur, & inflammatio, præcipue in ſanguineis, prouocatur.

16. Ante igitur, quam ad talia pellentia progrediamur, probe inquirendum eſt, num ſpaſmi dolorifici remiſerint, & moles calculorum viarum amplitudiue reſpondeat; præter ea, ad ſpaſticam conſtrictionem mitigandam, pellentibus hiſce ſemper emollientia externa, ſub *methodo* commendata, coniungenda ſunt.

17. Quæ *tabula de nephritide* monuimus ratione *calidorum oleorum* & aliorum acrium pellentium, ea hoc etiam loco repetenda ſunt. Abſint itaque inter pellentia *olea deſtillata* & *diuretica acria*, cuius cenſus ſunt raphanacea, de allio, cepis, ſalia acria alcalina, ſpiritus nitri dulcis, ſpiritus ſalis armoniaci, ſalis communis &c. quæ humorum ad renes maiorem decubitum incitant, & vlcerationem augent.

18. *Herbæ vulnerariæ* a Practicis contra calculum variæ quidem com-

commendatur, ſed ſi quantumcunque adſtringentes fuerint, notabilem exacerbationem inferunt, præcipue ſi calculus iam increbuerit, & manifeſtior adſit vlceratio, cum continuis dorſi doloribus.

19. Speciatim *milleſolium* & *marrubium album* in calculo renum nimium irritare, & exulcerationem augere obſeruantur. *Conf. tabula de phthiſi.*

20. Pro ſcopo *balſamico* non conueniunt aloetica, myrrhata, ol. terebinth. balſam. ſulphuris, & alia acriora balſamica, quæ orgaſmum ſanguinis promouent. Hinc ne balſamum quidem Peruuianum aut copaiuæ citra ſenſibilem ardorem, calorem, ſitim & ſiccitatem oris propinatur.

21. Mitigatio inſultuum minus commode per *opiata* tentatur. Quod ſi vero pro obnubilando dolore aliquid opiati adhibere placeat, M P. de cynogloſſa hoc nomine erit tutiſſima: modo ſollicite coniungantur alexipharmaca, & regimen mediocriter diaphoreticum. Sin ſecus, per abuſum opiatorum mors acceleratur, vel ad minimum chronici periculoſi adfectus inducuntur.

22. *Puluis Volkammeri* calculum quidem ipſum non tollit, quoniam autem ab omni narcoſi alienus, & ob gemmarum ingredientia antiſpaſticam habet efficaciam, ad placandas commotiones, calculum comitantes, egregium edit effectum.

23. *Balnea* non omnibus proficua ſunt: in nonnullis enim adfectus aſthmatici vel febres ſynochæ per illa prouocantur.

24. *Acidulæ* temperant quidem diluendo generaliores nephriticos orgaſmos, ſed quia motum humorum ad renes magis augent, impediunt conſolidationem.

25. Quæcunque in *pectoris* vitiis ſolamen adferunt, illa in *renum* quoque læſionibus cum effectu adhibentur. *Conf. tabula de phthiſi.*

26. Quem ad modum ſal digeſtium *Syluii*, & alia ex ſale communi præparata, cuius vlcerationi inimica reperiuntur, ita mucidis præcipue phlegmaticis non interdicendus

 eſt

eſt vſus ciborum modice ſalitorum, ex quibus multi potius leuamen, quam damnum ceperunt. Prima vero laus ſali marino, de nitro participanti, competit.

# TABVLA XLV.
## DE
# SPASMIS IN GENERE.

I. D*EFINITIO.*

1. Spaſmus eſt rigida tenſio & attractio vnius vel plurium muſculorum, in vno aut altero corporis membro, præcipue vero in artubus: vnde non ſolum particularia illa membra, quibus mouendis muſculi tales inſeruiunt, in ſitu rigido detinentur, ſed etiam in muſcluo, adfecto, rigida durities percipitur: ita ut membra non ſint in poteſtate ægroti, donec illa rigida & ſenſibilis tenſio remittat. Deriuatur a *σπᾶν* trahere.
2. Vel breuius: Sapſmus eſt exacerbatio motus tonici, in partibus præcipue muſculoſis, ad talem ſenſibilem gradum, vt ægri acribus plerumque doloribus exerceantur, & pars vere in præſens adfecta rumpi quaſi videatur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Spaſmus eſt
   1) vel *vniuerſalis*, qui latius per totum corpus ſe diffundit & rarior eſt;
   2) vel *particularis*, qui ſingulares partes, a capite fere ad calcem, occupat, & frequenter occurrit.
2. Ad ſpasmum *vniuerſalem* ſequentes ſpecies pertinent.
   1) *Tetanus*, quo vniuerſum corpus obrigeſcit, vt in ſitu recto immotum iaceat.
   2) *Emproſthotonus* antrorſum incuruat corpus, vt genua capiti adducantur.
   3) *Opiſthotonus* retrorſum inclinat corpus, daß man unter dem Rücken hinkriechen könte.

4) Ca-

4) *Catalepſis* vniuerſum corpus repente in tali ſitu, quo illud prehendit, firmiſſime rigidum detinet, vt geſtus oris, oculorum ac membrorum, plane eosdem ſeruet: rariſſimus eſt adfectus.

3. Ad ſpasmos *particulares* pertinent ſequentes ſpecies in variis corporis locis occurrentes.

1) In *capite:*

a) *Spasmus cynicus,* qui eſt torſio & tractio quædam oris, inſtar canis ringentis, formata & per plures horas continuans, cum euentú ſæpe lethali; ſiquidem vel in apoplecticos vel conuulſiuos exitus; vel vtrosque coniunctim hic rictus terminatur.

b) *Riſus ſardonius,* qui a *ſpaſmo cynico* non differt, niſi quod abſolute veluti *cum delirio* coniungatur; quale quid in *ſpaſmo cynico* obſeruare non contingit.

2) In *occipite* notandus eſt *ſpaſticus* ille adfectus, qui *feminino* præcipue ſexui vſitatior, cum aliis *rheumaticis* atque *hemicranico arthriticis* pathematibus, infimum *occiput,* nempe *muſculos* illos, qui capitis erectioni, & in vtrumque latus *conuerſioni* ſuccurrunt, prehendit; cum tanta ſubinde vehementia, vt non ſolum *rigidam, ſpaſticam*, caput circumflectendi impotentiam inde experiantur ſed etiam *contentionem* illam *ſpaſticam* tenſam atque rigidam, ita ſecundum ſitum horum muſculorum exquiſite perſentiſcant: vt ex illis partim verſus vtrumque *latus* ceruicis, partim ſecundum *longitudinem* eius ſitis muſculis, tamquam *animalculi* cuiusdam, *muris*, ideam ſibi concipiant, & veluti expanſis atque defixis eius *pedibus*, ita caput, ſeu potius ceruicem, correptam detineri pronuncient.

3) In *collo* adfectus ille tenſiuus ex incommodo ſitu aut decubitu inter dormiendum, in ſpaſmis etiam numerandus eſt, & vulgo ſenſum hunc ita exprimunt: ſie haben übel gelegen, es ſey ihnen der Hals davon gantz ſteiff, daß ſie ſich nicht wohl umſehen können.

4) In *æſophago* æque ac *ventriculo* occurrunt ſpaſtici velut

*rigores*, qui *deglutitionem* partim impediunt, partim id,quod ægre adſumtum eſt, nauſeabunda contentione ferunt, & vehementes anxietates ægrotantibus inferunt, vt magnis querimoniis deteſtentur, es ſeye nicht anders, als wolte es ihnen das Hertze abdrücken.

5) In *inteſtinis* ſpaſticæ atque rigidæ tenſiones,ſub adfectu, qui *colica flatulenta* audit, ſæpiſſime contingunt, per quas inteſtinum colon præcipue adficitur, vt ægri non tantum conſtringentem & tendentem illum ſenſum exquiſite percipiant,(dum aiunt: es drücke ſie wie ein Stein im Leibe, als wenn alles darinn zerſpringen, oder der Leib ihnen aufplatzen wolte) ſed & ſæpius poſt mortem rigidiſſimas inteſtini coli ſtricturas diſtincte, exhibeant. Maxime vero conſpicua eſt huius modi *ſtrictura ſpaſtica* in altioribus colicis doloribus,in ipſo *inteſtino recto*, vt ne cannulam quidem clyſticam, nedum altius ipſum clyſterem admittat.

6. *In pene priapiſmus* denotat grauiſſimam & anxio dolore ſtipatam membri virilis tenſionem, a *ſatyriaſi* differentem,quæ in procaci magis erectione conſiſtit.

7) In *veſica* & præcipue eius *ſphinctere* occurrunt etiam ſpaſticæ ſtricturæ, quæ in ſtranguria, item in calculi renum & veſicæ paroxyſmis vehementer ſæuiunt. Tandem etiam *teneſmus* ſpaſmis potius, quam conuulſionibus adnumerandus eſt.

4. Ad ſpasmos *particulares* vlterius referendi ſunt

1) Adfectus *arthritici*, de quibus ſequente tabula ſpeciatim agetur.

2) *Incubus* ſeu *ephialtes*, thoracis ſpasmus; videatur *tabula de incubo*. Occurrunt autem alii adhuc *thoracis ſpasmi* ſatis vehementes, qui per plures horas immo aliquot dies ægros anxie adfligunt, & ſumma ſui energia, *reſpirationem* intercipiendo dubiam reddunt *apoplexiæ* & *catarrhi ſuffocatiui* indolem: nec mirum, ſi a vehementi tali regurgitatione humorum verſus caput, partim *cruentæ*, partim *ſeroſæ* effuſiones circa ambi-

ambitum cerebri, diuerſa phænomena exhibentes, nonnumquam eueniunt. *Conf. theor. med. Stahl. pag. 883 884.*

3) *Aſthma ſpaſticum* ſeu *conuulſiuum: vid. tabula de aſthmate conuulſiuo.*

4) *Spaſmus fixus Paracelſi* hic etiam nominandus eſt; licet ipſi auctori nondum adeo *fixus* fuiſſe videatur: mox enim ad arthriticos & podagricos adfectus, mox ad contracturas &c. eumdem refert.

5) Sic etiam huc adnumerandus venit repentinus ille ſpaſmus, *flatulentus* alias dictus, qui muſculum celeriter contrahit, eumque per aliquod tempus in rigore detinet.

6) Ad ſpasmos denique referendus eſt rigidus ille adfectus membrorum, e. g. quando manus illud, quod comprehendere debent, non ſatis complecti valent, aut nimis vehementer complexæ ſunt.

5. Spasmus porro diuiditur in

1) *repentinum*, qui muſculum celeriter contrahit, & eumdem per aliquam moram rigidum ſervat. Hæc ſpecies ſpasmi vulgo καὶ ἐξοχὴν der Krampf vocatur; &

2) *lentum*, qui iterum duplex eſt:

a) *Muscularis* ſeu *tendinalis*, vbi totus muſculus adficitur cum doloribus tenſiuis & grauatiuis & in contracturas membrorum denique terminat.

b) *fibrillaris*, qui paucas & ſingulares tantum fibras in muſculo quodam corripit; qualis in omnibus arthriticis adfectibus agnoſcitur. Hic in totum tandem muſculum ſe expandit, eoque ipſo dolorum impetum mitigat.

6. *Spaſmus* licet plerumque cum *conuulſione* confundatur & ambiguo ac confuſo ſenſu vocabulum hoc latine per *conuulſionem* vertatur, differt tamen ab hac duabus præcipue rationibus.

1) In ſpaſmis rigidum, ſtatarium & immanens quid reperitur, conuulſiones autem ſunt vagæ, reciprocæ, inſta-

biles,latius vagantes,& gradu vehementiores.

2) ſpaſmi minoris, conuulſiones autem maioris ſunt periculi.

7. Quoniam autem vehementes illi ſpaſmi, e. g. ſpaſmus cynicus, riſus ſardonius, aſthma ſpaſticum &c. cum veris conuulſionibus facile conſpirant, & *interſcenia* quaſi illarum plerumque obſeruantur, ex contrario in *arthriticis* adfectibus ſpaſmi multo mitiores & a conuulſionibus alieni ſunt; vocant hinc priores adfectus *ſpaſtico-conuulſiuos*, poſteriores autem *ſpaſtico-arthriticos.*

III. *SIGNA.*

Hæc ex iis, quæ ſub *definitione* & *differentia* dicta ſunt, elucent.

IV. *SVBIECTA.*

1. Spaſmis præ aliis obnoxii ſunt homines temperamenti ſanguinei, & habitus corporis poroſioris atque laxioris.

2. Illi, qui a parentibus, doloribus arthriticis adfectis, prognati ſunt & hæreditariam diſpoſitionem poſſident.

3. Adulti & ætatis prouectioris homines præ iunioribus.

4. Spaſmis etiam adfliguntur grauiter vulnerati, nec non, qui febribus acutis periculoſe decumbunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis generalior* eſt abundantia ſanguinis in corpore ſpongioſo & vaſis anguſtis.

2. Cauſſa *efficiens* horum ſpaſmorum eſt principium vitale, quod per illos plethoram imminuere & materiam incongruam corrigere intendit: licet enim ſpaſmi motus ſint *erronei*, non tamen ſunt motus *irrationales*, ſed propter certum finem ſemper inſtituuntur; nempe vt per ſtricturam partibus ita inductam, atque poroſa textura illarum, inſtar ſpongiæ compreſſa, humores in illis contenti exprimantur.

3. Cauſſæ *occaſionales* ſunt:

1) Diſpoſitio hæreditaria.

2) Animi pathemata, in primis iracundia & terror.

3) Im-

3) Immoderati nimiſque vehementes corporis motus voluntarii.

4) Abuſus veneris, vini & aromatum, item intempeſtiva atque intemperans adſumtio medicaminum calidorum & volatilium, nec non improuidus vomitoriorum & purgantium draſticorum vſus.

5) Tempeſtas humido-frigida, quæ rheumatiſmos inducendo, ſpaſticos tales motus concitat.

6) Euacuationum ſanguinis conſuetarum neglectus. e. g. ſcarificationis, de qua re exemplum notatu digniſſimum *conf. Stahlii theor. med. pag. 33-37.*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Spasmi *vniuerſales* repentina tali congeſtione humorum & ſtagnatione hinc ſubſequente, inflammationes internas plurimum inducere valent.

2. *Particulares* autem ſpasmi in conuulſiones facile transmigrant, & hoc eo certius, quo partes, quas occupant, ſunt nobiliores. Dum nimis diuturnis & ſimul ad modum fortibus contentionibus inſiſtunt.

3. Omnes ſpasmi *particulares* teſtantur quidem de conatu aliquo naturæ, ſed incompleto, &, ad effectum obtinendum, irrito: vnde ad maiora tantum & grauiora mala inducenda capaces exiſtunt.

4. Iunioribus ſi ſpasmi, ſimplices etiam, freqentius obueniunt, & conſuetudine in illis obfirmantur, augeſcente ætate adfectus ſpaſtico-arthritici exſpectandi ſunt.

5. Senioribus, minus adſuetis, ſpasmi, fortiter oborientes, apoplexiam, paralyſes, catarrhos ſuffocatiuos minantur.

6. Spasmi acutis morbis & vulneribus, præcipue cerebri, ſuperuenientes, ſunt omnes periculoſi, & propenſi ad lethales conuulſionum euentus.

7. Spasmi autem ſimplices, plethoricis ſanis rarius euenientes, plerumque ſunt innoxii.

8. *Spaſmus cynicus* degenerat facile in conuulſiones, & lethales plerumque inducit euentus.

9. *Priapiſmus* veneris vſum tollit, & hoc etiam reſpectu a *ſatyriaſi* differt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Motibus ſpaſticis occurritur.

A. *Extra paroxyſmum.*

1. Per ſinceras euacuationes ſanguinis, nempe
   1) Venæſectiones, iuſto tempore & quantitate, iuſto etiam loco, tam parti adfectæ, quam ætati ægroti reſpondente, inſtitutas.
   2) Scarificationes.
   3) Hirudines, quarum efficacia in ſpaſticis pathematibus, hypochondriacis & podagricis inſignis eſt.
2. Per euacuationes catharticas, ad ſordes primarum viarum & aliarum partium eliminandas. Hic conducunt e. g. helleborus niger, folia ſennæ, radix ialappæ, ſpecificum ialappinum, trochiſc. alhandal.
3. Per attenuationem ſanguinis ſpiſſioris; vbi conueniunt diuretica & incidentia mitiora rad. vincetox. valerian. pimpinell. alb. helen. dictamn. alb. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, tinct. antimon. tartari.
4. Methodus itaque ſpaſmos præcauendi & auertendi ſequente modo inſtituatur.
   1) Leniores laxationes per aliquot dies præmittantur.
   2) Deinde venæ ſectio inſtituatur.
   3) Poſt ea eſſentia quædam alexipharmaco-diuretica cum eſſentia ſuccini remixta, per octo circiter dies propinetur.
   4) Coniuncto vbique placido & continuo corporis motu.

B. *In paroxyſmo.*

Hic res conſiſtit in ipſius *motus* medicatione, quæ obtinetur

1. per *remedia generaliora* lenientia atque emollientia, vulgo *paregorica*, dicta, e. g.
   1) Per ſuccinum, modeſte & ſine ſeparatione ſuæ ſubſtantiæ vſurpatum, ſal ſuccini volatile, liquorem C. C. ſuccinatum, a ſuperfluo ſale vrinoſo liberatum.

2) Per

2) Per vegetabilia acriuſcula, quæ anticatarrhalia, neruina & carminatiua cenſentur, ex quibus temperata ſunt ſeligenda.

3) Per emulſiua, gelatinoſa, diluentia, nitroſa, cinnabarina.

2. Per *ſpecifica*, quorum multa quidem vulgo recenſentur, ſed pauca experientiæ reſpondent, e. g.

1) *Annuli antiſpaſtici* ex vngula alcis, cornu rupicapræ, mercurio coagulato, qui re vera nullius vſus ſunt.

2) Idem cenſendum de *annulis ferreis* ex catena patibuli ſumtis.

3) *Dentis hippopotami* encomium, ex *Taberna-Montani hydrographia* excerptum, legatur in diſſertatione de *lapide manati*, qui ipſe etiam ſpecificum habetur.

4) *Lumbrici* denique *terreſtres* maximam præ reliquis laudem merentur.

5) Qualecunque autem ſpecificum commendetur, exhibendum eſt illud methodo conueniente, nempe generalioribus præmiſſis.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Cinnabaris* ad motus ſpecifice moderandos ſatis quidem famoſa eſt, præſtat enim effectum in ſenſibilioribus & infantibus non contemnendum; pro vero tamen ſpecifico non cenſenda, fungitur potius officio *cotis*, quæ, exſors ipſa ſecandi, ferrum reddit acutum.

2. Puluis antiſpasmodicus ex nitro, ſale medico & momento cinnabaris paratus, in ſedandis ſpasmis egregii quidem vſus ſæpius deprehenditur, interdum autem non ſufficit; quo caſu largior portio cinnabaris rite præparata, addatur, ita vt quælibet doſis huius pulueris 6 - 8 grana cinnabaris contineat.

3. *Euacuatio ſanguinis* ſi non præmiſſa fuerit, parum efficient medicamenta iam laudata.

4. Hoc tanto magis valet de *ſalibus volatilibus vrinoſis*: hæc enim, licet præmiſſæ ſint ſanguinis ventilationes, non tamen niſi moderate adhibenda ſunt; melius autem operan-

rantur, ſi cum tinctura quadam alcalina, e.g. ſalis tartari vel antimonii, remixta exhibeantur.

5. Facilius eſt motus *conuulſiuos* ſpecificis compeſcere, quam *ſpaſticos.*

## TABVLA XLVI.

### DE

# ADFECTIBVS SPASTICO-ARTHRITICIS.

I. D*EFINITIO.*

Arthritis eſt ſpaſticus quidam adfectus, articulos, in quacumque corporis regione, propter humores in hæmorrhagicum quidem finem congeſtos, hic autem & illic ſtagnantes aut impeditius procedentes, pertinacius adfligens, numquam vero ad ſalutarem illum finem, quem principium vitale intendit, perueniens. Derivatur ab ἄρθρον, articulus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Arthritis interdum *generaliter*, & recte quidem, ſumitur, ac tum ſequentes præcipue ſpecies ſub ſeſe comprehendit:
   1) *Hemicraniam*, quæ dimidiam capitis partem occupat.
   2) *Pleuritidem ſpuriam*, vbi thorax adficitur.
   3) *Malum iſchiadicum*, quod in coxis adfligit.
   4) *Chiragram*, in qua manus occupantur.
   5) *Gonagram*, vbi genua patiuntur.
   6) *Podagram*, in qua pedes infeſtantur.
   7) *Gloſſagram*, quæ linguam occupat.

   Hæ ſpecies ſpecialibus tabulis explicitæ ſunt.

2. Interdum autem arthritis *ſpecialiter* ac *ſtrictiore* ſenſu accipitur, & ſic illos tantum ſpaſticos adfectus denotat, qui in *ſuperioribus* corporis partibus obueniunt, & tum cum podagra ſub vno genere *ſpasmi* conſtituta eſt, atque ita ab hac ſequente ratione differt: 1)

1) Arthritis, ſtricte ſumta, iuniores, podagra autem annoſiores occupat.

2) Arthritis ordine prior eſt, &, ætate accedente, in podagram facile tranſit.

3. Re ipſa autem omnes adfectus arthritici non differunt, niſi quod ad loca & tempora attinet; in reliquis autem eſſentialibus conditionibus & cauſſis generalibus prorſus conſpirant.

4. Arthritis diuiditur in *veram*, ſeu *fixam*, & *vagam*.

1) *Vera* in certis partibus hæret, & licet interdum alias quoque partes occupet, antea tamen adflictas non deſerit.

2) *Vaga*, *ſimplex* & *ſcorbutica* vulgo dicta, cito ab vno loco in alterum proſilit, e. g. ex thorace in coxas, & inde in pedes.

5. *Rheumatiſmus* & *arthritis* non ſunt res maxime diuerſæ, ſed ſubordinatæ, id quod *tabula de rheumatiſmo* vberius demonſtratum eſt.

6. Longius autem ab arthritide differunt *congeſtiones* & commotiones ſanguinis *ſimplices*.

1) Ratione *effectus*: nam congeſtiones non raro ad ſanguinis eruptionem perueniunt, arthritici autem adfectus numquam, licet eumdem finem reſpiciant.

2) Ratione *durationis*: congeſtiones enim breuiore ſæpius periodo, arthritici autem adfectus longiore circumſcribuntur.

3) Ratione *partium* adfectarum: congeſtiones partes magis interiores, arthritici autem adfectus non ſolum interiores, ſed potiſſimum etiam exteriores muſculoſas occupant: illæ vaſa ſanguifera, hic vero fibras muſculares ſigillatim adfligunt.

4) Ratione *euentus*: congeſtiones ad inflammationes vel vlcerationes, arthritici vero adfectus ad rigores, contracturas vel tabidam membrorum extenuationem inclinant.

*III.*

III. *SIGNA.*

1. Dolor interdum eſt tenſiuus, ſtrictorius & tractorius, qui motibus liberis illorum artuum, quos occupat, tantum infert impedimentum, quod ſub conatu demum mouendi euidentius emicat.
2. Interdum vero hic dolor magis eſt lancinans, vibratilis, nonnunquam etiam pulſatilis, compunctorius & fremebundus, ſub leui motitatione membri, velut rupturæ periculum adferens.
3. Non tamen iugiter æqualis eſt, ſed per vices remittit, immo quandoque intermittit.
4. In arthritide *vaga* dolor hic magis ſentitur vellicatorius & ſubtiliter reptilis, quaſi formicæ interiorem partem occuparent.
5. Pruritus & ardor coniunctus quidem eſt, ſed ſine rubore & tumore notabili, qui, ſi accedat, dolorum ſenſibilem mitigationem plerumque adfert.
6. Arthritis autem vaga non in vno loco hæret, ſed recurrit & euagatur, modo ad ſuperiora, modo ad inferiora, donec tumores in variis articulis poſt ſe relinquat.
7. Animus valde angitur ſub his cruciatibus, vires languent, adpetitus cadit & ſomnus deficit.
8. Nonnunquam æſtus volaticus interſtrepit.
9. Vrina rubra ſedimentum tartareum poſt refrigerationem in fundo deponit, & lateribus vaſis adfigit, hinc a ſabulo calculoſorum probe diſcernendum, quippe quod ſtatim cum vrina emittitur, mox in fundo colligitur, nec lateribus adhæreſcit.

IV. *SVBIECTA.*

Arthritidi crebrius obnoxii ſunt homines

1. Sanguinei, ſanguineo-cholerici, immo etiam de phlegmatico temperamento participantes, verbo: qui habitus corporis ſunt laxi & ſpongioſi.
2. Plethorici agiles, diæta plena, non raro etiam ſpirituoſa gaudentes, otioſi.

3. In-

3. Indolis animi immoderatæ, præcipitis, iracundæ, corpus cito & fortiter exagitantes.
4. Iuuenes æque ac viri ætatis conſiſtentis.
5. Euacuationibus ſanguinis naturalibus & artificialibus adſueti.
6. Macilenti raro his adfectibus laborant, niſi vel externa cauſſa, vel hæreditaria diſpoſitio, vel febres male curatæ occaſionem iis dederint.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* omnium adfectuum arthriticorum eſt plethora.
2. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod per motum ſanguinis plethorici certis partibus deſtinatum depletionem illius intendit.
3. Nempe hi motus, licet erronei ſint, reſpiciunt in hemicrania & gloſſagra narium hæmorrhagiam, in pleuritide ſpuria hæmoptyſin, in malo iſchidico, gonagra & podagra hæmorrhoides externas.
4. Cauſſæ *externæ*, *occaſionales* & *procatarctica* in deſcriptione *ſubiectorum* potiſſimum indicatæ ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Species horum adfectuum leniores, ſi ſæpius recurrunt, non minus in conſuetudinem abeunt, quam grauiores, immo ſucceſſu temporis facile in grauiores & fixiores arthriticos dolores degenerant.
2. Arthritici autem morbi, qui ſuperiores corporis partes in iunioribus ſubiectis occupant, non tam ſæpe & obſtinate eamdem pertinaciam ſeruant, neque tam diu ſingulis paroxyſmis ægros exagitant, quam podagra & malum iſchiadicum; quod ætatis genio maxime adſcribendum videtur.
3. Hemicrania enim & pleuritis ſpuria, augeſcente ætate, vel penitus iterum ceſſant, vel ad pedes deſcendunt.
4. Podagra autem ita plerumque inſoleſcit, vt vix vmquam ab illa in ſolidum iterum liberentur: hinc inueterata mitigari tantum, radicitus rariſſime exſtirpari poteſt.

5. Quo magis ſpaſmi ſunt particulares, & in exiguis partibus contingunt, eo minus vtilitatis habent, & ad ſcopum naturæ minime perueniunt.

6. Qui iunioribus annis frequentius & pertinacius ſpaſmos ſimplices experiuntur, augeſcente ætate variis arthriticis doloribus expoſiti ſunt.

7. Si vero ſpaſtico-arthritici dolores inferiorum partium ſubiecta iuniora mature adfligunt,longe grauius iisdem exercentur,quam ſenes,immo raro ad ſenium perueniunt, ſed ante,quam illud attingant, a doloribus iſtis vel nimis ferocientibus & in conuulſiones degenerantibus, vel retrocedentibus iugulantur.

8. Arthritico-ſpaſtici enim adfectus ad modum procliues ſunt ad recurſus internos, immo ad internas inflammationes,in primis ſi imperite tractati repelluntur.

9. Fiunt autem hi recurſus fere ſecundum ætates ad caput, diaphragma, præcordia,venam portæ, & ibi vel inflammatorios febriles, vel ſuffocatiuo-apoplecticos vel ſpaſtico-conuulſiuos effectus exſerunt.

10. Ab arthritide *vaga* facile *fixa*, nimirum malum iſchiadicum vel podagra initium capit.

11. Arthritis *vaga, ſcorbutica,* quo crudelior & diuturnior, eo magis ruit ad narium efferas hæmorrhagias, hæmoptyſes, interdum vomitus cruentos, non raro mictus cruentos, & ſæpe numero hæmorrhoides; vbi quam diu fluit ſanguis,dolor ceſſat,ſimul atque vero fluxus ſiſtitur, dolor recrudeſcit.

12. Quo citius medela adhibetur, & quo minus adfectus arthritici recrudeſcere adſueuerunt, eo facilius Medico auſcultant.

13. Quando autem tales ſpaſmi fixi iam ſunt,& longius a loco excretionis ſanguineæ, quam reſpiciunt, diſtant,pertinacius inſiſtunt & medicamenta adſpernantur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

1. Cauſſa materialis,nempe plethora eſt remouenda

1) Per

1) Per *venæ ſectiones*, conueniente loco & tempore inſtitutas.
2) Per adplicationem *hirudinum*, ad hæmorrhoides promouendas.
3) Per *ſcarificationes* in ſubiectis ſpongioſis.

2. Cruditates primarum viarum, præcipue bilioſæ, vtpote motus ſpaſticos inſigniter exaſperantes, ſunt abſtergendæ & leniter eliminandæ.
1) *Abſtergunt* ſalia digeſtiua: arcanum duplicatam, nitrum antimoniatum,& tartarus vitriolatus,&c.
2) *Eliminant* lenia laxantia,e. g. potiunculæ rhabarbarinæ, ſennatæ cum paſſulis, tartaro ſolubili, ſale Anglicano, liquore terræ foliatæ tartari maritatæ: item vina medicata ex incidentibus, abſtergentibus, alexipharmaco-diureticis & purgantibus parata.

3. Orgaſmus ſanguinis & craſis ſulphureo-ſalina ſunt temperanda, rigor ſolidarum partium eſt demulcendus, quod præſtant nitroſa,abſorbentia ſalina,emulſiua, in ſpongioſis & robuſtis acida fortiora.

4. Æqualis humorum diſpertitio eſt adiuuanda,
1) In *cholericis* per ſalia media, potum ſufficientem tenuem ex decocto C. C. infuſa thée, coffée,item ex herbis diſcutientibus chamædrios, dulcamaræ, hyſſopi,verbenæ,veronicæ,chærefol. &c.
2) In *aliis* temperamentis ſimul adhiberi poſſunt alexipharmaca temperata, e. g.
a) Eſſent. alexipharm. *Stahlii* cum eſſent. ſuccini remixta.
b) Item decocta lignorum & radicum reſoluentium, e. g. ligni ſaſſafras, radicum ſarſaparill.chinæ, pimpinell. alb. bardanæ &c.

5. Motuum ſpaſtico-dolorificorum vehementia eſt mitiganda & diſſoluenda.
1) *Mitigant:* antiſpaſmodica cinnabarina, puluis lumbricorum terreſtrium, & anodyna per alexipharmaca correcta, e.g. theriaca,pilulæ *Wildeganſii* genuinæ, M. P. de cynogloſſa.

2) *Diſſoluunt:*

a) *Interne:* diapnoica & lenia alexipharmaca, modo commendata, in declinatione autem mixtura tonico-neruina *Stahlii.*

b) *Externe:*

α) Spiritus vini camphoratus crocatus.

β) Spiritus acidus formicarum.

γ) Spiritus lumbricorum terreſtrium, cum prioribus parce remixtus.

δ) Spiritus ſerpilli abſtractitius.

ε) Eſſentia caſtorei.

ζ) Sapo Venetus, ſpiritu vini ſolutus.

η) Ceratum de galbano matricale.

θ) Emplaſtrum ſaponat. *Barbette* largiter camphoratum.

ι) *Sacculi* odorati ex *herbis* coronariis chamæpyt. chamædr. origan. ſerpill. *floribus* verbaſci, calendulæ, *radicibus* pimpin. albæ, angelicæ, ſigilli Salomonis, *ſeminibus* dauci, aniſi, vel breuius: ex farina auenæ, flor. ſambuc. croco; adſpergendo vbique ſpiritum vini, vel ſacculos vino calido immergendo.

κ) Caſeus recens cum pelle leporina.

λ) *Suffitus* præcipue ex ſtœchade citrina, deinde etiam maſtiche, olibano, ligno Rhodio, ſantalo citrino, ſaſſafras.

μ) *Suffimigia vaporoſa* ex decoctis, herbis carminatiuo-neruinis.

ν) *Frictiones* cum excutia molli, vel potius pannis calentibus, moderato ſuffitu imbutis.

ξ) *Scarificationes* profundæ in parte adfecta.

c) Motus exercitium intenſum, & quæcumque ſenſum in parte adfecta fortiter adficiunt, e.g. acupunctura Iaponenſium, moxa Chinenſium, veſicatoria.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. *In paroxyſmo.*

1) Ter

1) Ter vel quater per diem propinetur puluis quidam antiſpaſticus, e. g.

Recip. nitri depurati.
tartari vitriolati ana vnc. ſemis.
ocul. cancr. acido citri ſaturat. drachm. III.
cinnabar. opt. ſcrup. IV.
M. doſ. ſcrup. I.

2) Succedente madore ſubiungantur diapnoica & lenia alexipharmaca, e. g. aquæ ſcord. ſcorzoner. plantag. cum antimonio diaphoret. & conch. præparat. mixtæ; vel eſſentia alexipharm. temperata.

3) *Externa* ſimul in ſubſidium vocentur; vbi inter multa, ſuperius citata, primas tenet ſpiritus vini camphoratus crocatus, parti dolenti linteo quadruplicato imponendus, & aliquoties per diem repetendus: deinde egregie etiam conducunt emplaſtrum ſaponat. *Barbette*, ſpiritus ſerpilli abſtractitius.

4) Aluus vt reſpondeat, clyſter emolliens cum momento nitri iniiciatur, & deinde in perpetua libertate conſeruetur per lenia & commoda cathartica, e. g. pilulas *Becchenianas, Stahlianas*, ſal Anglicanum, aqua calida ſolutum, quod ſimul incidit & diſcutit.

5) Poſt quatuordecim circiter dies cum modo dictis coniungantur

a) Tinctura tonico-nervina *Stahlii.*

b) M. P. de cynogloſſa, cuius gr. I. verſus ſomnum pulveri antiſpaſtico remiſceatur.

c) Externe ſpiritus formicarum.

6) Tandem, ſuperato morbo, ad reſiduum membrorum rigorem emolliendum exhibeantur

a) *Interne:* eſſentia alexipharm. ſine regimine continuata.

b) *Externe:* pediluuia alcalina, ex cineribus, &c. parata.

α. *Extra paroxyſmum.*

1) Ante omnia venæ ſectiones circa æquinoctia inſtituantur.

 2) In

2) In ſubiectis ſpongioſis ſimul in vſum veniant ſcarificationes menſtruæ profundæ circa nouilunium, & quidem in partibus adfectis vel confinibus.

3) Præcipue vero hirudines hæmorrhoidalibus locis adplicentur.

4) Quater per annum congruis laxantibus corpus expurgetur, e. g. per infuſa ſennata, rhabarbarina, & helleborata, cum remediis ad ſanguinem purificandum aptis remixta.

5) Sufficiens motus corporis conſumtorius, tanquam apex totius negotii, vbique inculcetur, coniuncto potu diluto.

6) Quando vernali vel autumnali tempore paroxyſmus recurrit, exhibeatur verſus inſtans tempus decoctum lignorum ſatis dilutum & inſtar thée vſurpandum; ſubiunctis temperantibus nitroſis & tinctura tonico-neruina.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Omnes excretionum ſpecies, leniter promotæ, dolores minuunt, ſuppreſſæ vero, vel fortiter intenſæ, omnia exacerbant.

2. Hinc quouis modo improbantur

1) *Opiata:* hæc enim, ſiue particulis viſcidis, ſiue ſulphure volatili, valde actiuo, in humores agant, præter alia damna, contracturas facile relinquunt. In atrocia dolorum *correcta* tantum ſub prudente vſu conceduntur.

2) *Anodyna* hæc & quæcumque alia interne adhibita in vigore paroxyſmi vel ſubitaneam mortem, vel febres lentas, hecticas, vel in ſanguineis dolores colicos arceſſunt, cum aluinis ſemper ataxiis, i. e. obſtipationibus.

3) Immo ad prophylaxin, vel verſus paroxyſmos vſurpata, impetum quidem aduenientem longius forte duraturum comprimunt, ſed citiori recurſui anſam præbent, & tandem ad paralyſin diſponunt.

4) Et licet in refractiori doſi hunc in modum vſurpentur, varia tamen inordinata & pertinacia pathemata relinquunt.

5) *Mar-*

5) *Martialia, bolaria* & alia *adſtringentia* quæ excretiones ſupprimunt, viſcera conſtringunt, & hydropem minantur.

6) *Salia volatilia*, quæ, intempeſtiue & largiter exhibita, viſcera conſtringunt, & ſimul humores concitant, ſtupidum rigorem partibus conciliant, & dolorem oſteocopon relinquunt.

7) Maxime *externa* adſtringentia, refrigerantia ſaturnina, ſtupefacientia, narcotica, ſulphurata: licet enim temporarium leuamen adferre ſoleant, nodos tamen, tophos, immo contracturam inducunt, ſæpiſſime adfectum verſus interiora retropellunt, & peſſima ac funeſta illa ſymptomata accelerant, quæ ſub *prognoſi* commemorata ſunt.

8) *Repellentia fortiora:* quæ ſimili ratione malum ab exterioribus ad interiora reprimunt, & grauiſſimas reſpirandi anguſtias, quin febres inflammatorias plurimum funeſtas inducunt.

9) *Acria, calida neruina:* olea deſtillata, balſami Indici, ſpiritus oleoſi, quæ omnia exaſperant, ardores intolerabiles, immo inflammationes adferunt: nulla enim hic partium debilitas, quæ per talia roboranda eſſet, ſed potius nimia ſtrictura & intenſio accuſanda eſt.

10) *Spiritus vrinoſi*, qui pariter ſtupidum rigorem parti laboranti adfricant.

11) *Fortiora purgantia* in ipſo paroxyſmo exhibita: per hæc enim motus ſpaſtici ad interiores partes, cum vitæ ſæpe diſcrimine, vocantur.

3. De *ſanguinis ventilationibus*, præcipue autem *vena ſectione*, hic idem valet, quod ſub hæmorrhagiis prioribus tabulis ſæpius inculcatum eſt: nempe vigente iam paroxysmo inſtitutæ, morbi pertinaciam non ſolum frequentius augent, ſed & recurſum paroxysmorum tanto citius & obſtinacius accelerant, ac reliquam medicationem, niſi ſanguis de nouo ventilatus ſit, fruſtrantur.

4. Quando autem circa prima initia, aut in declinatione ventila-

tilationes adornantur, tum vſum aliquem ſubinde præſtant, præcipue *hirudines*, locis hæmorrhoidalibus numero 4-5. adpoſitæ, vel etiam largæ ac profundæ *ſcarificationes* in partibus adfectis: qua ratione mali iſchiadici impetus ſæpe in totum ſublatus eſt.

5. *Lumbrici terreſtres* conueniente vehiculo, e. g. aqua card. ben. ſerpill. fumar. in forma pulueris ad ſcrup.I. bis aut ter per diem ſumendi ſpecifice commendantur in arthritide vaga, ſcorbutica.

6. Decoctum inſpiſſatum *ſtrobilorum* ſeu *ſummitatum* abietis & pini viuæ etiam in hoc adfectu laudatur. Sumuntur huius liquoris inſpiſſati ter per diem cochlearia tria vna vice in vehiculo calido.

7. *Serpillum* itidem laudatur tam in decocto quam balneo; ſpiritus ſerpilli mixtus cum ſpiritu vini camphorato bono, i. e. multo ſale alcali fixo imbuto, externe conducit.

8. *Conſerua ſatyrionis* in eodem adfectu prodeſſe dicitur; duo autem vel tres pro doſi cuſpides cultri ter aut quater per diem ſumuntur.

9. Alii, tam in adfectibus ſpaſtico-arthriticis, & conuulſiuis, quam in febribus corruptis, ſcabie nodoſa, & vlceroſa, præcipue in gonorrhœa male tractata & inueterata *morſulos antimonii* conducere adſeuerant:

e. g. Recip. antimon. crud. Hung.
amygdal. dulc. excort. ana vnc. ſemis.
condit. cort. citr. drachm. II.
c. ſ. q. ſacch. in aqua ſolut. f. l. a. morſuli in 8. part. æq. diuid. & quotidie vnum tribus vicibus comedendi.

10. *Spiritus vini camphoratus* crocatus, & *ſacculi ſicci* omnibus conducunt temperamentis.

11. *Ceratum de galbano* camphoratum, præmiſſa ſtatim ſub initium venæ ſectione, in phlegmatico-ſanguineis præſentiſſimum ſæpe adfert ſolamen; niſi tamen intra 2-3. horas effectum præſtet, auferendum eſt.

12. *Emplaſtrum ſaponatum Barbette*, largiter camphoratum, & per

& per vices impoſitum, in recentiore malo, in primis iſchiadico, ſatis efficax deprehenditur.

13. *Suffimigia*, maxime ex ſtœchade citrina, ſemper conferunt.

14. Sic etiam *frictiones calidæ* quam plurimis proſunt; qui autem a frigore ſolamen magis percipiunt, illis *embrocatio* commendatur.

15. *Spiritus acidus formicarum* ſub *methodo* non ſine ratione poſt principia locatus eſt; quando enim vigente paroxysmo adplicatur, dolores potius auget, quam lenit, in declinatione autem adhibitus, rigores artuum emollit, & contracturam præoccupat.

16. *Acidularum* vſus, debito corporis motui coniunctus, robuſtis ſpongioſis conceditur, teneris autem & gracilioribus obſtructiones viſcerum, cachexiam, hecticam &c. inducit.

17. Alexipharmaca ad motus & dolores ſpaſticos quidem conducunt, ſed ſine regimine propinari debent, alias dolores in artus diffunduntur.

18. *Cauſſæ occaſionales*, nempe diæta lauta, calida, bacchus, ira, venus, motus concuſſorii, equitatorii diuturni &c. niſi remoueantur, obtenta mitigatio non diu perdurabit.

19. Vſus *ſaliuationis* in adfectibus arthritico-contractis fruſtra a quibusdam laudatur.

20. Fugiatur error multis communis, qui *adfectum dorſi ſpaſticum* pro *nephritico* declarat: eſt enim leuior arthritidis ſpecies, peculiari nomine nondum deſignata.

## TABVLA XLVII.

### DE

# HEMICRANIA.

DEFINITIO.

Hemicrania eſt dolor capitis valde acerbus, dimidiam tantum

tum illius partem occupans, ab *incompleta* ſanguinis congeſtione ortus, & hæmorrhagiam narium *eminus* reſpiciens. Deriuatur ab ἡμὶ, ſemis, & κεάνιον, caluaria.

II. *DIFFERENTIA.*

Hemicrania differt

1. a *cephalalgia:*

1) In hemicrania enim congeſtio eſt *rheumatica* & *incompleta*, quæ *eminus* quaſi euacuationem ſanguinis per nares intendit, & eſt adfectus ſpaſtico-arthriticæ indolis, in cephalalgia autem congeſtio tantum *ſimplex* contingit, quæ directe hæmorrhagiæ narium deſtinata eſt.

2) Hemicrania occupat ſolum dimidiam capitis partem, plerumque ſiniſtram, & alteram immunem relinquit, cephalalgia vero modo per totum caput, modo per certas illius partes ſe diffundit.

3) In hemicrania ſæpius ſubeſt cauſſa ex conſenſu e. g. vitium primarum viarum, hæmorrhoidum, menſium; in cephalalgia autem ſimplex plethora magis peccat.

2. Hemicrania per ſe diuidi poteſt in

1) *Idiopathicam*, &

2) *Symptomaticam*, de qua modo dictum eſt. Item in

3) *Continuam, fixam*, perpetuo quaſi ægrum adfligentem, & in

4) *Periodicam*, ſeu per paroxyſmos recurrentem.

III. *SIGNA.*

1. Dolores vibratiui, interlancinantes, contumaces, ſpaſtico-arthritici, ordinarie adeo vehementes, vt ægri caput quaſi diſtrahi ſibi & diuelli autument.

2. Dimidiam quidem capitis partem, præcipue ſiniſtram, hi dolores occupant.

3. In eodem autem latere modo ſurſum, modo deorſum ta vagantur; vt ex oſſe bregmatis ad os temporale, & ex oſſe temporali ad dentes atque oculum illius lateris, & ſic ex vno loco in alterum excurrere ſoleant.

4. Eo ipſo, quo inferiores lateris partes occupat, ſuperioribus paul-

paullulum parcit, mox autem ex illis in has recurſat, & ſic quaſi intercurſando adfligit.

5. Immo dolor interdum ad illius lateris collum & brachium vsque excurrit.

6. In quibusdam ſubiectis dolores exiguam quidem caluariæ regionem occupant, ſunt autem tam acuti & pungentes, quam ſi telum ibidem infixum membranas diſſecet.

7. In partibus corporis *remotis* manifeſtat ſeſe motus tonicus ſtrictior.

8. Præ dolorum atrocia, ſæpius neque leuiſſimum ſonitum, neque lucis radios perferre poſſunt.

9. In paroxyſmo vrina eſt cruda, & in declinatione colorem præbet ſaturatum, qui paullo poſt copioſum deponit ſedimentum.

10. Aluus frequenter eſt ſicca.

V. *SVBIECTA.*

1. Temperamentum cholerico - ſanguineum huic adfectui præ aliis ſuccumbit, quia particulis ſulphureis, orgaſmum ſanguinis promouentibus, abundat.

2. Feminis familiarior eſt, quam viris.

3. Cum primis illis, quæ vitæ otioſæ addictæ, & crebris animi commotionibus obnoxiæ ſunt.

4. Quibus legitimus menſium, vel, in viris, hæmorrhoidum ſucceſſus turbatus eſt.

5. Specialiſſime feminæ, quæ in coniugio ſterili viuunt.

6. Tam quidem iuniores, quam adultiores hunc adfectum experiuntur, hoc autem diſcrimine, vt in illis dextrum præcipue latus, in his autem ſiniſtrum ordinarie occupetur.

'. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt plethora cum ſulphureo - glioſa ſanguinis dyscraſia, eiusdemque nihilo minus aliqua ſpiſſitudine coniuncta.

2. Cauſſa *proxima* eſt congeſtio ſanguinis ad caput, ſeu molimen hæmorrhagicum, aliquam illius excretionem reſpiciens.

3. Cauſſa huius congeſtionis & dolorum inſtrumentalis eſt

partium inferiorum maior conſtrictio per motum tonicum auctiorem, ſuperiorum autem poroſarum relaxatio, & tamen *contraria* ſpasmorum *obluctatio*.

4. Cauſſæ *externæ, occaſionales* & *procatarcticæ* ſunt
   1) Suppreſſio euacuationum ſanguinis naturalium, præcipue menſium & hæmorrhoidum.
   2) Artificialium adſuetarum neglectio, e.g. venæ ſectionis, ſcarificationis.
   3) Vel contra venæ ſectio tumultuaria, aut ſtato tempore non repetita, vnde motuum excretoriorum ordo perturbatur.
   4) Vitium primarum viarum.
   5) Simplicis cephalalgiæ peruerſa tractatio per remedia calida & opiata minus ſecura.
   6) Motus arthritici per repellentia imperite tractati.
   7) Mutatio vitæ generis laborioſi in ſedentarium.
   8) Nimiæ vigiliæ & lucubrationes.
   9) Nimia corporis excalefactio.
   10) Aut repentina illius refrigeratio, in primis pedum tempore humidiore & frigidiore.
   11) Iracundia, in primis tacita & ſuppreſſa.
   12) Diæta aromatica, lauta & ſpirituoſa.
   13) Diſpoſitio hæreditaria.

VI. *PROGNOSIS*.

1. Hemicrania licet dimidiam tantum capitis partem occupet, hunc tamen defectum vehementia dolorum largiter compenſat, & in locis confinibus facile decubitum ad oculos, & illorum ſuffuſiones relinquit, maxime poſt peruerſam in paroxyſmo tractationem.
2. Quem ad modum hemicrania initium eſt adfectuum arthriticorum, ita progreſſione annorum libentius in plenariam arthritidem tranſit.
3. Præcipue hoc euenit, ſi ineptis artificiis ſanguis ad inferiores partes circa venam portæ reſtringitur, vnde facile podagra & malum iſchiadicum introducuntur.
4. Quod ſi vero retropulſio ſanguinis ad viſcera facta eſt, febres

bres inflammatoriæ, præcipue in iunioribus, ſolent accedere.

5. Quo magis dolor ad illius lateris brachium vsque ſe extendit, & æger de obdormitione illius conqueritur, eo magis hemiplexia ſeu paralyſis illius lateris metuenda eſt.

6. Si nondum in habitum deducta eſt hemicrania, & in iunioribus ſe ſe manifeſtat, medicatio facilius ſuccedit; quando autem in annoſioribus, & præcipue feminis, quarum menſes iam ceſſarunt, contingit, vix vmquam perfecte tollitur.

7. Præcipue hemicrania *periodica* & *paroxyzans*, interdum adeo rebellis eſt, vt omnem fere medicationem reſpuat.

8. Suppreſſio menſium & hæmorrhoidum quando legitime tollitur, ſponte aliquando ſoluitur hemicrania.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *In paroxyſmo.*

1. Quoniam ſemper fere cruditates primarum viarum adſunt, illæ ante omnia euacuentur. Fieri hoc poteſt

1) Sub initium morbi commodiſſime per lene emeticocatharcticum v. g. per tartarum emeticum cum rhabarbaro iunctum.

2) Quando autem dolores iam ad ἀκμὴν peruenerunt, & adfectus diu durauit, tum negotium per clyſteres expediendum eſt. e. g.

Recip. Rad. alth.
malu. ana vnc. ſemis.
Herb. parietar.
verbaſc.
Summit. origan. ana manip. ſemis.
Semin. anis.
caru. ana drachm. ſemis.
coqu. in ſ. q. aquæ ſimpl. coletur.
Recipe huius colaturæ vnc. X.
electuar. lenitiu. unc. I.
ſalis gemmæ.
olei chamomil.

 aneth.

aneth. ana drachm. III.
M. f. clyſter.

2. Deinde *orgaſmus* ſanguinis & acrimonia illius ſalino-ſulphurea temperetur, per nitroſa, abſorbentia, cinnabarina, antimonialia fixa, item per acidula, e. g. clyſſ. antimon. potui inſtillandum.

3. Quando dolor admodum vrget, tum cinnabaris largiori doſi propinetur, adſcendendo a. gr. V. ad X.-XX. immo vltra, *vid. cautel.* vel MP. de cynogl. gr. I. verſus ſomnum temperantibus immiſceatur, conducit etiam cortex caſcarillæ.

4. Ad ſpasmos demulcendos conducunt etiam decocta mucilaginoſa, gelatinoſa, emulſiua.

5. In progreſſione medicationis, die circiter tertio vel quarto in ſubſidium trahantur

 1) *Interne* tonica & diſcutientia, v. g. mixtura polychreſta tonico-neruina *Stahlii*, vel eſſ. alexipharmaca ad lenem tranſpirationem.

 2) *Externe* adhibeantur

  a) In loco adfecto diſcutientia e. g. ſpiritus vini camphorat. crocat. vnguent. alabaſtr. camphorat. epithemata ſicca, tabulis de *cephalalgia, clauo hyſterico* & *cephalæa* commendata, item ſpiritus maialis, ſerpilli, lilior. conuall. formic. lumbr. terreſtr.

  b) Iu locis remotis reuellentia e. g. euacuationes ſanguinis in partibus inferioribus, laxantia, pediluuia, trictiones lateris oppoſiti, adplicatio cucurbitularum cæcarum, & in malo refractario veſicatoria ſuris adplicata.

B. *Poſt paroxyſmum.*

1. Plethora, tamquam cauſſa primaria, remoueatur per venæ ſectionem, in talo inſtituendam, & circa æquinoctia repetendam.

2. In feminis ſufficientis menſium ſucceſſus ratio habeatur per pilulas *Stahlii* vel *Beccheri* legitimo tempore propinatas, *vid. tab. de fluxu menſium,* item per eſſent. ſuccin. verſus menſtruum tempus exhibendam.

3. In

3. In viris negotium hæmorrhoidum reſpiciatur, *conf. tab. de hæmorrhoidibus internis.*
4. Alui ſucceſſus ſemper promoueatur, vel laxationibus per epicraſin operantibus, vel liquore terræ foliatæ tartari ad 30-40. gutt. coniuncto ſufficiente potu, & moderato corporis motu.
5. Cauſſæ procatarcticæ & occaſionales reliquæ quouis modo euitentnr.
6. Præcipue vita otioſa & ſedentaria.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Venæ ſectio* in ipſo paroxyſmo non inſtituatur, niſi ſequentes duæ circumſtantiæ vrgeant:
   1) Quando ſtatus eminenter plethoricus concurrit.
   2) Vel congeſtio ad caput ita copioſe facta eſt, vt maiora inde mala metuenda ſint.
2. *Arteriotomia* licet a *Sennerto* & aliis commendetur, plus tamen detrimenti, quam ſalutaris effectus ab illa exſpectandum eſt.
3. Adplicatio *hirudinum in ipſo paroxyſmo* minorem difficultatem inuoluit & conſiderationem, quam venæ ſectio: in viris nempe, quorum hemicrania originem duxit ab hæmorrhoidum ſuppreſſione.
4. Acta N.C. obſeruant, quod hirudines ad tempora adplicatæ, felices effectus præſtiterint, ſed longe ſalutarius hæmorrhoidalibus locis adplicantur.
5. Cautela opus eſt, *emetico-catharticum* propinare, immo in ſtatu inſigniter plethorico ab illo remedio plane eſt abſtrahendum; dantur autem nonnunquam caſus, in quibus ſola temperantia non ſufficiunt, & dolores poſt vomitum ſtatim profligantur, qui antea temperantibus cedere recuſant.
6. *Emetica* autem *ſola*, ſine coniunctione alicuius cathartici in his circumſtantiis, vbi aluus plerumque adſtricta eſt, propinare non caret periculo: præter alias enim noxas, inde exſpectandas, viſus læſiones metuendæ ſunt.
7. Ad cruditates primarum viarum euacuandas, egregie etiam

iam conducunt laxantia cum amaris vegetabilibus coniuncta e. g. infuſum ex rad. gent. rubr. hatb. cent. min. rhabarb. helleb. nigr. tartar. tartariſat. liq. terr. foliat. tartari, ſal mirabile. Exſulent autem aloëtica, & formulæ pilularum, his abundantes.

8. *Epithemata ſicca* præferenda ſunt *humidis*, nam hæc partes magis relaxant, & ſic vlteriori humorum congeſtioni, & non raro etiam inflammationi anſam præbent.

9. *Tinctura tonico neruina Stahlii* ex ſpiritu C.C. & tinct. antimon. vel ſalis tartari parata, in augmento mali non propinanda eſt, ebullitionem enim ſanguinis auget, in declinatione autem exhibita, ſæpius lenem ſudorem excitat, & dolores egregie ſoluit.

10. De *martialibus* hic etiam valet, quod alibi paſſim de illis dictum eſt; verbo: perturbationem moliuntur. In declinatione autem adfectus pro tonico ſcopo conducit crocus martis antimoniat. aperitiu. *Stahlii.*

11. *Opiata*, quamquam dolores interdum aliquo modo ſupprimere ſoleant, minime tamen tuto ob mala conſequentia adhiberi poſſunt.

12. Quod hemicrania *ſiniſtrum* plerumque latus adficiat, meditationem ſuppeditat de conſpiratione huius adfectus cum pathematibus hypochondriaco-hyſtericis, quæ etiam in ſiniſtro plurimum latere obſeruantur.

13. In diæta eligantur cibi eupepti, temperati: abſint nimium ſicci & aſſati: vitetur aër nimium calidus, fuliginoſus, ſuppreſſio tranſpirationis naturalis per aerem humido-frigidum, penetrans odor ſpirituoſorum.

14. Obſeruationes & cautelas tab. de cephalalgia commendatas cum his conferre, & dextre illas applicare, ex vſu erit.

15. Præcipue autem conferri debet tab. præcedens de adfectibus arthritico ſpaſticis, ad quorum indolem hemicrania accedit.

16. In ſubiectis, qui ſunt habitus ſpongioſi, conducit etiam prouidus & modeſtus vſus *thermarum* & *acidularum*.

17. De

17. Denique ſubiicimus, quod *pulueres antiſpaſtici largiter cinnabarati* vim ſuam anodynam in hemicrania longe efficacius oſtendant, quam illi, quorum doſis aliquot tantum grana continet. Primam huius effectus occaſionem ſuppeditauit Illuſtriſſimi cuiusdam hemicrania, quæ adeo effera & pertinax erat, vt omnem medicationem in plures dies non tantum reſpueret, ſed & ad conuulſiuos plane motus excederet. Quum vèro in his anguſtiis vnica tantum doſis, quæ, præter reliqua ingredientia, octo grana cinnabaris continebat, propinaretur, confeſtim ceſſabant ſpaſmi, & ſomnus, qui toto morbi tempore deſiderabatur, placide ſequebatur atque per 12 horas cum ſalutari ſudore continuabat.

# TABVLA XLVIII.
## DE
# PLEVRITIDE SPVRIA.

I. D*EFINITIO.*

Pleuritis ſpuria eſt ſpecies motuum rheumatico-arthritico-ſpaſticorum, pectoris partes externas muſculoſas adficiens, a congeſtione humorum verſus hæc loca, hæmoptyſin eminus reſpiciente, & hinc ſtagnationem inducente, exorta.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Pleuritis *ſpuria* a *pleuritide vera* & *peripneumonia* differt:
   1) Ratione *graduum.*
      a) In pleuritide enim vera & peripneumonia omnia ſymptomata ſunt multo grauiora & acerbiora, quam in pleuritide ſpuria: nam illa indiuiduam ſemper habent comitem febrem acutam continuam, cum horrore inuadentem, & acri calore progredientem: hæc autem, quando omnino commotiones


tiones

tiones febriles habet coniunctas, ſunt illæ leuiores & nomine vix dignæ, inæquales & ſine typis, adeo, vt illi, qui ita ſenſibiles non ſunt, illas pro re volatica & tranſitoria iudicent.

b) Illæ comitem porro inſeparabilem habent tuſſim, hæc autem tam ſæpe hic *ſine* vlla tuſſi, quam illic *cum* eadem decumbentes vexat; præter ea notabilem per ſputum excretionem non habet coniunctam.

2) Ratione *ſedis*.

a) Pleuritis & peripneumonia longe vſitatius circa, aut paullo infra mamillam, ſe ſe exſerunt, pleuritis vero ſpuria ſæpiſſime altius circa ipſam clauiculam incipit.

III. *SIGNA.*

1. Experiuntur ægri circa clauiculam ſub reſpiratione in alterutro thoracis latere ſenſum quemdam moleſtum, qui tenſorius magis, quam punctorius eſt, & reſpirationis negotium impedit.
2. Locum, quem ſemel occupat, conſtanter non ſeruat, ſed de die in diem magis deorſum tendit, donec tandem (niſi mature diſſipetur) pectoris regionem deſerens, infra coſtas nothas notabilem adhuc moleſtiam relinquat, vel ad ſcapulas excurrat.
3. Tranſit quidem hic adfectus paucioribus diebus, certa autem periodo non eſt circumſcriptus.
4. Puncturæ ſunt inæquales, non pulſui, ſed reſpirationi reſpondentes, interdum etiam remittentes.
5. Ægri difficulter, & non niſi cum dolorum exacerbatione in latus adfectum decumbere poſſunt.
6. Sanguis venæ ſectione emiſſus, in ſuperficie cutem exhibet albam, tenacem.
7. Concurrit virium & adpetitus magna imminutio.
8. Somnus eſt inquietus.
9. Vrina eſt rubicunda, tartareum deponens ſedimentum.
10. Aluus plerumque eſt adſtricta.

IV. *SVB-*

IV. *SVBIECTA.*

1. Sanguineo-cholerici & ſanguineo-melancholici, ætatis præcipue iuuenilis & virilis homines.
2. Qui congeſtionibus rheumatico-arthriticis obnoxii ſunt.
3. Sexus virilis, præ ſequiori.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis remota* eſt plethora, & hinc orta congeſtio verſus hunc locum euacuationi ſanguinis deſtinata.
2. Cauſſa *proxima* eſt ſtagnatio humorum per copioſum & diuturnum ſanguinis adpulſum inducta.
3. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod per hoſce motus congeſtorios hæmoptyicam euacuationem eminus intendit.
4. Cauſſæ *occaſionales & procatarctica:*
   1) Importuniores & repentini corporis motus ſub caloris & frigoris alternationibus.
   2) Scabiei, vel aliorum qualiumcumque exanthematum retroceſſiones.
   3) Repentinæ ſanguinis ebullitiones per abuſum potuum ſpirituoſorum, vel iracundiam inductæ.
   4) Transſpiratio auctior & diaphoreſis ſubito repreſſa.
   5) Euacuationes ſanguinis naturales ſuppreſſæ.
   6) Artificiales adſuetæ neglectæ.
   7) Violenta pectoris concuſſio per ictum, lapſum vel fortiorem niſum in oneribus geſtandis.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Hic adfectus, ſi legitime tractatur, intra aliquot dierum ſpatium ſine periculo decurrit.
2. Futuro autem tempore alii ſæpe morbi ſpaſtici, videlicet nephritis, malum iſchiadicum, & tandem podagra ſuccedunt.
3. Si incongruentia adhibentur medicamenta, e.g. calida alexipharmaca, vel externa refrigerantia, tum externæ inflammationes, aſthmata ſpaſtica, ſcirrhi hepatis, vel lienis inducuntur.

4. Non minus per medicationem peruerſam in pleuritidem veram vel hepatitidem transmutatur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Cruditates primarum viarum ante omnia reſpiciantur, & per lenia laxantia euacuentur, e.g. per ſennata, rhabarbarina, mannata, it. correcta aloetica & helleborina.
2. Quando ex iracundia malum hoc exſiſtit, ad eliminandam ſaburram bilioſam lene emeticum,& mox quidem propinetur.
3. Concurrente,& valde vrgente plethora,venæ ſectio in pede inſtituatur, maxime in illis ſubiectis, quorum conſuetæ hæmorrhagiæ ſuppreſſæ, vel artificiales prætermiſſæ ſunt.
4. Ad ſtaſin, quæ ab humorum verſus hæc loca ſtagnatoria congeſtione metuenda eſt, præoccupandam, præſcribantur reſoluentia, diſcutientia, & æqualem ſanguinis diſtributionem promouentia, e.g. eſſentia alexipharm. & mixtura tonico-neruina *Stahlii*, in ſubiectis floridis mixtura ſimplex.
5. Transſpiratio vbique conſeruetur per diaphoretica fixa, antimon. diaphoret. bezoard. minerale,coniuncto regimine modeſte calido, non autem coacto.
6. Motus ſpaſtici & ebullitiones ſanguinis demulceantur per nitroſa, abſorbentia & cinnabarina, it. per decocta lenientia, gelatinoſa, emulſiua ex ſem. card. mariæ, amygd. dulc. & herbis pectoralibus, veronic. tuſſilag. heder. terreſtr. ſcord. ſcabioſ. ſpermat. cet. & denique per potiones ex aquis temperantibus, additis nitro depurato, conchis citrat. corall. rubr.
7. *Vrgentibus* autem motibus ſpaſticis adhiberi poſſunt pulveres antiſpaſtici largiter cinnabarati, vel cum cortice caſcarillæ, & verſus ſomnum cum M. P. de cynogloſſa mixti.
8. Externe locum habent:
   1) Spiritus vini cum ſpiritu formicarum mixtus, & regioni dolenti adplicatus.

2) Ca-

2) Cataplaſmata ex herbis lenientibus, diſcutientibus & neruinis.

3) Emplaſtra, e.g. emplaſtr. ſaponat. *Barbette* camphoratum, de tacamahaca.

4) Frictiones tam in loco adfecto, quam dorſo.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Si plethora non ad modum vrget, venæ ſectio prætermittatur, nam ad prophylaxin inſtituta, maioris eſt efficaciæ, quam ſæuiente dolore.

2. Euitanda ſunt *externa* remedia *calida acria* & *volatilia*, ne adfectus a partibus externis ad interiora viſcera retrocedat.

3. Exſulent remedia *narcotica, emollientia* & *expectorantia,* nec non interna *adſtringentia.*

4. Eiusdem cenſus eſt vſus topicus remediorum *ſulphureorum.*

5. *Externa refrigerantia* cum animi pathematibus fugiantur.

## TABVLA XLIX.

### DE

# MALO ISCHIADICO.

I. D*EFINITIO.*

Malum iſchiadicum eſt adfectus ſpaſtico-arthriticus ad modum dolens; qui motibus contentioſis coxas & os ſacrum vehementer infeſtat, & ſanguinis ſuperflui per vaſa hæmorrhoidalia ventilationem intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Malum iſchiadicum ab arthritide ſtricte dicta* non differt, niſi quod hæc iunioribus, illud autem ætate prouectioribus obtingat & regionem coxæ atque oſſis ſacri pertinaciter occupet.

2. *Chiragra, gonagra,* & *podagra* eumdem inuoluunt reſpectum, & ex ipſa denominatione dignoſcitur horum adfectuum differentia *localis*

3. Quem ad modum omnes arthritici adfectus a *ſimplicibus* motibus congeſtoriis hæmorrhagicis ratione *effectus*, *durationis*, *partium adfectarum*, immo etiam *euentus* differunt, ita & malum iſchiadicum ab his congeſtionibus ſimplicibus eſt diſtinguendum. *Conf. tab. de adfectibus ſpaſtico-arthriticis.*

III. *SIGNA.*

1. Dolor coxendicum vehemens, & pertinacia ſingulari ſæviens; maxime in tendinibus circa iuncturas deſinentibus.
2. Hic ſpasmus muſculos totius lateris tam arcte ſtringit, vt æger curuus incedere cogatur, neque corpus ſine intenſiſſimis doloribus erigere queat.
3. Pro diuerſa fibrillarum ſtrictura, modo inflatio omnium ferme vaſorum cruralium obſeruatur, modo dolor, qui interdum ad genu, interdum etiam ad pollicem vsque pedis ſe ſe extendit, ſentitur.

IV. *SVBIECTA.*

Iſchiadico malo ſæpius obnoxii ſunt homines

1. Sanguinei, ſanguineo-cholerici, ſanguineo-melancholici, immo etiam de phlegmatico temperamento participantes, qui habitus corporis ſunt laxi & ſpongioſi.
2. Præcipue plethorici, floridæ diætæ, lautæ, aromaticæ, ſpirituoſæ, dediti, animi pathematibus, in primis iracundiæ, nimis indulgentes, vitam otioſam degentes.
3. Diſpoſitione hæreditaria adfecti, vel etiam veneri addicti.
4. Præ ceteris facile in hoc malum incidunt hæmorrhoidarii, & illi, qui artificialem ſanguinis ventilationem neglexerunt, vel naturalem imprudenter ſuppreſſerunt.
5. Certius autem illi, qui rheumaticis & arthriticis ſtricte dictis morbis ætate iuniore obnoxii fuerunt, progreſſione annorum a malo iſchiadico infeſtantur.
6. Feminæ hyſtericæ, cælibes hæmorrhoidariæ poſt menſium ceſſationem nonnumquam fiunt iſchiadicæ.
7. Denique illi, qui vel percuſſiones violentas, vel ſuppreſſos ſudo-

ſudores in pedibus perpeſſi ſunt, vel diuturnis præter conſuetudinem equitationibus ſe ſe exercuerunt.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis* mali iſchiadici eſt plethora.
2. *Efficiens* eſt ipſa natura, quæ ſanguinem ſuperfluum verſus coxas & vaſa hæmorrhoidalia, ſiue externa ſiue interna, ducit & ibidem exitum quærit.
3. Cauſſæ *externæ* & *occaſionales* in *ſubiectis* recenſitæ ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Malum iſchiadicum ægros magis excruciare ſolet, quam dolores arthritici, qui partes ſuperiores infeſtant.
2. Cholerico-ſanguineos hoc malum tam inſolenter interdum infeſtat, vt a ſtrictura diuturna partium adfectarum extenuato & coxendicis aridura metuenda ſit.
3. Dolor, qui iuncturam femoris occupat, diutius perſeuerat, ægriusque tollitur, quam ille, qui circa os ſacrum animaduertitur.
4. Malum iſchiadicum, hæmorrhoides & nephritis mutuum quidem, ſed non perpetuum, inter ſe habent commercium.
5. Hæmorrhoidum legitimus fluxus non ſolum paſſionem iſchiadicam mitigat, ſed & illius recurſum in multis præſcindit.
6. Quo inſolentius paſſio iſchiadica vrget, eo citius in podagram transmigrat, & quando hæc rite non tractatur, hectica ſcenam claudit.
7. Si dolores coxendicem deſerere, & ad inferiora tendere obſeruantur, optima omnino eſt nota ſolutionis ſpaſmorum.
8. Corpus ſi inſolentius commouetur, malum exacerbatur.
9. *Hippocr. aphor. 59. Sect. VI.* dicit: quibus longo coxendicis dolore vexatis coxa excidit, & rurſus incidit, iis mucores inſunt.
10. Item *Hippocrat. aph. 60. Sect. VI.* quibus a diuturno coxendicis malo vexatis crus excidit, iis crus contabeſcit, & claudicant, ſi non vſti fuerint.

VII. *ME-*

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Methodus, qua malum iſchiadicum tractari debet, non differt a regulis illis, quas tabula generali de adfectibus ſpaſtico-arthriticis exhibuimus.

2. Hoc tantum monere reſtat, vt medicatio eo maiori patientia continuetur, quo magis malum hoc iſchiadicum ad pertinacem podagræ indolem accedere ſolet.

3. Quod ad *externa* remedia attinet, in malo recentiore non exiguum habent locum & effectum, præcipue *ſapo Venetus*, ſpiritu vini ſolutus, & *emplaſtrum ſaponatum Barbette camphoratum*; item *ceratum matricale. Conf. caut. 5.*

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Ventilationes ſanguinis artificiales*, ſi extra paroxyſmum & mature ſatis inſtituuntur, motus eius modi iſchiadicos multum præoccupare poſſunt.

2. *Hirudines* apud illos, qui hæmorrhoidum ſuppreſſione laborant, inſignem edere effectum, immo totum interdum malum ſuperare compertum eſt.

3. *Purgantia, ſudorifera* eiusdemque commatis medicamenta ſanguinem commouentia, hic omnino exſulent, paroxyſmum enim exaſperant, infarctum, ſcirrhum, vlcus inducunt, hectica tandem inſequente.

4. Optimum remedium præcauendi huius mali eſt *motus voluntarius*, præcipue extra paroxyſmum, quantitate ſanguinis prius imminuta, inſtitutus. Notandum autem eſt, quod, niſi hic ipſe motus ad conſumtionem vsque ſanguinis per modum inſenſibilis tranſpirationis diu ac continuo peragatur, magis noceat quam proſit. Ille enim motus, qui impetuoſus & abruptus eſt, orgaſmum ſanguinis, virium proſtrationem, & multa alia damna importat.

5. *Emplaſtra, ceratum matricale, & ſaponatum Barbette* in malo iſchiadico recentiore efficaciter adhibentur, in ſtatu autem inueterato ſine fructu dolenti regioni adplicantur.

6. Quoniam *balnea* ſanguinis quantitatem non imminuunt, ideam vero naturæ, ſanguinem commouendi, imprime-

re

re poſſunt, horum loco ſuffimigia potius vaporoſa partibus inferioribus admoueantur.

7. *Scarificationes* iam dum adſuetæ temere non prætermittantur. Licet enim neque hoc remedio quantitas ſanguinis ſatis imminui poſſit, docet tamen experientia practica, quantæ efficaciæ ſit conſuetudo.

# TABVLA L.

## DE
## PODAGRA, GONAGRA
## ET
## CHIRAGRA.

I. D*EFINITIO.*

1. *Podagra* eſt ſpaſtica-dolorifica motitatio in pede, a congeſtione ſanguinis hæmorrhoidali externa initium ſumens, & nullo ibi exitu potita, conſuetudine ita inſoleſcens, vt ex leuiſſima deinde occaſione recurrat. Deriuatur a πȣ̃ς, pes, & ἀγρεύω, capio.
2. *Gonagra* eſt dolor arthritico-ſpaſticus ſæuiſſimus, *genua* tantum occupans, & a cauſſis ſupra indicatis ortum trahens. Deriuatur a γόνυ, genu, & ἀγρεύω, capio.
3. *Chiragra* eſt dolor arthritico-ſpaſticus, articulationes manuum & præcipue digitorum occupans, atque a cauſſis ſupra indicatis proueniens. Deriuatur a χεὶρ, manus, & ἀγρεύω, capio.

II. *DIFFERENTIA.*

Hi adfectus a reliquis arthriticis pathematibus non differunt, niſi quod ad loca & tempora ſeu ætatem attinet.

III. *SIGNA.*

1. *Podagra*
   1) Præludit ſæpe conſpicua inflatio & infarctus vaſorum

per crura excurrentium, præcipue apud illos, qui amplioribus vaſis inſtructi ſunt.

2) Huic iungitur grauatiua aliqua totius corporis laſſitudo, & tenſio per ipſum femur deorſum, cum adſpectu pallido partium muſculoſarum.

3) Cum hoc languore concurſat ſubinde notabilis horripilatio, immo non raro manifeſtus febrilis horror; licet vana ſit ſpeculatio illa, quod podagricis abſolute omnibus aliquid febrile eueniat, præcipue, quando incongruentia artificia excluſa ſunt.

4) Huic ſuccedit, immo cum illo concurrit, æſtus modo volaticus, modo ardens, ad ſitim & impatientiam vsque varians pro temperamentorum diuerſitate.

5) Inuadit ordinario modo leniter circa veſperam, & ſummum gradum adipiſcitur poſt mediam noctem, hora autem circiter nona ante meridiem miteſcit. Deinde vsque ad veſpertinum vel nocturnum tempus dolor *remittit*, immo interdum plane *intermittit*.

6) Quando autem a manifeſtis irritationibus exoritur, e.g. ab ira, terrore, tum typum hunc non æque ſeruat, ſed eo momento impetuoſe irruit.

7) Incipit dolor in aliis, præcipue phlegmaticis, tantum tenſiuus, grauatiuus & preſſorius, liberum membri motum impediens, ſub conamine autem mouendi inſigniter pungens redditur.

8) In aliis vibratilis lancinans, vellicans, palpitatorius, pertinaciſſimus, ad eiulatum vsque ſe extendit, ita vt ſub exigua etiam membri motitatione, rupturam illud incurrere videatur. Hos dolores ſequentibus circiter verbis exprimunt: es reiſſe, zerre, fahre hin und wieder, es fechte und tobe, es lebe alles drinnen; es lauffe wie Ameiſen, es arbeite drinnen; es reiſſe das Glied noch gantz zu ſchanden, es ſey, als ob alles zerreiſſen und zerſpringen müſte: als ob Nadeln hin und wieder fuhren &c. Atque hic eſt *Galeni* κόπος ἑλκώδης, ſeu dolor contuſorius, quem vulgus circumſcribit, es thue ſo weh wie Blut-Schwären, daß ſie ſich furchten, es anzurühren.

9) Sæ-

9) Sæpe enim numero micat, vibrat, ſalit, palpitat pars adfecta, ac ſi multæ acus intus vibrarentur, aut pectine ferreo locus carperetur.

10) Orditur hic dolor in aliis a ſuperioribus partibus deorſum, nempe a coxa ad pollicem pedis, in aliis inuerſo ordine, videlicet a pollice ad coxam, procedit.

11) Occupat hic dolor pedem, non ſolum ſtrictiſſime dictum, ſed ipſam etiam tibiam, genu & femur: nec ſolum articulationes harum partium, ſed etiam intermedia ſpatia. Atque ſub hac extenſione & excurſione gonagram, & malum iſchiadicum ſimul inuoluit.

12) Durat hæc adflictio, ſed cum temporaria remiſſione, per plures hebdomades: & quando dolor remittit, excipit eumdem rigor; cui ſi motus accedat, vniuerſus dolor cum ferocia recurrit.

13) Sub ipſo dolore nullus adeſt ſomnus; & licet ille tempore remiſſionis languide obrepat, cum frequentibus tamen pauoribus coniunctus eſt; præcipue quando ægri improuida quadam *adliſione* pedis *dolores* reuocant.

14) Tumor aliquibus erumpit, interdum circa initium, interdum circa finem mali, ſed non ſingulis eidem indiuiduo paroxyſmis.

15) Primis horum dolorum temporibus vel numquam vel rariſſime ſudant, niſi præ anxietate. Impetus autem quando non nihil langueſcit, erumpit ad minimum lenis mador, non raro etiam copioſus ſudor, præcipue ex adfecta parte.

16) Quibus autem ſub ipſis doloribus reliquum corpus ſudat, illis pars dolens fere ſicca manet.

17) Adpetitus ſub vigore mali aliis iacet, & ad nauſeam vomiturientem inclinat, aliis ſatis conſtat.

18) Prioribus concurrunt ſyndromæ pathematum in abdomine, præcipue in ſiniſtro hypochondrio, colici dolores, alui ſiccitates.

19) Poſterioribus magis conſpirant dolores lumbares, re-

nales ac nephritici, immo excretio ſabuli & calculorum.

20) Denique decreſcunt dolores, & ſuccedit ſtupor vel rigor circa partem adfectam, ſub quo ſtupore & rigore ſpaſmodica muſculorum ſtrictura adparet; cui ſtricturæ contractura & immobilitas membri illius, ad quod muſculi pertinent, indiuiduo nexu ordinarie iunguntur.

21) Seceſſio illa furfuracea, quæ in fine obſeruatur, non omnibus eſt familiaris, nec prouentus nodorum tophaceorum, niſi in malo ad modum inueterato, & habitu pituitoſo.

22) Vrina, quo magis dolores vigent, eo magis etiam eſt rubicunda, valde craſſa, rubedine paulitper tenebricoſa: ſedimentum, crudiore adhuc malo, deponit pauciſſimum, idque pallidum; prouectiore autem morbo craſſum & ſubmucidum roſeum oſtendit: lateribus vitri adfigit & ad fundum etiam dimittit copioſa granula, inſtar tartari, aurantii ſaturatiſſimi coloris.

23) Recurrit hic adfectus ſtato fere tempore, maxime autumnali aut hiberno humidiore, vel vernali humido-frigido aëre.

2. *Gonagræ & Chiragræ.*

Gonagræ & chiragræ ſigna peculiari non indigent euolutione. Hi enim dolores ad indolem aliorum adfectuum arthriticorum adcedunt, idem cum iisdem ſchema exhibent, cum podagra facile conſpirant, & non, niſi quod ad loca attinet, differunt.

## IV. *SVBIECTA.*

1. *Podagræ* crebrius obnoxii ſunt homines

1) Sanguinei, ſanguineo-cholerici, ſanguineo-melancholici, immo etiam de phlegmatico temperamento participantes, verbo: qui habitus corporis ſunt laxi & ſpongioſi.

2) Plethorici, floridi, otioſi, diætæ lautæ, aromaticæ, ſpirituoſæ dediti, venere abutentes, animi commotionibus,

nibus, præcipue iracundia laborantes, & qui aut præter conſuetudinem aut ſubinde animi gratia otioſum corpus vel equitando, vel vehendo vel laborando, fortiter exagitant.

3) Ordinarie viri conſiſtentis & prouectioris ætatis, prægreſſa florida & ſana iuuentute.

4) Graciles, & capacibus venis inſtructi, pauciſſimi hoc adfectu laborare inueniuntur, niſi antea ſpongioſi fuerint, vel hæreditaria ſubſit diſpoſitio.

5) Rarius etiam ætas iunior, niſi ex eadem hæreditaria labe, vel motibus hæmorrhoidalibus prægreſſis, cum vini, iræ, veneris abuſu.

6) Quidquid de *infantibus* podagricis circumfertur, ad rariſſimos caſus pertinet, & laborat fallaciæ ſuſpicione.

7) Quibus euacuationes ſanguinis naturales ſuppreſſæ, vel artificiales conſuetæ prætermiſſæ ſunt.

8) Diſpoſiti ad rheumatiſmum ex apoſtaſi febrili non ſatis diſcuſſa; qui quidem alius etiam habitus, quam ſpongioſi, eſſe poſſunt, & qui ex violenta partis læſione, fractura, contuſione, chronica ſpongioſa vlceratione, inſigni perfrigeratione, venereis gummatibus & viſcoſis inquinamentis in podagram incidunt.

9) Feminæ rarius quidem hoc malo adficiuntur, quæ vero eidem obnoxiæ fiunt, ſunt plethoricæ, hæmorrhoidariæ, cælibes, & in his malum iſchiadicum fere ſemper præcedit.

10) Subiecta *capitis amplioris* podagræ præ aliis obnoxia eſſe, vulgo quidem dicitur; ſed quæ hic vera ſunt, cauſſa generaliore ſuffulciuntur. nempe illi, qui corporis ſpongioſi & diffuſi exſiſtunt, amplius etiam caput plerumque habent.

2. *Gonagra & Chiragra.*

Hi adfectus eadem fere ſubiecta, quæ modo nominata ſunt, infeſtant.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* horum adfectuum eſt *plethora.*
2. Cauſſa *efficiens* commoti huius ſanguinis eſt principium vitale, quod illum certis partibus deſtinat, vt per illas euacuatio obtineatur.
3. Nempe hi motus, licet erronei ſint, reſpiciunt tamen in gonagra & podagra hæmorrhoides externas, in chiragra autem & pleuritide ſpuria hæmoptyſin.
4. Cauſſæ *externæ, occaſionales* & *procatarcticæ* in deſcriptione *ſubiectorum* potiſſimum indicatæ ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Hi ſpaſmodici dolores quo magis a loco excretionis ſanguineo-hæmorrhoidalis, ad quam collineant, remoti ſunt, eo pertinacius inſiſtunt, & medicationem reſpuunt. Hinc podagra & gonogra longe difficilius, quam malum iſchiadicum eradicantur, & dolor iſchiadicus circa os ſacrum longe promtius mitigatur, quam qui iuncturam femoris occupat.
2. Podagra ita fere inſoleſcit, vt patientes vix vmquam ab illa in ſolidum liberentur: hinc inueterata mitigari tantum, radicitus exſtirpari rariſſime poteſt.
3. Quando *iuniores* & *viri* a podagra corripiuntur, totus morbi ambitus plurimum intra 14 dies finitur, in *ſenibus* autem ſæpius ad aliquot menſes extenditur; quæ differentia cuiusuis ætatis genio adſcribenda eſt.
4. Podagra artificiis ſuppreſſa vel repulſa, grauiſſimos & pertinaces morbos infert lethali euentu ſæpe concludendos. Conf. num. 16.
5. *Vulgi traditio* non caret fundamento, quod nempe, qui ad modum iuniores podagra infeſtantur, non perueniant ad inſignem ætatem, & hoc quidem ob frequentem paſſionum hypochondriacarum complicationem: Vnde facile receſſio ab artubus ad interiora contingit, quæ in ſanguineo-cholericis inflammationes viſcerum, in magis phlegmaticis hypochondriacos adfectus producit.

6. Sic

6. Sic etiam vera deprehenditur *altera vulgi obſeruatio*, quod, qui tarde podagra tententur, ad ſeram vſque ſenectutem viuere ſoleant, & tandem maraſmode vel hydropico-hecticis, vel paralytico-apoplecticis malis vitam amittant. Ex contrario iuniores, vel febribus acutis inflammatoriis, vel æſtuoſis hecticis, vel apoplecticis euentibus moriuntur.

7. Quam diu *pauores* ſub ſomno adhuc vigent, finis paroxyſmi nondum adeſt.

8. Quo ſæuioribus doloribus podagra ægrum exercet, eo breuius & perfectius periodum ſuam terminat, eo diutius etiam nouus inſultus emanet, ſed eo certius deſinit in ſpaſmum, partesq; rigide trahentem, & in contracturas facile abeuntem.

9. In chiragrico-podagrica paſſione, eaque inueterata, ſtabiles tandem contracturæ & rigores horum membrorum eueniunt, nodi etiam circa articulos digitorum. Sed hæ *contracturæ* rariores ſunt, niſi quidem grauibus animi pathematibus, diæta intemperante vinoſa, vel inconditis artificiis inducantur. Ad has autem contracturas referri non debet impotentia illa, partem flectendi ſub doloribus, neque rigor ille in declinatione paroxyſmi ſuccedens.

10. Quo magis autem a paroxyſmis remanet inſigne vitium ſiue tumoris, ſiue torporis, ſiue rigoris, ſine nodoſæ duritiei, ſiue contractæ diſtorſionis, eo promtior, aut ad minimum eo certior, & in vniuerſum peruicacior, fit recurſus.

11. *Cholerico-ſanguinei* a tumoribus pedum liberi ſunt; ex contrario his ſtrictoria potius partium extenuatio ad coxendicem vſque obtingit, eaque tanta aliquando eſt, vt in aridurae metum conniciantur.

12. *Sanguineis* hi tumores eneniunt duri, rubicundi, calidiores interdum, *phlegmaticis* vero molles, œdematoſi, vbique tamen cum ſenſu doloris.

13. Adſueſcunt facile & tandem pertinacius durant ac peren-

perennant, ſed ſine præcipiti periculo, niſi repellantur, vel ineptis remediis hydrops, qui per ſe non inſecutus eſſet, aduocetur.

14. Pauci podagrici dantur, qui non ſabulo & calculis, vel ad minimum lumbaribus doloribus cum vrinæ vitiis aut motibus hæmorrhoidalibus adficiuntur; immo prælu-dunt ſæpe pathemata fere nephritica: vbi autem nephritis calculoſa complicatur, ibi raro ſimul hæmorrhoides obſeruantur.

15. Hæmorrhoides autem, debito ordine & quantitate fluentes, podagram in ſolidum auferre ſolent.

16. Podagra quando ex artubus ad interiora cito repellitur, ſiue id fiat per adſtringentia, ſiue per ambulationem, ſiue per alia exercitia, ſolos artus mouentia, ſuccedunt facillime triſtia & periculoſa pathemata, vti num. quarto iam diximus, & hic ſigillatim indicabimus, nempe

1) In iunioribus, inſigniter plethoricis, & cholerico-ſanguineis, diæta calida vtentibus, exoritur facile inflammatio vel hepatis, vel lienis vel ventriculi cum febre acuta.

2) In mediocriter annoſis, mucoſis, diæta non adeo calida vtentibus, ſequitur deiectio adpetitus cum vomitu adſumtorum. Huic proſtratio virium, agrypnia, ſplenica pathemata, colica tormina, multa flatulentia, febris lenta & hectica mox ſuccedunt.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Podagra, chiragra* & *gonagra* eadem quidem methodo & iisdem medicamentis poſſunt tractari, quæ tabula generali de adfectibus ſpaſtico-arthriticis indicata ſunt; quoniam autem diuitum æraria & magnatum chartophylacia indubiis teſtimoniis confirmant, & per vulgus adeo notisſimum eſt, quod podagra medicationibus & medicamentis non cedat, *aliam viam*, eamque ſimplicisſimam & fere certisſimam, vtut delicatulis incommodam, monſtrabimus, qua hoc malum, niſi ad modum ſit inueteratum, & hæreditarium, *funditus* exſtirpari poſſe certi ſumus.

2. Hanc

2. Hanc viam ſequente conſilio manifeſtamus: Podagra eſt *morbus dominorum*, die Herren-Kranckheit: vnde qui hoc malo cupit liberari, *ſeruus fiat*, neceſſe eſt.

3. Durum hoc verbum! quis poteſt audire? Is autem audiet, qui vere cupit liberari, & vitam commodam ac otioſam in laborioſam commutabit. Hæc enim ſola cauſſam podagræ, nempe plethoram, poteſt remouere.

4. Hoc aſſertum ſine formidine oppoſiti audacter defendemus: non paucis enim exemplis illud habemus confirmatum, inter quæ hoc, quod ſequitur, eſt notabiliſſimum.

5. Vir quidam litteratus quinquaginta & quatuor annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, habitus corporis ſpongioſi & craſſi, vita ſua ſedentaria non tantum varia mali hypochondriaci incom̃oda & motus hæmorrhagicos incompletos ſibi cumulauerat, ſed & inſultus podagricos per viginti & plures annos, tantos iam pertulerat, vt proſtratis demum viribus lectum ſemper fere cuſtodire deberet, & præ nimia animi ſenſibilitate atque impatientia illos, quos habebat intimos, ne videre quidem poſſet, atque pecuniam, quam in ſtatu ſano non dilapidabat, in terram proiiceret. Nulla ſalus erat in medicamentis, quæ a multis Medicis exhibebantur, & quo copioſius optimæ bonitatis nutrimenta atque iuſcula ſic dicta confortantia die Kraft-Brühen, ſumebantur, eo magis vires cadebant, donec corpulentia ſeu pinguedo corporis poſt paroxyſmum aliquot menſium podagricum & febrem lentam remota eſſet. Conſumta hac ratione plethora & recuperatis pauliſper viribus, quærebam ex ægro hoc, num vere cuperet liberari a malo tam diuturno & pertinaci? quumque omnem lapidem ſe moturum eſſe cordate promitteret, non tam verbis quam ipſa praxi via monſtrabatur, atque, præter corporis motum, venæ ſectiones æquinoctiales, quas nemo antea cordi habuerat, eidem imponebantur. Sub initium quidem tantas vires non æger, vt extra domum ambulare poſſet, breui autem tempore in excurſionibus & reliquis cor-

poris motibus habitum mirificum adquiſiuerat: factum enim eſt, vt tempeſtate commoda pluribus diei horis campos & ſyluas percurreret, tempore autem nubilo vel hyëmali domeſtica negotia, eaque ſatis laborioſa, omni adſiduitate & conſtantia per tres annos ſuſciperet. Omnia aderant ſanitatis indicia, & podagra, quod per viginti annos frequentibus annuis paroxyſmis noſtrum exercuerat, tribus hiſce laborioſis annis numquam redibat. Nihil, quod deſideraretur, reſtabat, quam hoc vnicum matronarum domeſticarum votum, videlicet vt priſtina corpulentia, quam adſiduus labor hactenus impediuerat, rediret. Redibat quarto anno, quo ſenſim a labore remittebat, & diæta nihilo minus plena ac lauta vtebatur, venæ ſectionem etiam, quam magnopere auerſabatur, omiſerat. Hac ratione ampla illa veſtimenta, quæ ſpe obtinendæ priſtinæ obeſitatis anguſta fieri matronæ recuſauerant, ad vota erant expleta. Prædicebam priſtinum morbum, qui quinto anno mitioribus quidem, ſexto autem acerbioribus paroxyſmis recurrebat, atque totam pinguedinis penum conſumebat. Nouam hanc calamitatem litteris ſuis mihi indicabat æger (diſceſſeram enim inter ea ex illo loco, quo vna habitabamus) & nouam obedientiam pollicebatur.

6. Plura eius modi exempla nota ſunt, quæ podagram, quoties deſiderant, vita otioſa poſſunt reuocare, & ex contrario per ſufficientem conſtanter laborem illam profligare.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Omnes excretiones, leniter promotæ, dolores horum adfectuum mitigant, ſuppreſſæ vero, vel fortiter intenſæ, illos exacerbant.

2. Hinc quouis modo improbantur

1) *Opiata:* hæc enim ſiue particulis viſcidis, ſiue ſulphure volatili valde actiuo, in humores agant, præter alia damna, contracturas facile relinquunt. In atrocia autem dolorum illa tantum, quæ correcta ſunt, ſub prudente vſu conceduntur.

2) *Mar-*

2) *Martialia, bolaria* & alia *adſtringentia*, quæ excretiones ſupprimunt, viſcera conſtringunt, & hydropem arceſſunt.

3) Cautelæ illæ, quæ tabula generali de *ſpasmis* indicatæ ſunt, etiam hic valent.

3. *Pilulæ Stahlianæ*, præcipue illæ, quæ ad tumores ſpecialiter inſtructæ ſunt, in tumore podagrico extra paroxysmum laudantur.

4. *Hirudinum* adplicatio ad loca hæmorrhoidalia, vel largæ & profundæ *ſcarificationes* in partibus adfectis vſum præſtant.

5. Item *ſpiritus vini camphoratus crocatus* & *ſacculi ſicci* omnibus ſubiectis conducunt.

6. Quemlibet rheumatiſmum, ſiue a febribus male ſolutis, ſiue a ſcabie repulſa &c. productum, pro podagra interpretari, caueatur.

7. *Cauſſæ occaſionales*, nempe diæta lauta, calida, bacchus, ira, venus, motus concuſſorii, equitatorii diuturni &c. niſi remoueantur, obtenta mitigatio non diu durabit.

8. Excell. *Stahlius* adlegat exemplum ſerui alicuius, qui a domino ſuo podagrico ocreas dono acceperit, & breui abhinc tempore podagricus factus ſit.

9. In doloribus podagricis egregie laudatur *emplaſtrum*, quod *tabul. chirurgica de contabeſcentia* deſcribitur.

10. Ceterum res eſt altioris conſiderationis, quod repulſio podagræ ex artubus ad interiora tam infauſta conſectaria, eaque ſatis velocia habeat. Certe qui conſiderat paucas illas ſanguinis guttulas, quæ ſpaſticis illis contentionibus exagitatur, non facile credet, quod illæ ipſæ ad interiora repulſæ tale infortunium producere poſſint. Hinc non tam in *materiam*, quam *motus pertinaciam* culpam reiicimus. Natura enim, quæ intentione euacuandi ſanguinem occupata eſt, quando in externis partibus turbatur, ad interiores partes ſe conuertit, & in quocumque viſcere vitali eosdem pertinaces motus ſtrictorios & expreſſorios inſtituit. Vnde ſtaſes humorum inflammatoriæ oriuntur, & triſtia conſectaria introducuntur.

# TABVLA LI.
## DE
# I N C V B O.

I. DEFINITIO.

Incubus eſt ſpasmodica muſculorum thoracis contractio, nocturno tempore contingens, & anxiam valde ac laborioſam reſpirationem inducens; germanice, der Alp, græce ἐφιάλτης.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Incubus quo modo ab *aſthmate conuulſiuo* diſtinguendus ſit, ſequente tabula fuſius indicatum eſt.
2. Differentiam a *catarrho ſuffocatiuo* ſigna vtrorumque adfectuum, inter ſe collata, docent. *Conf. tabula de catarrho ſuffocatiuo.*

III. *SIGNA.*

1. Senſus ponderis alicuius, pectori incumbentis.
2. Reſpiratio anxia, & tam vehementer cohibita, vt neque mouere corpus, neque claram vocem emittere poſſint ægri.
3. Totius enim corporis motus paullisper ſufflaminatus eſt, collecto motus vigore circa thoracem.
4. Oberrant ſenſibus varia phantaſmata, quæ vere ſe conſpicere & a quibus iniurias ſe pati autumant adflicti.
5. Soluitur hoc incommodum, ſimul ac vnicum tantum membrum ad motum denique concitetur.
6. Remanet autem aliquamdiu ingens laſſitudo per corpus vniuerſum, immo nonnunquam maculæ rubicundæ vel liuidæ, ſiue in artubus ſiue in pectore, conſpiciuntur.
7. Hæc omnia nocturno tempore contingunt, medio inter vigilantem & dormientem ſtatu.

IV. *SVBIECTA.*

1. Euenit incubus ſæpius plethoricis, non quidem ſimpliciter talibus, ſed notabili ſanguinis ſpiſſitudine laborantibus.

2. Spe-

2. Speciatim; qui adfectibus hypochondriaco-ſplenicis obnoxii ſunt.
3. Qui nimia ciborum quantitate ventriculum circa veſperam onerare, & in tergo decumbere ſolent.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis* eſt plethora cum ſpiſſitudine ſanguinis, præcipue circa venam portæ ſtagnantis, coniuncta.
2. Cauſſa *formalis* ſpaſticorum horum motuum eſt principium vitale, quod illos rationaliter quidem, ſed ex errore conſtituit.
3. Cum cauſſa materiali interdum conſpirant cruditates primarum viarum.
4. Hac ratione exſulant fabulæ, quæ de hoc malo per vulgus circumferuntur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Incubus tranſitorius eſt adfectus & minoris periculi.
2. Contumaciter tamen interdum ſe gerit, nec prius auferetur, donec ſanguinis quantitas imminuta & eiusdem ſpiſſior qualitas correcta ſit.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Præmittantur per aliquot dies blandiora *laxantia* cum digeſtiuis & reſoluentibus coniuncta.
2. Deinde, modo tempus ſit opportunum, *venæ ſectio* in pede adminiſtretur, ſubiunctis pulueribus nitroſis, digeſtiuis, cinnabarinis.
3. De reliquo eadem methodus, quæ *tabula de malo hypochondriaco-hyſterico* commendata eſt, obſeruetur.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quo magis primarum viarum cruditates peccant, eo magis poſt euacuantia tonus per ſtomachica amara reſtituendus eſt; in quem finem præcipue laudantur eſſent. gentian. rubr. centaur. min. card. bened. abſinth. cort. aurant.
2. Vbi incubus *vnice* a prægrauatione ventriculi dependet, ibi euacuatio commode per blandum aliquod *vomitori-*

*um* peragitur ; caueatur modo, ne in diagnoſi error committatur, vomitus enim in adfectibus hypochondriaco-hyſtericis grauia mala inducturus eſſet.

3. Adſueſcant eiusmodi ægroti lateribus, non autem tergo, incumbere.

# TABVLA LII.

## DE ASTHMATE SPASTICO SEV CONVVLSIVO.

I. D*EFINITIO*.

Aſthma conuulſiuum eſt vehemens ſpaſtica muſculorum thoracis compreſſio, hæmoptyicam euacuationem, ſed erronee, reſpiciens.

II. *DIFFERENTIA*.

1. Aſthma conuulſiuum ab *incubo* ſequentibus differt:
   1). *Incubus* euenit dormientibus tantum, vel ad minimum ſemidormientibus, *aſthma* autem *conuulſiuum* vix aliis, quam vigilantibus, obtingit.
   2) *Incubus* tranſitorius eſt adfectus, *aſthma* autem *ſpaſticum* longe pertinacius durat, & frequentiſſime ſtatis paroxysmis reuertitur.
   3) *Incubus* reſpirationem tam vehementer cohibet, vt vocem claram ſupprimat, *aſthma* autem *conuulſiuum* liberam magis habet reſpirationem.
   4) *Incubus* minoris, *aſthma* autem *ſpaſticum* maioris eſt periculi.
2. Aſthma *ſpaſticum* quo modo ab aſthmate *defectiuo*, nempe humido & ſicco, differat, videatur *tabula de aſthmate humido & ſicco*.

3. Dif-

3. Differentiam a *catarrho ſuffocatiuo* docet *tabula de catarrho ſuffocatiuo.*

III. *SIGNA.*

1. Reſpiratio eſt quidem breuis, ſed non tam vehementer impedita; neque oppletiuum quid in pectore ſentitur: quibus circumſtantiis a *catarrho ſuffocatiuo* præcipue dignoſcendum eſt aſthma conuulſiuum.
2. Torpor inſuperabilis & extrema laſſitudo per reliquum corpus.
3. In thorace vero & circa ſcapulas ſumma compreſſio ſentitur, coniuncta cordis palpitatione.
4. Adſpectus faciei inæqualiter eſt rubicundus, & vaſa circa tempora turgent.
5. Aluus plerumque eſt adſtricta, vrina fere eſt ſuppreſſa, in nonnullis autem maiori copia excernitur.
6. Concurrit ſæpe vertiginoſa oculorum & mentis tentatio.
7. Hæc omnia non ſolum ſtato plerumque tempore, in primis circa primam noctem, per vnam alteramue horam adfligunt, ſed etiam certas periodos formant.

IV. *SVBIECTA.*

1. Crebrius euenire ſolet hic adfectus plethoricis, quam aliis ſubiectis.
2. In puerili & adoleſcenti ætate non facile occurrit; niſi quidem aliis morbis accedat, quo vero caſu mali ominis deprehenditur.
3. Magis familiaris eſt adultioribus, in quorum aliis mediocris tantum paroxysmus, ſed eo ſæpius, occurrit, in aliis autem cum impetu inuadit & breui tempore ſcenam claudit.
4. Specialiter euenit hic adfectus iis hominibus, qui ventilationes ſanguinis adſuetas, præcipue ſcarificationes circa hæc loca, neglexerunt.
5. Qui vitam laborioſam in otioſam mutarunt.
6. Quibus podagra vel rheumatiſmus inconditis remediis ad interiora retropelluntur.

7. Porro

7. Porro illis feminis, quæ ſuppresſis vel imminutis menſibus laborant.

8. Item viris hypochondriacis, quibus hæmorrhoides ſuppreſſæ ſunt vel impedite ſuccedunt.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis* eſt plethora.

2. Cauſſa *formalis* eſt irritata ad excusſionem natura.

3. Cauſſæ *occaſionales* ſunt variæ, eſt enim magis ſymptomaticus quam idiopathicus adfectus: vnde vel febribus, præcipue malignis, vel arthritico-rheumaticis, vel pectoris violentis adfectionibus ſe ſe iungit. *Conf. ſubiecta.*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Aſthma ſpaſticum eſt ſonticum malum, & licet in præſenti non ſtatim ſit periculoſum, facile tamen recurrit, & ſæpe ægrum iugulat.

2. Pueros & adoleſcentes quando hic adfectus corripit, peioris eſt præſagii.

3. Si ſubiecta valde corpulenta ab hoc morbo infeſtantur, in hydropem pectoris aliquando incidunt.

4. In iunioribus enim hic adfectus vere ſpaſtico-conuulſiuus deprehenditur, in mediocri ætate acutos morbos vel peculiares ſanguinis eruptiones, præcipue hæmoptyicas, in ſenioribus autem catarrhos ſuffocatiuos, apoplexiam, paralyſin, poſt ſe relinquere obſeruatur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *In paroxysmo.*

1) Ante omnia aluus ſoluatur per clyſterem acriuſculum. ad quem, deficientibus aliis, vrina recenter emiſſa, ſumatur.

2) Deinde venæ ſectio ſiue inſtituatur, ſiue differatur, ſecundum indicationes ſub *cautelis* legendas.

3) Poſt ea ad ſanguinis commoti placationem ſæpius exhibeantur pulueres nitroſi, abſorbentes, cinnabarini.

4) Coniunctis, ad ſanguinem congeſtum diſcutiendum, temperatis alexipharmacis cum regimine leniter diapnoico; quod tanto magis neceſſarium erit, quando febris, vti fieri ſolet, concurrit.

5) In

5) In caſu valde vrgente cum pulueribus nitroſis verſus ſomnum miſceantur gran. II. M. P. de cynogloſſa, vel cinnabaris largiore doſi adhibeatur.

6) Externe locum habent, tanto magis ſi æger ſcarificationibus adſuetus fuerit, ſequentia:

a) Spiritus vini camphoratus, circa ſcapulas, ceruices collum, adplicandus.

b) Dens hippopotami.

c) Frictiones cum panno calido, præſertim ſi ſenſus circa ſcapulas adeſt.

d) Suffimigia ex ſuccino, maſtiche, ſtorace &c. item ex ſtœchade citrina, prunis iniecta, & parti dolenti adplicata

2. *Extra paroxyſmum.*

1) Venæ ſectiones æquinoctiales in pede numquam prætermittantur, coniunctis pediluuiis, alternis hebdomadibus repetendis.

2) adſuetæ ſcarificationes iterentur.

3) Hæmorrhoidum & menſium vitium legitima methodo corrigatur.

4) Lenia laxantia ſubinde exhibeantur.

5) Subiunctis, ad tonum roborandum, & æqualem ſanguinis diſtributionem promouendam, tonico-neruinis, e. g.

Recip. tinct. ſalis tartari.
eſſent. ſuccin. ana drachm. II.
ſpirit. C. C. drachm. I.
M. doſ. gutt. XXX.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Venæ ſectiones*, in paroxyſmo inſtitutæ, hoc habent incommodi, vt adfectus in poſterum pertinacius recurrat & idem auxilii genus efflagitet. Natura enim per hoſce motus ſpaſticos e longinquo ſanguinem exprimere intendit, & quando per venæ ſectionem deſiderium illius expletur, alia vice, ſimul ac moleſtam plethoram ſentit, ad antiqua molimina reuertitur, & prius non placatur, quam vena ſecta eſt.

 2. Vnde,

2. Vnde, ſi æger hoc malum numquam expertus eſt, venæ ſectionem abſolute neceſſariam non iudicamus. Quando autem illa omnino placet, inſtituatur ſatis copioſe, & quidem vel in vicinia, nempe in brachio, vel, ſi adfectus non ita vrget, in pede.
3. Quando vero æger ab hoc aſthmate antea iam correptus, & venæ ſectio adminiſtrata fuit, tum illius repetitio ſumme neceſſaria eſt: ſine hac enim natura omnia reliqua ſubſidia ſpernit.
4. *Vomitoria*, ſine matura circumſtantiarum diiudicatione, data magis nocent, quam proſunt, præcipue ratione plethoræ & latentis ſub ea timoris hæmoptyſeos. Si autem voracitas prægreſſa incrementum conferret, & nihil adeo contra indicaret, lene aliquod emeticum, præmiſſo clyſtere & pro re nata venæ ſectione, concederetur.
5. Sic etiam *purgantia fortiora* non ſine damno adhiberi poſſunt; lenia autem laxantia vſum ſuum præſtant.
6. A nimia tali ſanguinis preſſione & ſpaſmodica ipſius cutis contractione ſæpius *ſudor* prouenit, quem nitroſa re vera magis promouent, quam ſiſtunt.
7. Quando pathemata *hypochondriaca* euidentius complicata ſunt, *mixtura ſimplex*, leniter camphorata, bene acidulata, & ſine regimine vſurpata, vtilis eſt; hæc enim flatulentis hypochondriacis ſubiectis egregie conducit.
8. *Salia volatilia*, præcipue in paroxyſmo, fugiantur.
9. *Anodyna*, ſi, aluo nondum aperta, exhibentur, certiſſime damnum inferunt.
10. Circumſpectus *hirudinum* vſus multis hypochondriaco-aſthmaticis ſalutaris fuit.
11. *Diaphoretica* in primis calida multum nocent, quia paroxyſmum fortiorem reddunt, lenia autem diapnoica vſum habent.
12. *Expectorantia* in ſpaſtico-aſthmaticis adfectibus, vbi nulla materia præſto eſt, adhibere velle, periculoſum eſt.

TAB. LIII.

# TABVLA LIII.

## DE

# SINGVLTV.

I. D*EFINITIO.*

*Singultus* eſt motus diaphragmatis, & meſenterii cum inteſtinis ſemi-conuulſiuus, per quem principium vitale aliquid circa hanc regionem moleſti diſcutere, propellere & eliminare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Singultus* eſt vel *idiopathicus*, qui a vitio primarum viarum originem ducit, vel *ſymptomaticus*, qui per conſenſum neruorum in aliis morbis acutis contingit.
2. Qui morbis acutis ſuperuenit, diſtinguendus eſt a ſingultuoſa illa reſpiratione, moribundis infantibus familiari.
3. Differt *gradu*, eſt enim vel vehementior, cum ſumma vi & niſu eueniens, vel mitior, per ſpontaneam oris clauſuram facile moderandus.
4. Qui *chronice* occurrit, vel mox ceſſat, vel, quod tamen rarius contingit, febrem inflammatoriam comitem habet, & maiore exſpiratione ſonora ac fortiore impetu adfligere deprehenditur.

III. *SIGNA.*

1. Præcedit ſæpe dolor grauatiuus & preſſorius circa orificium ventriculi ſiniſtrum.
2. Sequitur ſub diaphragmatis concuſſione exſpiratio ſonora, plus minus acuta.
3. Sub ipſo hoc motu concuſſorio, in chronico adfectu, exſerit ſe ſe ſenſus quidam vlceroſus, als wenn alles rohe und wund an demſelbigen Orte wäre.
4. Poſt præterlapſam horæ quartam circiter partem ſponte fere ceſſat.
5. Aliquando autem, vltra aliquot horas, immo dies durat.

IV. *SVBIECTA.*

1. Singultus chronicus euenit potiſſimum iis hominibus, qui nimis auide cibum, præcipue fructus fugaces auſteros, & frigidum potum magnis hauſtibus ingerunt.
2. Singultus in acutis morbis facile illis ſubiectis accedit, quæ inflammatione quadam interna corripiuntur, ſpecialiter aliquando in puerperis febre acuta correptis obſeruatur.
3. Dyſenteria, vel alia inflammatione inteſtinorum laborantibus.

V. *CAVSSAE.*

1. Singultus communis ſeu *chronici* cauſſæ ſunt:
   1) Prægrauatio ventriculi a cibis dyſpeptis, crudis, auſteris, præcipue feſtinato ingurgitatis, & hinc inductæ cruditates ac flatulentia.
   2) Potus frigidus, vel medicamenta refrigerantia.
   3) Exacerbationes motus periſtaltici, per emetica vel purgantia fortiora inductæ.
2. Singultus in *acutis* occurrit præcipue in inflammatione meſenterii, pylori, diaphragmatis, ſimæ partis in hepate, ilei in dyſenteria, item in febre cauſodea.
3. Cauſſæ *occaſionales* ſunt inflammationum externarum, vomitus, diarrhææ, hæmorrhoidum nephriticorum, vel podagricorum adfectuum repentina ſuppreſſio & retropulſio.
4. Interdum per adſumtum lenteſcens venenum ſingultus inducitur.
5. Hac ratione ſingultus ab actu naturæ rationali, quo obſtaculum qualecumque remouere intendit, non autem materia neruos ſtimulante, irritante & vellicante dependet, id quod confirmat experientia quotidiana, dum vehementes imaginationes aut memoria terrificæ angentis rei alicuius &c. ſingultum ſæpiuscule compeſcunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Singultus vulgaris, chronice occurrens, non eſt pericu-loſus

loſus. Licet enim exempla quædam proſtent, in quibus ſingultus ſine morbo acuto lethalis fuit, rariſſime tamen hoc euenire ſolet.

2. Quando autem hic ſingultus vulgaris ſæpius recurrit, maiorem inuoluit conſiderationem, quia facile in conſuetudinem tranſit, & multum moleſtiæ adfert.

3. Tale malum, penſitatis recte circumſtantiis, a vulgari ſingultu gradu & vehementia longe differt, & frequenter a labore & motu quodam externo vehementiore mox cooritur.

4. Quando morbis *acutis*, præcipue verſus *dies criticos* ſingultus ſuperuenit, numquam caret periculo; facile enim motus hic ſemi-conuulſiuus in veras & vniuerſales conuulſiones per vniuerſum corporis habitum tranſit, quibus breui tempore ægri exſpirant.

5. Sic etiam ille ſingultus periculo non caret, qui aliis morbis accedit. Teſtatur enim ſæpe de aliis ſonticis malis, e. g. internis inflammationibus diaphragmatis, ventriculi, hepatis & aliorum viſcerum; item de ſcirrhis, periculoſis infarctibus, præſentibus vel imminentibus corruptionibus. Interdum exanthemata difficulter erumpentia aut pene retropulſa comitatur.

6. Non minus ille ſingultus, qui colicæ præter conſuetudinem accedit, mali ominis eſt; *conf. tabula de colica.*

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Singultus *communis* non indiget medicatione, breui enim tempore, immo paucis ſubinde momentis, tranſit; ſubleuatur autem commode per externum calorem & potum qualemcumque calidum, e.g. thée, coffée; item per exſpirationem paullilper cohibitam.

2. Quando autem hic ſingultus tempus ducere, &, quod ſubinde contingit, ad vnam vel alteram hebdomadem ſe ſe extendere videtur, ſimulque ſaburram primarum viarum ſuſpectam reddit, tum ſequens methodus adhibeatur:

α) Ad cruditates primarum regionum eliminandas præſcribantur

 a) In-

a) Interne lenia laxantia, præcipue rhabarbarina & helleborata, item ſalia cathartica amara.
b) Externe clyſteres abſtergentes.
2) Deinde ad ventriculum roborandum exhibeantur
a) Interne ſtomachica amara & neruina, e.g. eſſent. abſinth. galang. cort. aurant. centaur. minor. gentian. rubr. macis, mixtura tonico-neruina *Stahlii*, item martialia ſelectiora, præcipue tinct. martis aperitiva *Ludouici*, pulu. ſtomachicus *Birckmanni* ſeu *Quercetani*, cortex caſcarillæ, eiusque extractum.
b) Externe camphorata, ſacculi aromatici calidi, adiectis radicibus odoratis, herbis coronariis, & ſeminibus carminatiuis, it. balſama & emplaſtra ſtomachica.
3) His ſubinde interponantur, quæ acrimoniam corrigunt, nempe abſorbentia cum antimoniato quodam fixo maritata.
4) Concurrente flatulentia, hæc legitime tractetur.
5) Ad prophylaxin purgans aliquod ſubinde præſcribatur, & ante vel poſt paſtum aliquot piperis grana, in vino adulto, ſumantur.

3. Singultus, morbis *acutis* ſuperueniens expoſcit
1) *Interne*
a) Alexipharmaca cum ſpiritu nitri dulci mixta, coniuncto leni regimine diaphoretico.
b) Pulueres nitroſo-abſorbentes, magiſterium dentis apri.
c) Emulſiua, gelatinoſa, &, ſedandi ſcopo, corticem caſcarillæ.
d) Decocta ex rad. ſcorzon. ſigill. Salomonis, apii, cichor. caryophyllat. herb. veronic. ſcord. chæref ol. flor. ſambuc. chamomill. ſemin. caru. fœnic. cort. citr. cinnamom. addito nitro & cryſtall. tartari; quæ autem decocta non copioſe ſumenda ſunt.
2) *Externe* ſacculos carminatiuos diſcutientes, in quem finem laudantur
a) Radices helen. pimpinell. alb. leuiſt. imperator. irid. Florentin. zedoar.

b) Her-

b) Herbæ hyſſop. meliſſ. origan. ſerpill. pul. montan. ſalu. rorismarin. thymi, ſpicæ, lauendulæ, menth. chamomill.
c) Aromatica.
d) Ligaturæ hypochondriorum.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Vſus *internus caſtorei*, & aliorum neruinorum calidorum, neque in ſingultu, neque in aliis infimi ventris morbis commendatur; *externo* autem vſu effectum ſuum præſtat.
2. *Caſſia fiſtuloſa* & alia flatulenta laxantia, e. g. fol. *ſennæ, agaricum* hic minus locum habent.
3. Acta N.C. anno quinto obſeru. 118. notarunt, quod quinque dierum ſingultus in febre maligna feliciter ſublatus ſit per vſum *nitri, abſorbentium, emulſiuorum* & *alexipharmacorum*.
4. Hæc obſeruatio confirmatur quotidiana experientia, nitroſa enim cum abſorbentibus & leniter diaphoreticis, quando in acutis adhibentur, rariſſime ſingultum admittunt: inflammationes enim, propter quam diſcutiendam ſingultus a natura excitatur, præcauent.
5. Quando autem nitroſa non adhibita fuerunt, & ſingultus morbis acutis acceſſit, tum in caſu adhuc recente & nondum præualido per dicta remedia frequenter profligatur, ad inſoleſcentem autem adfectum raro ſufficit, multo minus alia remedia famoſa.
6. Qui *chronico* ſingultu vexantur, *cingulo* quodam abdomen per diem muniant, potum frigidum euitent, & labore corpus exerceant.
7. Euitanda ſunt remedia *ſtomachica acria, calida, volatilia* & *opiata*.
8. *Fortiora purgantia* & *emetica* in quouis ſingultu nocent.
9. Calor externus, pro mitigando ſingultu, egregie conducit.

TAB. LIV.

# TABVLA LIV.
## DE
# CONVVLSIONIBVS IN GENERE.

I. D*EFINITIO.*

Conuulſiones ſunt repentinæ, reciprocæ ac extremæ motus tonici exacerbationes, in partibus præcipue muſculoſis, raptim tractis & remiſſis: quo ſummo, ſed erroneo, conamine natura aliquid in corpore moleſti, quod vel actu præſto eſt, vel ab illa fingitur, propellere & expellere intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quo modo conuulſiones a *ſpasmis* vere differant, videatur *tabula de ſpasmis:* Licet enim ſub vno genere motuum, vltra naturalem gradum auctorum reperiantur, & vna ſpecies facile in alteram transmigret, nullo tamen modo confundendi ſunt. Diſtinguunt alias inter conuulſionem, ceu ſpasmum ſimplicem completum, & motus conuulſiuos; ſed & hanc differentiam hic prætermittimus, ne confuſioni anſam præbeamus.
2. Conuulſiones ſunt
   1) vel *idiopathicæ*, quæ ſine euidente complicatione cum aliis morbis corpus infeſtant, & tempore ſtato, præſertim circa inſigniores lunæ phaſes, ex nulla alia quam ideali cauſſa erronee recurrunt. Huc pertinent conuulſiones illæ, quæ ſtrictiore ſenſu *epilepſiæ* nomine veniunt.
   2) Vel *ſymptomaticæ*, quæ ſonticæ corporis periclitationi ſuperueniunt, vti ſub *cauſſis* dicetur.
3. Hoc ſolo reſpectu cauſſarum & morborum complicatorum differt *epilepſia* a reliquis motibus conuulſiuis: illa enim nullam proportionem cum cauſſa phyſica vel morali præ ſe fert, ſed *idiopathice* absque aliis morbis corpus potiſſimum adfligit, propriaque ſui vehementia

pro-

proſternit, licet a cauſſa materiali initium ſumſerit; illæ autem cauſſas plerumque ſonticas cum morbis coniunctis pro fundamento habent.

4. Conuulſiones *vterinæ* diſtinguendæ ſunt a *lipothymiis* & *ſuffocationibus vterinis:* in his enim oculi ſemper clauſi & membra flaccida ſunt.

III. *SIGNA.*

1. In hoc triſti adfectu adparent partis alicuius vel vniuerſi corporis agitationes reciprocæ, vehementes ac repentinæ, præter voluntatem, immo ſæpe citra recordationem, contingentes.
2. Infeſtant hi motus per breues quaſi paroxyſmos, dum aliquando paullulum quidem remittunt, ſtatim vero enormi vi recurrunt.
3. Immo in conuulſionibus inualeſcentibus partes non ſolum motu, ſed & ſitu torquentur, adliduntur & proiiciuntur.
4. His oculorum diſtorſio, præcipue verſus ſuperiora, & ſenſuum abolitio accedit.
5. Dentes ſæpius colliduntur, & pollices, præſertim in principio, in pugnum contrahuntur.
6. In caſu vehementiore artus adeo torquentur, vt diu in hoc diſtorto ſitu permaneant.
7. Spuma, vel ad minimum mucus ſalíualis ſub finem paroxyſmi ex ore profluit.
8. In nonnullis aliæ excretiones, e.g. vomitus, diarrhœa, hæmorrhagia narium, excretio vrinæ vel ſpermatis, contingunt.
9. Subſequuntur inſignis corporis laſſitudo ſitis, vertiginoſa capitis perturbatio cum ſudore graueolente.

IV. *SVBIECTA.*

Conuulſionibus plerumque infeſtantur

1. Feminæ præ viris.
2. Ætas infantilis præ aliis ætatibus.
3. Habitus corporis ſucculentus præ ſicciore.

4. Plethorici, craſſo ad modum ſanguine laborantes, & iracundi præ minus talibus.
5. Cauſſis tandem ſequentibus occaſionalibus obnoxii.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa conuulſionum eſt nimia irritatio principii vitalis: hoc enim vrgentibus caſibus motum tonicum vitalem ad vltimam energiam intendit, ne quid intentatum maneat.
2. Cur autem paroxyſmi in conuulſionibus idiopathicis circa phaſes lunæ occurrant, explicatu difficillimum eſt: quæ enim cauſſæ de dominio lunæ in humores, ſpeciatim in cerebrum, item de mechanicis configurationibus effluuiorum, elaſticis potentiis, proferuntur, laborant *principii petitione.*
3. Plus ſane moralis & finalis rationis, quam phyſici corporei impulſus, in hisce motibus extremis ſubeſt: hinc multæ difficultates premunt craſſiores illas de vellicatione & ſtimulatione neruorum opiniones, variolarum teſtimonio, vbi vix milleſimus conuulſionibus corripitur, licet omnes eamdem putatam ſtimulantem materiam in illo morbo experiantur.
4. Cauſſæ *occaſionales* & concitantes hoc magis illuſtrant, ſæpe enim nulla eſt proportio inter has & motus tales violentos. Sunt autem illæ concitantes cauſſæ
   1) vel *materiales*, e. g.
      a) Spiſſitudo ſanguinis.
      b) Coagulatio lymphæ circa caput, per refrigerationem inducta; quod potiſſimum in infantibus contingit.
      c) Retropulſo cruſtæ lacteæ, ſcabiei, achorum vel aliorum vlcerum manantium.
      d) Interceptio reſpirationis a tuſſis vehementia & materia valde tenaci.
      e) Contenta in abdomine, e. g. vermes, præcipue apud infantes.
      f) Morbi acuti infeliciter decurrentes, præcipue exanthe-

themata legitime non ſuccedentia, e.g. variolæ, morbilli.

g) Dentitio difficilis.

h) Res ſolidæ, e.g. feſtucæ, grumi, ſanies, ſub cranio latitantes, item potus ſpirituoſorum acriorum nimius..

i) Menſes ſuppreſſi, vel aliæ debitæ excretiones retentæ.

k) Contuſiones grauiores, præcipue vulnera tendinum aut neruorum.

l) Morſus animalium iratorum.

m) Quo magis autem conuulſiones in conſuetudinem iam degenerarunt, eo minus cum incitamentis hisce materialibus proportionem ſeruant.

2) Vel *immateriales* e.g.

a) Diſpoſitio hæreditaria.

b) Animi pathemata, quæ non ſolum promtiſſime conuulſiones prouocant, ſed etiam pertinaciter illas fouent, præcipue ira, terror, amor veſanus ac deſiderium.

c) Impreſſiones ideales per veneficia & philtra, inprimis ſanguinem menſtruum orgaſticum.

d) Periodi temporum, præſertim phaſes lunæ.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Omnium conuulſionum nullus corpori in ſolidum vtilis eſt effectus.

2. Euentus quidem in *chronicis* cauſſis & ſcopis non tantum periculi portendit, niſi impetu conuulſiones excedant; inter ea facile adſueſcunt, & per leues pure morales cauſſas proteruius reuocantur.

3. Quæ autem conuulſiones *acutis* cauſſis accedunt, ancipitem ſæpe euentum ſortiuntur: per initia quidem morbi ſymptomaticæ hæ conuulſiones minoris, ſub ſtatu maioris, in declinatione & tempore debiti exitus ſummi periculi ſunt, morbum lethali euentu claudunt.

4. Illæ conuulſionum ſpecies præ aliis ſunt contumaces, quæ

a patheticis occaſionibus, vitio hæreditario, veneficiis, philtris initium ſumſerunt, & conſuetudine in habitum iam ſunt deductæ.

5. Conuulſiones, quæ adoleſcentes & adultos corripiunt, periculoſiores ſunt, quam quæ iuniores.

6. Mulier ex abortu conuulſa, raro euadit, teſte *Aretæo* libr. I. c. VI.

7. Puer febricitans, variolas nondum perpeſſus, ſi motibus conuulſiuis, & ardore circa lumbos, corripitur, poſtero die variolarum eruptio exſpectanda eſt, obſeruante *Baglivio* in praxi med. pag. 79. & confirmante experientia frequente.

8. Sic etiam conuulſiones, febrilibus malis in infantili ætate ſuperuenientes, plerumque lethales ſunt.

9. Conuulſiones *ſymptomaticæ* nulla re efficacius profligantur, quam promotione motuum ſe- & excretoriorum, morbo primario conueniente.

10. Epilepſia *vterina*, ſub debita mali hyſterici tractatione, ſponte plurimum euaneſcit.

11. Quando autem nulla aut leuiſſima mali hyſterici pathemata adparent, & ita conuulſiones nullam magis proportionem cum cauſſa hac materiali obſeruant, tunc prius non ſoluuntur, quam poſt ſpecifici remedii, epilepſiæ idiopathieæ conuenientis, adplicationem.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Ante omnia conſideretur, num conuulſio ſit *ſymptomatica* vel *idiopathica*.

2. In *ſymptomatica* primarius morbus reſpiciatur: hoc enim feliciter ſublato, conuulſiones interdum ſponte remittunt.

3. Vbique autem reliquæ medelæ, exceptis febribus acutis, præmittantur blandæ *primarum viarum* expurgationes. In hunc finem præcipue commendantur cholagoga & melanagoga.

4. Euacuationum *ſanguinis* debitarum ſnppreſſiones legitima methodo reuocentur; qua ratione ſpiſſitudini humorum

morum ſimul conſulitur. Hac in ſpecie pertinet *epilepſia vterina.*

5. In cauſſa *vermium, ſcabiei*, vel *efflореſcentiarum retropulſione*, mercurius dulcis in vſum veniat, & expellentia, e.g. flores ſulphuris, anticatarrhalibus mixti, vſurpentur.

6. In *pectoris* vitiis, lymphaque viſcoſa exhibeantur eadem anticatarrhalia, e.g. eſſent. ſuccini, alexipharmaca, pimpin. alb. cum tinctur. antimon. remiſcenda, in phlegmaticis liquor C. C. ſuccinatus, eſſent. cortic. ſaſſafras.

7. Contra *ſpermatis* abundantiam & orgaſmum præſcribantur nitroſa & ſufficiens corporis labor.

8. In cauſſa recrementorum *bilioſorum*, infantibus infeſtorum, ordinentur rhabarbarina, e.g. ſirup. de cichorio cum rhabarb. aurum fulminans cum cryſtallo montana præparata, clyſteres emollientes, qui in flatibus concurrentibus præcipuum vſum præſtant.

9. *Dentitio difficilis* & interceptio *aſthmatica* tractentur, vt moris eſt.

10. Conuulſiones per *philtrum* inductæ, vomitorium expoſcunt ſatis maturum.

11. Hiſce præmiſſis, motus temperantia & ſiſtentia propinanda ſunt, e.g. cinnabarina, nitroſa, lumbrici terreſtres, vel ſpecifica adhibenda. Conf. *tabul. de epilepſia.*

12. Motus conuulſiui ſymptomatici, *febribus* ſuperuenientes, non ſtatim oppugnandi ſunt, in primis per opiata, ſed reliquus febris decurſus & ſucceſſus iuſto modo promovendus, cui ſcopo ſatisfaciunt aquæ diapnoic. emulſiones, cinnabarina.

13. Conuulſiones *idiopathicæ* ſequente methodo tractentur:
   1) Lenia laxantia per tres circiter dies propinentur.
   2) Reliquarum excretionum debitus ſucceſſus conſeruetur. Denique
   3) Verſus paroxyſmum ſpecifica ſub moderato regimine exhibeantur. De quibus fuſius *tabul. de epilepſiæ* agetur.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Obſeruatio illa generalis, quod *generalia ſpecificis* ſint *præmittenda*, in conuulſionibus potiſſimum locum habet.

2. Remedia illa, quæ in hoc malo alias efficacia ſunt, quando in conuulſionibus, mortem præcedentibus, offeruntur, loco ſedationis, maiorem motuum inſolentiam excitant, donec ipſa mors ſequatur: vnde eo tempore nil niſi *prognoſis lethalis* locum habet.

3. Numquam ad motus tantum ſiſtendos dirigatur intentio: neque etiam materiam, fortioribus præſertim medicamentis, expellere tentemus, vbi nulla talis præſto eſt.

4. *Adſtringentia*, ad motus generaliter ſiſtendos, hic exhibere, quouis modo improbatur.

5. Sic etiam *narcotica*, intentionem ad mouendum paulliſper obnubilantia, minus fideliter agunt, & ad ſpecialis huius motus ſedationem minime ſufficiunt.

6. *Cinnabarina* in *idiopathicis* conuulſionibus minimam habent efficaciam, in *ſymptomaticis* autem & ſpaſticis circa caput reſtrictionibus plus præſtant.

7. *Fortiora purgantia* in conuulſionibus *idiopathicis* non ſolum inutilia ſunt, verum etiam motus magis exacerbare obſeruantur: in nonnullis autem *ſymptomaticis* inſultibus, vbi materia craſſa manifeſta eſt, magis locum habent, præcipue in ſubiectis robuſtis, quibus etiam *vomitoria* aliquando ſalutariter propinantur; cauendo tamen vbique, ne nimis ſint draſtica, neque *ſub ipſis paroxyſmis* exhibeantur, reſtante virium imbecillitate.

8. Violentæ *pollicum eruptiones*, aliæque interpellationes paroxyſmorum per odoramenta penetrantiora, inſignem poſt paroxyſmum defatigationem aut citiorem & frequentiorem eiuſdem recurſum procreare ſolent.

9. Caueant ſibi ægri ab *animi commotionibus*, præcipue iracundis, ab otio, ſpeculationibus, potu ſpirituoſo, cibis acidis, refrigerationibus immodeſtis, rebus graueolentibus, proſpectu in profundum.

10. *Venæ ſectionem*, ſi malum a plethora vel ſuppreſſione fluxuum

xuum ſanguinis conſuetorum prouenerit, inſtitui neceſſe eſt, quam nonnulli in pedum *digitis maioribus* ſpecifice celebrant.

11. *Liquor C. C. ſuccinatus* in quibusdam effectum edit optatum, vitandus autem eſt eius abuſus.

12. Vltimo loco mentionem facimus *olei* illius rectificatiſſimi, quod *Democritus* ſic dictus *Ghriſtianus* tractatu, *morbus & medicina vitæ animalis*, in conuulſionibus commendat. Qui oleum hoc *legitime* præparare & *dextre* adplicare poterit, is in conuulſionibus non ſolum idiopathicis, verum etiam in quibusdam ſymptomaticis, præcipue vterinis, admirandos effectus obſeruabit. *Conf. diſſert. noſtra inauguralis de efficaci quodam remedio in motibus exacerbatis.* Effectus, quos in hac diſſertatione huic oleo rectificatiſſimo adſignauimus, in hunc vsque diem ſæpius ſe commendant.

# TABVLA LV.

## DE EPILEPSIA.

I. D*EFINITIO.*

Epilepſia eſt motus conunlſiuus plus minus repentinus, ſumme exacerbatus, artus præcipue & pectus miſerrime adfligens, ſenſuumque priuationem per totum paroxyſmum inferens, cum aliis ſymptomatibus grauioribus, idiopathice magis absque alius morbi concurſu ab anxia natura erronee formatus. Deriuatur ab ἐπιλαμβάνω, inhæreo, manum iniicio.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differentiam *epilepſiæ* a *motibus conuulſiuis* in genere *tabula* præcedente docuimus.

2. Diſtinguunt quidem vulgo inter *epilepſiam idiopathicam* & *ſympto-*

*ſymptomaticam*, ſed minus commode: hac enim ratione differentia illa, quæ eſt inter *conuulſiones idiopathicas* & *ſymptomaticas* facile confunditur & obſcuratur.

3. Hinc quamquam *epilepſia* ſub *initium* per quaſcumque cauſſas *materiales* interdum inuitetur & introducatur, *progreſſione* tamen temporis, quando motus vere epileptici in habitum obfirmantur, *motuum* magis quam *materiæ* vitia adcuſanda & conſideranda veniunt.

4. Atque hoc intuitu *epilepſiam* ſic dictam *ſymptomaticam* eiusque tractationem ad tabulam *præcedentem* generalem de *conuulſionibus in genere* relegamus, & *epilepſiæ* nomine hic tantum ſubaudimus adfectum conuulſionis *idiopathicum*.

5. multo minus ſolliciti ſumus hoc loco de differentia illa vulgatiſſima, quæ *epilepſiam* infantum in *externam* ſeu *explicitam*, wenn das böſe Weſen ausbricht, & *internam* ſeu implicitam, wenn der innerliche Jammer im Leibe oder Köpfgen iſt, diſtinguit. Quem ad modum enim conuulſiones infantum tantum non omnes ſunt ſymptomaticæ, ita & harum tractationem hoc quidem loco excludimus.

6. Idiopathica hæc *epilepſia* eſt vel *recens*, vel *inueterata*.

7. Item vel *periodica*, mutationes lunæ inſigniores, præcipue nouilunia & plenilunia ſequens; vel *vaga*, ſæpius recurrens.

8. Alia eſt *hæreditaria*, alia ab impreſſione per *faſcinum* aut nefarias artes magicas inducta, *conf. theoria Stahlii pag. 1356.* alia vero aliunde *adquiſita*.

9. Alia *vehementior*, quando nimirum manus in auxilium qualecumque admouentur; alia vero huius intuitu *lenior*.

10. Differt tandem epilepſia a *pauoribus* infantum ratione gradus & durationis, vtpote qui huius mali ſæpius eſſe ſolent prodromi.

11. Quo modo epilepſia differat a *lipothymicis* & *apoplecticis* adfectibus, ſigna teſtantur.

III. *SIGNA.*

III. *SIGNA.*

1. In aliis præcedit ſenſus quidam frigidus, ex partibus remotis repente verſus caput adſcendens, & ſcintillæ oculis obuerſantur.
2. In aliis prodromi tales non ſentiuntur, ſed paroxyſmus improuiſo per *caſum repentinum* ſe ſe manifeſtat.
3. Sub initium paroxyſmi *pollices* in pugnum imprimuntur, & quando manus in auxilium vocantur, contentio adeſt contumaciſſima & vehementiſſima, quæ corpus rigidum & mobile, non vero flaccidum & tranquillum ſeruat; in aliis vero, vbi eius modi ſymptoma deeſt, affectus mitiore plerumque modo decurrit.
4. In paroxyſmi auſpiciis mox priuantur ſenſuum vſu, vnde poſt ea, quid factum ſit, immemores ſunt.
5. Procidunt hinc, quam primum hoc malo infeſtantur, protinus in terram, oculis apertis & toruis.
6. Concurrunt ſæpe oculorum, linguæ & labiorum torſiones, ſtridor dentium & reſpiratio ſonora cum clamore ſæpius ingente.
7. Item violentæ artuum, immo totius ſæpe corporis, iactationes & concuſſiones. *Conf.* quæ *tab. de conuulſione in genere* dicta ſunt.
8. In nonnullis caput perpetuo agitatur, vt fortiſſime illud ad ſanguinis vſque profuſionem terræ allidant; id quod iunioribus magis ſolemne eſt.
9. Deſinit tandem paroxyſmus cum largiore ſpuma, quæ ex glandulis ſaliualibus exprimitur, & ex ore profluit.
10. Epilepticorum quidam ſunt auidi, præcipue panis, & magis quidem ſecalini quam triticei. Atque hi ſunt, quorum paroxyſmus plerumque terminatur cum vomitu, quo ſemi-coctum panem, ſeu fermenteſcentem magis pultem, ex ventriculo excutiunt.
11. Nonnulli inter dormiendum ſolum ab hoc malo corripiuntur, in quibus tanto difficilius eradicatur.
12. In epilepſia *habituali* paroxyſmi circa phaſes lunæ immo ſecundum diei horas recurrere plurimum obſeruantur.

13. Finito tandem poroxyſmo haud vllius rei recordari valent, niſi quod a vehementi hac exagitatione remanentem laſſitudinem ſentiant, & de vertiginoſa capitis perturbatione conquerantur.

IV. *SVBIECTA.*

Ab epilepſia plerumque infeſtantur

1. *Infantili* ætate a *conuulſionibus* frequentibus correpti.
2. *Animi* adfectibus, præcipue terrori, iracundiæ & mœrori anxio dediti.
3. plethorici, habitu corporis laxo ac ſpongioſo gaudentes, & ſpiſſitudine ſanguinis eximia laborantes.
4. Speculationibus amoris veſani nimium indulgentes.
5. Omnium maxime *hæreditaria* diſpoſitione gaudentes.
6. Tandem iuniores & feminæ.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *generalis* eſt intentio quædam naturæ excuſſoria, motibus transpreſſoriis & congeſtoriis tentanda.
2. Cauſſa *ſpecialis* eſt *idea motus* per qualemcumque impresſionem iracundam, aut anxie trepidam intentionem excitata.
3. Hunc motum *idealem* concitare valent variæ mentis perturbationes, e.g.
   1) Animi pathemata vehementiora.
   2) Auerſio naturæ nauſeoſa.
   3) Æſtimatio eiusdem falſa.
   4) Intentio mentis fortiſſima.
   5) Ex his quoque nonnihil liquet, quo modo *faſcina* & *incantamenta* ad hunc adfectum ſua ſymbola addere poſſint atque conſerre.
   6) Omnium vero diſpoſitio hæreditaria eſt maxima.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Epilepſia vti eſt actio naturæ contumaciſſima ac violentiſſima; ita & multa, eaque potiſſimum fontica, incommoda adfert; de quibus ſequentia teſtantur.
2. Violentior oculorum diſtorſio, quæ in hoc malo occurrit, durabilem ſæpius procreat ſtrabiſmum.

3. Quæ

3. Quæ caput ſæpius adfligit epilepſia, id quod in iunioribus fieri ſolet; illa ſtupefacit tandem ſenſus & imminuit vſum rationis.
4. Sæpius etiam iisdem ſubiectis impotentiam adfert paralytodeam.
5. Epilepſia *nocturna*, quia ſpecificorum commodam exhibitionem non adeo admittit, maiores, quam *diurna*, inuoluit difficultates.
6. Quæ *adultis* obtingit, & habitum adquirit, illa vix amplius eradicatur.
7. Qui chronicæ habituali epilepſiæ adſueti ſunt, illis, ſi etiam alio morbo correptis cooriatur, minus periculum denunciat.
8. Quid mutatio loci, temporis, vitæ generis, & præcipue ætatis ad epilepſiæ ſpontaneam ſolutionem conferat, ipſe iam *Hippocrates* paſſim obſeruauit.
9. Hinc epilepſia, *ante menſium eruptionem* puellis eueniens, ſæpe circa fluxus huius eruptionem, nempe finem ſecundi ſeptenarii, ſponte remittit.
10. Idem obſeruare contingit in *maribus*, in quibus circa pubertatis annos epilepſia, priore tempore exorta, non raro ſoluitur.
11. Epilepſia, quæ *circa menſium eruptionem* exoritur, facile, licet debite ceſſauerit, tempore geſtationis & præcipue partus, recrudeſcit.
12. Infantes epileptici, intra ſex hebdomades adhuc conſtituti, raro euadunt.
13. Epilepſia tandem *habitualis* cum hectica complicari & ſcenam claudere ſolet.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Ante, quam ad ipſa *ſpecifica* fiat progreſſus, *generaliora*, excretionibus ordinariis promouendis deſtinata, præmittantur. Qua de cauſſa

1. Cruditates *primarum viarum* eliminentur *laxantibus*, per tres circiter dies propinatis: huc faciunt chologoga & melanagoga, v. g. rhabarb. hellebor. nig. mercur.

 dulc.

dulc. ſyrup. de cichor. cum rhabarb. vt & clyſteres emollientes & abſtergentes.

2. Deinde *reliquarum excretionum* debitus ſucceſſus reſpiciatur.

3. Denique *verſus paroxyſmum ſpecifica* ſub leni regimine exhibeantur. Horum ingens farrago apud auctores inuenitur, ex quibus ſequentem facimus ſelectum.

1) Radix & ſemen pœoniæ maris.
2) Viſcus quernus & corylinus.
3) Carbo artemiſiæ-
4) Cranium humanum.
5) Secundinæ primiparæ humanæ.
6) Stercus pauonis & leonis.
7) Vngula alcis, de collo ſuſpenſa.
8) Cerebrum corui.
9) Hippomanes, id eſt glanduloſa illa maſſa, quæ in ore pulli recens nati reperitur. Hæc omnia antiquorum tempore iam erant celebrata: a recentioribus laudantur:
10) Spiritus ſanguinis humani, immo ſanguis ipſe ab homine, violenta morte peremto, deſumtus, præeunte *Helmontio*, quem tamen hic imitari non ſuademus.
11) Os triquetrum carnii humani,vel porcini.
12) Os ſemi-lunare carpionum.
13) Excretio alba gallinæ, oua incubantis, ſub vmbra exſiccata, & verſus paroxyſmum ad ſcrub. I. propinata,ac aliquoties repetita.
14) Bilis recens canis atri, cum vnicornu foſſili ſubacta, vel aliquot guttæ ſeorſim propinatæ.
15) Malleus & incus ex cranio vitulino, habito ad ſexum reſpectu.
16) Spina lacertarum, in aceruo formicarum exeſarum.
17) Corda & hepata talparum, ranarum viridium, hirundinum, & aliorum animalium minorum.
18) Lingua ſiccata ex viuo tetraone ſumta. *Vid. caut.*
19) Raſura ſpinæ dorſi, violenta morte peremti.

20) Ta-

20) Talus leporis.

21) Lumbrici terreſtres in coitu menſe lunia ante ortum ſolis poſt prægreſſam pluuiam capti, ſpiritu vini vel ipſo vino abluti & pulueriſati.

22) Egregium tandem antepilepticum, quod paſſim a *Stahlio* commendatur, hoc eſt:

Recip. cord. talpar. exſiccat. num. V.
lumbric. terreſtr. drachm. I.
talor. leporis ſcrup. I.
vngul. alcis ſubtiliter pulueriſat.
cortic. viſci querni ana ſcrup. ſemis.
cinnabaris, ſi placet, drachm. ſemis.
Miſc. doſ. gr. XV.

23) Plura *ſpecifica* videantur in praxi *Barbettiana.*

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Vera *ſpecifica*, legitime etiam adhibita, in omnibus neque pari ſucceſſu, neque vna eademque conſtantia, effectum edunt; quæ res in cauſſis magis moralibus, quam phyſicis quærenda eſt.

2. Obſeruatio *differentiarum* eximium in praxi habet vſum, quando autem ſpecifica ſine tali ſpecierum reſpectu promiſcue adplicantur, nullum effectum ſortiuntur.

3. †*Barbette* purgandi ſcopo in epilepſia commendat ſequentem hauſtum, qui paroxyſmum miratu digno effectu gradatim imminuere dicitur:

Recip. ſapon. Venet. alb. vnc. ſemis.
lact. vaccin. vnc. VIII. coque & colaturæ vnc. III. exhibeantur.

4. Epilepſia quando *lenior* eſt, *excitantia* per odoramenta penetrantiora non adeo improbantur, præcipue in vterina; vbi autem grauior eſt adfectus, in paroxyſmo excitare non conuenit, minime omnium per excitantia impetuoſa, e.g. ſalia volatilia, ſternutatoria: cient enim dolores capitis vertiginoſos, febriles commotiones, inſignem poſt paroxyſmum laſſitudinem, & quo ſæpius turbantur, eo frequentius & promtius paroxyſmi recur-

recurrunt. Id quod etiam de violenta *pollicum* implicatorum *eruptione* valet.

5. Poſt paroxyſmum lenes clyſteres ſeu lenia laxantia commendantur; ſubiunctis neruinis carminatiuis, præcipue tinct. cortic. aurantiorum, cauendo ab vſu *caſtorei.*

6. *Puluis cephalicus Michaëlis*, licet non omni plane effectu deſtitutus ſit, inſignis tamen vſus ab illo non exſpectandus eſt.

7. Antepileptica melius *ante paroxyſmum*, quam *poſt* eumdem, exhibentur: optati effectus certiſſimum ſignum eſt, ſi patientes in fronte fortiter ſudent.

8. Puluis antepilepticus, ex commendatione *Stahlii* ſub methodo deſcriptus, non confundendus eſt cum *altero ſpecifico* remedio, quod paucioribus granis propinatur, & ab auctore pro arcano habetur.

9. In *abundantia* & *ſpiſſitudine* ſanguinis conuenit *venæ ſectio*, vel iuxta *Williſium* hirudinum venæ iugulari vtrique in infantibus adplicatio.

10. Imminente paroxyſmo *ligaturæ* partium externarum ſuadentur.

11. *Camphora* gr. I. cum aqua cheiri poſt paroxyſmum propinare docuit *Ettmullerus*, ne cito recurrat.

12. *Amuletica*, vt ſemen poeon. corall. ſmaragd. &c. de collo ſuſpenſa, ſperatum haud præſtant effectum.

13. *Diæta* epilepticorum ſit moderata, cibi offerantur eupepti cum potu ſufficienti & motu. Vinum, vt merito ſuſpectum, vitetur cum animi pathematibus.

14. *Lumbrici terreſtres* non forti igne ſed leni calore debent exſiccari. Quoniam autem ſub leni hac exſiccatione facile putreſcunt, ſpiritu vini vel ipſo vino prius abluendi ſunt. Hac enim ratione mucus abſtergitur, pori aperiuntur, & ſuperfluus humor, putredinis inſtrumentum, facilius deinde, ſub leni calore, exhalat.

15. Vltimo loco adiicimus arcanum illud antepilepticum, *Caſparis Franckii*, paſtoris quondam *Leopoldigrunenſis*, quod poſt ipſius obitum agnati, peculiari quodam incitamento commoti, anno 1711. per nouellas detexerunt.

Rec.

Rec. Raſur. cran. human. recent.
vngulæ alcis.
alumin. plumos.
ſpin. dorſ. violent. mort. perempt.
Ling. ex viuo tetraone ſumt. & ſiccat.
Talp. menſ. mart. capt. & noua olla ſiccat.
Rad. pæon. die paraſcev. cum auro & argento foſſæ.
ana q. p.

M. f. puluis; cuius doſis pro adultis drachm. j, pro iunioribus & infantibus minus, cum aqua ceraſ. nigr. flor. tiliæ, vel ab infantibus cum lacte materno, ſumenda. Sudor & ſomnus quando ſuccedunt, pro bono omine habentur.

## TABVLA LVI.
### DE
## FEBRIBVS IN GENERE.

I. DEFINITIO.

Febris eſt principii vitalis ſalutare conamen, quo motibus ſecretoriis & excretoriis, vltra gradum naturalem quidem auctis, quantitati tamen & qualitati cauſſæ ſatis apta proportione plurimum oppoſitis morbiferam aliquam materiam ſiue præoccupare, ſiue remouere, intendit. Hoc ſenſu commode *febris* vocabulum deriuatur ab antiquo *februare*, id eſt, expurgare, ſpecialiſſime a ritibus illis ſolemnibus, *februa* adpellatis, quibus domicilia ab *vmbris erraticis* defunctorum repurgare, & cauſſas malorum tollere intendebant.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Febres differunt ratione *periodi* ſeu menſuræ temporis, & ſecundum hanc differentiam ſunt 1) vel

1) vel *acutæ*, quæ breui tempore circumſcribuntur, e.g. febris ephemera, ſynocha, variolæ, pleuritis &c. Hæ acutæ iterum diſtinguuntur in

a) *ſimplices* & *peracutas*, e.g. peſtilentes. Item in

b) *benignas* & *malignas*.

2) Vel *chronicæ*, quæ *longiore* periodo abſoluuntur, e.g. febres intermittentes, lentæ, hecticæ.

2. Febres ratione *ordinis* ſunt:

1) vel *typicæ*, quæ progreſſus ſuos & vniuerſam periodum conueniente ordine ſeruant;

2) vel *erraticæ*, quæ nullum conſtantem typum ſeruant.

3. Porro febres ſunt:

1) vel *continentes*, quæ eodem, quo inuadunt, tenore ad finem vsque perdurant, ſine intermiſſione & remiſſione, e.g. ephemera ſimplex & plurium dierum, item febris ſynocha, ſeu *continens* κατ' ἐξοχὴν dicta,

2) Vel *continuæ*, quæ ſingulis diebus ab exacerbationibus ſuis paullulum quidem *remittunt*, ad plenariam tamen *intermiſſionem* non perueniunt, e.g. febris quotidiana continua, ſeu catarrhalis, quæ veſpertino tempore paroxyſmos ſuos formar, ante meridiem autem *mitius* adfligit.

3) vel *intermittentes*, quæ poſt interualla vnius vel plurium dierum nouo deinde impetu inſultant; e.g. intermittens quotidiana, tertiana, quartana.

4. Ratione *temporis* febris conſideratur, num ſit

1) vel in *principio* & ortu;

2) vel in *incremento*;

3) vel in *ſtatu*;

4) vel in *declinatione*.

5. Differunt porro febres ratione *cauſſarum*, & ſecundum hanc differentiam ſunt

1) vel *ſanguineæ*, in quibus natura plethoram imminuere intendit, e.g. in feribus continentibus.

2) Vel *blioſæ*, quæ poſt inſignem iracundiam & bilis largiorem effuſionem proueniunt, e.g. febris cholerica, cauſus.

3) Vel

3) Vel *mucoſæ*, per quas pituitoſa, mucida, ſeroſa materia ex corpore proſcribitur, quale quid contingit in febribus catarrhalibus.

4) Vel *inflammatoriæ*, quæ inflammationibus viſcerum & non raro etiam externarum partium *grauioribus* adcedunt. Huius cenſus ſunt: phrenitis, peripneumonia, pleuritis, hepatitis, ſplenitis, nephritis, & febres vulnerariæ.

5) Vel *lochiales*, quæ puerperas poſt lochia ſiue imminuta, ſiue plane ſuppreſſa, ſiue aliam aduentitiam cauſſam, infeſtant.

6) Vel *lacteæ*, quæ lactis in mammas difficilem ingreſſum & prouentum comitantur.

6. Febres etiam diuiduntur in

1) *Eſſentiales, primarias, idiopathicas*, &

2) *Acceſſorias, ſecundarias, ſympathicas*, quæ adiunguntur inflammationibus, vlcerationibus, immo etiam impetuoſis congeſtionibus atque reſtagnationibus humorum. Huc pertinent febres inflammatoriæ, vulnerariæ, lentæ, hecticæ &c. item febres catarrhales, rheumaticæ. *Conf. tab. de febribus ſecundariis.*

7. Febres iterum diſtinguuntur in

1) *Simplices*, quæ ſibi quaſi ſolis conſtant, & cum nulla alia febre complicatæ ſunt; & in

2) *Compoſitas*, vbi febris continens & continua, vel continua & intermittentes complicantur, aut intermittens duplicatur, e.g. ſynochus putrida veterum, quotidiana continua, tertiana duplex.

8. Febres pro diuerſitate *originis*, *graſſationis*, *locorum* & *ſubiectorum* ſunt

1) Vel *epidemicæ*, quæ ex aëris vel aquæ communi vitio oriuntur, & contagioſæ exſiſtunt, e.g. petechiales ſeu catarrhales malignæ, variolæ, morbilli &c.

2) *Endemiæ*, quæ certis populis & regionibus, præ aliis magis propriæ ſunt, e.g febres tertianæ & quartanæ intermittentes *Belgis* quaſi propriæ exſiſtunt.

3) *Sporadicæ*, quæ ex indiuidui cauſſa hunc vel illum hominem, hoc vel alio loco infeſtant, e. g. febres *cholerico-cauſodeæ* poſt inſignem iracundiam: *intermittentes* ob vitium in primis viis, vel circa easdem: *inflammatoriæ* poſt inſignem corporis exagitationem & hauſtum frigidum.

9. Denique febres ratione *indolis* ſunt vel

1) *Legitimæ*, ſeu regulares, quæ conſueta anni & dierum tempora obſeruant, & ſolito tempore finiuntur; vel

2) *Anomalæ*, irregulares, nothæ, quæ nulla certa tempora, nullum typum, & nullam periodum conſtanter formant, & cum inſolitis ſymptomatibus complicatæ ſunt.

Item vel

1) *Benignæ*, quæ mitius ſe gerunt, e. g. febres intermittentes; ex febribus *acutis benignæ* dicuntur *reſolutoriæ* ſeu *continentes* & viſcerum *inflammatoriæ*. Bene autem notandum eſt, quod *inflammatoriæ*, ſi *exitum* ſpectemus, a malignitate febrium peſtilentium parum differant, & ita hoc intuitu minime *benignæ* dici mereantur. Quoniam autem *non contagioſæ* ſunt, vti *malignæ*, & non niſi vni, quem exercent, periculoſæ *benignarum* nomine hoc quidem reſpectu venire poſſunt.

2) *Malignæ*, quæ grauioribus plurimum ſymptomatibus ſtipantur, & vel lethalem euentum adferunt; vel ſi omnino ſuperentur, labem tamen viſcerum facile poſt ſe relinquunt. Huius cenſus ſunt febres epidemicæ multæ. *Conf. cautel. 33.*

3) *Permalignæ*, ſeu plus minus *peſtilentes*, quæ præcipiti inſultu inuadunt, & plurimos paucis diebus ad tumulum comitantur. Huc pertinent *peſtis* & *ſudor Anglicanus.*

III. *SIGNA.*

1. *Motus* ſanguinis progreſſiuus *auctior ex pulſu*, celere & frequente dignoſcendus.

2. Hunc auctiorem motum preſſis veſtigiis ſequuntur *caloris* augmenta.

3. Motus

3. Motus *tonicus* modo relaxatur, modo conſtringitur.
4. Vnde adſpectus *faciei* modo eſt rubicundus & turgeſcens, modo pallidus & ſubſidens.
5. *Sitis* plus minus intenſa.
6. Abſtinentia a *cibis*,
7. *Somni* neglectus.
8. *Animi* moroſitas, ſollicitudo, ſenſibilitas, minor diſpoſitio ad negotia conſueta.
9. Notabilis *virium* iactura & impotentia ad voluntarium motum.
10. D*olorum* qualiscumque ſenſus.
11. *Reſpiratio* anxia & ſuſpirioſa.
12. *Sudoris* prouentus, a nulla facile febre excludendus.
13. *Vrinæ* conſpicua mutatio, non modo *coloris* naturalis in exaltatiorem, ſed etiam *conſiſtentiæ* ordinariæ in copioſiorem, & magis ſaturatam.

IV. *SVBIECTA.*

1. Febres ſine diſcrimine omnem quidem ſexum, ætatem & corporis habitum, infeſtant.
2. Sexus tamen virilis facilius illis obnoxius eſt, quam femininus.
3. Sic etiam ætas agilior, iunior virilis, ſatis florida, præ alia minus tali.
4. Item ſanguineo-cholerici, vel cholericio-melancholici, in primis ad iram promti.
5. Sigillatim perſonæ, euacuationibus ſanguinis vel aliis excretionibus antea adſuetæ, & iam ab illis liberæ viuentes.
6. *Infantes* magis ab acutis, quam intermittentibus febribus corripiuntur.
7. *Bruta*, ſicut non ita facile morbis obnoxia ſunt, vt homines, ita minime omnium *veras* febres incurrunt; quæ obſeruatio vſum pathologico-practicum ſuppeditat.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa febrium *efficiens* eſt principium vitale, ſeu anima, conſeruationi corporis ſui organici intenta.

2. Cauſſa *materialis proxima*, *propter* & *contra* quam motus tales febriles ſuſcipiuntur, eſt materia aliqua, quæ mixtionem ſanguinis & reliqui corporis, intima corruptione fermentatiuo-putredinoſa euertere poteſt. *Conf. Stahlii diſſert. de febris retionali ratione.*

3. Cauſſa materialis *remotior* eſt plethora. Quoniam enim principium agens principiis obſtare ſolet, & non ſemper exſpectat, donec materia vires tales nocendi manifeſtas adquiſiuerit, non mirum eſt, quod ſimplex ſæpe plethora pro noxia materia reputetur, & naturæ ſufficiat, vt contra eamdem febrilibus motibus inſurgat: plethora enim facile ſtagnationem, ſtaſin & corruptionem inducere valet.

4. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarcticæ* ſunt:
   1) Concalefactio ſanguinis nimia, & per hanc orgaſmus eius, ſeu expanſio.
   2) Vehementes refrigerationes.
   3) Cibi coctu difficiles.
   4) Potus ſpirituoſus.
   5) Vigiliæ nimiæ præter conſuetudinem.
   6) Excretiones adſuetæ ſuppreſſæ, ſiue *ſanguineæ*, ſiue quæcumque aliæ, præcipue hæmorrhagia *narium*.
   7) Conſuetudo non minimæ eſt efficaciæ ad febres reuocandas.
   8) Contagium.
   9) Animi pathemata, quæ præ omnibus facile primatum obtinent.

5. Exſulent itaque variæ cauſſæ illæ fictitiæ, e.g. adcenſionis *flammulæ cordis*, *ſcintillarum* per latifundium ſanguinis oberrantium, *exploſionis* corpuſculorum nitroſorum; item *nudæ* recentiorum *fermentationes*, quas antiquorum *putredini* ſubſtituerunt; porro *confuſiones* ſpasmorum, *adceleratæ* ſpirituum commotiones.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. Natura humana, ad corporis ſui integritatem intenta & attenta, in febribus eosdem motus vitales, progreſſiuum nempe

nempe & tonicum, noxæ, periculum minanti, opponit, quibus alias corporis ſui integritatem & conſeruationem proſequitur; ſed quo gradu febrilis noxa periculum minatur, eodem gradu etiam motus illi intenduntur, augentur & continuantur.

2. Hinc quando cauſſa illa peccans celerem noxam corpori minatur, motus febriles ſine remiſſione inſtituuntur; ſi vero paullulum tardius damnum inferre videtur, tunc, quia non adeo vrget neceſſitas, per interualla motus febriles opponuntur. Inde fluit differentia inter febres acutas & intermittentes.

3. Febres *acutæ* exquiſitas habent periodos, quibus motus febriles exercent, & per ſeptenarios abſoluunt; dum prima periodus, qua febris quædam acuta excurrere poſſet, ſeptimo die abſoluitur, altera decimo quarto, tertia viceſimo primo; nonnunquam, ſed rarius, inter nos febris quædam acuta has periodos transgreditur, & ad viceſimum vsque primum vel octauum diem ſe ſe extendit, & tum in ſchema lentum transmutari videtur: intermittentes vero exquiſitos temporis ordines non ſeruant.

4. Ita febrium *effectus* ſemper ſalutaris eſt, *euentus* autem ſæpiſſime irregularis, vel plane lethalis, idque magis indiuiduali, quam eſſentiali febrili culpa; nempe inpedito febris decurſu & morbis aliis accedentibus. Ita non a *febre*, ſed *cum febre* intereunt.

5. Longiſſime tamen *pauciores* febribus moriuntur, quam iisdem *infeſtantur*.

6. Febres frequentiſſime ſalutariter decurrunt ſola abſtinentia, quiete, & ſpontaneis euacuationibus, ſine vllis medicamentis; quæ ſi incongruenter adhibeantur, ſtatas excretiones turbant, & felicem exitum interuertunt.

7. *Declinatio*, ſeu exitus febrium ſalutaris, fit vel *cito* & *vnica* excretionis actione, quæ *criſis* adpellatur, & maxime in acutis locum habet; vel contingit *paulatim*, quæ terminatio *lyſis* vocatur, atque intermittentibus familiarior eſt.

8. *Criſis* quando contingit, eſt vel *exquiſita*, quæ fit per *eccriſin* ſeu excretionem ſubitam & copioſam; vel *minus exquiſita*, quæ ſuccedaneis debitis excretionibus, in primis tamen *die critico*, negotium abſoluit.

9. Criſis *exquiſita* nulli febri propria, nedum perpetua, *minus exquiſita* numquam abeſt ſine anomalia.

10. Criticæ hæ euacuationes, ſufficiente quantitate prouenientes, adferunt ſubitam quaſi puncto temporis euphoriam, & animi, antea ſumme anxii, alacritatem.

11. Nulla febris vmquam reſtituitur ſine omni *ſudore*, aut mutatione *vrinæ*. *Vid. problemata febrium Stahlii.*

12. *Sudor* in nulla febre ſub *initium* prouenit, circa *ſtatum* autem vel ſeneſcente illo, ſudores ſpontanei, aut aliæ extruſiones ad peripheriam corporis erumpunt.

13. In nulla febre ſudor fluit ſub ἀκμῇ æſtus, ſed quando huius impetus remittit; ſin ſecus, ſymptomaticus, inutilis, immo noxius eſt. *Ibidem.*

14. Sudores iuſto tempore prouenientes, & iuſta moderatione fluentes, euphoria ſubſequitur.

15. Retardationes autem augent grauitatem, laſſitudinem artuum, protrahunt morbum, & febres *typicas in lentas* transmutant.

16. *Vrinæ* mutatio, ſi nulla in febribus contingit, nec calor ordinarium gradum ſuperat, valet commune illud adſertum: *vrina ſana, pulſus ſanus, æger moritur.* Rarius autem hæc occurrunt.

17. Febres, quæ cum euidente aliquo *typo* non ſolum inuadunt, ſed etiam progrediuntur, benigniores & minus formidabiles ſunt.

18. Quo magis hunc typum *ordinate* & *tranquille* ſeruant, eo minoris ſunt periculi, ex contrario, ſi valde acuto typo ſimul ferociter & æſtuando inuadunt, & augendo vigent, certiſſimi & eximii periculi ſunt.

19. Omnis febris, in corpus male diſpoſitum ingruens, viribus iam aliunde exhauſtis, facillime anomalizat.

20. Abiectio *animi* in febribus, eaque præter conſuetudinem ægri, optimi non eſt ominis.

21.

21. Si cauſſa materialis in febribus *exiguæ* molis eſt, & præcipue ad corruptionem putridam inducendam prona exſiſtit, malignitatis adcuſanda eſt.

22. Per febres diuturnas & lenteſcentes temperamentum ſanguineum facile mutatur in cholerico-melancholicum, cui animi indoles reſpondet.

23. Febres ſtata ſua ordinarie habent tempora, nempe
 1) *Tertianæ* intermittentes tempore ientaculi, vel prandii, circa ſolſtitium præcipue vernale, inuadunt.
 2) *Quartanæ* horis poſt meridiem, circa quartam & quintam circiter, & in primis autumno contingunt.
 3) *Synochæ* febres ante crepuſculum oriuntur.
 4) *Billioſæ* circa ortum ſolis proueniunt, & poſt ſolſtitiales exſiſtunt.
 5) *Catarrhales* circa veſperam inſultant, & circa æquinoctia prodeunt.

24. Quo magis autem febris aliqua a legitima ſua norma deflectit, eo deterior eſt prognoſis; ad minimum

25. Omnis febris in alterius tempora, habitus, ætatis opportunitates incidens, vel in illam degenerat, vel in eius mores anomalizat. Vid. *problemata Stahlii.*

26. Quando itaque natura debitum ordinem transgreditur, & vel vltra vel citra modum operatur, vel præmature, vel præpoſtere ſe- & excretiones ſuſcipit, aut ſecundarios quosdam effectus proſequitur, fluunt exinde grauia & periculoſa ſymptomata, vt ſunt: ſpasmi vehementes, hæmorrhagiæ importunæ, vomitus intempeſtiui, conuulſiones, prodigæ diarrhœæ, adfectus phrenitici, ſoporoſi, deliria, ſingultus, extrema virium decrementa, exanthematum retroceſſiones, lipothymiæ, cardialgiæ extremæ, inuoluntariæ excretiones, &c.

27. Febres inconditis medicationibus, e. g. adſtringentibus, *nimiis* abſorbentibus, opiatis &c. corruptæ, turbatæ, aut ſuppreſſæ, poſt ea autem redeuntes maiorem reſtitutionis inuoluunt difficultatem, quam febres ſibi relictæ.

28. Fe-

28. Febres ſi legitime & ſalutariter decurrunt, nouum plerumque ſanitatis vigorem habent ſucceſſorem.

29. Interdum vero accidit, vt, ſi natura in febrilibus functionibus impedita fuit, materia tamen aliquo modo ad eliminandum iam præparata eſt, particulares translationes congeſtoriæ ad certa loca fiant, quas *apoſtaſes* ſeu *metaſtaſes febriles* nominamus, quæ in iunioribus caput occupant, vt glandulosi tumores inflammatorii ibi occurrant; in adultioribus vero phlegmonodei tumores oriuntur.

30. Hæ metaſtaſes quando temere repelluntur, prægreſſam febrem denuo & maiori impetu prouocant.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Si vmquam alibi, certe in febribus requiritur, vt Medicus ſit *miniſter* naturæ.

2. Hæc autem circa *initium* & *incrementum præparat, diſponit* & *ſecernit* materiam noxiam; in *ſtatu* vero & ſub *declinatione* præparatam materiam per conuenientia loca *excernere* & *eliminare* adlaborat.

3. In hoc duplici negotio, ſecretionis nempe & excretionis, naturæ ſuccurrere, *artis* eſt.

4. Sed quia de febribus tantum in *uniuerſum* hic agimus, *generalem* etiam tantum modo methodum & remedia *generaliora* adlegare, ſpecialia autem ſpecialibus tabulis ſubſequentibus exhibere, conuenit.

5. Remedia, quæ *præparationi* & *ſecretioni* inſeruiunt, ſunt:

1) *Humectantia:* huc pertinent

a) Sufficiens dilutus potus ordinarius.

b) Decocta ſatis nota ex hordeo, C.C. &c.

c) Infuſa thée, coffée, non tamen cum lacte, item herbarum & radicum alexipharmacarum, ſed temperatiorum.

2) *Lentam* humorum *craſſitiem* & *tenacitatem reſoluentia*, cuius cenſus ſunt:

a) Radices alexipharmacæ temperatæ, & leni ſimul diuretico effectu præditæ, e.g. rad. helen. pimpinell, alb. vincetox. gentian. petaſit.

b) Her-

b) Herbæ eiusdem efficaciæ, vbi præ omnibus ſcordium laudatur.

c) Salia abſterſiua & digeſtiua, ex acido vitriolico & alcali fixo parata, e. g. tart. vitriolat. nitrum antimoniatum, arcanum duplicatum, item *tartarea*, e.g. arcanum tartari.

3) *Acrimoniam ſulphureo-ſalinam* & *tenuem obtundentia* & *incraſſantia*, qualia ſunt:

a) *Abſorbentia* oſtracodermata, e.g. conch. præparat. mater perlarum præparat. item teſtæ ouorum, oculi cancri.

b) *Nitroſa*, e. g. nitrum cryſtalliſatum, nitrum tabulatum ſeu lapis prunellæ.

c) *Subacida*, e. g. ſuccus citri, berberum, ribium, tinct. florum bellidis: ex magis acidis, clyſſus antimonii, ſpiritus vitrioli & nitri.

d) Emulſiua, e. g. emulſio amydal. ſem. card. Mariæ.

6. Remedia *excretioni* ſubuenientia ſunt:

1) *Diaphoretica*, antimonium diaphoret. tenerrimum, bezoard. mineral. aquæ diapnoïcæ, e.g. aqua ſcord. card. bened. flor. ſambuc. galeg. &c.

2) *Alexipharmaco-diuretica*, e. g. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, mixtura ſimplex, leniter camphorat.

3) *Aluum* leniter expedientia, e. g. clyſteres.

7. Hæc tria remedia euacuantia in *plurimis* febribus locum habent; ſequentia autem in quibusdam tantum febrium ſpeciebus tuto adhibentur:

1) *Vomitoria*, quæ *interdum* in intermittentibus conueniunt. *Vid. cautel.*

2) *Laxantia* & *purgantia*.

3) *Venæ ſectiones*, in caſibus & circumſtantiis ad modum ſpecialibus. *Vid. cautel.*

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Muſſitarunt quidem ab antiquiſſimis temporibus Medici, quod in febribus *pugna* quædam ſit naturæ cum morbo; agnouerunt, quod dies ad excretiones critici ſint

pugnæ illius veluti exitus, & decernentium inter ſe partium, aut potius ex parte naturæ eueniens victoria; ſed dolendum, quod tam pulchram obſeruationem non melius excoluerint.

2. Immo perite animaduerterunt, quod non ſolum ſalubriores, firmiores atque certæ naturæ victoriæ ſeu criſes fiant per manifeſtas excretiones & præcedentes (vt illi adpellabant, coctiones) ſecretiones, materiam qualemcumque ad corrumpendum efficacem iuſtis temporibus & locis expellentes; ſed ex aduerſo etiam morbi victoria ſeu funeſtus febrium exitus nitatur huius modi excretionum infido ſucceſſu, immo potius defectu.

3. Hæc cum vtique ita ſe habeant, Medicus ſollers ad has conſiderationes omni ratione inſtituendas animum aduertere debet: nam ab harum excretionum vera agnitione pendet febrium therapia generalis, vt Medicus, has excretiones *arte* debite proſequendi, conſilium conuenienter capere & exſequi poſſit.

4. Contra, ſi natura, nullius determinatæ commotionis opportunitatem inueniens, nihil horum vel faciat vel perficiat, conſiderandum tanto prudentius Medico, quid in ſua arte poſitum ſit, ſiue ad tempeſtiuam huius materiæ ſubtractionem, ſiue ad eius præparationem, vt obedientior fiat etiam ipſius naturæ commotionibus.

5. *Methodus correctoria*, quæ cauſſam morbidam, ſeu corruptelam ab illa ſubnatam, alterare, ſubigere, & in craſin corporis tolerabilem redigere ſtudet, vniuerſæ naturæ methodo aduerſatur; vtpote quæ totam vitam non correctionibus peiorum materiarum, ſed *excretionibus* mechanice conſeruat.

6. Simpliciſſimæ etiam rationi magis conuenit, materiam vel corrumpentem vel corruptam potius abſolute ex vniuerſo corpore eiicere, quam difficilibus, longinquis, immo irritis & vanis correctoriis tentaminibus eam ſubiicere, & in ambiguo hærere, an optata mutatio corruptæ materiæ in melius euentura ſit.

7. Omnes

7. Omnes autem *vehementes* euacuationes & medicationes in febribus ad modum ſuſpectæ ſunt, quia principium vitale ſæpius placide motus ſuos febriles adminiſtrat.

8. Hinc *vomitoria*, ab aliquot luſtris omnibus fere febribus deſtinata, rariſſime & adcurata circumſpectione vſurpanda ſunt.

9. Vomitoriæ enim commotiones non ſolum ventriculum & reliqua viſcera abdominis vehementer concutiunt, ſed ſtringunt etiam vaſa, ad caput pertinentia, arterioſa & venoſa circa œſophagum, fauces & collum; vnde variæ diſtenſiones vaſorum & meatuum in capite ingruunt

10. Concurrit anguſtia præcordiorum, anxietas & inſignis virium iactura.

11. Et licet ſubiecta *euemeta* ſint, docet tamen experientia, quod etiam *talia* in febribus acutis ægerrime & laborioſiſſime ſæpius vomant; præcipue ſi nulla ſaburra craſſior in ventriculo præſto ſit.

12. Præter ea in febribus acutis *legitimis* cauſſa numquam hæret in primis viis.

13. In febribus *bilioſis* inflammatoriis hæret quidem cauſſa in primis viis, ſed materia ita non eſt diſpoſita, vt ſecure ſemper per vomitum poſſit euacuari; *conf. tabula ſpecialis de febribus bilioſis:* neque ſtatus inflammatorius, ibi præſens, vehementem talem concuſſionem tolerat.

14. In intermittentibus vomitoria, non niſi tertianis, locum habent, nec ibi neceſſaria ſunt, nam cruditates & ſaburra ita præparari & diſponi per alia remedia poſſunt, vt ſine tali tumultu commodius eliminari queant.

15. *Acriora purgantia* ad modum etiam raro in febribus conueniunt.

16. *Venæ ſectiones* in febribus, ſiue acutis, ſiue intermittentibus, directe non conueniunt, modo vnica febris *ſynocha* excipiatur.

17. Secta etiam vena, niſi ſufficiens ſanguis emiſſus ſit, & regimen placide diaphoreticum ſubiungatur, facile verſus dies criticos congeſtiones ſanguinis ad caput contingunt

gunt, vnde deliria, aphthæ, & alia grauiora mala producuntur.

18. Sic etiam præmaturum *regimen diaphoreticum*, præcipue per calida alexipharmaca, verſus paroxyſmum, & vigente æſtu, inſtitutum, motus naturæ ordinatos facile perturbat. Conueniunt potius ante & verſus paroxyſmum temperantia, abſorbentia, diluentia, digeſtiua ſalia.

19. In omni febre *potulenta* congrua, ſufficienter conceſſa, reficiunt ægrum, minuunt æſtum, promouent quietem, & debitos ſudores. *Vid. problemata febrium Stahlii.*

20. Continentia quieta circa opportunitates potior eſt omni medicamento. *ibidem.*

21. *Symptomata* febrium ne deterreant Medicum; multo minus a legitima methodo ad alienas medicationes, eſſentialibus febrium circumſtantiis inimicas abducant.

22. Hinc *adpetitus* deiectionem & *vigilias*, præcipue in acutis, nihili faciat: *ſitim*, quantum ſine immodeſtia fieri poteſt, largiter ſubleuet: *inquietudines*, ab impatientia morali plurimum dependentes, ſeriis dehortationibus, & peſſimorum effectuum denunciationibus componat.

23. In omni febre *refrigeratio* corporis, & voluntaria, & accidentalis ad modum noxia eſt; *vid. problemata practica Stahlii.*

24. Materia numquam moueatur, niſi ſit mobilis. *ibidem.*

25. In *alterantibus* autem, vti iam ſupra monuimus, parum præſidii quærendum eſt, exceptis aliquo modo intermittentibus & quibusdam inflammatoriis acutis: ſperatus enim *alteratiuus* effectus quam nimium ſuperatur a manifeſta humorum *orgaſtica* efficacia, quæ plus certe incommodi adfert, quam ille præſidii promittit.

26. Sufficiens potus in omnibus febribus iniungendus eſt, cauendo tamen a frigore illius nimio, præcipite ingurgitatione, conſiſtentia ſpiſſa & alibili, qualitate illius inebriante, vertiginoſa, flatulenta. Loco ordinarii potus vſui eſſe poteſt decoctum e rad. ſcorzoner. fol. vero-

nic.

nic. flor. tunicæ, aquileg. borragin. bugloſſ. melni. turcicæ, cort. citri, aurant. præſertim recent. cum modico cinnamomi, cardamom. & momento ſacchari.

27. *Emulſiones* dilutæ etiam conueniunt, ſed non ex ſeminibus frigidis dictis, verum ex amygdalis & mundis pineis, paratæ, ſatis ſaccharatæ, & aromatica quadam aqua, e.g. cinnamomi, gratiores redditæ.

28. *Alexipharmaca* exhibeantur ſub exitu paroxyſmi, & tempore, quo acutarum impetus paullulum remiſit, non tamen proxime verſus nouum inſultum.

29. *Salia volatilia*, e.g. ſal & ſpiritus C.C. in febribus acutis a multis quidem annis ſummis laudibus mactantur, ſed varia incommoda, immo pericula ſontica inducunt, præcipue tumores œdematoſos & tandem aſciticos.

30. *Acida* in febribus ita reformidanda non ſunt, vti quidam recentiorum putant, ſolatio potius ſunt, præcipue ſanguineis, in nimio æſtu & ſiti, nominatim ſpiritus vitrioli, ſulphuris, ſuccus citri, berberum, tuſſi autem præſente, quæ a vitriolicis exaſperatur, acidum tantum *citri* locum habet, præcipue cum ſaccharo ad gratiam edulcoratum.

31. *Acida* autem *dulcificata* iisdem effectibus deſtinare, experientia & ratio interdicunt. Craſis, ex hac imaginaria correctione emergens, nondum ſatis cognitæ eſt efficaciæ, & penetrantem fouet adſtrictionem.

32. Vſus *adſtringentium* vniuerſæ febrium intentioni aduerſatur, nam ſecretiones & excretiones, apertas poſcunt vias, quæ autem ab adſtringentibus coarctantur, & hinc ferocia non tantum ſymptomata, verum etiam in acutis plane funeſti euentus inducuntur.

33. In intermittentibus contumacioribus, vbi materia peccans iam eliminata eſt, & motus tantum a conſuetudine perennant, actiones interim vitales, adpetitus, concoctio, ſomnus, aluus debite ſibi conſtant, vſus illorum prudens conceditur.

34. Poſt febrium, præcipue acutarum, decurſum vſus alexipharmacorum per tempus aliquod adhuc continuandus eſt, quia ſemper aliquid reſtat eliminandum.

35. *Specifica* antifebrilia magis optanda, quam ſperanda ſunt; & licet *Apinus* de cortice *caſcarillæ* in ſubſtantia aut extracto, in febribus nominatim epidemicis, tempeſtiue exhibito, adſeueret, quod medio morbi curſu cito in melius, & ſecundo vel tertio die in integrum reſtituti fuerint ægri, dolendum tamen eſt, quod hoc adſertum non ita vbique experientiæ reſpondeat.

36. Inter ea hic cortex egregium tonicum effectum præſtat, fouet enim adſtrictionem vix ſenſilem, ſaporem aromaticum, & amarorem penetrantem.

37. *Nitrum* quibusuis temperamentis, præcipue autem cholericis, optime conuenit: in forma *liquida* diluta ſumtum, aluum lubricat, in *ſicca* autem exhibitum acrimoniam ſulphureo-ſalinam egregie obtundit.

38. *Saccharata*, modeſte exhibita, non ita reiicienda ſunt in febribus, vti quidam ex variis præiudicatis opinionibus concludunt.

39. Vt ordo ſequentium de febribus tabularum eo magis perſpiciatur, ſciendum eſt, quod primo loco illæ *acutæ* poſitæ ſint, quæ *benignæ* vocantur, nempe febres *reſolutoriæ, conſumtoriæ, inflammatoriæ*, *lentæ & hectica*. Has benignas ſequuntur acutæ *malignæ, contagioſæ*. Poſt ea ſuccedunt febres *intermittentes*. Tandem febres *compoſitæ* & *corruptæ* hanc ſcenam claudunt.

# TABVLA LVII.

## DE FEBRE EPHEMERA SIMPLICE ET PLVRIVM DIERVM.

I. D*EFINITIO.*

Febris ephemera eſt ſpecies febrium *continentium ſanguinearum* veterum, qua natura ſanguinem abundantem ſiue per ſinceram euacuationem, ſiue per reſolutionem in ſerum, conſumere & euacuare intendit, motibus ſecretoriis, & excretoriis, vltra naturalem gradum auctis. Deriuatur ab ἐπὶ, ſupra & ἡμέρα dies.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Febris ephemera, quæ etiam *diaria* vocatur, eſt vel *vnius* vel *plurium* dierum, quæ non differunt; niſi tempore durationis; nam ephemera *ſimplex* per 24. tantum horas, *plurium* autem *dierum* ephemera per quatuor circiter dies durat.
2. Ephemera hæc *benigna* quam maxime differt ab illa *maligna*, quæ *ſudor Anglicanus* dicitur; ſudor quidem, quia naturam per ſudorem largum ſibi proſpexiſſe, obſeruatum eſt; Anglicanus autem, quia in Anglia primo initium ſumſit, ſpeciem peſtis exhibuit, qua ægri intra 24. horas ad mortem plurimum properarunt.
3. Differt ratione *gradus* & *temperamentorum*, in ſubiectis enim temperatioribus etiam febris eſt temperatior, & vice verſa.

III. *SIGNA.*

1. Inuadit hæc febris *ſine* vllo *frigore* aut horrore, niſi inflammatio interna, vel varioſæ aut morbilli ſubſint.
2. Statim cum æſtu, eoque continuo, & ad finem febris ſine remiſſione continuante.
3. Calor autem ſatis eſt tolerabilis, & blandior, quam in febre *ſynocha*, ſtricte ſic dicta.

4. Capi-

4. Capitis *dolores* in nonnullis ſunt pulſui reſpondentes & punctorii, in aliquibus autem grauatiui & obtuſi.
5. Qui ex hauſtu frigido in hanc febrem coniiciuntur, illi *ſenſum preſſionis* circa dextrum hypochondrium perſentiſcunt.
6. Facies eſt inflata & rubicunda.
7. Laſſitudo membrorum ad modum notabilis.
8. Pulſus eſt magnus, celer, frequens.
9. Vrina tincta, cum rubore ſaturato, aurantiorum æmulo, roſeum deponens ſedimentum.
10. In diaria *ſimplice* primo ſtatim die *coctio* in vrina adparet. *Vid. Foreſti obſeruationes.*
11. Soluitur hæc febris ordinarie placido ſudore, rarius autem narium hæmorrhagia.
12. Breuiſſimæ eſt periodi, nam vt modo dictum, ſimplex finitur ſpatio 24. horarum, ſi vero quarto demum, vel ad ſummum quinto die ceſſat, ephemera plurium dierum vocatur.
13. Somnus vel nonnullus adeſt, vel ſi ægroti paullulum dormiant, dormire tamen ſibi non videntur.
14. Vomitus nonnumquam in ſubiectis voracibus oritur, præſertim ſi larga ingeſtio ciborum anteceſſit; & tunc natura rationale conſilium ad materiam crudam ex ventriculo eliminandam, ſuſcepit.

IV. *SVBIECTA.*

1. Euenit hæc febris iunioribus, adoleſcentibus, ſanguineo-cholericis, ſucculentis, ingluuiei deditis, monachis. *Vid. Foreſtus.*
2. Qui euacuationibus ſanguinis antea adſuefacti, e. g. menſium, hæmorrhoidum vel narium, iam vero illarum ſuppreſſionem experiuntur.
3. Qui diuturno corporis exercitio, abuſu vini, vigiliis inſolitis, mora ad ignem diuturniore, & grauiore iracundia, ſanguinem in orgaſmum concitarunt, vel poſt ſudores repentinum frigus admiſerunt.

V. *CAVS-*

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa materialis *antecedens* eſt plethora.
2. Cauſſa *proxima* & *immediata* eſt exagitatio & commotio plethoræ.
3. Cauſſæ *occaſionales plethoræ* ſunt:
   1) Emanſio vel ſuppreſſio hæmorrhagiarum conſuetarum.
   2) Lauta diæta & otium.
4. Cauſſæ *occaſionales turgeſcentiæ* ſanguinis, ſeu exagitationis plethoræ ſunt.
   1) Vehemens corporis exæſtuatio, ardor ſolis.
   2) Nimius potus vini vel aliorum ſpirituoſorum.
   3) Incandeſcentia animi.
   4) Nimiæ vigiliæ.
   5) Præpoſtera regiminum ſudoriferorum adminiſtratio.
   6) Incondita refrigeratio vel hauſtus frigidus, corpore calente.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Febris ephemera, præcipue *ſimplex*, ſibi relicta, lenior eſt, & ſola continentia quieta, cum potu affatim diluto, ſalutariter plerumque ſuccedit.
2. Sponte ſua, ſine auxilio Medici, largiore ſudore plurimum ſoluitur.
3. Si autem ineptis medicamentis tractatur, vel malo regimine turbatur, ſiue in lentam tranſire ſolet, ſiue in ſynocham ſtricte dictam, immo inflammatoriam febrem poteſt præcipitari.
4. Si nullus ſudor ſuperuenit, vel ſi poſt ſudorem febris non deſinit, ſed tempus conſuetum transgreditur, ſignum eſt, ephemeram in alium morbum declinare.
5. Corpus macilentum & ſiccum facile hecticam induit: ſigna vero inſtantis hecticæ ſunt; duratio vltra diem naturalem, calor intenſior poſt paſtum, pulſus durus, paruus, & æqualis. *Vid. Foreſt.*
6. In ſubiectis valde plethoricis ephemera facile mutatur in ſynocham, & in cacochymicis ſynocha *putrida* eſt metuenda. *Conf. Foreſt.*

7. Vrina & ſudor ſi bene ſuccedunt, ſpes eſt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Generalis.*

1. Sanguis in orgaſmo conſtitutus eſt temperandus.
   1) In *cholericis* per nitroſa, temperantia, & diluentia, item per antimonialia fixa, & hæc quidem in parca doſi adhibita.
   2) In *ſanguineis* per acida, v.g. ſuccum citri, clyſſum antimonii.
   3) Cuiuis temperamento conuenit potus ſufficiens tepidus, & per acidum citri acidulatus.
   4) Item huic ſcopo inſeruiunt iulapia, emulſiones, ſerum lactis, ptiſanæ coctæ, quæ etiam ſtaſes ſanguinis inflammatorias præoccupant.
2. Succeſſus ſudoris, quem natura intendit, iuſto tempore, & placide, eſt promouendus; quod obtinetur
   1) per potiones ex aquis deſtillatis diapnoicis paratas, e.g. aqua ſcabioſæ, ſcordii, card. ben. flor. ſambuc. vlmar. galeg. plantag. cum abſorbente & momento antimonii diaphoret. permiſtas.
   2) Per aquæ calidæ potum, hodie vſitatum, theé vel coffeé.

B. *Specialis.*

1. In febre ephemera *ſimplice* auxilium Medici non facile requiritur: ſufficit enim plerumque tranquilla continentia; quod ſi vero fiat, tum
2. Interdiu vſurpentur pulueres nitroſo-temperantes, e.g. Rec. nitri depurati, ocul. cancri, acido citri ſaturat. ana drach. II. antimon. diaphoret. drach. I. M. doſ. ſcrup. I. ter per diem.
3. Verſus noctem vero, quo tempore plerumque ſudor ſubſequi ſolet, iungantur potiones diapnoicæ, iam modo deſcriptæ.
4. In ephemera *plurium dierum* eadem eſt methodus, per plures dies continuanda.
5. Sub exitu febris lenia laxantia adhibeantur, e.g. e rhabarb. fol. ſennæ & paſſulis, nam, primis viis hoc modo depuratis, adpetitus & vires reſtaurantur.

VIII.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. In febre ephemera a medicamentis *ſudoriferis* & coactis regiminibus, item etiam a calidis alexipharmacis abſtinendum: ſummas enim anxietates, immo ſudores colliquatiuos, producunt.
2. Hinc quando omnino alexipharmaca adhibenda cenſentur, ſint illa temperatiſſima.
3. Prius autem in vſum non trahantur, quam ſi excretio halituoſo-ſudorifera legitimo tempore non ſuccedat.
4. *Venaſectio* in ephemera, præcipue ſimplici, ſuperuacanea eſt.
5. Febris ephemera quando in lentam vel hecticam degenerat, hi morbi conſequentes genuinæ methodo facilius cedunt, quam ſi ex ſcirrhis vel vlceribus viſcerum propullularunt. Conuenit autem in tali caſu, lenia laxantia antifebrilibus interponere.
6. *Abſorbentia* marina orgaſmum ſanguinis temperant, materiam ex diſſoluta illius compage ſecedentem incraſſant, & per vias vrinarias educunt.
7. Diæta, omnibus febribus communis, probe eſt obſeruanda, præcipue continentia, quod ad corpus & animum attinet, quieta.
8. Abſtinendum eſt a nimia ingurgitatione *potus frigidi*, quia ſudorem perquam vtilem impedit, fluentem vero ſiſtit.
9. In obſtructione alui *clyſteres* in vſum trahantur, minime vero purgantia fortiora aluum commouentia.
10. Salia volatilia damnum inferunt, dum ſudores vel nimis excitant, vel plane impediunt, febribusque inflammatoriis anſam præbent.

# TABVLA LVIII.
## DE
# FEBRE SYNOCHA
## SEV
# CONTINENTE κατ' ἐξοχὴν DICTA.

I. D*EFINITIO.*

Febris ſynocha eſt ſpecies febrium *continentium ſanguineorum*, qua principium vitale plethoram immunere intendit, ſiue per ſinceram narium hæmorrhagiam, ſiue facta ſanguinis in ſerum reſolutione per ſudorem, motibus ſecretoriis & excretoriis, vltra conſuetum gradum auctis. Deriuatur a συνέχω, contineo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Febris ſynocha eſt vel
   1) *Simplex*, quæ in noſtris regionibus ſatis raro occurrit; vel
   2) *Compoſita*, vbi continens cum febre continua complicatur, quæ a veteribus ſynochus *putrida* adpellatur, & multo frequentior eſt, quam ſimplex. *Vid. tabula de febribus compoſitis, & cautelæ.*
2. Febres *continentes* differunt a febribus *continuis*: Hæ enim ſuas habent *remiſſiones*, illæ autem continenter & in eodem tenore ad criſeos tempus pergunt.

III. *SIGNA.*

1. Conuenit quidem febris *ſynocha* cum *ephemera*, præcedente tabula tradita, in omnibus fere ſignis, præcipue etiam in hoc, vt ſine frigore inuadat, æſtus autem, ſitis, languor & reliqua ſymptomata in ſynocha grauius vrgent.
2. Occurrunt enim anxiæ oppletiones pectoris, ſuſpirioſæ anguſtiæ & quaſi ſuffocationes.
3. Item *dolores* capitis lancinantes, rubor faciei & oculorum, tinnitus aurium, vertigines, ſummæ inquietudines.
4. His omnibus *mentis* motiones intercurrunt.
5. *Vrina* eſt rubicunda, pellucida, & ante quartum diem mutatio-

tationem vix ſubit; ſub ipſà autem mutatione ſedimentum offert roſei coloris.

6. Alui ſiccitas eſt plerumque moleſta.
7. Coniunguntur tenſiones dorſi & artuum ſpasmodicæ, moleſtiſſimæ, tam in principio exacerbationum, quam in illarum mitigatione.
8. Septimo plerumque die terminum ſuum inuenit hæc febris, prodeuntibus in *iuniore* ætate hæmorrhagiis narium, vel in *ſeniore* præcipue ſudoribus largis.

IV. *SVBIECTA.*

1. Febris ſynocha eadem ſubiecta, quæ ephemera, nempe plethorica & ſucculenta, occupat.
2. Temperamentum ſanguineum, vel ſanguineo-cholericum.
3. Ætatem mediam adoleſcentem.
4. Præcipue perſonas, euacuationibus ſanguinis adſuetas.
5. Tempore plerumque vernali & æſtiuo.

V. *CAVSSÆ.*

Synocha febris conuenit etiam in eo, quod ad cauſſas attinet, cum febre ephemera, nempe

1. Cauſſa *antecedens* eſt plethora.
2. Cauſſa *proxima* immediata eſt, orgaſmus ſanguinis abundantis.
3. Hunc *orgaſmum* inducunt cauſſæ occaſionales ſequentes:
   1) Vehementes corporis exagitationes.
   2) Abuſus potus ſpirituoſi, ad ebrietatem vſque ſumti.
   3) Nimiæ vigiliæ.
   4) Iracundia.
   5) Sudationes nimiæ coactæ & medicamenta calida.
   6) Immodica corporis refrigeratio, vel hauſtus frigidus, corpore calente, ſumtus.
4. *Plethoram* autem ipſam cumulare ſolent
   1) Hæmorrhagiarum naturalium ſuppreſſio, e.g. menſium, hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium, vel artificialium neglectio, e.g. venæ ſectiones, ſcarificationes.

2) Diæta ſuperflua & vita otioſa.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Febris ſynocha *per ſe* adeo non eſt periculoſa.
2. Quando enim hæmorrhagia critica vel ſudor ſeptimo die legitime contingit, optimæ ſucceſſionis ſpes eſt.
3. Si vero excretio illa critica non ſuccedit, & tamen congeſtiones adſunt, *iunior* quidem ætas phrenitide & convulſionibus facile corripitur; adultior autem ſæpe ſopores incurrit.
4. Sæpiſſime etiam increbeſcit plenitudo pectoris anxia, anheloſa, ſuffocans, cum ſuccedente in *principio* peripneumonia, in *incremento* autem anginoſa ſtagnatione & inflammatione.
5. Criſis hæmorrhagica quando in non nullis excedit, vires quidem notabiliter conſumuntur.
6. Suppreſſa autem hæmorrhagia multo grauiora damna infert, nempe hecticas, cachecticas, hydropicas, valetudinarias viſcerum obſtipationes.
7. *Hæmorrhagiam criticam* antecedunt:
   1) Narium ſtrictura aut pruritus.
   2) Dolor capitis intenſior.
   3) Rubor faciei & oculorum.
   4) Horum quoque ſiccitas, aut expreſſio lacrimabunda.
   5) Aurium tinnitus, ſuſurrus.
   6) Immo ipſius mentis perturbatio, quæ etiam euenire ſolet ante eruptionem ſudoris critici, vbi ſimul
   7) Die *indicatorio* punctio & pruritus ſub cute, imminutio vrinæ, inquieta iactatio, & abdominis inflatio præcurrunt.
8. Quarto die quando ſanguis ex naribus ſtillare incipit, die ſeptimo, niſi turbetur natura, hæmorrhagia certiſſime redibit.
9. Querelæ de ſumma anxietate præcordiorum omen præbent infauſtum.
10. Non minus etiam nimia inquietudo, excretio macularum nigrarum vel fuſcarum, inuoluntaria lacrimarum emiſſio,

ſio, nulla a ſomno refectio. Hæc enim *ſtatum complicatum* deſignant.

11. In ſanguinis conſtitutione *craſſa* facilis eſt tranſitus in febrem lentam, hecticam aut in tumores.

12. Si intra primum ſeptenarium non terminetur ſynochus, nubeculæ autem in vrina cocta adpareant, & ſemper adparuerint, circa ſecundum ſeptenarium febris ſolutio adhuc eſt ſperanda.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Cauſſa *continens* huius febris, nempe *plethora*, remoueatur per venæ ſectionem, ſub initium morbi inſtituendam, nempe ante, quam vrinæ coctio adparet.

2. Deinde *orgaſmus* ſanguinis & motuum vehementia moderetur, atque æqualis ſanguinis diſtributio atque reſolutio promoueatur per temperantia, præcipitantia, & nitroſa, item per potum ſufficientem, acido citri vel clyſſo antimonii acidulatum, item per iulapia, emulſiones, per diaphoretica fixa, cum aquis diapnoicis ſub febre ephemera commendatis, iungenda, per febrifugum *Kergeri* ex cryſtallis tartari & coralliis paratum, per regimen leniter diapnoicum v. g.

3. Horis ante meridiem exhibeatur puluis ſequens: Rec. matr. perlar. præparat. nitri depurat. ana vnc. ſemis, bezoardic. mineral. drach. II. M. doſ. ſcrup. I.

4. Horis vero poſt meridiem ſequens exhibeatur mixrura: aquæ ſcabioſ. card. bened. ſcorzoner. ſcord. ana vnc. II. ſucc. citr. vnc. ſemis M. doſ. cochlear. II. poſt quatuor horas repetenda. De vſu alexipharmacarum eſſentiarum ſub *cautelis* dictum eſt.

5. Diæta tranquillæ continentiæ, ſufficientis tepidi potus, & caloris moderati ſimul iniungatur.

6. Aluus, ſi obſtructa, per clyſteres modeſte aperiatur.

7. Sub declinatione morbi primæ viæ leniter euacuentur.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quod in *ephemera* ratione *alexipharmacorum calidorum* monui-

monuimus, id hic omnino repetendum eſt, ad inflammationes viſcerum præcauendas.

2. Immo temperata etiam alexipharmaca in febre ſynocha, ſi venæ ſectio præceſſerit, reponantur.

3. Quando autem venæ ſectio non inſtituta eſt, tum ipſa alexipharmaca, temperata tamen, bis de die, nempe ingruente & media nocte, ſine regimine, adhiberi poſſunt, e. g. eſſent. alexipharmaca *Stahlii*, vel mixtura ſimplex gutt. XX-XXX. interpoſitis per reliquum tempus pulueribus nitroſo-temperantibus.

4. *Refrigerantia* & *adſtringentia vena non ſecta*, improuide adhibita, translationes ad fauces, & ſtaſes ſeroſo-mucidas relinquunt, cum febre lenta, alexipharmacis & reſoluentibus colliquanda.

5. *Tincturæ bezoardicæ officinales*, vtpote calidæ & opio inſuper inquinatæ, quouis modo in hac febre reiiciuntur.

6. *Venæ ſectio* ſi poſt vrinam *coctam* inſtituitur, vbi natura iam ad motus ſecretorios & excretorios materiam diſpoſuit, grauiores hæmorrhagias inducit, vel, ſi hæ emanent, ſequuntur deliria, aut ſymptomata ſoporoſa.

7. Exſtant enim exempla, in quibus poſt coctam vrinam venæ ſectio, & deinde refrigerantia adhibita fuerunt, quod die *critico* mortui ſint febricitantes.

8. Quem ad modum venæ ſectio in ſynocha *ſimplice* ſatis commoda, eoque commodior eſt, quo magis cruda, limpida minusque rutila obſeruatur vrina, ita nullius ex contrario vſus eſt in ſynocha *putrida*, vel in ſimplice ad ſtatum iam progreſſa: ſæpe enim poſt ea recidiuam adfert, vel odioſam poſtulat ſui repetitionem.

9. *Aluum* irritare non conuenit, bene vero modeſte eam lenire. Exeunte autem febre repurgatio primarum viarum per rhabarbarina, vt adpetitus & vires reſtaurentur, egregie conuenit.

10. *Salia volatilia* tumores cachecticos facile poſt ſe relinquunt.

11. Opiata

11. *Opiata*, pro capitis doloribus ſedandis adhibita, deliros furores, comata, paralyſes, inducunt.

12. *Anginæ* quando ſuperueniunt, ſuccurrendum eſt per gargariſmata, additis, pro maiore adſtrictione radic. torment. terra catechu, alumine crudo, cum venæſectione primum in brachio, deinde ſub lingua inſtituenda. Reliqua *vid. tabula de angina.*

13. *Vinum* in hac febre improbatur. *Regimen* licet coactum eſſe non debeat, perpetua tamen tranſpiratio promouenda, & aëris acceſſus præcludendus eſt.

14. Hæmorrhagia critica, ſi nimia videtur, caute tractetur: duæ enim circiter libræ medicæ ſine vitæ periculo, in hac excretione perferri poſſunt. *Vid. tab. de hæmorrhagia narium.*

15. Ceterum rariores eſſe, in noſtris climatibus, febres *ſimpliciter* continentes, in praxi bene notandum eſt. Nam propter ſpiſſitudinem ſanguinis abundantis noſtrates longe proniores ſunt ad rheumatico-inflammatorias ſtaſes, & hinc ad typos febrium magis *continuos.*

16. Hæc eſt ratio, cur febres *continentes* cum *continuis* ſæpiſſime apud nos complicentur, & ita ordinarium ſchema in *mixtum* aliquod transmutent; quæ res ſumma attentione indiget, quia multi motus ſibi contrarii in hac complicatione reperiuntur.

17. Et quia *vrinæ* ſub his febribus compoſitis fœtido ſedimento conſpicuæ ſunt, veteres vel ex hoc ſigno finxerunt ſibi putredinem, & hinc febres *putridas* illas vocarunt. Plura de his ſub febribus compoſitis dicemus.

## TABVLA LIX.

### DE FEBRE CONTINVA SIMPLICE.

1. D*EFINITIO.*



Febris

Febris continua ſimplex eſt ſpecies febrium acutarum, in qua principium vitale vitioſam humorum *qualitatem* corrigere, & præcipue orgaſticas illas ac ſubtiles materias, quæ putredinem producere poſſent, eliminare intendit, idque motibus, qui vltra gradum quidem naturalem aucti continui ſunt, a vehementia autem ſua certis diei horis paullulum remittunt.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Febris *continua ſimplex* differt a febre *continente ſimplice* ſequentibus:
   1) Continens *ſine*, continua autem *cum* horrore inuadit.
   1) Continens *nullas*, continua *aliquas* habet remiſſiones.
   3) Continens *quantitatis* imminutionem, continua *qualitatis* correctionem reſpicit.
   4) Ceterum *continua* cum *continente putrida* aliquam habet conuenientiam.
2. Differt ab *intermittentibus* & *chronicis*:
   1) *Remittit* quidem per aliquot horas a feruore & acerbitate ſua, prorſus autem non *intermittit*, ſed continuo curſu ita ad finem properat, vt in illis etiam horis, quibus ægri non adeo intenſe æſtuant, & calor, & ſitis & capitis dolores adſint.
   2) Præcipitem & acutam habet periodum, & vel ſeptimo, vel decimo quarto die ſtadium ſuum decurrit.
3. Continua *ſimplex* differt a continua *compoſita*, quæ vel cum alia continua, vel cum continente, vel cum intermittente complicata eſt. *Conf. tabul. de febribus compoſitis ex acuta periodo.*

III. *SIGNA.*

1. Inuadit plurimum cum horrore, & hunc excipit æſtus, isque ad finem vsque morbi continuus.
2. Quando autem impuritates primarum viarum conſpirant, primis quidem diebus frigus *aliquoties* recurrit, & cum æſtu ad normam intermittentis alternat, deinde autem ordinarium continuæ typum exhibet.

3. Con-

3. Coniungitur capitis dolor inſignis, cum ſiti & oris ſiccitate.
4. Pulſus eſt celer & frequens.
5. Quemadmodum excretiones per diureſin & diaphoreſin huic febri quaſi eſſentiales ſunt, ita per has etiam ſalutarem exitum & euentum quærere obſeruatur.
6. Vrina enim, quæ primis diebus limpida & rubicunda eſt, quarto circiter die cocta adparet.
7. Non minus ſudor ab illo tempore quemlibet paroxysmum, qui bene cedit, in declinatione ſui ſequitur.
8. Reliqua ſub *differentia* diximus.

IV. *SVBIECTA.*

1. Homines floridæ & mediæ ætatis
2. Qui lauta diæta non tantum plethoram, ſed & otio ac ſegnitie motus impediunt, quo minus debitæ excretiones materiarum noxiarum per tranſpirationem naturalem & vrinam ſuccedere poſſint.

V. *CAVSSAE.*

1. Adcuſamus quidem pro *cauſſa materiali* in hac febre vitium *qualitatis*, non alio autem ſenſu, quam vt plethoram illius matricem eſſe adſeueremus.
2. Quem ad modum enim plethora in otioſis ſpiſſitudinem ſanguinis contrahit, ita hæc debitum illius circulum retardat, & ordinarias ſecretiones atque excretiones impedit.
3. Hæ retentæ impuritates, quando commotionibus vehementibus vel animi vel corporis exagitantur, & in orgaſticam ac halituoſam quaſi ſubtilitatem reſoluuntur, anſam præbent noſtræ, de qua loquimur, continuæ.
4. Cauſſa *efficiens* autem eſt ipſa natura, quæ per motus hoſce febriles materiam illam ſubtilem & orgaſticam ex humoribus ſeparare, & per conuenientia excretoria loca eliminare intendit; ne putridam corruptionem, quam celeri curſu alias producit, ſubire poſſit.
5. Cauſſæ *occaſionales* ſunt

 1) Im-

1) Immoderatæ corporis commotiones & exæſtuationes.
2) Repentinæ ſudorum prægreſſorum repreſſiones.
3) Abuſus ſpirituoſorum.
4) Iracundia.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quo magis plethora peccat, eo difficilius negotium ſuccedit: hac enim ratione duplex labor naturæ obiicitur, & *continens ſimplex* facile mutatur in *compoſitam*, qua primario quidem correctio qualitatis, ſecundario autem imminutio quantitatis reſpicitur.
2. Vnde non raro euenit, vt die quarto vel ſeptimo narium hæmorrhagia erumpat, vel, ſi hæc non ſuccedat, motus hi hæmorrhagici deliria concitent.
3. Signa coctionis in vrina, & ſudor in cuiusuis paroxyſmi remiſſione placide ſuccedens optimam ſpem promittunt. Quarto enim die quando adparent, febris ſeptimo die ordinarie ſoluitur; ſin ſecus, ad vndecimum vel decimum quartum diem.
4. Quando autem coctionis ſigna neque ſeptimo die adparent, & hac ratione prima periodus nihil vtilitatis & levaminis attulit, tum natura laborem febrilem de nouo quidem adgredi ſolet, quoniam autem præcedentibus diebus & conflictionibus hoſti nihil detrahere potuit, ſub initium ſecundæ periodi animum facile abiicere ſolet. Vnde *nonus* dies periculoſus eſſe in acutis deprehenditur.
5. Vomitus, ſub initium morbi erumpens, non eſt reformidandus.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Primis diebus, quibus natura materiam peccantem præparat, & ex nexu, quem cum maſſa ſanguinea habet internum, liberat, reſoluit, inuoluit & facultatem nocendi quodam modo infringit, Medicus, qui miniſter eſt naturæ, laborem hunc ſalutarem imitetur, & in eumdem finem remedia præparantia, nempe abſtergentia, inuolventia, & temperantia propinet, e.g.

Rec. Ocul. cancr. citrat,

Con-

Conchar. præparat.
Nitr. depurat. ana drachm. I.
Antim. diaphoret.
Arcan. duplicat. ana ſcrup. II.
M. d. in 12 partes, & harum quatuor per 24 horas, interpoſitis diluentibus, exhibeantur.

2. Correcta hac ratione materia, vti ab ipſa natura circa & poſt quartum circiter diem per diaphoreſin & diureſin ſolet expelli, ita Medicus hunc quoque ſcopum remediis ſuis reſpiciat, & placida diaphoretico-diuretica præſcribat, ita tamen, vt ſub *ἀκμῇ* paroxyſmorum pulueres modo præſcriptos, in remiſſionibus autem eſſentiam alexiph. temperatam, vel in ſenſibilibus decoctum aliquod diaphoret. aut potionem diapnoicam propinet. Materia enim licet *correcta* audiat, cum natura tamen in gratiam redire nequit, ſed eum in finem præparatur, vt commode & innoxie excerni poſſit.

3. Reliqua ſub *cautelis* dicentur.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ordo, quem natura in his & aliis febribus obſeruat, manifeſto nos docet, quam nocentes, & naturæ methodo contrariæ ſint *heroicæ* illæ curationes, quæ ſub initium febrium *purgando, vomendo, ſudando* &c. inſtituuntur.

2. Hic enim Medicus internus therapiam ſuam cum excretionibus minime inchoat, ſed prioribus diebus efficaciore ſanguinis tranſitu per partes poroſas operam nauat, vt materia peccans ab intima illa cohæſione, quam cum maſſa ſanguinea habet, prius liberetur, abſtergatur & ad euacuationem apta reddatur. Deinde reliquis diebus hanc præparatam materiam per paroxyſmos paulatim eliminat.

3. Huic abſterſioni & ſegregationi egregie inſeruit reſtrictio humorum ad viſcera colatoria. Hæc enim vti exterioribus partibus ſtricturam & horripilationem, ita interioribus neceſſariam relaxationem & aperturam conciliat, vt, quidquid alieni in illis hæret, abſtergi poſſit.

4. Quando plethora inſignis naturam adgrauat, & neceſſarias ſecretiones atque excretiones impedit, tum *venæſectio*, primis morbi principiis inſtituta, non reiicitur; præcipue ſi conſuetudo huius euacuationis, tempus opportunum & orgaſmus ſanguinis adſint. *Conf. tab. chirurg. de venæſectione.*

5. Caueatur, ne *vomitus* vel *alui fluxus*, qui ſub initium huius morbi ſæpius contingunt, inepte ſupprimantur. Natura enim has primarum regionum impuritates eum in finem eliminat, ne ſucceſſum abſtei ſiuum & ſecretorium impediant. Conuenit itaque naturæ intentionem per digeſtiua & præparantia promouere.

6. Quando autem hi motus excretorii omnino *excedere* videntur, *cortex caſcarillæ* vſui eſſe poteſt.

7. Quæ prioribus tabulis de *calidis alexipharmacis*, item de *regimine ſudorifero coacto*, & de *opiatis* paſſim monuimus, illa & hic obſeruanda commendamus.

8. Tranquilla corporis continentia quam maxime commendatur: promouet enim placidam tranſpirationem & vniuerſo febris ſucceſſui adfert vtilitatem.

# TABVLA LX.

## DE FEBRIBVS SECVNDARIIS VVLGO SYMPTOMATICIS.

I. DEFINITIO.

Febres ſecundariæ ſunt febrium ſpecies, ad indolem modo *continuarum*, modo *chronicarum* accedentes, quæ aliis corporis ſonticis læſionibus eum in finem ſuperueniunt, vt materialis noxa ſuperetur, & imminens periculum auertatur.

II. *DIF.*

## II. *DIFFERENTIA.*

1. Febres *ſecundariæ* a *primariis* ſeu *idiopathicis* ſequente ratione differunt:

1) *Primariæ* propriam ſuam habent indolem & cauſſas directas; præter ea tam ordine, quam grauitate, primæ ſunt: *ſecundariæ* autem aliis morbis iunguntur, qui proprium ſuum *eſſe* habent & conſtituunt, & qui aliquando, præcipue ſub initium ſui, ſine febre exſiſtere ſolent, e. g. *inflammatio* contenta eſſe poteſt motibus ſuis *particularibus* ſine *vniuerſali febrili* ſanguinis commotione; item *vlcus pulmonum* ſine febre hectica diu eſſe poteſt. Immo manent morbi primarii id, quod ſunt, ſub ipſa etiam febre, e.g. vlcus manet vlcus, quidquid agat febris concurſans. Paucis: *ſecundariæ* cauſſas habent *indirectas*, & ordine re vera ſunt *ſecundæ*, illi autem, quibus accedunt, morbi *ſine febre* eſſe & res ſuas *ſub febre* ſeorſim habere poſſunt & ſolent.

2) *Primariæ* ordinatis magis progreſſibus & ſucceſſibus innituntur, ambitum vniuerſum & typum longe conſtantius & exquiſitius ſeruant, quam *ſecundariæ*; quæ quidem interdum etiam typicæ videntur, hunc autem ordinem mox amittunt, & in varios, inordinatos atque inæquales ſucceſſus euagantur.

3) *Secundariæ* habent quidem reſpectum & efficaciam vtilitatis & quodam modo neceſſitatis, tam abſolutam autem neceſſitatem non inferunt, neque tam exquiſitam proportionem efficaciæ habent, quam *primariæ*. Materia enim peccans, propter quam hæ primariæ fiunt, *in humoribus adhuc ſimpliciter oberrat*. Hinc non ſuperueniunt *noxæ* non *ortæ* ſed *oriundæ*. Vnde materiam talem mobilem in ordinem facilius cogere, & per ordinatos typos ſuperare poſſunt.

4) Morbi illi, quibus *ſecundariæ* febres accedunt, propriis interdum methodis & remediis infringuntur: ex con-

contrario illæ materiæ peccantes, quæ febres *prima-rias* poſcunt & fouent, alio motu ex corpore non poſſunt præſcribi. quam vere febrili.

5) Per *primarias* febres excernuntur quidem etiam noxiæ materiæ, ſed hæ ita comparatæ ſunt, vt per, & ex ſe, proprium ſchema, aut peculiarem morbum nondum forment. *Conf. num. 3.*

2. *Secundariæ* febres vulgo etiam *ſymptomaticæ*, ſed minus commode, vocantur, ob ſequentes rationes:

1) *Symptomatis* nomen in ſchola medica vulgo deſignat rem, quæ alteri cuidam accedit ex *neceſſitate phyſica*, qua v. g. læſiones *actionum* ſequuntur læſam *partem*: ſed febres *ſecundariæ* ex phyſica neceſſitate, aut eſſentiali & propria ratione primariorum morborum non obtingunt. Poteſt enim & ſæpiſſime ſolet e. g. inflammatio ſine ſucceſſu febris ſalua eſſentia ſua propriam ſuam ſphæram abſoluere.

2) Porro ſymptomata ſunt accidentia quæcumque, licet primario morbo nec neceſſario nec directo vinculo adnexa; febres autem *ſecundariæ* ab indole illorum adfectuum, quibus accedunt, non ſunt alienæ, ſed rationali nexu cum illis coniunctæ.

3) Denique per ſymptomata ſpecialiſſime ſubaudiunt talia accidentia, quæ malo primario noxam potius & damnum, quam auxilium & leuamen adferunt; febres autem ſecundariæ contrario modo ſe habent: ſunt enim conſectarium moralis vtilitatis & neceſſitatis.

4) Ceterum ſi differentia illa, quæ eſt inter ſymptomata *actiua* & *paſſiua*, a ſchola medica magis recepta eſſet, nulla difficultas *ſymptomaticæ* febris denominationem premeret. *Conf. different. tab. I.*

III. *SIGNA.*

1. Hæc cum ſignis reliquarum febrium generalibus, per omnia quidem conueniunt, hoc autem ſpeciale habent ſignum diagnoſticum, vt typum exquiſitum non forment,

ment, vel ſi omnino typice quaſi inuadant, accuratum tamen & ordinatum typum non ſeruent.

2. Quemadmodum enim materiæ *qualitas* non eſt in poteſtate ſimplicis commotionis, ita & hæ acceſſoriæ febres materiam male diſpoſitam qualibuscumque motibus ſuis ita non poſſunt diſponere, vt obſequium præſtet, & certa menſura atque typo ordinato circumſcribatur.

## IV. *SVBIECTA.*

De his non habemus, quod ſpecialiter dicamus. Occupare enim poſſunt febres ſecundariæ omnes illos homines, qui primarios morbos, ſub *cauſſis* indicatos, incurrunt.

## V. *CAVSSÆ.*

Morbi primarii, qui febres ſecundarias adſciſcere ſolent, ſunt præcipue ſequentes.

1. *Inflammationes*, præſertim partium internarum. His enim febres inflammatoriæ accedunt, quæ pro partis inflammatæ diuerſitate nomina ſortiuntur diuerſa. Huc pertinent phrenitis, paraphrenitis, pleuritis, peripneumonia, hepatitis, & aliæ febres inflammatoriæ, inflammatis viſceribus accedentes. Huc etiam referenda ſunt grauia vulnera & contuſiones.

2. *Vlcerationes* & *ſcirrhi*, e. g. in pulmonibus, renibus &c. Vnde febres lentæ & hecticæ proueniunt.

3. *Impetuoſæ, copioſæ* & *reſtagnatoriæ humorum congeſtiones,* ad inflammationem aut vlcerationem tendentes. Huc pertinent rheumata arthritodea & veræ arthritides in plethoricis, iisque ſanguineis aut cholerico-ſanguineis.

4. *Cauſſa efficiens* febrium harum ſecundariarum eſt eadem, quæ primariarum: non enim dependent ab effectibus & læſionibus materialibus, quibus ſuperueniunt, ex phyſico-mechanica neceſſitate, ſed ab ipſa natura in ſalutarem finem ſuſcipiuntur, non vt morbum foueant & augeant, ſed potius eumdem auertant.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quando adfectus primarii conſtitutio nondum eſt inſeparabilis, neque viarum habilitas fallit, febres ſecundariæ effectu & euentu ſaluberrimo efficaciam ſuam præſtant.
2. Negandum autem non eſt, quod plus difficultatis & periculi inuoluant, quam quidem primariæ.
3. Quo magis ſecundariæ typum ordinatum & moderatum, quod autem rarum eſt, oſtendunt, eo maior ſpes eſt felicis ſucceſſus. Ex contrario quando typos quidem habere videntur, impetuoſe autem, præmature & inordinate agunt, ſiniſter euentus eſt metuendus.
4. Licet febres ſecundariæ præcipue inflammatoriæ malorum morum ex eo vulgo arguantur, quod nihil conſtantis, fidi & æqualiter vegeti exhibeant, longe tamen minor culpa in febres has, quam in adfectus ipſos rebelles & intractabiles, quibus ſuperueniunt, conîicienda eſt.
5. Multo minus ex dictis anomalicorum motuum circumſtantiis hæ febres argui poſſunt *malignitatis*.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Tractatio harum febrium non quidem recedit a methodo generali febrium reliquarum, notandum autem eſt, quod morbi primarii, quibus ſuperueniunt, ſimul ſint reſpiciendi & legitime tractandi: remoto enim antecedente, facile hic remouetur conſequens.
2. Ceterum quoniam tabulis ſequentibus plurimas ſecundariarum febrium ſpecies ſpecialiter tractatæ ſunt, & ſpecialis earum methodus indicata eſt, neceſſarium non iudicamus, hoc quidem loco fuſius hac de re dicere.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Secundariæ febres ex vtrolibet cenſu, acutarum nempe & chronicarum contingunt, motusque hi febriles egregie reſpondent conditioni illarum læſionum, quibus corrigendis & reſtaurandis ſuperueniunt.
2. Nam febres illæ ſecundariæ, quæ inflammationibus accedunt, ſunt ſchematis acuti, & quidem iuſtiſſima neceſ-

ſitatis

ſitatis ratione. Staſis enim inflammatoria, vti vix vmquam quartum diem præterit, quin corrumpi incipiat; ita neceſſe eſt, vt febris motibus acutis inſtruatur, quo breui tempore deſideratum effectum abſoluere poſſit.

3. Ex contrario in illis febribus, quæ vlcerationibus accedunt, lentum ſchema ſufficit: nihil enim hic aliud, quam præcautio & præoccupatio intenditur, videlicet ne loco ſeroſæ corruptionis largior ſanguinea admixtio & inflammatoriæ indolis acceſſio, quæ repentinam ſuppurationem aut ſphacelum adferat, introducatur.

4. In illis febribus, quæ arthritico-podagricis adfectibus iunguntur, eadem harmonia & rationalis proportio obſeruanda eſt, quem ad modum enim in his pathematibus ſpaſticæ tantum adſunt ſtricturæ, quæ ſanguinem ad certas corporis regiones ita reſtringunt, vt ſtaſis forte inflammatoria ſequi poſſit: ita motus febriles leuiores tantum a natura inſtituuntur, vt ſtaſium euentus occupetur.

5. Quando autem repulſio fit ad interiora, *motuum* magis quam *materiarum* ratio habenda eſt. Quando enim hi motus ſpaſtici, in viſcere quodam vitali adminiſtrati, ſanguinis portionem, vt vt exiguam, in ſtaſin inflammatoriam ibi deducunt, mox lentum febris ſchema in acutum commutatur.

6. Genius materiæ peccantis quoniam ἄκριτος eſt, & ſenſim procedentibus potius excretionibus, quam vnica eliminandi actione excuti poteſt, non conuenit, *criticas tentare commotiones:* Criſis enim non ſequitur, ſed triſtia conſectaria, nempe languores repentini, deſperabunda actiuitatis omiſſio. Quo vehementior etiam fuit impetus, eo certior erit funeſtus euentus.

7. Non minus in hiſce febribus nocent reliquæ *heroica* medicationes, videlicet *emetica, purgantia*, & quæ alia orgasmum ſanguinis excitare poſſunt.

 TAB. LXI.

# TABVLA LXI.
## DE
# FEBRIBVS INFLAMMATORIIS GENERATIM.

I. D*EFINITIO.*

Febres inflammatoriæ ſunt ſpecies febrium continuarum ſecundariarum, quibus principium vitale ſtaſin quamdam, quæ motui inflammatorio *particulari* cedere recuſat, per motum *vniuerſalem* febrilem reſoluere & diſcutere intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Febres inflammatoriæ accedunt
   1) modo inflammationibus *externis*; & hoc quidem rarius,
   2) modo inflammationibus *internis*, idque frequentius.
2. Pro diuerſitate locorum & partium, in quibus ſtaſis inflammatoria contingit, febres inflammatoriæ diuerſa ſortiuntur nomina, e.g.
   1) *Phrenitis* vocatur febris illa, quæ inflammatis meningibus accedit.
   2) *Paraphrenitis* diaphragmati inflammato ſuperuenit.
   3) *Pleuritis* ſtaſin in pleura,
   4) *Peripneumonia* in pulmonibus diſcutere intendit.
   5) *Hepatitis* hepatis,
   6) *Splenitis* ſplenis ſtaſi opponitur.
   7) *Nephritis* renibus inflammatis ſuccurrit.
   8) *Lipyria* vel aſodes vocari ſolet febris illa, quæ ventriculo aut lieni inflammato ſuperuenit, & internis partibus ardorem, externis autem frigus adfert. Vnde periculoſior potius ſtatus quam melior fit, & intra paucos dies exitum ſuum nanciſcitur lethalem. *Conf. different. tab. de inflammatione.*
   9) *Typhodes* dicitur, quando inflammatio eryſipelacea vel hepa-

hepatis, vel ventriculi, vel vteri febrem prouocat, quæ anxiis, frigidis & inutilibus ſudoribus coniuncta eſt. Deriuatur a τύφος, fumus, ſeu res inanis fumo ſimilis.

10) Quando autem febres *cholericæ* & *cauſodeæ*, quæ etiam ad inflammatorias pertinent, eius modi ſudores inutiles exhibent, *elodes* & *hydrodes* vocantur.

11) *Lyngodes* ſeu *ſingultuoſa* vocatur illa febris inflammatoria, quæ inflammationi vel diahpragmatis vel ventriculi, vel inteſtinorum ſuperueniens, ſingultum habet complicatum, qui motus conuulſiuus funeſte plurimum cedit. Deriuatur a λύγξ, ſingultus.

12) *Phricodes* ſeu *horrida* adpellatur febris, quando ſtaſis inflammatoria ad ſuppurationem adpropinquans, inſignibus horroribus coniuncta eſt. Deriuatur a φρίκη, horror.

III. *SIGNA.*

1. Hæc cum ſignis febrium continuarum conueniunt.
2. Nonnumquam autem parum frigoris præcedere obſeruatur, & æſtus, qui horripilationem excipit, mox ita increbeſcit, vt ſub initium neſcias, num ad continentium vel ad continuarum indolem eius modi febris inflammatoria referenda ſit.
3. Quando membrum aliquod aëri leuiter tantum exponitur, horrore percelluntur ægri, ſimul ac autem illud obtegitur, æſtum vehementem iterum perſentiſcunt.
4. Typum vel plane nullum, vel inconſtantem hæ febres ſeruant, id quod ab inæquali ſucceſſu & euentu ipſius inflammationis dependet. *Conf. tab. de febribus ſecundariis.*
5. Vrina rutila & craſſa circa & poſt quartum diem dimittere ſolet ſedimentum roſeo-pallidum, quod de lympha quidem attenuata & intermixto principio ſulphureo-ſeroſo teſtatur, pro vero autem pure falſo a nonnullis habetur.
6. In iunioribus interdum narium hæmorrhagiæ concur-

runt; vel ſi ſanguinis verſus caput congeſtio exitum hæmorrhagicum non nanciſcitur, delitia ſequuntur.

7. Quando febris ſuperficiali inflammationi accedit, dolor pulſans & lancinans in loco affecto ſentitur, ſi vero profundior eſt inflammatio, ſenſus quidem moleſtus, ſed obtuſus eſt.

8. Ceterum quo grauior ſtatus eſt, eo plures angores & inquietudines tacite quaſi conſpirant.

IV. *SVBIECTA.*

1. Quæ ſubiecta inflammationibus obnoxia ſint, legi poteſt *tabula de inflammationibus generatim.*

1. Quibus autem febres accedant, ex cauſſis ſubſequentibus eluceſcit.

V. *CAVSSAE.*

1. Quas cauſſas *tabula de inflammationibus* poſuimus, illas hic repetendas commendamus.

2. Non minus illa conſideranda ſuademus, quæ præcedente tabula de *febribus ſecundariis* ſub *cauſſis* diximus.

3. Vnde liquet, quod febris inflammatoria intentionem ſalutarem habeat, & a natura *propter* inflammationem diſcutiendam inſtituatur.

4. Hinc directum effectum *materialem* hic excludimus, & non tantum *nænias antiquas* de accenſione caloris in corde per exhalationes, quæ ex parte aliqua, fomitem putredinis continente, ad cor transmittantur, prætermittimus, ſed & recentiorum mutatam denominationem, nempe particulas acres, ex membris inflammatis ad cor delatas, reiicimus.

5. Notum enim eſt, quod *externis* inflammationibus longe rarius febris accedat, quam *internis*, licet communio ſanguinis cum corde eadem ſit ex partibus externis quam internis.

6. Itaque *formalem* rationem & reſpectum hic agnoſcimus. Videlicet quem ad modum negotium inflammationis in partibus externis commodius & felicius ſuccedit, quia laxi-

laxioribus poris, maioribus vaſis & vegetiore motu tonico inſtructæ ſunt, ita febris concurſus raro neceſſarius eſt. In partibus autem internis ſi pulmones excipiamus, contrario modo res ſe habet, hepar enim, inteſtina &c. paruis arteriis, adeoque debili impulſu inſtructa ſunt.

7. Ergo concludimus, quod febris inflammatoria ſit actio, quæ negotii inflammatorii diſcuſſorii, & apoſpaſmatum ſuppuraſcentium eliſorii maiorem adhuc intenſionem inuoluat, & æque ac ſimplex motus inflammatorius a moralibus & finalibus reſpectibus, non autem a phyſico-mechanica neceſſitate dependeat.

8. Conſtantes illæ horripilationes, quæ in non nullis occurrunt, dependent a continua ſanguinis ex ſuperficie ad interiora reſtrictione. Vnde a leuiſſima etiam aëris acceſſione ſubinde exquiſitiore ſenſu adficiuntur.

9. Cauſſæ *occaſionales* tabula de inflammationibus exhibentur. Notandum autem eſt, quod *ſimplex ſpiſſitudo* ſanguinis ſtaſes inflammatorias prouocare non ſoleat, ſed immoderatæ hæmorrhagicæ congeſtiones & reſtrictiones humorum.

10. Huc in primis etiam pertinet repentina illa partium conſtrictio & ſanguinis incluſio, quam immoderata refrigeratio corporis exæſtuantis accelerat.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. Quem ad modum tam inflammationis, quam concurſantis febris primarius ſcopus eſt reſolutio & diſcuſſio ſtaſeos, ita, ſi hic obtinetur, vniuerſum negotium ſalutariter ſuccedit.

2. Quando autem reſolutio & diſcuſſio ſtaſeos fieri non poteſt, ſtatus eſt conclamatus. Interni enim abſceſſus non poſſunt emundari, hinc vlcus ad minimum immedicabile cum febre hectica ſubnaſcitur.

3. Maxime funeſtæ indolis ſunt primarii illi morbi inflammatorii, quibus febres ſuperueniunt, & quo nobilius eſt viſcus, quod inflammatione obſeſſum, eo periculo-

ſior

ſior ſtatus, & eo difficilius febris felicem ſortitur euentum.

4. Quo impetuoſius procedunt hæ febres, eo minus ſalutarem finem attingunt.

5. Dubii euentus eſt harum febrium ſtatus, quando materia peccans, putridæ corruptelæ iam proxima, ex partibus interioribus ad exteriores proiicitur, ibique abſceſſum, latiore ſenſu ſumtum, format. Hæ enim abſceſſiones talis nonnunquam ſunt indolis, vt neque in totum ex interioribus ad exteriora loca transferantur, neque felicem maturationem admittant.

6. Si vero neque ſimplex & ſalutaris ſtaſeos diſcuſſio, neque translatio in partem quamdam ignobilem obtinetur, pars nobilis, quæ adfecta eſt, corrumpitur, & decumbens a primario morbo interficitur. Vnde ſecundarius, qui febris eſt, ſalutem adferre nequit.

7. Difficilis autem ſucceſſus potior ratio in eo fundata eſt, quod inflammationes cum febribus exquiſite non quadrent, ſed indolem plane diuerſam habeant. Sunt enim particulares tantum commotiones: vnde manifeſtum eſt, quod vniuerſalis commotio, quæ febris eſt, locum & efficaciam *directe* hic minime tueri poſſit.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Motus febriles, qui ſtaſeos inflammatoriæ diſcuſſionem reſpiciunt, prudente ratione ſubleuandi ſunt.

2. In hunc finem ante meridiem bis de eſſentia alexipharmaca *Stahlii*, poſt meridiem autem aliquot pulueres febriles exhibeantur.

3. Aluus aperta ſeruetur.

4. Externa, quando loci adfecti conditio concedit, non negligantur.

5. Præter ea ante meridiem potionibus acidulatis, poſt autem meridiem emulſionibus dilutis febricitans reficiatur.

6. Specialia ſpecialibus tabulis reſeruantur.

VIII. CA-

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ad ſolemnem illam quæſtionem, num *venæſectio* in morbis inflammatoriis & febribus, iisdem accedentibus, neceſſaria vel vtilis ſit, in diuerſis iam locis, reſponſionem dedimus, præcipue *tab. medic.* de *inflammationibus* generatim, & *tab. chirurg.* de *venæſectione.*

2. Quo inſignior eſt plethora, eo certius congeſtiones hæmorrhagicæ verſus caput inſtituuntur, & quando ſanguinis excretio non ſubſequitur, vehementes vaſorum oppletiones deliria producunt.

3. Euenit nonnumquam, vt ſtaſis inflammatoria circa ventriculum, vel in liene in corruptionem abeat, & putridis quidem per vomitum reiectionibus anſam præbeat, ſalutaris autem effectus, quem natura intendit, nullo modo obtineatur.

# TABVLA LXII.

## DE FEBRIBVS BILIOSIS, NEMPE FEBRE CHOLERICA ET CAVSO.

I. DEFINITIO.

Febres bilioſæ ſunt ſpecies febrium acutarum, continuarum, ſecundariarum, originem ducentes a commotione bilis, præcipue effuſoria, tempore quo cibi in ventriculo & inteſtinis fermenteſcentes reperiuntur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Cauſus* differt a febre *cholerica* duobus præcipue ſignis pathognomonicis.

1) *Gradu:* cauſus enim multo acerbior & periculoſior eſt, quam febris cholerica.

2) *Excretionibus:* in cholerica febre excretiones biliosæ modo per vomitum, modo per diarrhœam, modo ἄνω & κάτω ſimul obueniunt, in cauſo autem materia illa noxia concluſa potius detinetur. Reliquæ differentiæ ex ſignis ſubſequentibus eluceſcent. Tacemus, quod *ſymptomata* in cauſo ſint grauiora, quam in febre cholerica.

2. Antiqui ad febres bilioſas etiam tertianam intermittentem & continuam referebant; illam quidem ſine ratione, hanc autem non ſine omni fundamento: nam bilis, circa primas vias collecta, pro materiali, licet accidentali, eius cauſſa habenda eſt.

3. Differt tamen bilioſa noſtra tertiana continua in eo, quod illa quotidie exacerbationes paroxyſmorum, hæc autem poſt vnius diei interuallum, & ſtatis magis horis, easdem habeat.

4. Ad differentiam magis nominalem quam realem pertinet, quod, ſi materia, in cauſo concluſa, ventriculo, duodeno, vel ſimæ hepatis parti inflammationem iam induxerit, febris *leypiria* a λείπομαι, & πῦρ, vel *aſſodes*, ab ἀσσχόμαι, nauſeo, & εἶδος forma vocetur.

5. Differt febris cholerica a *diarrhœa* cholera ſimplice, cholera humida dicta, vbi nulla febris adeſt, & bilioſa tantum ſaburra excernitur; quamquam negari nequeat, quod, ſi negotium huius excretionis impeditius ſuccedat, febris facile accedere poſſit. *Vid. tabul. de diarrhœa.*

III. *SIGNA.*

1. *Generalia.*

1) Anxietas notabilis, & plus minus diſtincta cardialgica pathemata, ſcilicet anguſtia & ardor circa præcordia.

2) Æſtus quam maximus, præcipue oris interni & faucium cum ſiti intolerabili.

3) Vertiginoſa capitis adflictio.

4) Agrypnia fere continua, aut ſub leui ſomno anxiæ phantaſiæ, motus artuum pauidi, & ſemi conuulſiui.

5) Ani-

5) Animi impatientia, taciturnitas, faſtidium, indignatio, mentis aberrationes, & ad deliria furioſa procliuitas.

6) Accedunt ſæpius prunellodes faucium, & linguæ ardores, ſiccitas etiam harum partium ad fiſſuras vsque increbeſcens.

7) Icterodes oculorum, vel totius cutis decolorationes non raro ſuperueniunt.

8) Quo magis hæ febres inſoleſcunt, eo frequentius horripilationes poſt leuiſſimam refrigerationem oriuntur, madores etiam roridi, anxii, & quaſi perpetui, ſub exigua autem membrorum denudatione ſtatim frigidi obſeruantur.

2. *Specialia*

1) Febris *cholericæ*, ſtricte dictæ:

a) Languor vniuerſi corporis, ardor & anguſtia circa præcordia, cum ſiti immodica.

b) Hæc pathemata præcedit, vel illa ſequitur vehemens, horrida refrigeratio corporis, quam excipit æſtus grauiſſimus, & eximius capitis dolor.

c) Pathemata hæc circa præcordia, niſi intra vnum vel alterum diem diſſoluantur, quod tamen poſt inſigne frigus raro contingit, tum notabiliter augeſcunt, & erumpunt denique in conatus & actus vomendi.

d) Euomunt materiam cauſticam, bilioſam, fauces adrodentem, excoriantem, raucedinem inducentem, dentes ſtupefacientem, & cum pauimento calcario aut nuda terra efferueſcentem.

e) Hæc excretio vehementes ſpasmos tam circa ventriculum, quam exquiſitos lancinatorios torminoſos dolores in abdomine habet coniunctos.

f) Vomitus hic niſi perquam mature ſuperueniat, & hanc materiam ſtatim eliminet, tum concurrit plerumque diarrhœa bilioſa, & tenesmodes irritatio, ad ani vsque eroſionem.

 g) Car-

g) Cardialgica & ſyncoptica fit hæc febris, quando conatus, varie intenſi, parum aut ægre aliquid eliminant, magisque ad ſuperiora quam inferiora tendunt.

h) Perpetua inquietudo corporis, & virium debilitas.

i) Pulſus eſt celer & frequens, ſæpius autem paruus.

k) In externis partibus, præcipue in fronte ſudores frigidi proueniunt.

2) Febris *ardentis* ſeu *cauſi*.

a) Prælibauimus generalia, videlicet anxietatem, ardorem præcordiorum, horrorem inſignem, cum inſequente æſtu vehemente, & capitis doloribus.

b) Sitis in cauſo longe maior & inexplebilis eſt, hinc *clamoſa* dicta; cui ſi ægri largis, & inſuper frigidis, hauſtibus ſubuenire velint, cardialgico-lipothymica mala ſuperueniunt.

c) Aluus ſicca & fere adſtricta eſt, nulla quoque ad vomitum propenſio obſeruatur.

d) Vrina ſubruffa, interdum plane flammea, pauca, craſſa, poſt moram turbida, roſea cum ſedimento eiusdem coloris, & non ita raro cum flauedine mixta.

e) Adeſt interdum verus circa præcordia dolor, immo vrens ardor adeo exquiſite, vt ne attactum quidem huius regionis ægri perferre queant, & non numquam verſus dorſum, immo per totum corporis habitum extenditur.

f) Reſpiratio eſt ita difficilis & laborioſa, vt non numquam ore aperto fieri debeat, & halitus egrediens eſt ad modum calidus.

g) Aliquando anxius, vagus, inordinatus & frigidus ſudor prorumpit, nihil autem leuaminis adfert, ſed funeſti euentus indicium eſt.

h) Præualente morbi impetu, ſuccedunt cardialgiæ graues ſyncopticæ, deliria, conuulſiones.

IV. *SVBIECTA*.

1. Generatim ſunt homines calidioris genii, ante, ſub, vel poſt

poſt ciborum adſumtionem ira commoti, quando mox ingerunt potum frigidum, fæculentum, cereuiſiarium, ſpirituoſum, cibos dulces ad modum & fermenteſcentes, mellita, fructus fugaces hortenſes, vel etiam illo tempore repentinæ refrigerationi ſe exponunt.

2. Speciatim febris *cholerica* inuadit magis cholericos, & cholerico-ſanguineos, diætæ acriori & calidæ deditos, vino abutentes, ſtatim ante vel poſt cibum adſumtum iraſcendi occaſionem nactos.

3. *Cauſus* autem ſæpius adfligit cholerico-melancholicos, aut ſanguineo-melancholicos, qui ad iram ſatis quidem procliues ſunt, ſed illam diſſimulare ſolent, & præterea ad ſiccitatem alui inclinant.

4. Adulti præ iunioribus.

5. Feminæ magis quam viri.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *antecedens remota* eſt bilis excrementitiæ copia.

2. Cauſſa *antecedens propior* eſt effuſio bilis in inteſtinum duodenum copioſa & impetuoſa; præcipue illo tempore, quo cibi & potus fermenteſcentes in ventriculo & inteſtinis præſto ſunt.

3. Cauſſa *materialis proxima* eſt acrimonia penetrantiſſima, acido-corroſiua, ex eius modi copioſæ bilis cum cibis aceſcentibus fermentatione prognata, quæ, inteſtinum & ventriculum adrodendo, ac inflammando, humores lymphales circa hæc loca in tenacem ſpiſſitudinem coagulando, prouocat reliquorum humorum directionem & adfuſionem ad loca periclitantia, vt materia illa rebellis & noxia reſoluatur & per viſcerum horum varias motitationes exprimatur.

4. Motus humorum & partium auctior, a natura tamquam cauſſa efficiente eum in finem inſtituitur, vt talis materia reſoluatur & eliminetur.

5. A motu humorum auctiore dependet pulſus celer, frequens, & caloris incrementum.

6. A partium autem motu, excuſſionem reſpiciente, naſcun-

tur preſſorii, palpitatorii, anguſtantes & ſpaſtici effectus, tum intus circa præcordia, ventriculum & inteſtina, tum extus circa peripheriam per conſenſum.

7. Cauſſa *procatarctica* eſt, quidquid *excuſſionem*, vel ſimplicem *adfuſionem* bilis, in inteſtinum duodenum concitare poteſt.

1) *Excuſſionis* cauſſa præcipua eſt iracundia.

2) *Adfuſionis* autem cauſſæ ſunt edulia fermenteſcentia, potus eiusdem indolis, & reliqua in ſubiectis iam nominata; quibus autem *ſaccharum* iniuria adcenſetur.

3) Huc etiam referri poſſunt venena, purgantia draſtica, corroſiua, propinata; item

4) Decubitus humorum vitioſorum ad ventriculum.

5) Denique refrigeratio corpori calenti admiſſa, in primis ſi pedes aquæ frigidæ immerguntur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Febres bilioſæ, maxime *cauſus*, periculo non carent, in primis ſi iam per aliquot dies inualuerint. Hinc *Hippocrates libr. II. de morbis*, cauſum febrem *lethiferam* adpellat.

2. Niſi remedia, admodum conuenientia, accedant, hæ febres difficulter bonum finem attingunt, & ſic ad paucos illos adfectus poſſunt referri, in quibus autocratia naturæ arti aliquo modo cedere cogitur.

3. Perturbata naturæ deliberatio, hæſitatio & fluctuatio primaria cauſſa eſt, quod febres hæ ſæpius tam periculoſe decurrant, dum motus non tempeſtiue ſuſcipit, nec conſtanter proſequitur.

4. Optimæ terminationis ſunt, ſi materia mature & copioſe ſurſum eiiciatur. Quo magis autem ad inferiora tendit, eo manifeſtior & fortior concurrit motus febrilis.

5. Si vero materiæ bilioſæ ſub variis conatibus exigua tantum portio, & hæc ægre quidem excernitur, magisque ad ſuperiora tendit, facile cardialgiæ ſyncopticæ, & ſingultus ſuperueniunt.

6. Motus enim ancipites & titubantes, quando citra ſufficientem

entem excretionem contingunt, tum materia, intus concluſa & agitata, internas inflammationes eryſipelaceo-vlceroſas, vel ſphaceloſas ſuperficiales, inteſtini duodeni, pancreatis, hepatis, meſenterii, diaphragmatis, peſſimi & plerumque funeſti euentus arceſſit.

7. Et licet tandem verſus dies criticos materia in *cauſo* euacuetur, non facile tamen peſſimus *effectus*, qui ab illa inductus eſt, tollitur: Vnde iam *Hippocrates* obſeruauit, quod in hac valde acuta febre funeſtum eſſe ſoleat, ſi quinto vel ſexto die bilioſa varii tetri coloris materia reiiciatur.

8. Vbi autem vomitus multæ bilis, modò non male coloratæ, ſine diarrhœa, procedit, ibi minoris periculi adfectus cenſendus eſt.

9. Sic etiam aluus ſicca, præcipue in *ſtatu*, ſemper periculoſior eſt, quam nimia illius ſolutio.

10. Hæ febres, in primis cholerica mitior, ſi per præcipitantia, ſtomachica, acida, leuiter mitigatæ fuerint, transeunt facile in lentas, cum maiore virium & adpetitus decremento, ſomno pauco, ſiti multa, adſpectu inter audacem & meticuloſum fluctuante; quæ tandem in hecticam transmigrant. In his enim circumſtantiis *adroſio ventriculi*, inteſtini *duodeni* vel partis cuiusdam vicinæ facta eſt.

11. Hæc, quando pro phthiſi reputata, traumaticis tractatur, fit immedicabilis apud ſicciores, in tumidis autem ſubiectis ſequuntur aſcitici tumores, & œdemata inferne, ſuperne vero tabes exoritur.

12. Quo magis delirium in bilioſis hiſce febribus adeſt, & continuat, eo periculoſior eſt morbus.

13. Dolores & ardores, ſi repente ceſſant, æſtuique frigus ſuccedat, inualeſcente virium deiectione, anguſtiis, anxietatibus lipothymicis, ſphaceli inſecuti haud obſcura indicia adſunt.

14. Febres ardentes ſumme ſenſibiles reddunt ægros, vt deinde

inde poſt leniſſimas mentis commotiones, præſertim circa annuum recurſum, recidiuæ facile obnoxii fiant.

15. Cholericam febrem excipit nonnumquam vel cœliaca paſſio, vel pro temporis ratione dyſenteria.

16. Horror externus, ſudor frigidus, cum vnguium liuore & ſingultu, veram inflammationem & mortem mox ſecuturam indicant.

17. Cholera in principiis morborum malignorum eueniens, funeſti non raro eſt euentus.

18. Vrina nigra, tenuis & pauca, vt & alui ſiccitas in *cauſo* ſigna ſunt lethifera.

19. Quo magis anguſtiæ circa præcordia vrgent in cauſo, eo periculoſior eſt ſtatus.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Medela harum febrium in eo conſiſtit, vt cauſtica & corrodens materia ſiue *euacuetur*, ſiue *corrigatur*, & proxime illata *adroſio*, atque inde contractus *ardor*, *mitigetur* & *abſtergatur*.

2. Quas difficultates autem *materiæ euacuatio* inuoluat, ſub *cautelis* indicabitur. Et ſic *correctio* primarium momentum abſoluit.

3. Hinc, ad materiam acrem cauſticam obtundendam & corrigendam, omnis neruus intendatur. In hunc finem conducunt:

1) *Temperantia nitroſa*, e.g. nitrum depuratum, & quod penetrantius operatur, regeneratum, cryſtall. mont. præparat. lap. prunellæ.

2) *Acida*: ſuccus citri, ſirup. acetoſit. citri, berber. ceras. acid. cydon.

3) *Abſorbentia oſtracea*, e.g. conch. præparat. mater perlarum præparata, oc. cancri.

4) *Mucilaginoſa*, e.g. C.C. citrat. iuſcula pullorum tenuia, iulapia acidulata, ptiſana, ſirupus roſarum ſolutiuus.

5) *Diluentia*, e.g. dicta iuſcula, emulſiones dilutæ, ex ſemine card. Mariæ paratæ, & exiguis hauſtibus tepide adſumtæ.

4. Al-

4. Aluus ſi ſicca & adſtricta manet, modeſte aperienda
 1) Vel per *clyſteres* oleoſos cum ſale.
 2) Vel per leniſſima *laxantia* rhabarbarina.
5. Motuum febrilium, inflammationis *diſcuſſionem* reſpicientium, ratio habeatur
 1) *Interne* per excretionem diapnoico-diureticam. Huic ſcopo inſeruiunt
  a) Mixtura ſimplex bene præparata, eſſent. alexipharmaca *Stahlii*, cum pauca portione eſſentiæ millefolii mixta, & refractis, ſed repetitis, doſibus propinata.
  b) Subiunctis vbique pulueribus nitroſo-abſorbentibus.
 2) *Externe* per ſpiritum vini camphoratum, regioni ſcrobiculi impoſitum.
6. Factæ *adroſionis reſtauratio* hic quidem naturæ potiſſimum incumbit, totum tamen negotium illi ſoli non eſt relinquendum, ſed potius per clyſteres ex lacte, vitello ouorum, ſeuo ceruino, ante omnia autem ex ſcordio paratos, ſuccurrendum.
7. Vltimo loco, tonica, corallata & gemmata vſui ſunt, item analeptica ex aquis odoratis, nec non mixtura tonico-neruina *Stahlii*, tinctura martis *Ludouici*.
8. His ſcopis, præcipue *correctioni*, ſi ſatis factum eſt, non opus erit *refrenatione* vomitus vel diarrhoeæ, cui triuialis praxis tantopere inhiat, impetus enim ſponte ſolet ceſſare.
9. Quod ſi vero, ſubacta materia, omnino neceſſarium videtur, impetuoſo vomendi & purgandi conatui aliquid opponere, fieri hoc poteſt per lenientia, e. g. theriacam, puluerem caſcarillæ gr. X. ad Xij. exhibitum, vel per illius eſſentiam ad gutt. XX. aut eſſent. millefolii cum eſſent. alexipharm. ſociatam, propinandam.
10. Multo minus opus erit in *cauſo emetico-cathartica*, vt vulgo moris eſt, adhibere. Quæ damna inde proueniant, ſub *cautelis* indicabimus. Ceterum prudentiæ Medici

 relin-

relinquitur, num ſtatim ſub initium morbi, noxiam materiam per vomitum excernere, circumſtantiæ concedant.

11. Quando autem *draſtica* purgantia ab aliis iam fuerunt adhibita, tum *theriacalia*, nec non alia *opiata correcta* conducunt.

12. Ad motus nimios ſiſtendos nitrum omnibus aliis palmam præripit, dum neceſſariam excretionem promouet, excedentem vero mitigat. Conueniunt etiam ſpec. de hyacinth. corall. rubr. præparat. MP. de cynogl. theriac. cœleſtis, cortex caſcarillæ.

13. Denique, morbo ſuperato, commendetur moderatus ciborum vſus, ne ventriculus de nouo oneretur, &, ad reliquias impuritatis bilioſæ abſtergendas, propinetur lene laxans, e. g. ex rhabarb. vel ſale Anglicano.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Hæ febres quum conſtantem typum non exhibeant (niſi quod circa meridiem in aliis exacerbationes oriantur, in aliis autem tertianarium quid referant, vt veteres per *hemitritæi* vocem monuerunt) cauendum maximopere eſt, ne medicationis ordo paroxyſmorum intentioni repugnet, neque calidiora circa horum initium offerantur.

2. *Calida* enim febres bilioſas mutant in inflammatorias; *adſtringentia*, *anodyna* & *cruda terrea*, in lentas, *frigida*, *mucida*, in intermittentes.

3. Hinc ab omni importuna humorum commotione abſtinendum, nempe

1) A *diaphoreticis* & regimine ſub initium: nam materia bilioſa longe lateque in ſanguinem diffunditur, & licet tenuis ſit, ſudori tamen non obedit. Hinc rheumatiſmos, & ictericas decolorationes ad minimum importat. Sufficit in declinatione vdor & regimen tantum diapnoicum, tranſpirationi non aduerſum, per potum tepidum conſeruandum, quod tanto magis locum habet, ſi criticus ſudor accedit.

2) A

2) *A venæſectione:* licet enim per initia inſtituatur, vſum tamen nullum, niſi in vehementer plethoricis, iisque huic euacuationi adſuetis, exhibet. Secta autem vena extra has circumſtantias, circa dies indicatorios & criticos, raptum humorum ad caput inducit, cum deliriis & faucium inflammatione.

4. Quod ad *euacuationem emeticam* & *catharticam* attinet, circumſpectio ſumma requiritur, vt cum vtilitate, & quidem ſub initium, adhibeatur: corruptio enim acida in horas augmenta ſumit, & in ſtatu vigente nulla excretio, niſi placidiſſima per *clyſteres*, locum habet.

5. Si euacuatio illa ſuſcipitur, ſimulatque bilis in inteſtinum duodenum effuſa eſt, tum ſalutarem poteſt edere effectum.

6. Quando autem ægri artis ſubſidium ſero quærunt, nemo peritus ſuadebit, materiam, mora temporis corruptam, & acrem cauſticam factam, ad euacuationem commouere.

7. Materia enim hæc cauſtica, in primis ſi deorſum per inteſtina tenuia turbetur, vias longe lateque adgreditur, & per longitudinem illorum iisdem ſeſe illinit, & ſic excretionem fruſtratur. Præter ea ſtatus pylori, ventriculi & inteſtini duodeni iam talis eſt, vt importunioribus ſtricturis, emetico-colico-catharticis illa excretio minime tentari poſſit, ſine inflammationis & ardoris exacerbatione.

8. Antiqui Medici religioni ſibi ducebant, leuiſſimum ſtimulum in cholericis commotionibus incipientibus adhibere, memores, materiam iam commotam, & motibus excitandis aptiſſimam, freno potius egere, quam ſtimulo.

9. Hæc conſideratio tanto magis valet, ſi perpendimus, quod omnia vomitoria ventriculum lædendo, adrodendo, & ſubtili *σήψει* adficiendo, vomitoriam euacuationem proritent. Hinc circumſpectione opus eſt, num ali-

 quid

quid vlterius tum addendum ſit, quando acris materia cauſtica per ſe hoc viſcus iam obſidet.

10. Non opus etiam eſt, methodum hanc ambiguam, difficilem & periculoſam eligere, quia ars hic amplius quid poteſt, quam natura, nempe qualitatem materiæ peſſimam inuertere, corrigere, eneruare citra partium exagitationem, immo partes ipſas conſolari, demulcere, ardorem temperare, & acrimoniam abſtergere.

11. Experientia profecto docebit, quod nitroſa cum abſorbentibus iuncta, materiam obtundendo & diſponendo, tantum emolumentum præſtent, vt ita mitigatam, & motui idoneam redditam, natura deinde absque ſtimulo eamdem ſponte eiiciat.

12. Inter ea tamen aluus debet ſolui: ſi enim obſtructioni pertinaci mature non ſuccurritur, vel per incondita medicamenta illa tractatur, facile corruptiones ſphaceloſæ in ſubiectis plethoricis oriuntur.

13. Scriptores medii æui & proximorum ſeculorum adſeuerant, *choleram morbum ſine febre* fieri, & tamen ægrum vnius vel alterius diei ſpatio interimere poſſe. Sed non obſeruarunt, quod talis cholera horridis frigoribus ægros exagitet, cum angoribus grauiſſimis, vt æſtui (a quo eminenter febrem ſolent nominare) non detur locus, & illa congeſtio ad interiora inter ea inflammationem inducat.

14. *Bilis flaua, vitellina, praſina, porracea, iſatodes & æruginoſa*, communem quidem habent malitiam, ſed proprium eiusdem malitiæ gradum.

15. *Refrigerantia*, in inflammationibus vulgo commendata, corruptionem materiæ inflammatoriæ certiſſime poſt ſe relinquunt.

16. Abſint etiam *externæ refrigerationes*, potus frigidus, item fæculentus, fermenteſcens, nauſeoſus, quæ omnia anxietates flatulentas, ſingultuoſas, & motus ſpaſticos inferunt. Sic etiam ab inquietudine, quæ familiaris harum febrium comes eſt, cauendum: nam facile lipothymiæ inde eueniunt.

17. *Ec-*

17. *Eccriſis icterica* circa dies *criticos* non impediatur, ſed ſubiunctis leniſſimis laxantibus ſoluatur.

18. In *cholerica* febre ratione temporis, vſus *nitri* indifferens eſt, in *cauſo* parcior & repetitus ſit. Nam in tali ſtatu alternatione continua, & iugi temperatione opus eſt, quia materia tenuius expanſa, latius diffuſa, & altius poris partium adfectarum immerſa vno impetu non inuerti, nec ardor vno ictu auferri poteſt.

19. *Inflammatio*, a *cauſo* inducta, cum longe periculoſior ſit illa *ſimpliciore*, quæ a *tenui ſanguine*, in vaſis ventriculi, duodeni ſtagnante, originem ducit, tanto circumſpectius tractanda, & ab imminente ſphacelo mature præmunienda eſt.

20. *Tranſitus in hecticam* colliquantibus & diſcutientibus prohibetur, vitando vbique ſemina frigida, quorum viſcoſa & lenta textura nauſeam & ſpasmos anxios augere ſolet.

21. *Adſtringentium* antifebrilium & *opiatorum* vſum intempeſtiuum protheiformia ſequuntur ſchemata & pericula.

22. In *cholera ſimpliciore*, iam diutius perſiſtente, ad inflammationem præuertendam & diſcutiendam, nitroſis additur gr. ſemis *camphoræ* pro doſi; in febre *ardente* vero vſus illius internus ſuſpectus eſt.

23. *Ad præcautionem* iracundis, & in iram præcipitibus ſuadetur, vt mox poſt commotionem ſumant pulueris rhabarbari, quantum cultri cuſpis capit. Illi autem, qui magis ſanguinei ſunt, drachmas ij. oc. cancr. per vices ſumant, e.g. intra duas horas. Hac enim ratione non numquam aliquot ſedes flaui coloris, & croco quaſi imbutæ ſequuntur.

24. *Crato cryſtallum montanam* pro bilioſis malis atque diarrhœis infantum commendat, quod recentiores itidem faciunt. Sed obſeruatores non fallit, quod concrementa hæc cryſtallina, quæ ex ſtanni præſertim fodinis erui ſolent, (Drüſen) non tam ſimplicem abſorbentem, quam re vera ſtypticum effectum, ſcopo noſtro contrarium, exſerant.

25. *Celſus de* cholera, graui quidem morbo, per artem ta-

men ſuperando, magnifica elocutus eſt, ſed ex panoplia ſui temporis vix tale inſtrumentum producere poterit, cuius beneficio hoc promiſſum in effectum deducere liceat.

26. *Hippocrates* etiam cum mulſo ſuo & oxymelite acrimoniamननbilioſam non infringet: hæc enim per talia fermenteſcentia notabiliter potius augetur.

27. Non tacenda eſt *methodus ipſius naturæ*, per ingentem *ſitim* ſibi conſulturæ: nam liquida, in primis ſimplicia ad acido-acrium materiarum dilutionem & prolutionem eximie conducunt; ſed dolendum, quod nauſeoſa & vomibunda ventriculi ſubuerſio non diu ferat, nec altius dimittat copioſa (in quibus neruus) liquida, quare ſalutare hoc cœptum non ſemper ex voto ſuccedit.

28. *Bilem* pro *balſamo* ſanguinis habere, vel *alcalinam* ipſi indolem adſcribere, magnas turbas in praxi excitauit. Non ad ſpeculationes referenda, ſed practica eſt quæſtio, *num bilis ſit alcali vel acidum.* Si enim alcalicæ eſſet indolis, fruſtra ei abſorbentia & præcipitantia opponerentur. *Hippocrates* propius ferit ſcopum, & ὀξύτητα δριμεῖαν ſeu acidam acrimoniam accuſat, & hæc in infantibus ſatis conſpicua eſt, quando poſt iracundiam nutricis excrementa bilioſa tam acria & cauſtica excernunt, vt poſteriora excorient, & lintea, aquæ fortis inſtar, diſcerpant.

29. Quod ſubſtantia ciborum acida ſeu aceſcens, cum tenui bilioſa & ſulphurea concurrens, tantam acrimoniam producere poſſit, ipſa *œconomica praxis* docet, e. g. ad *acetum* magis acidum obtinendum, *aromata* adiiciuntur, item, vt *braſſica muriatica* tanto penetrantiorem adquirat acorem, *ſemina pinguia oleoſa* immiſcentur.

30. Sic etiam *mel*, multa oleoſa ſubſtantia prægnans, aptum eſt, ad valde acres aceſcentes fermentationes, & cum bile confermentationes ſubeundas, & hinc colicas & inflammatorias καυσώδεις inducendas.

31. Plus rationis vulgus habet, dicens: Dem Patienten iſt die

Galle

Galle in den Magen getreten, quam Medici quidam, qui cerebrinis obſtaculis potentiam & actum talis redundantiæ negant.

32. Febres *bilioſæ* nonnumquam cum febribus *petechizantibus*, & aliis acutis concurrunt. *Vid. tabula de febribus compoſitis.*

33. *Abſorbentium* vſus rationi quidem & experientiæ reſpondet, illud autem obſeruandum eſt, quod hæc remedia acrimoniam tantum temperent, ſed tenacitatem augeant, nec nocumento, partibus iam illato, moderamen adferant. Vnde illis ſolis non fidendum, ſed *nitrum* addendum eſt. Huic enim præcipua & certiſſima in hoc morbo efficacia adſcribitur, quoniam materiam acrem incraſſat & febrem inuertit.

34. *Corporis* & *animi inquietudines* ſummo ſtudio fugiantur.

35. Præter febres malignas peſtilentes, nulla ferme datur febris, in qua cauſſa morbifera tam corroſiuæ indolis, quam in cauſo exſiſtit.

36. Hæc autem intercedit differentia, quod materia peccans in malignis in maſſa ſanguinea hæreat, adeoque facilius per excretiones periphericas remoueri poſſit, in cauſo autem ſtatim ventriculum cum reliquis partibus vicinis, ad vitam maxime neceſſariis, adgrediatur, adrodat, & inflammet. Viſcerum autem læſiones, a quacumque cauſſa inductæ, maiorem conſideratioem inuoluunt, quam vitia humorum.

## TABVLA LXIII.

## DE PHRENITIDE.

I. *DEFINITIO.*

Phrenitis eſt febris acuta, *ſecundaria*, diſcuſſioni ſtaſeos ſan-

ſanguinis in meningibus cerebri deſtinata, & actus rationalis perturbatione potiſſimum conſpicua. Deriuatur a Φρὴν, mens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differt *phrenitis* a *paraphrenitide*, in hac enim *diaphragmatis* inflammatio reperitur, & delirium ex conſenſu paris octaui neruorum prouenit; in illa autem *meninges* inflammatæ ſunt, & mentis alienatio, a cerebro, proxime adfecto, inducitur.

2. Phrenitis *in ſe* eſt vel

1) *Idiopathica*, vbi febris & inflammatio vno tempore & opere concurrunt, quæ ſpecies ad modum raro contingit; vel

2) *ſymptomatica*, quæ in febribus acutis malignis ob incompletam ſanguinis verſus caput congeſtionem occurrit.

3. Phrenitis differt ab aliis deliriis malo hypochondriaco-hyſterico ſuperuenientibus. Licet enim deliria hypochondriaca in nonnullis tam vehementia ſint, vt ſchema acutum primis hebdomadibus exhibeant, cauſſa tamen non in meningibus, ſed in abdomine quærenda eſt. Præter ea phrenitici per ſenſus externos ad res extraneas ita non ſunt attenti, vti quidem hypochondriaci, qui ad modum ſenſibiles obſeruantur. Conf. *tabul. de mania & deliriis.*

III. *SIGNA.*

1. Phrenitidis *imminentis*

1) Vigiliæ immodicæ & quaſi continuæ.

2) Somnus inquietus, & imaginibus repletus.

3) Capitis, in primis occipitis & ceruicis, dolores acuti, perdurantes.

4) Exiguum potus deſiderium.

5) Reſpiratio magna & rara, ex profundo pectore deprompta.

6) Pulſus modo paruus, rarus, modo celer & frequens.

7) Vrinæ

7) Vrinæ ſuppreſſio.
8) Obliuio rerum ante factarum.

2. Phrenitidis *præſentis*

1) Venæ capitis turgent, & tempora quaſi ſaliunt.
2) Oculi rigent, ſcintillant, toruo & truculento obtutu.
3) Sermo delirus.
4) Violentia in circumſtantes, & laborioſum erumpendi conamen, non tam continuum, quam per paroxysmos recurrens.
5) Lingua arida, aſpera, citrina, nigra.
6) Externa frigent.
7) In iram adeſt pronitas.
8) Dentium ſtridor.
9) Vrina tenuis, alba, pellucida.
10) Manuum tremores, quibus aliquid colligere velle videntur, & reuera colligunt linteamina vel alia integumenta.
11) Reliqua ſynptomata cum febribus acutis habet communia.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Idiopathicæ.*

1) Homines temperamenti cholerico-ſanguinei, & ſanguineo-cholerici, ad incandeſcentiam animi procliues.
2) Diætæ calidæ, vinoſæ & aromaticæ dediti.
3) Qui præter conſuetudinem inter diuturnos ſolis ardores verſantur.
4) Vel nimiis vigiliis & lucubrationibus obnoxii ſunt.
5) Quibus narium hæmorrhagia antea familiaris, emanſit.
6) Crebris cephalalgiis vexati.
7) Quibus caput violenta ratione, e.g. ictu, contuſione vulneratum eſt.
8) Qui venæ ſectiones, in confiniis capitis celebrari ſolitas, neglexerunt.
9) Viri ex hæmorrhoidum ad caput translatione.
10) Feminæ ex repentina menſium verſus caput repreſſione

2. *Symptomaticæ.*

Hæc inuadit homines, febre acuta laborantes, ob incompletam criticam ſanguinis verſus caput congeſtionem, quam peruerſæ medicationes non parum promouent. e. g.

1) Venæ ſectio inepta, vel ad minimum intempeſtiua.
2) Remedia & regimina calida.
3) Excretio ſudoris repreſſa.

V. *CAVSSÆ.*

Cauſſæ ex iis, quæ de *ſubiectis* diximus, facile ſunt colligendæ, nempe

1. Cauſſa *antecedens* eſt congeſtio ſanguinis verſus caput, exitum per nares quidem reſpiciens, ſed eumdem non inueniens.
2. Cauſſa *continens* & *proxima* eſt ſtaſis inflammatoria in meningibus.
3. Cauſſa *efficiens* eſt conamen naturæ per motus febriles ſtaſin hanc diſcutiendi, concurrentibus ſub hoc conamine ancipiti variis mentis perturbationibus.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Phrenitis, ſiue idiopathica ſiue ſymptomatica, periculo ſemper eſt pleniſſima.
2. Niſi enim ante quartum diem ſtaſis diſcutiatur, *ſideratio* ſeu ſphacelus meningum facile ſuccedit & furentem iugulat.
3. Extremam perniciem denotant:
   1) Continua & furioſa dementia cum vigiliis.
   2) Vrina aquoſa.
   3) Deiectio albicans.
   4) Inuoluntaria alui & vrinæ excretio, vel perfecta ſuppresſio harum excretionum.
   5) Tranſitus in pathemata ſoporoſa, vel in adfectus ſyncopticos.
   6) Tremor, rigor, ſtridor dentium, conuulſiones, ſingultus.

7) Vox

7) Vox clangoſa, lingua tremula & extremorum frigus.
8) Subitanea ceſſatio doloris, cum tranquillitate adparente coniuncta.

2. Spem autem ſalutaris exitus faciunt:
1) Sudores critice ſuperuenientes.
2) Alui fluxus, præcipue morbo ad coctionem tendente.
3) Larga narium hæmorrhagia.
4) Parotides, ſeu tumores glandularum, poſt aures ſitarum.
5) Hæmorrhoides. *Conf. Foreſt. obſeruat. lib. X.*

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Methodus generalis.*
1) *Orgaſmus* ſanguinis eſt temperandus; quod faciunt:
a) Nitroſa, e.g. nitrum depurat. tabulatum.
b) Præcipitantia marina, acido ſaturata.
c) Diaphoretica fixa, e. g. antimon. diaphoret.
d) Cinnabarina.
e) *Acidula*, e. g. clyſſus antimonii, ſpiritus vitrioli in potu, acetoſitas citri.
f) Sufficiens & dilutus potus, qui cum ſucco citri præcipue in ſexu maſculino, ad gratum acorem componitur. Thée, coffée, qui potus non adeo calide exhibendus eſt. Item loco ordinarii potus laudatur decoctum hordei paſſulatum, & acido ſucco citri gratius redditum.

2) *Staſis* in meningibus quantocyus eſt diſcutienda. In hunc finem laudantur:
a) *Interne.*
α) Alexipharmaca temperata, e. g. mixtura ſimplex, eſſent. alexiph. *Stahlii.*
β) Aquæ diapnoicæ cum præcipitantibus fixis.
γ) Emulſiones ex ſemine cardui Mariæ.
δ) Succus chærefolii.
b) *Externe.*
α) *Camphorata*, e.g. ſpiritus vini camphoratus, vertici, fronti, ceruicibus & temporibus adplicatus.

β) *Vnguentum alabaſtrinum* camphoratum, cum aceto forti ſimplici, vel roſaceo, paratum.

γ) *Epithemata* ex emulſionibus cum *nucleis perſicorum* paratis, camphoratis, linteolis imbutis, fronti adligata, quæ præſentius diſcutiunt. Item domeſticum illud remedium ex cumino, baccis iuniperi, ſale & pane,

δ) *Cucuphæ ex radicibus:* valerian. irid. Florentin. rhod. cyper. rotund. bryon. *herbis:* verben. maioran. melill. betonic. rut. origan. *floribus:* chamomill. ſambuc. papauer. rhead. *ſeminibus:* carminat. *ligno* ſantal. citrin. cum *camphora.*

ε) *Buſo* vertici adplicatus.

3) *Adfluxus* humorum eſt reuellendus. Faciunt hoc

a) *Clyſteres* acres colocynthiaci.

b) *Frictiones* pedum.

c) *Veſicatoria* plantis pedum adplicata.

d) *Cataplasmata* rubefacientia ex allio, ruta, lupulo, rad. pyreth. pipere, ſinap. ſtercore columbino, fermento, ſemine naſturtii.

e) *Scarificatio narium, retro aures,* vſus *hirudinum, venæ ſectio* in brachio &c. *Vid. cautel.* 2.

2. *Methodus ſpecialis.*

1) Delirantibus ægris ſi clyſter quoquo modo non adeo incommode applicari poſſit; protinus id faciendum eſt, vt ſtrictura verſus caput ſoluatur, & ad inferiora reuocetur; ſin ſecus, per nitroſa & potum largiorem aluus expedienda eſt.

2) Deinde *venæ ſectio* vel inſtituatur, vel omittatur, ſecundum indicationes, ſub *cautelis* commendatas.

3) *Interne* propinentur

a) Alexipharmaca temperata. e. g. mixtura ſimplex leniter camphorata, vel eſſent. alexiph. *Stahlii*, & quidem circa tempus alicuius remiſſionis, wann ſich der Patient etwas erträglicher befindet.

b) Per reliquum tempus exhibeantur, pulueres ex abſor-

ſorbente aliquo, acido citri ſaturato, antimon. diaphoret. nitro depurato, & pauca portione cinnabaris, parati: interpoſitis ſubinde emulſionibus, ſuperius deſcriptis.

c) Vbique autem commendentur potus dilutus, ſufficiens, acidulus, & regimen placidiſſimum ad lenem transſpirationem.

4) *Externe*, in *incremento* morbi & verſus *ſtatum* adplicentur remedia modo commendata, e. g.

a) Spiritus vini camphoratus, circa tempora & frontem.

b) Frictiones, veſicatoria, cataplasmata rubefacientia in plantis pedum.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Vena ſectio* in fronte, vel ſub lingua, tamquam præſidium alias vſitatum, licet prouide fiat, ambiguo tamen plane euentu inſtituitur: inuoluit enim hæc duo grauia facile incommoda:

1) Sectio *raninarum*, non ſatis late facta, auget præſentisſime, cum primis in ſtatu plethorico, humorum verſus caput congeſtionem.

2) Quando autem raninæ ſatis ſectæ ſunt, ſuccedit facile hæmorrhagia inſuperabilis.

2. In phrenitide *idiopathica*, vbi a cauſſis violentis externis, vel a commotione plethoræ, malum exortum eſt, facilius conceditur venæ ſectio, & quidem ſtatim ſub initium in brachio, & deinde circa ſtatum, vrgente adhuc neceſſitate, ſub lingua.

3. *Baglivius* obſeruauit, quod methodus reuulſoria feminis magis proficua fuerit, quam viris.

4. Ad phrenitidem præcauendam in febribus acutis quouis modo euitentur *opiata*; non minus autem in ipſa huius mali tractatione.

5. Sic etiam vſus *ſalium volatilium* proſcribendus eſt, licet vulgo ad diſcuſſionem commendetur.

6. Vbi *lingua* nimis turgida, rubicunda, aut albo muco ob-

ducta eſt, ibi *gargariſma adſtringens*, ſi modo ita ſui memores ſint, vt non deglutiant, optime conuenit. Specialiter laudatur radix *pſeudoacori*, in taleolos conciſa, ſub lingua detenta, manducata ſed minime deglutita.

7. Vti refrigeratio transſpirationem impedit, ſic calidum regimen ſanguinem exagitat & deliria auget.

8. De corruptionibus modo ſphaceloſis, modo ſuppuratoriis, poſt mortem phreniticorum in cerebro & illius meningibus detectis, legi meretur *Boneti* ſepulcretum.

## TABVLA LXIV.

### DE

# PARAPHRENITIDE.

I. D*EFINITIO.*

Paraphrenitis eſt febris acuta, ſecundaria, diſcuſſioni ſtaſeos inflammatoriæ in diaphragmate deſtinata, concurrente ob conſenſum neruorum paris vagi, alienatione mentis. Deriuatur a παρὰ & φρὴν mens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Paraphrenitis* differt a *phrenitide*, ratione loci adfecti, in hac enim *meninges* cerebri infeſtantur, in illa autem *diaphragma* ſtaſi inflammatoria occupatur.

2. Differt etiam delirium, in paraphrenitide occurrens, a reliquis deliriis *hypochondriacis*, in quibus febris acuta inflammatoria non deprehenditur. Conf. quæ tabula præcedente hac de re dicta ſunt.

3. Paraphrenitis *in ſe* eſt vel
   1) *idiopathica*, vbi febris & inflammatio vno tempore & opere concurrunt; vel
   2) *ſymptomatica*, quæ aliis morbis, præcipue autem febribus prægreſſis, ſuccedit. *Conf. cauſſæ.*

III. *SIGNA.*

III. *SIGNA.*

1. Cum aliis febribus inflammatoriis *communia.* Hæc tabula generali de febribus *inflammatoriis*, & de *hepatitide* deſcripta ſunt.
2. *Propria.*
   1) Tumor præcordiorum.
   2) Cardialgia ita exquiſita, vt ne leuiſſimum quidem contactum perferre *circa præcordia* poſſint.
3. Mentis alienatio, ſermonibus delirioſis ſe ſe manifeſtans, ſed ad violentiam phreniticorum non accedens.
4. Reſpiratio interrupta ſuſpirioſa.
5. Singultuoſæ commotiones & interdum vomitus niger, ob conſenſum ventriculi.
6. Tuſſis ſicca, & hypochondriorum palpitatio dolens.
7. Fauces exareſcunt.
8. Lingua ſæpe alba & ſcabra obſeruatur.

IV. *SVBIECTA.*

Præter ea, quæ antecedente tabula diximus, hic adhuc notari meretur, quod paraphrenitis non raro illis ſubiectis accedat, quæ *morbo Hungarico* ſeu *caſtrenſi* laborant.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis proxima* ſtaſis ſanguinis inflammatoria in diaphragmate quidem habetur. Sunt autem, qui ſimul vitium in capite quærunt, & ita adfectum cum *phrenitide* complicatum ſtatuunt.
2. Cauſſa *efficiens* eſt laborioſum conamen principii vitalis, per motus febriles ſtaſeos diſcuſſionem obtinendi; ſub quo labore ambiguo delirium ob conſenſum paris octaui neruorum accedit.
3. Cauſſæ occaſionales & procatarcticæ ſunt:
   1) Metaſtaſis materiæ febrilis ad diaphragma.
   2) Euacuationum ſanguinis naturalium, e. g. narium, hæmorrhoidum, menſium, ſuppreſſio &c.
   3) Artificialium neglectio.
   4) Potus, corpore calente, *frigidus*, præcipue fermenteſcens.

5) Morbi

5) Morbi anginodei repulſi, & infeliciter ad hanc partem adfectam translati.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Paraphrenitis tanti quidem, & tam præcipitis non eſt periculi, quanti phrenitis, ſufficit tamen non raro ad ægrum iugulandum.
2. *Euentus* huius morbi *triplex* eſt,
   1) vel enim ſtaſis inflammatoria mature *diſcutitur*, & ſudores, die critico ſuperuenientes, ſalutarem adferunt effectum.
   2) Vel ſtaſis ſenſim quidem reſoluitur, excretio autem materiæ reſolutæ legitime non ſuccedit, ſed per *metaſtaſin* traiicitur modo ad *aures*, vnde parotides & nonnumquam ſurditas proueniunt, modo ad *artus*, & tum mala arthritica vel eryſipelacea inducit.
   3) Vel ſtaſis abit in *corruptionem*, & ſic intra ſeptem, vel, ad ſummum, quatuordecim dies, æger conſumitur.
3. Vrinæ albæ & perſpicuæ, vigiliæ continuæ, ſtatus conſtanter delirus, ſingultus, perennes extremorum refrigerationes ad ſtridorem dentium vsque, frequentes oſcitationes, vrinæ & fecum aluinarum inuoluntaria excretio, ardores interni grauiores, ſudores algidi, infauſta ſunt præſagia: teſtantur enim de gangræna in ſphacelum mox tranſitura.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Vbi ex errore, in diæta prægreſſo, materia peccans in primis viis hæret, ibi euacuatio *emetica* locum habet; quo vero caſu præmittantur digeſtiua, & quando vomitus ſponte non ſuccedit, tartarus emeticus exhibeatur.
2. Quibus autem ſubiectis paraphrenitis a motu ſanguinis eluctatorio exoritur, illis venæ ſectio ſtatim ab initio morbi conceditur, & vrgente neceſſitate, repetenda iudicatur.
3. Ante meridiem mixtura ſimplex vel eſſent. alexipharm. temperata, ad gutt. XX. aliquoties exhibeatur, interpoſitis

potionibus, diapnoicis itemque emulsionibus ex nucleis pinguibus paratis.

4. Poſt meridiem pulueres nitroſo-temperantes cum diaphoretico fixo & ſale digeſtiuo ſingulis binis horis propinentur.
5. *Externe* in ſubſidium ſimul trahantur:
   1) *Emplaſtrum* ſic dictum *miraculoſum*, largiter camphoratum, ſcrobiculo cordis & oppoſitæ in tergo regioni adplicandum.
   2) *Frictiones* & *ſinapismi* in pedibus.
   3) *Clyſteres* ſtimulantes, colocynthiaci, vel *ſuppoſitoria* acria.
   4) *Hirudinum* ad hæmorrhoidalia loca adplicatio in iis ſubiectis, quæ antea huic euacuationi expoſita fuerunt.
6. Transſpiratio placida vbique conſeruetur:
   1) Per regimen ſub vſu remediorum temperatiſſimum.
   2) Per potum ſufficientem tepidum, qui ſucco citri, vel clyſſo antimonii acidulus fieri debet, ne formulæ diluciores flatulentiam excitent.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quæ tabulis de *phrenitide* & de *hepatitide* monuimus, ea etiam in *paraphrenitide* obſeruanda commendantur.
2. Præcipue hic euitetur potus *frigidus*, qui præſentanea incommoda, nempe ructus, ſingultum, anguſtiam præcordiorum maiorem, adfert.
3. *Electuarium de ouo*, pro ſcopo alexipharmaco ſpecialiter hic laudatur.
4. In adfectu paraphrenitico idipathico, ab iracundia corpori inducto, *emeticum* ſtatim ab initio exhibeatur.
5. *Hæmorrhagia narium*; quando tempeſtiue ſuperuenit, haud parum emolumenti adfert paraphrenitidi.
6. Camphorata cum maxima prudentia & modeſtia *interne* ſunt vſurpanda.

# TABVLA LXV.
## DE
# PLEVRITIDE ET PERIPNEVMONIA.

I. DEFINITIO.

1. *Pleuritis* eſt febris acuta continua, inflammatoria, ſecundaria, qua principium agens motibus, vltra gradum naturalem auctis, humores copioſius verſus pectus dirigit, & per fortiorem & frequentiorem ſanguinis ad *pleuram* adpulſum, ſtaſin, in hac membrana factam, reſoluere & diſcutere intendit. Deriuatur a πλευρα latus, item membrana thoracis.

2. *Peripneumonia* eſt itidem febris acuta, continua, inflammatoria, ſecundaria, diſcuſſioni ſtaſeos ſanguinis in *pulmonibus* factæ, dicata. Deriuatur a περὶ circum, & πνεύμων pulmo: quo fundamento, ſub *differentia* indicatur.

II. DIFFERENTIA.

1. Non confundendi ſunt hi duo morbi cum *pleuritide ſpuria*, quæ quod ad ſenſum punctionis attinet, aliquam quidem cum illis conuenientiam habere videtur, ſequentibus autem differt:

1) Pleuritis *vera* inflammatorium adfectum cum anguſtante oppreſſione pectoris, reſpiratione difficili, mutato pulſu, modo febrili, modo duro, modo pleno, modo magno, conſtituit.

2) *Vera* pleuritis & peripneumonia circa aut paulo infra mamillam ſenſum ſuum dolentem exſerunt, *ſpuria* altius circa *clauiculam* incipit.

3) Illæ puncturas habent æquales, pulſui reſpondentes, hæc inæquales, & pulſui minus σύγχρονας.

4) Illarum puncturæ ſunt continuæ, huius interdum remittunt & intermittunt.

5) Illæ tuſſim ſemper habent comitem, cum ſputo plurimum colorato, & reſpectiue cruento, hæc modo

*cum*,

*cum*, modo *ſine* tuſſi adfligit, nec aliqua notabili per ſputum excretione deprehenditur.

6) Ille febrem *acutam*, continuam, cum horrore inuadentem, & calore acri progredientem, inuoluunt, hæc vix febriculam aliquam, eamque inæqualem & *ἄτυπον* exhibet.

7) Illæ curſum ſuum ante ſeptimum diem non abſoluunt, hæc paucioribus diebus circumſcribitur.

8) Illæ iuniori magis ætati propriæ ſunt, hæc indifferenter ſe habet ad ætatem iuuenilem & virilem.

2. Vterque adfectus ratione *indolis* eſt vel *benignus*, vel *malignus*: reſpectu *loci* adfecti, modo *adſcendens*, modo *deſcendens*: porro eſt vel *ſimplex*, vel *compoſitus*; item vel *vagus* vel *periodicus*.

3. Differentiam *pleuritidis* a *peripneumonia* ſequentia docent:

1) Pleuritis longe rariſſime, peripneumonia autem frequentius occurrit. Sed huius rei in praxi quotidiana contrarium ſtatuitur.

2) In peripneumonia *ſputum cruentum*, quod circa finem ſecundi diei & ſequentibus obſeruatur, licet & hoc primarium ſit ſignum, falſo pleuritidi tribuitur: nam multæ difficultates credere nos vetant, quod ſputum tale cruentum in pleura gigni, pulmones perrumpere, & ſic per eosdem tranſire poſſit.

3) Dolor punctorius in peripneumonia magis ſe extendit per vniuerſum pectus, in pleuritide autem puncturæ in dextro magis latere paullo infra mamillam ſentiuntur. Inſuper pleuritis cum horrore tam notabili non incipit vti peripneumonia.

4) Inſignis autem vſus medicus ex hac differentia non emanat: licet enim in pleuræ inflammatione per *topica* maior ſpes ſit diſcuſſionis obtinendæ, quam in *peripneumonia*, in hac tamen topicorum adplicatio, vti prodeſſe, ſic etiam nocere non poteſt.

5) In ſucceſſu minus felici, nempe ſuppuratione ſtaſeos, dia-

diagnoſis hæc aliquem vſum præſtare videtur: quando enim in pleura ſuppuratio contingit, tum euacuatio per *paracenteſin* locum habet, in peripneumonia autem, per ſputum tantum res peragitur, exceptis rariſſimis illis exemplis, vbi *vomica*, in *ſuperficie* pulmonum rupta, & in concauum thoracis effuſa, eamdem per paracenteſin euacuationem admittit.

4. Schola medica vulgo quidem ſtatuit, quod peripneumonica inflammatio magis ſit eryſipelacea ſeu ſuperficialis, atque hoc ipſa huius morbi denominatione exprimere intendit, ita, vt peripneumonia idem ſit, ac pulmones circumambiens morbus; verum hæc diſtinctio refragatur experientiæ: ſcrutinio enim anatomico profunda ſtaſis in meditullio pulmonum ſæpius detecta fuit. Præter ea ſputum cruentum a pulmonum *ſuperficie* tam expedite ad exſpuitionem peruenire non poſſet.

III. *SIGNA.*

1. *Vtrique adfectui communia.*

1) Vertiginoſæ capitis perturbationes ſæpius paullulum præcedunt.

2) Corripiuntur ægri horrore, qui magis magisque inualeſcit, & ſæpe ad cardialgiam nauſeabundam, immo ad vomitum ipſum excedit.

3) Succedit exæſtuatio inſignis cum notabili ſiti & capitis dolore.

4) Item anguſtia præcordiorum, & difficultas reſpirationis.

5) Præcipue perſentiſcunt ægri dolorem punctorium in thorace, iugiter continuantem, & quoties tuſſiunt valde ſenſibilem.

6) *Vrina* primis diebus rubicunda, ſaturata, poſt aliquot autem dies, mox vbi refrixit, turbatur, & deponit ſedimentum copioſum, ſubroſeum.

2. *Vni vel alteri adfectui magis propria.* Hoc ſub *differentia* iam indicauimus.

IV. *SVB.*

IV. *SVBIECTA.*

1. pleuritis & peripneumonia non cuiuis promiſcue *ætati* eueniunt, ſed maxime *iuuenili.*
2. *Tempore* inprimis verno ineunte.
3. Perſonis habitus corporis ſanguinei.
4. Præcipue narium hæmorrhagiis antea adſuetis, iam vero ab illis immunibus.
5. Sexui magis virili, quàm feminino.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *antecedens* eſt largior ſanguinis *abundantis* adpulſus verſus pectus, per ætatis rationem exitum ibidem intendens.
2. Cauſſa magis *propinqua* eſt ſtagnatio ſanguinis diuturnior, per contentionem pertinacem circa pectus ſuſtentata. Vnde ſenſus preſſionis, oppletionis, reniſus, dependet.
3. Cauſſa *proxima & continens* eſt vera ſtaſis, a tali diuturniore ſanguinis ſtagnatione ſuborta, inflammationi occaſionem præbens.
4. Cauſſa *finalis* eſt intentio agentis interni, per motus febriles tranſpreſſorios & abſterſorios hanc ſtaſin reſolvere & diſcutere.
5. Cauſſæ *occaſionales & procatarcticæ* ſunt:
   1) Repentinæ ſanguinis expanſiones per motus corporis immoderatos, potus ſpirituoſos, vltra modum adſumtos, & animi excandeſcentiam.
   2) Refrigeratio immodeſta, corpori calenti admiſſa, quæ repreſſionem ſanguinis ad interiora efficit.
   3) Euacuationum naturalium ſolitarum, præcipue autem hæmorrhagiæ narium, ſuppreſſio.
   4) Euacuationum artificialium adſuetarum neglectio.
   5) Violentæ pectoris concuſſiones, fortior niſus in oneribus geſtandis.

VI *PROGNOSIS.*

1. Licet febres inflammatoriæ periculo non careant, pleuritis tamen & peripneumonia in *iunioribus* infra triceſi-

 mum

mum annum adhuc conſtitutis, adeo pernicioſæ non ſunt, quam quidem in annoſis.

2. Quando legitima methodo hi duo morbi tractantur, ſæpius ſeptimo, vel ad ſummum vndecimo die per ſpontaneum largum ſudorem feliciter ſoluuntur, ita, vt tempeſtiue naturalis pulſus, calor, adpetitus, ſomnus, & vires redeant.

3. Quando autem vltra ſeptimum diem hæ febres *pertinaciter* continuant, id quod occurrere ſolet in annoſioribus, tum ancipitis valde ſunt euentus.

4. Vrina, ſi ante quartum diem turbatur, & poſt ea ſedimentum cum liquore claro ſuperſtante exhibet, ſpes eſt felicis morbi per ſudorem criticum ſolutionis.

5. Quando per tuſſim materia flaueſcens, non adeo viſcida, neque ſpumoſa, excernitur, & præcipue in peripneumonia ſputus cruentus accedit, totius morbi felix ſucceſſus ſperandus eſt.

6. Vbi autem excretio plane nulla per ſputum ſuccedit, vrina etiam cruda obſeruatur, ibi deterior euentus timendus eſt.

7. Sputum cruentum licet læſionem pulmonum qualemcumque deſignet, hæc tamen plus vtilitatis quam damni portendit.

8. Pleuritis adſcendens verſus partes ſuperiores, ægrotantibus maius periculum minitatur & contra.

9. A peripneumonia phrenitis, malum, dicit *Hipp. ſect. VII. aph. 12.*

10. Si in pleuritide dolor punctorius locum mutat, maiorem inflammationem, maiusque periculum indicat.

11. Bona reſpiratio eſt bonum ſignum, malum vero difficilis.

12. Staſeos diſcuſſio & reſolutio quando non obtinetur, tum ſequitur corruptio, eaque vel ſphaceloſa, vel ſuppuratoria, vel vlceroſa, phthiſis dicta.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Aluus* per totum morbi decurſum ordinarie ſuccedat, nullo autem modo irritetur.

2. Vbi

2. Vbi inſignis *plethora*, anguſtia pectoris, & magna oppletio concurrunt, ibi ſtatim ſub initium venæ ſectio ad vnc. VI. inſtituatur, &, ſi opus fuerit, ſequente die repetatur; ſubiungendo ſollicite regimen leniter diapnoicum. In caſibus autem ordinariis venæ ſectio non eſt neceſſaria.
3. Ante meridiem bis exhibeantur diaphoretica liquida, e.g. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, vel mixtura ſimplex, ad gut. XXX. item *potiones* diapnoicæ.
4. Poſt meridiem & ſub noctem bis vel ter propinentur *pulveres* antifebriles, ex nitro, antimonio diaphoretico, & abſorbente marino, acido citri ſaturato, parati. Item conducunt emulſiones, præcipue ex ſemine card. Mariæ confectæ.
5. Quando hæc medicamina per aliquot dies exhibita ſunt, dolores tamen adhuc vrgent, tum eſſentia *caſcarillæ* ſalutariter poteſt interponi.
6. Regioni dolenti cum linteis quadruplicatis adplicetur ſpiritus vini camphoratus. In vſum etiam venire poſſunt emplaſtra, non continuo, ſed per vices adplicanda, alias conglutinant poros & impediunt tranſpirationem.
7. Vbique regimen æquale & continentia tranquilla maxime circa diem criticum, conſeruetur.
8. Conferatur tabula *de hepatitide*, vbi methodus fere eadem fuſius explicata eſt,

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Diſſident auctores de *venæſectione* in his adfectibus inſtituenda: ſunt qui illam ad modum neceſſariam cenſent: ſunt qui eam prorſus reiiciunt, e.g. *Ettmullerus* obſervat, ſtaſin poſt venæ ſectionem, in pleuritide adhibitam, certius ſuppurare: ſunt qui conſiliis ſuis fluctuant, & eamdem vel adhiberi vel omitti poſſe ſtatuunt: ſunt qui diſſoluentia, & diſcutientia præmittenda eſſe, vrgent, & præcipue *ſalia volatilia* ad ſudorem, & hinc ſtaſeos diſcuſſionem, commendant, & his ſi cedere recuſet morbus, moderatam venæ ſectionem ſubiungendam eſſe autumant.

2. Ve-

2. Verum, vti per regimina & remedia calida, ſanguinem expandentia, diſcuſſionem tentare, infelix conamen eſt, ob ſanguinem in concitatione & inflammatione iam conſtitutum: ita venæſectionem non niſi in ſtatu inſigniter plethorico, & vbi grauiſſimæ anguſtiæ ac infarctus pectoris vrgent, inſtituendam eſſe cenſemus.

3. Contingit in ſumme plethoricis, horum malorum genere defunctis, ſcrutinio anatomico pulmonum alterum latus ſanguine differtum, & adeo expletum detegere, vt etiam in aqua ſubſideat: quo itaque inſignis plethoræ caſu venæ ſectio commendatur.

4. Methodus *Sydenhami*, quæ conſiſtit in venæ ſectione, eaque ſatis larga & repetita, adiunctis leniſſimis expectorantibus, auctori alias experientiſſimo relinquenda eſt.

5. *Riuerii* exemplum de famulo, larga venæ ſectione paucis horis a pleuritide liberato, dubium adhuc eſt, an non potius hepatis vel ventriculi inflammatio fuerit, vti fere ex circumſtantiis hiſtoricis colligendum.

6. Poſt venæ ſectionem, ſi in ſanguine cruſta alba non adparet, pro bono ſigno non habetur.

7. *Purgantia* ac *venæ ſectio* circa dies criticos celebrata peſſimi ſunt euentus.

8. *Sideritis* ſeu *herba Iudaica*, pectori adpoſita, commendante *Borello*, ſoluere dicitur pleuritidem: quod proinde experimentis explorandum eſt.

9. Inter *ſpecifica* etiam a quibusdam laudatur *papauer erraticum*; *Ettmullerus* autem & alii nihil ſpecifici illi concedunt, ſed anodynum tantum communem & topicum effectum; quo vero reſpectu non commendatur.

10. *Dentibus apri* ſpecifici quid tribuere, experientia non concedit.

11. *Semen cardui Mariæ* ſpecifico effectu ita commendatum eſt, vt hinc grana illius Stech-Körner ſoleant adpellari, nec plane de nihilo: docet enim experientia, quod aliquot grana deglutita dolorem punctorium ſæpe auferant, licet febris ante ſeptimum diem curſum ſuum non abſoluat.

12. Ex-

12. *Expectorantia* hic inutilia ſunt, niſi forſan ſputum cruentum circa quartum diem, non ſatis ſuccedens, potionem aliquam pectoralem efflagitet, quo caſu aqua hyſſopi præ aliis laudatur.

13. *Expectorantium* in pleuritide abuſus facile peripneumoniam inuitat.

14. *Nitrum* primis diebus vsque ad quartum intrepide poteſt propinari, ſequentibus autem diebus, ſi moderate & æqualiter morbus ſuccedat, parcius, & bis tantum per diem exhibendum eſt.

15. *Camphorata* externe aliquam lenitionem promouent, *oleoſa* autem & pinguia omittenda ſunt.

16. *Opiata* ad irritationes in pectore non poſſunt commendari: ſanguis enim hic ſpecialis eſt tenacitatis; id quod illius per venæ ſectionem emiſſio confirmat, vbi rubicundæ portioni innatat materia flauo-albeſcens, admodum tenax, ſie iſt ſo zähe wie Leder. Hæc ſanguinis conſtitutio requirit concuſſionem, reſolutionem, excretionem, quorum omnium contrarium opiata præſtant.

17 *Caſcarilla* pro diſcuſſione a pectore, in primis in peripneumonia, ſpecialiſſime laudatur: modo iuſto tempore & decente ſubordinatione exhibeatur; vti ſub *methodo* indicatum eſt. Non ſolum diſcutit, verum etiam lenit & ſedat, & quando hic cortex irritationes non mitigat, tunc opium certo nociturum eſt.

18. Radix *pimpinellæ albæ* egregii vſus eſt in adfectibus pectoris, præcipue autem in chronicis, reſoluit enim & diſcutit.

19. Conuenit etiam irritationem mitigare & diſcuſſionem promouere per *iulapia* diapnoico-analeptica, ex aquis card. bened. ſcordii, plantag. chærefol. ſcabioſ. modic. cinamom. & ſyrup. acetoſitat. citri.

20. Item per *emulſiones*, ex his aquis cum ſemine card. mariæ, aquileg. & amygdal. dulc. ad gratum ſaporem mediocriter ſaccharatas.

 21. Con-

21. Conferantur cautelæ & obſeruationes, quæ *tabula de hepatitide* indicatæ ſunt.

# TABVLA LXVI.

## DE
# HEPATITIDE.

I. DEFINITIO.

Hepatitis eſt febris acuta, continua, ſecundaria, inflammatoria, qua natura humores fortius & frequentius per hepar transpellit, ad ſtaſin ſanguinis, in hoc viſcere factam, diſſoluendam & abſtergendam.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Hepatitis a *reliquis inflammatoriis* febribus differt
   1) ratione viſceris inflammati,
   2) ratione periculi, quo reſpectu reliquas omnes ſuperat. *Vid. prognoſis.*
2. In ſpecie a *pleuritide* differt in eo, quod dolor infra diaphragma magis vrgeat, febremque aliquo modo leniorem, quam pleuritis, habeat coniunctam.
3. Hepatitis in ſe differt *gradu* inflammationis:
   1) Aliæ enim inflammationes magis ſunt ſuperficiales.
   2) Aliæ ſtaſin profundiorem inuoluunt.
   3) Quo modo hepatitis differat ab *infarctu* hepatis, patet ex *ſignis* collatis.

III. *SIGNA.*

1. Inuadit frequentiſſime cum *horrore* inſigni & diuturno.
2. Hunc excipit ſenſibilis, grauiſſimus *æſtus*, & quidem paroxyzans, (ſi nempe tranquille negotium ſuccedit) cum ſiti intenſiſſima.
3. Vbi autem impetuoſus magis morbus eſt, ibi nullos paroxyſmos, aut notabiles remiſſiones exhibet.

4. Per-

4. Perſentiſcunt ægri dolorem grauatiuum in latere *dextro* circa ſeptimam vel octauam coſtam.
5. Et hic impedit, quo minus ægri in dextrum latus decumbere poſſint.
6. Agrypnia, proſtratio virium, anguſtia præcordiorum, valde vrgent cum difficili reſpiratione.
7. Pulſus celer eſt & frequens.
8. Circa extrema facile refrigeſcunt, quoties ventilare corpus ſuſcipiunt, wenn ſie ſich nur ein wenig lüfften.
9. Quando bibunt, non raro eructant, vnde anxia anguſtia, non æque vero dolor, augetur.
10. Immo nauſea & vomitus billioſi ſeſe exſerunt; ex quibus ſignis haud friuole concluditur, inflammationem occupare potiſſimum *ſimam* hepatis partem.
11. Vbi autem *gibboſam* magis regionem infeſtat, ibi motus ſpaſtici per conſenſum circa iugulum, ac ſi deorſum illud trahatur, ſeſe exſerunt.
12. *Tuſſis*, quando adeſt, exigua plerumque & ſicca deprehenditur.
13. Sunt hi ægroti vel perpetuo leui *madore*, facile frigeſcente, adfecti;
14. Vel, qnod peius eſt, iugi ſiccitate, æſtum & anxietatem augente, corripiuntur.
15. *Vrina* primis diebus rutila, & admodum craſſa eſt, quarto autem die ordinarie turbatur, & copioſum ſedimentum deponit, manente tamen ſuperſtante liquore ſatis adhuc craſſo, aurantii coloris.
16. Sedimentum hoc roſei quidem coloris, ſed ſubmucidæ & veluti purulentæ eſt conſiſtentiæ: vnde hoc phænomenon multis imponit, vt pro vero *pure* illud agnoſcant, & abſceſſum accuſent. Sed *verum pus* ſtatim poſt emiſſionem fundum petit, ſedimentum autem illud mucidum poſt refrigerationem demum vrinæ prouenit.
17. Diſſoluitur hoc ſedimentum mucoſum, ſi aquæ tepidæ vas vrinarium immergitur; quod phænomenon ſpecialiter de inflammatione teſtatur.

18. Peculiare adhuc ſignum eſt in hepatitide, quod decumbens ſubinde colorem mutet, ordinarie quidem palleat, ſed ſæpe etiam fuſcum & flaueſcentem colorem non ſolum in toto corpore & facie, verum præſertim in oculis exhibeat.

19. Vbi ſtaſeos *ſuppuratio* contingit, ibi omnia ſymptomata eueniunt grauiora, nempe maior ſentitur æſtus, difficilior reſpiratio, maiores accedunt anxietates, in loco adfecto ſenſus doloris exacerbatur, & rigores circa extrema eueniunt frequentiores.

20. *Ruptio* autem *apoſtematis* dignoſcitur ex dolore quidem & æſtu remittente, ſuccedente autem virium amiſſione, frequente lipothymia, febre hectica, & quando materia purulenta in concauum abdominis effuſa eſt, huius intumeſcente craſſitie.

IV. *SVBIECTA.*

1. Generatim ſunt illa, quæ tabula de inflammatione generatim indicauimus.

2. Speciatim autem, quæ cauſſis ſubſequentibus ſiunt obnoxia.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa maxime *remota* eſt plethora.

2. Cauſſa magis *propinqua* nulla alia ſuppetit, quam congeſtio ſanguinis ad hepar, vel ipſius viſceris conſtrictio.

3. Cauſſa *proxima* eſt ſtaſis in hepate collecta.

4. Cauſſa *finalis* eſt intentio naturæ, ad ſtaſin diſcutiendam, in quem finem ſanguinem, bene adhuc fluidum, ſpecialiter & copioſius dirigit ad portionem illam, motu ſuo iam priuatam, vt per fortiorem adpulſum & tranſpreſſionem humorum ſtaſis reſoluatur & diſcutiatur.

5. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* ſunt:

1) Præuiæ vehementes corporis motiones, curſibus, ſaltationibus, onerum cum maximo niſu tractationibus, facta.

2) Violentæ contuſiones, plagæ & caſus ab alto.

3) Or-

3) Orgaſmus ſanguinis, vel per dictas, vel per alias cauſſas inductus, e.g. per ſpirituoſa, excandeſcentiam animi.
4) Repentinæ externi habitus refrigerationes, ſanguine ita calente.
5) Sic etiam potus frigidus, mox & intemperanter ſuperingeſtus.
6) Medicationes adſtrictoriæ, commotionibus febrilibus repente oppoſitæ.
7) Repentinæ repulſiones excretionum, aut moliminum excretoriorum ſuppreſſiones, e. g. ſcabiei, eryſipelatis, hæmorrhagiarum, motuum hæmorrhoidalium, congeſtionum arthriticarum.
8) Topica frigida, item cucurbitulæ, regioni hepatis adplicatæ.

VI. *PROGNOSIS*.

1. Inflammatio hepatis omnium fere eſt periculoſiſſima.
2. Et quo profundior eſt inflammatio, eo contumacior ad diſcuſſionem, & pronior, vel ad corruptionem repente lethalem, vel ad maturationem, quæ æque funeſti euentus eſt, reperitur.
3. Ita etiam *concauæ* partis inflammatio ominis ſemper triſtioris eſt, quam *gibboſæ*.
4. Nonnumquam hæc febris ſcirrhos hepatis ſolet relinquere.
5. Commotio humorum magna, inſolens, vehemens, ſtatim ſub initium, numquam bonæ ſpei eſt, hac enim ratione ſanguis in arctisſimos meatus potius impellitur, quam ſtaſis reſoluitur.
6. Quo magis febres inflammatoriæ, citra externas cauſſas occaſionales matutino tempore inuadunt, eo plus habent indolis continentis, maioris æſtus & periculi.
7. Felix euentus variat: aliquando enim ſtaſis *pedetentim* reſoluitur & diſcutitur: aliquando & ſæpius diebus criticis euacuatio contingit, eaque vel per hæmorrhagiam naris dextræ, vel per ſudorem copioſum, ſpontaneum, vel per diarrhœam.

8. Quando autem hepatis inflammatio intra primum ſeptenarium diſcuſſionem ſtaſeos non attingit, tum morbus inſoleſcit, dextrum hypochondrium inflatur, cum ſenſu ardoris, tenſionis, grauitatis, accedit ſingultus, & ſic fit, vt ægri ſeptimo vel nono, rarius vndecimo die moriantur.

9. *Suppuratio* ſtaſeos licet tam præcipitem funeſtum euentum non inferat, vti quidem corruptio ſphaceloſa, eſt tamen vndique periculo pleniſſima: materiæ enim purulentæ euacuatio non poteſt fieri, & ſi omnino fieri poſſet, conſolidatio tamen eroſæ & exeſæ portionis nullo modo obtineretur, ob viſcus hepatis laxum, poroſum & ſanguine imbutum.

10. Et ſic res fere ſemper tranſit in hecticam.

11. Si *vrina* iuſta coctionis ſigna exhibet, ſedimentum nempe copioſum, non admodum tenerum, coloris ſubroſei, & febricitans de reliquo mediocriter bene habet, ſpes eſt felicis euentus.

12. Quando autem clara & limpida manet, exitum portendit pericuſoſum & lethalem.

13. Turbida ſi redditur, nullum autem deponit ſedimentum, ſed parietes vitri alba lactea & ſubcœrulea cuticula obducit, non adeo boni eſt præſagii.

14. *Sudores* nimii aquoſi pari ratione nihil boni producunt, tolerabiliores autem ſunt, quam perpetua cutis ſiccitas.

15. Quando poſt hæmorrhagiam narium ægrotus non ſublevatur, ſed vires in horas deficiunt, vigiliæ etiam & phantaſiæ accedunt, tum nihil boni inde portenditur.

16. Singultus contumax, *ſtatui* morbi accedens, citra cauſſas externas excitatus, ſignum eſt lethale.

17. Refrigerationes extremorum faciles & frequentes, cum inſigni ardore interno, & intercurrentibus lipothymicis debilitatibus, infauſta ſunt indicia.

18. *Vomitus nigri*, inſtar *rob ſambuci*, vti in *acutis* peſſimi ominis, ita in plerisque febribus inflammatoriis præſagium ſunt

ſunt mortis inſtantis. Non minus deiectiones *alui*, eiusdem tetri coloris, bonæ non ſunt prognoſeos.

19. Falſo adeſſe iudicantur abſceſſus hepatis, quando pus per vrinam ſeceſſit: hoc enim indicat abſceſſum glandularum inteſtinalium ſeu meſaraicarum.

20. Si dolores ad modum vrgent, *febris* concurrit magna, *inquietudo* multa, dolores autem deinde *cito* prorſus euaneſcunt, pulſus & vires cadunt, febris tamen pergit, ibi corruptio vel ſphaceloſa, vel ſuppuratoria, eaque rupta, certe diiudicatur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus generalis.*

1. *Diſcuſſio* ſtaſeos inflammatoriæ vniuerſum hic abſoluit negotium.

2. Hæc in poteſtate magis naturæ, quam Medici ſita eſt, poteſt autem aliquo modo promoueri per medicationem, eamque placidam potius, quam vehementem & impetuoſam. Commendantur in hunc finem leniter abſtergentia & humores fundentia.

1) *Abſorbentia marina*, acido citri, tartari, vel ſpiritu nitri ſaturata; quæ euidentem effectum diureticum exhibent, e. g. oculi cancri, conch. præparat. mater perlar. præparat.

2) Vniuerſa *oſſa capitis lucii piſcis*, aceto in præparatione imbuta. *Vid. cautel.*

3) *Diaphoretica* fixa, inter quæ antimonium diaphoreticum reliquis præfertur, ſub initium largiore, poſt ea autem parciore doſi exhibendum.

4) *Radices* diuretico-diapnoicæ vtiliter etiam in his ſtaſibus exhibentur. Ex horum cenſu præcipue ſunt: rad. vincetox. pimpinell. alb. helen. petaſitid.

5) Ex *compoſitis* huc conducunt: mixtura ſimplex leniter camphorata, eſſent. alexipharm. *Stahlii*, eſſent. pimpin. alb. cum æquali portione eſſent. ſcordii mixta.

6) *Emulſiones* dilutæ, magis ad temperandum, quam ad alendum, ex pineis, amygdal. ſemin. card. mariæ, aqui-

aquileg. & in progreſſione morbi ſemin. papau. albi, paratæ, & abunde edulcoratæ; abſtinendo a *ſeminibus* ſic dictis *frigidis*.

7) *Potiones* diapnoicæ, vel iulapia, ex aquis ſcabioſæ, plantag. chærefol. geran. maior. ſcorzoner. cichor. bugloſſ. galeg. bellid. minor. cum ſyrupo acetoſitatis citri, vel clyſſo antimon. acidulatæ.

8) *Nitroſa*, quæ in his inflammationibus omnibus aliis palmam præripiunt.

9) *Externe* conducunt:

a) Spiritus vini camphoratus crocatus, regioni hepatis adplicatus.

b) Fotus calidi, ſicci ex farina ſecalina, fabarum, milii, furfure, radice irid. Florentin. ſigill. Salomon. bryon. herba hyſſopi, quæ etiam interne conducit, item emplaſtr. de ſpermate ceti camphorat.

c) *Venæ ſectiones* non, niſi in ſpecialibus circumſtantiis, conducunt. *Vid. Cautel.*

d) *Clyſteres* emollientes, ad reuulſionis ſcopum, & alui legitimum ſucceſſum.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. *Venæ ſectio* vel inſtituatur ſtatim ſub initium, vel omittatur, ſecundum indicationes ſub *cautelis* explicatas.

2. *Aluus* vbique ſeruetur aperta, non validis ſtimulantibus; in primis talibus, quæ altius in ſanguinem penetrant, ſed vel emollientibus clyſteribus, moderate tamen adhibitis, vel leniſſimis humectantibus, præcipue nitroſis, it. oleo amygdal. dulc. ſyrupo violarum.

3. Motus febriles, diſcuſſionem ſtaſeos reſpicientes, quantum fieri poteſt, ſubleuentur.

4. Hinc mane doſis refracta eſſent. alexipharm. *Stahlii*, vel mixtura ſimplex adhibeatur, & per reliquum diei tempus pulueres nitroſo-abſorbentes ſingulis tribus horis propinentur, e. g.

Recip. nitr. depurat.
tartar. vitriolat. ana drach. II.
ocul. cancr. acido citri ſaturat. ma-

maxill. lucii piſcis, acido quodam præparat. ana ſcrup. IV.
Antimon. diaphoret. drachm. I.
M. f. pulu. doſ. ſcrup. I.

5. Ante meridiem *potiones* acidulatæ, verſus noctem autem *emulſiones* interponantur.
6. Sub his omnibus *externa* non negligantur, e.g. ſpiritus vini camphorat. crocat. regioni hepatis adplicandus.
7. Vbi dolores admodum inſoleſcunt, ibi *anodynum* aliquod, ad illos mitigandos, non autem prorſus tollendos, pulveri commendato remiſceatur. Verum hoc non in ſtatu, ſed incremento tantum morbi locum habet.
8. Conueniens *diæta*, nempe ſufficiens humectatio, continentia tranquilla, calor moderatus, placidum regimen, ſollicite iniungatur.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quæ *tabula de febribus inflammatoriis generatim* monuimus, illa hic quoque ſeruanda ſunt.
2. Difficilis eſt formatio conſilii de adminiſtratione *venæ ſectionis* in febribus inflammatoriis; de qua re fuſius *tabula chirurg. de venæſectione* egimus.
3. Hoc loco tantum adiicimus, quod venæ ſectio in hepatitide ſtatim ſub initium, præmiſſo clyſtere, concedatur,
   1) Vbi conſpicua plethoræ inſignis indicia adſunt.
   2) Tanto magis, ſi conſuetæ venæ ſectionis tempus incidit.
   3) Quando graues ſanguinis commotiones proxime præceſſerunt.
   4) Vel morbus cum vehementia, anxietate, ſummo ardore, interlancinationibus dextræ partis abdominis, & febrili inſultu magis, quam ortu, inuadit.
4. Largior autem eſſe debet ſi inſtituitur venæ ſectio, & inſuper, requirente neceſſitate, repetenda.
5. Siue ſecta ſit vena, ſiue prætermiſſa, vbique libera & æqualis diſtributio ſanguinis, & leniſſima tranſpiratio conſeruanda; quod tanto magis neceſſarium eſt, quia ſecundum ſolertem *Sydenhami* obſeruationem, & αὐτοψίαν

 poſt

poſt venæ ſectionem, ſanguis ſumme lenteſcentis indolis apud eius modi patientes deprehenditur, quæ vero hac humorum diſtributione & attenuatione non poteſt in actum deduci.

6. Titulo magis, quam reali effectu, his commendantur pleraque, ſanguinem coagulatum reſoluentia: quæ enim efficaciter hoc præſtare poſſent, partium ſunt tenuiorum, & hinc orgaſmum ſanguinis longe præſtantiorem inducunt, quam partem adfectam conſolantur, e.g. *Camphora* vbi mox ad locum læſum pertingit, potentiſſime reſoluit, ſed intra corpus adſumta, mediocri licet quantitate, ſanguinem vehementiſſime concitat, neque tamen directe ad rem ipſam multa contribuit: dimidium granum pro doſi, cum largiore portione nitri remixtum, conceditur.

7. *Sambucinorum* commendatio nota quidem eſt, ſed interna parum efficient.

8. *Aquæ florum tiliæ, plantag. ſcord. ſcabioſæ* vulgo commendantur, ſed re vera parum in illis erit præſidii.

9. *Chærefolium* ad diſcuſſiones internarum ſtaſium laudatur, ſed debilioris eſt efficaciæ, &, ſi omnino quid de illo ſperare liceat, in ſubſtantia erit ſumendum.

10. Idem etiam de *floribus bellidis minoris* ſentiendum eſt.

11. *Gummi reſinæ*, e.g. galbanum, ſarcocolla, myrrha, ſatis quidem penetrant & reſoluunt, vehementius autem, præcipue myrrha, ſanguinem commouent, neque tamen loco adfecto ſatis faciunt. Vnde vix aliquem hic habent locum.

12. *Specifica* efficacia *maxillæ lucii piſcis, dentis apri* &c. experientiæ non reſpondet; faciunt, quod poſſunt. Copioſe ſi adhibentur, e.g. ad drachm. I. male habent decumbentes.

13. *Externe* ſub initium commodius adhibetur ſpiritus vini camphoratus, poſt ea autem fotus ſiccos camphoratos ſubſtituere conuenit. Agunt autem hæc externa non tam penetrando, quam potius transſpirationem aperiendo,

endo, & motum tonicum roborando, quibus auxiliis diſcuſſio ſtaſeos iuuatur.

14. Si in *gibboſa* hepatis parte inflammatio in *pus* abierit, iſtud per inciſionem interdum ſalutariter eliminatur.

15. *Pinguia externa* tuto hic non adhibentur, quia ſuppurationem promouent: vnde & emplaſtica valde mucida locum non habent.

16. *Cmpoſita* famoſiora internis inflammationibus parum conueniunt, e. g. theriaca, mithridatium, diaſcordium *Fracaſtorii*, *Syluii*, & aliæ tincturæ bezoardicæ, opio inquinatæ.

17. *Antimonii diaphoretici* efficaciam alii hic nimium extollunt, alii prorſus reiiciunt: media ſententia vera eſt, quod in primis teſtantur ſenſibiliores.

18. *Sulphuris* vſus, ſi circa prima *initia*, vel in *declinatione* prudenter adhibetur, inſignem efficaciam exhibet, in *ſtatu* vero magis eſt ambiguus.

19. *Anodyna* ad modum prouide adhibenda ſunt, magis in incremento, quam in ſtatu, ne debitas excretiones impediant, vel plane ſphacelum inuitent.

20. Quid præſtet *hepar galli nigri*, a *Ioële* pro certiſſimo in hepatitide remedio commendatum, experientiæ relinquitur. Iubet, hoc viſcus, adhuc calens, aliquot vnciis aceti roſacei conterere, & aliquo modo reſolutum a fibris per colaturam ſeparare, ac tepide exhibere.

21. Quæ tabulis de *infarctu* & *ſcirrho* hepatis ratione *refrigerantium*, interne & exterue adhibitorum, item *topicorum* calidorum, diximus, ea hic etiam obſeruanda ſunt.

## TABVLA LXVII.
## DE SPLENITIDE.

DEFINITIO.

Splenitis eſt febris acuta continua, ſecundaria, inflammatoria,

 qua

qua principium agens, motibus, vltra gradum naturalem auctis, ſanguinem copioſius verſus lienem dirigit, & fortius ac frequentius per eumdem tranſpellit, ad ſtaſin, in hoc viſcere collectam, reſoluendam & diſcutiendam.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Splenitis* differt ab *infarctu lienis*, in quo ſanguis non plane ſubſiſtit, ſed tantum ſtagnat, & impeditius mouetur, nulla etiam febris acuta præſto eſt.

2. A *nephritica renis ſiniſtri* inflammatione dignoſcitur partim *atrocia doloris*, qui in nephritide acutior eſt, partim *loco adfecto:* in nephritide enim dolor verſus ſpinam dorſi, in ſplenitide autem magis antrorſum adfligere obſeruatur.

3. Splenitis *in ſe* differt *gradu* inflammationis: aliquando enim ſubſtantia, vulgo *parenchymatica* dicta, occupatur, & ſic ſatis profunda contingit inflammatio; aliquando autem *membranacea* & ſuperficialis tantum portio infeſtatur.

III. *SIGNA.*

1. Signa pleraque, ſub *hepatitide* tradita, huc poſſunt referri, nempe
2. Inuadit cum inſigni horrore.
3. Hunc ſequitur grauiſſimus æſtus, cum ſiti ad modum intenſa.
4. In hypochondrio *ſiniſtro* dolorem, grauitatem & tumorem perſentiſcunt.
5. Paroxyſmi typum fere quartanarium formant.
6. Vbi paullulum libero aëri ſe exponunt ægri, ſtatim circa extrema perfrigeſcunt.
7. Hæmorrhagia ſi contingit, ſanguis ſtillat ex nare ſiniſtra.
8. Signa vrinæ eadem ſunt ac hepatitidis.

IV. *SVBIECTA.*

Perſonæ ſtatus *plethorici*, temperamenti *ſanguinei*, habitus corporis laxioris, vti inflammationibus præ aliis obnoxiæ ſunt, ſic etiam eædem a ſplenitide potiſſimum infeſtantur.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* maxime *remota* eſt ſtatus plethoricus, cum ſpiſſitudine ſanguinis plurimum coniunctus.
2. Cauſſa *magis propinqua* eſt congeſtio ſeu reſtrictio ſanguinis verſus lienem.
3. Cauſſa *proxima & continens* eſt ſtaſis in hoc viſcere exorta.
4. Cauſſa *finalis* eſt ſollicita naturæ intentio, ope motus febrilis transpreſſorii & abſterſorii hanc ſtaſin reſoluere & diſcutere.
5. Cauſſæ *occaſionales*, quæ plethoram, tamquam cauſſam antecedentem, inducunt, ſunt præcipue
   1) Euacuationum ſanguinis naturalium, e. g. menſium, hæmorrhoidum, ſuppreſſio.
   2) Conſuetarum artificialium prætermiſſio.
6. Cauſſæ *procatarctica* huius ſtaſeos ſunt:
   1) vehementes corporis & animi commotiones.
   2) Expanſio ſeu orgaſmus ſanguinis.
   3) Repentinæ refrigerationes, corpore calente.
   4) Quo etiam ſpectat potus frigidus, poſt fortiorem motum, hauſtus.
   5) Peruerſæ medicationes adſtrictoriæ in febribus adhibitæ.
   6) Abuſus topicorum frigidorum in lienis infarctu.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quæ tabula præcedente de *hepatitidis prognoſi* diximus, illa etiam de ſplenitide plurimum valent.
2. Licet enim ſplenitis non ita extreme pernicioſa ſit, vti hepatitis, ſatis tamen ſufficit, vt plurimos, qui ab illa vero corripiuntur, iugulet.
3. Id vnicum, quod de *vomituum nigrorum periculo* præcedente tabula dictum eſt, hic, ſecundum auctorum obſeruationes, mitigandum eſſe videtur: dicunt enim, vomitus tales nigros, verſus diem criticum contingentes, ſplenitidem ſoluere. Atque hoc adſertum exemplo quodam notabili iam habemus confirmatum.
4. Obſeruatum etiam aliquoties fuit, quod hæmorrhoides ſalutariter huic malo ſuperuenerint.

5. Quando ſubſtantia viſceris parenchymatica *profundius* occupatur, tum inflammatio fit *apoſtematodes*; vbi autem *ſuperficialis* portio ſtaſi expoſita eſt, ibi inflammatio magis *eryſipelatodes* contingit.

6. Frequentiſſime autem inflammatio in ſplenitide degenerat in *ſcirrhum*.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Methodus eadem hic eſt, quæ in hepatitide.

1. Aluus itaque ante omnia per clyſterem emollientem ſoluatur.

2. Venæ ſectio, ſi ſecundum obſeruationes, præcedente tabula ſub *cautelis* traditas, indicetur, primum in brachio, deinde, vrgente adhuc caſu, in vena *ſaluatella*, quæ eſt inter annularem & minimum digitum, inſtituatur.

3. Ad ſtaſeos diſcuſſionem naturæ ſuccurratur:

1) Ante meridiem doſi aliqua eſſent. alexipharm. & potionibus diapnoicis, acidulatis.

2) Poſt meridiem pulueribus nitroſo-abſorbentibus, præcedente tabula commendatis, & emulſionibus dilutis.

3) Vbique ſufficiente humectatione, continentia tranquilla, & regimine diapnoico, continuo.

4. Dolores, quando in incremento morbi valde inſoleſcunt, paullulum mitigentur per M. P. de cynogloſſa cum puluere nitroſo-præcipitante ad gr. I. remiſcendum. *Vid. cautel. præcedentis tabulæ.*

5. Denique poſt felicem ſtaſeos diſſolutionem mixtura tonico-neruina *Stahlii* aliquoties per diem propinetur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quæ præcedente tabula dicta ſunt, ea hic repetantur.

2. Hæmorrhoidum adſuetarum ſuppreſſio ſi hanc ægritudinem foueat, *hirudinum* ad hæmorrhoidalia loca adplicatio efficacior erit, quam ipſius venæ ſectionis inſtitutio.

3. Quoniam ſplenitis facile in *ſcirrhum* transmigrare obſeruatur, ex vſu omnino erit, methodum illam, tabula de infarctu & ſcirrho lienis commendatam, tempeſtiue adhibere.

4. Vſus

4. Vſus *vini* non niſi in declinatione conceditur.
5. Ante, quam materiam de inflamationibus internis obſignamus, monendum eſt, quod aliæ quidem illarum ſpecies adhuc reſtent, e.g. inflammatio *ventriculi, pancreatis, vteri* &c. eamdem autem methodum & tractationem expoſcant. Vnde neceſſarium non ducimus, plures tabulas ſpeciales hac de re ſubiungere.
6. Hoc vnicum de *ventriculi* inflammatione adiicimus, quod tanti periculi non ſit, quanti quidem ſunt ſtaſes inflammatoriæ in aliis viſceribus. Gaudet enim ventriculus *motu tonico periſtaltico*, eoque perpetuo, quo ſtaſeos diſcuſſio facilius promouetur.

# TABVLA LXVIII.
## DE FEBRE CATARRHALI BENIGNA, SEV VETERVM QVOTIDIANA CONTINVA.

I. *DEFINITIO.*

Febris catarrhalis eſt febris acuta, continua, ſecundaria, qua principium vitale motibus ſecretoriis & excretoriis, vltra gradum quidem naturalem auctis, ſatis tamen moderate procedentibus, lympham, ſiue qualitate ſiue motu læſam, corrigere intendit. Deriuatur hæc denominatio a κατὰ & ῥέω, fluo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Licet febris catarrhalis *benigna* a *maligna*, quoad *ſpeciem* non differat, ſed tantum quoad *gradum* noxiæ materiæ & ſymptomatum, quia tamen maligna, paullo aliam methodum, eamque leniorem & magis circumſpectam expoſcit, inſuper etiam pure epidemicæ petechizantis conſtitutionis eſt, placuit, illam peculiari tabulæ reſeruare.

2. Sta-

2. Staſis illa *mucido-ſeroſa*, cum partibus ſanguinis tenuioribus mixta, cui febris catarrhalis ſuperuenit, differt omnino a *ſtaſi vrente*, *rodente, venerea*, *vlceraſcente*: licet enim hæc easdem partes,nares, infundibulum, pharyngem, tonſillas, palatum, immo parotides,obſideat,nulla tamen febris illi accedere ſolet.

3. Differt etiam a *rheumaticis* illis congeſtionibus, & febrilibus motibus, quibus viam ſtrauit heteroclita apoſtaſis poſt febres acutas, vel intermittentes turbatas; ſicut etiam ipſa talis febris a noſtra catarrhali maxime diuerſa eſt.

4. Neque febris *intermittens diuturna* in febrem catarrhalem tranſiiſſe exiſtimanda eſt, ſi, quod ſatis frequenter contingit,grauedinem,coryzam,tuſſim,branchum generet.

III. *SIGNA.*

1. Inuadit hæc febris plerumque circa veſperam.
2. Tempore æquinoctii, præcipue autumnalis.
3. Præcurrunt,vel ſtatim iunguntur,grauedo aut coryza.
4. Raucedo, moleſtia deglutitionis.
5. Immo intra collum eryſipelacea quaſi conſtitutio.
6. Prægrauatio pectoris.
7. *Tuſſis* ſatis quidem violenta, parum tamen excernens, & per totum morbum fere durans.
8. Vniuerſi corporis *languor*.
9. Inuadit autem hæc febris cum *frigore* horrido, immo rigore,præcipue vero tenſiuis doloribus in dorſo.
10 Durat hoc frigus per dimidiam circiter horam, aliquando integram,raro diutius.
11. *Calor* ſuccedit protinus ſatis quidem lenis, cum anguſtia tamen & anxietate circa præcordia coniunctus.
12. Quæ, circa præcordia, pathemata in pauciſſimis tantum ſubiectis nauſeabunda aut vomibunda obſeruantur.
13. Durat hic æſtus pro gradu plethoræ per horas bene multas, ita vt primis paroxyſmis vix altero mane notabiliter tepeſcat.
14. *Pulſus* eſt celer & frequens.

15. *Adpetitus* & vires labefactæ, ſomnus imminutus.
16. Caput eſt magis debile, quam dolens.
17. Ad *diarrhœas* hæc febris valde inclinat, interdum accedunt *vomitus*.
18. *Sudores*, quouis tempore matutino æſtum excipientes, febrem ſenſim mitiorem reddunt, ac catarrhales hos morbos infringunt; elapſo tandem primo vel ſecundo ſeptenario febris cum ſymptomatibus cedit.
19. *Vrina* præter colorem aurantium, febribus acutis familiarem, hoc peculiare habet, qnod pauca mora tenuiſſimam cutem, vitro ſubtiliter adhæreſcentem, oſtendat, lacteoliuentis coloris cum ſedimento roſeo-pallido, Fleiſch-färbig.

IV. *SVBIECTA*.

1. Euenit hæc febris præcipue temperamento *ſanguineo-phlegmatico*.
2. Subiectis mucoſis, ſpongioſis, & ſeri inquinamentis abundantibus.
3. Quæ multum & diu partes capitis & colli glanduloſas frigori, præſertim humido autumnali, exponunt.
4. Quibus ſcabies vel alia vlcera repelluntur.
5. Quæ nimiis vigiliis indulgent.
6. Vel vino aduſto abutuntur.
7. Item quæ coryzam & tuſſim negligunt, vel mala in iisdem arte, malisque remediis tractantur.

V. *CAVSSÆ*.

1. Cauſſa *antecedens* huius febris eſt *lentor* & tenacitas lymphæ.
2. Cauſſa *proxima* eſt catarrhus peculiaris conditionis, nempe ſalſo-acris: ſimplex enim catarrhus, ſeu mucida ſtaſis, ſatis liber manet a febre; quando autem portio *ſanguinis ſubtilior*, quam, veteres præcipue, bilioſam eſſe putant, huic ſtaſi ſimplici immiſcetur, tum inuoluit periculoſam inflammatoriam in his locis indolem, vnde facile corruptio ſphaceloſa prouenire poteſt.

3. Ad hanc corruptionem auertendam febris accedit, tamquam cauſſa *formalis*, & ſalutare naturæ opus, quo lenta abſterſione ſenſim iterum auferatur, quod ita coacervatum hæret.

4. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* ſunt:
   1) refrigerationes corporis immodeſtæ.
   2) Tempeſtas humido-frigida, præſertim autumualis.
   3) Potus frigidus, calente corpore ſumtus.
   4) Materia acris, in coryza excerni ſolita, repulſa.
   5) Item ſcabiei vel cruſtæ lacteæ repreſſiones.
   6) Verbo: omnia ea, quæ naturalem & genuinam impediunt tranſpirationem.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. Febris catarrhalis *ſimplex* & *benigna* ſalutariter plurimum decurrit, & quidem ſæpiſſime bono tantum regimine.

2. Accedente autem *malignitate*, vel præpoſtera medica tractatione periculo non vacat. *Vid. tab. de febre catarrhali maligna.*

3. Quo magis ab indole ſua leniore recedit, & cum vehementia tam frigoris quam æſtus inſultat, eo iuſtior eſt metus alicuius labis, citra viſcera hærentis.

4. Optimus ſucceſſus & euentus conſiſtit in ſtaſeos rheumaticæ, acris, cauſticæ, inflammationem cientis & corruptionem minantis, aſſidua reſolutione & diſſipatione.

5. *Hippocrates* iam obſeruauit, a fluxione eius modi materiæ acris, cauſticæ, in pharyngem præcipue, oriri raucedines, cynanchas, eryſipelata, peripneumonias, & quam diu materia in tali intemperie exſiſtat, perdurare talia pathemata, ſi vero ſpiſſeſcat & concoquatur, illa minui & febrem ſolui.

6. Niſi ergo mature, & placido ſucceſſu, materia hæc ſenſim abſtergatur & diſſipetur, vlceratio ſanioſo-ichoroſa ſuccedit, quæ promte in ſphaceloſam & funeſtam putredinem ruere ſolet; id quod ſatis confirmant vlcera illa externa, ex diuturno eryſipelate vel phlegmonibus non

non diſcutiendis oriunda, quæ, licet topica præſentiora admittant, peſſimam tamen indolem exhibent.

7. Quo acrior igitur inflammatoria ſtaſis ſubeſt, eo própior dicto euentui exſiſtit.

8. Quo magis autem febris *ſimplex* & *benigna* catarrhalis dici meretur, eo longior ab hoc euentu diſtat; magis autem in lentas & hecticas febres propendet, præcipue quando nimiis abſorbentibus & refrigerantibus tractatur.

9. Indoles huius febris non eſt, vt *apoſtaſes* formet, ſeu materiam, ſemel reſolutam extrinſecus in locum arctiorem cumulet, vti hoc in parotidibus & angina contingit.

10. Quando autem per intempeſtiuas artis commotiones aliquid extrinſecus protruditur, adparentes tales apoſtaſes, pro criticis excuſſionibus vulgo venditatæ, genio huic febri proprio non debent imputari.

11. Multo lenius adhuc decurrunt *febriculæ* illæ, catarrhalibus adfines, quæ hyeme tepida repentinis tumoribus, e. g. glandularum ſub auribus, tonſillarum &c. ſuperueniunt.

12. Quando autem per coacta regimina turbantur, vel materia infauſte ad interiora repellitur, febres ſatis acres & inflammatoriæ periculoſæ inde proueniunt; præſertim ſi perturbatio talis artificialis verno & autumnali tempore, quo ſanguinis commotio familiarior nobis eſt, contingit.

13. Ceterum, quam *benigna* etiam ſit hæc febris catarrhalis, eſt tamen contagioſa, vti & ipſi catarrhi tenuiores & coryza eiusdem indolis eſſe obſeruantur.

14. Quo magis autem *contagioſa* reperitur, eo certius petechiæ complicantur. *Vid. tabul. de febre catarrhali maligna.*

15. *Diarrhœæ*, quando ſub initium accedunt, minuunt impetum morbi; in ſtatu quæ ſuperueniunt, ſi moderatæ & indolentes exſiſtant, non adeo periculoſæ ſunt.

16. *Alui* autem *adſtrictio* hic æque ac in petechialibus purpuratis nocentiſſima eſt, &, præcipue in ſtatu, deliria, comata, conuulſiones, inducit.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

1. Vitium *lymphæ,* in muco & tenacitate conſiſtens, eſt corrigendum. Reſoluunt lentorem
   1) *Radices* catarrhales, alexipharmaco-diureticæ, præcipue rad. pimpin. alb. vincetox. ari, helenii, imperator. angelic.
   2) *Eſſentiæ* alexipharm. e.g. *Stahlii*, tinct. entimon. tartari.
   3) *Salia colliquantia* digeſtiua, e.g. arcan. duplicat. tartar. vitriolat. nitrum antimoniatum.
2. Motus *febriles* ſecretorii & excretorii eumdem finem reſpicientes, prudente ratione ſunt adiuuandi; cui ſcopo antifebrilia temperata, e.g. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, mixtura ſimplex, puluis bezoardicus ex nitro, antimon. diaphoret. oculis cancri, acido citri ſaturatis, & ſale digeſtiuo, ſatis faciunt.
3. Tuſſis ſicca tuto eſt mitiganda; in quem finem conducunt
   1) antifebrilia, modo commendata.
   2) Liquiritia cocta, ſirup. violarum, de eryſimo *Lobelii.*
   3) Emulſio ex amygdal. vel ſemin. card. bened. mariæ, parata.
   4) Mucilago hordei, auenæ.
   5) Oleum amygdalarum.
   6) Trochiſci becchici.
4. Aluus ſemper aperta eſt ſeruanda
   1) per diætam liquidam ex prunis, paſſulis, pomis.
   2) Per potum ſufficientem, tepidum, ex infuſis thée, veronic. tuſſilag. teucr. ver.
   3) Per clyſteres emollientes cum ſtimulo ſalino.
   4) Per pilulas *Stahlianas* vel *Beccherianas*, mane exhibendas.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. Mane propinetur eſſent. alexipharmac. *Stahlii* ad gutt. XXX. cum leniſſimo regimine.
2. Per diem autem vsque ad tempus paroxyſmi puluis quidam bezoardicus bis vel ter ad ſcrupul. I. exhibeatur. e.g.

Recip.

Recip. nitr. depurat.
tartar. vitriolat.
antimon. diaphoret.
ocul. cancr. acido citri ſaturat. ana drachm. I. M

3. Durante paroxyſmo potiones tepidæ, & qualescumque congruæ humectationes porrigantur.

4. Quam primum æſtus remittit, & mador in decumbente obſeruatur, diſcuſſio diapnoica promoueatur,
 1) vel per doſin eſſent. alexipharmac.
 2) vel per potiones diapnoicas ex aquis ſcord. card. bened. flor. ſambuc. galeg. cum antimon. diaphoret. & aliquo abſorbente, paratas.

5. Ad *tuſſim* validam mitigandam exhibeatur verſus illud tempus, quo maxime adfligit, emulſio quædam ex ſemin. card. benedicti, mariæ, cum aquis diſcutientibus & pectoralibus, præcipue hyſſopi, parata.

6. In obſtipatione *alui* vel clyſteres, vel pilul. *Stahliana* audacter adhibeantur.

7. *Diarrhææ* autem quando accedunt, tartarus vitriolatus ex puluere, ſupra deſcripto, remoueatur, & cryſtallus montana præparata ſubſtituatur.

8. Hæc methodus per quatuordecim dies continuetur, quia mitior hæc febris, nec breui adeo periodo finitur.

9. Quando *grauedo* huic febri iuncta eſt, externa quoque adhibere conuenit ad euacuationem per coryzam promovendam: vbi egregie conducit ſpiritus ſalis ammoniac. interdum naribus admotus. *Vid. tab. de coryza.*

10. Si alia adhuc accedant ſymptomata, e. g. angina, peripneumonia, aphthæ &c. methodus horum malorum ſpecialis ſimul in vſum trahatur.

11. In lentam febrem quando deflectit, eſſentia alexipharmaca ad reuocandos motus febriles ſufficientes, & materiam eliminandam aliquoties per diem, verſus noctem autem puluis digeſtiuus propinetur. *Vid. caut. 4.*

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Febris catarrhalis, vti ſucceſſum habet placidum, ita omnis medicatio huic indoli debet eſſe conueniens. Hinc optima eſt methodus illa, quæ excretiones diuretico diaphoreticas *lenibus* ſucceſſibus promouet.
2. Omnes autem *commotiones* inconſideratæ euitandæ ſunt, maiores enim ad interiora repreſſiones, inflammationes acres, eryſipelaceas, generant, & febrem in ſe benignam, periculoſam reddunt.
3. *Regimen* ſemper ſit tepidum, cauendo a *refrigeratione*, quando enim transſpiratio & ſudores ſupprimuntur, lentæ & hecticæ febres inde emergunt.
4. Quæ lentæ & hecticæ, ſi inſequantur, ter per diem, ſed ſine regimine, propinetur eſſentia alexipharmaca ex rad. pimpin. alb. helen. ari, imperat. parata, quæ interpoſito verſus noctem puluere abſtergente, ad recuperandam breui integritatem, egregie conducit.
5. *Expectorantium* abuſum in catarrho pectorali excipiunt ſæpe diſpoſitiones phthiſicæ, vlceroſæ.
6. Idem de *refrigerantibus* eſt ſentiendum.
7. Alexipharmaca, ſi, impetu ſeneſcente, *copioſe* propinantur, febrem reuocant: vnde ſufficiunt diaphoretica fixa, cum abſtergentibus ſociata, vſus denique vini modicus, & laxatio per mercurium dulcem. *Confer. num 22.*
8. In catarrho *chronico*, non adeo æſtuoſo, ſufficit *laxatio* per pilulas *Beccheri*, cum mercurio dulci & extracto panchymag. *Crollii* ſociatas, coniunctis diſcutientibus, præcipue eſſent. ſuccin. lignorum.
9. Et ſic *ſuccinata* & *ligna antiuenerea* in catarrhis quidem ſimplicibus conueniunt, minime autem in febribus, catarrhis ſuperuenientibus.
10. A calidis *diaphoreticis* valde ſibi temperandum eſt, ne quidquam hic cum impetu agitetur, conf. num. 1. & 2. ſed vnice aſſiduis & moderatis tranſpirationibus inſiſtatur, aut tenuior ſubſtantia acris tardius exhalando diſſipetur.
11. Hæc cautela tanto magis notanda eſt, quia ſudorifera ſub

præ-

prætextu illo ſpecioſo, *venenatæ* nempe *malignitatis de corde propellendæ,* paſſim commendantur.

12. Huc etiam pertinet peruerſa illa & rationi contraria methodus, quæ materiam ex interioribus ad exteriora propellere docet: nam materia, ex infarctu aliquo ſemel reſoluta, ita mutatur, vt ineptior ſit ad nouum talem infarctum in exterioribus, e.g. in parotidibus, formandum.

13. Quod ſi tamen glanduloſi tales tumores poſt has febres turbatas vel neglectas remaneant, eſſent. pimpin. albæ, cum interpoſita leni laxatione, eximie ſe gerit.

14. Aquæ diapnoicæ quando adhibentur, remouenda eſt aqua *fumariæ.*

15. *Pulueres nitroſi* non tantum ante & verſus paroxyſmum, ſed etiam in feruidiore illius æſtu locum habent,& longe poſt ſe relinquunt pulueres Pannonic. Marchion. &c. in infantibus etiam egregium edunt effectum.

16. *Nitrum* incraſſat materiam catarrhalem ſubtilem, & in rheumaticis receſſionibus, quando perite adhibetur, tantæ eſt efficaciæ, vt illo etiam ſolo grauiora ab illis inducta damna reſtingui poſſint.

17. Ad æſtus mitigationem *nitrum* etiam in potu exhiberi poteſt: hac enim ratione ipſum potum corrigit, & non adeo inſigniter, ſed lenius & tolerabilius ægrum adficit.

18. *Adſtrictio alui* catarrhum & febrem auget, & ſic per totum morbi decurſum apertam illam ſeruare maxime neceſſarium eſt: irritare autem eamdem tanto minus convenit, quanto acrior eſt catarrhus.

19. In minus vero acribus fluxionibus & febribus, in primis vbi adfluxus grauedinoſus ſeu becchicus incommoda notabiliter adfert, ibi egregie conducit, materiam præparatam leni laxatione ſubducere.

20. *Salia volatilia* hic euitanda,in ſenſibilibus & teneris prorſus abominanda ſunt,quia materiam catarrhalem acrem vehementius commouent, & inflammationes facile inferunt.

21. *Emul-*

21. *Emulſio* ex ſemine *cardui mariæ* hic, quando *tuſſis* nimium adfligit, præ ceteris conuenit, quæ non modo egregie temperat, ſed & inflammationes metuendas præcauet, & ipſas iam præſentes ad modum mitigat.

22. Eſſentia alexipharmaca *Stahlii* ſeroſo-mucidam materiam non ſolum incidit & attenuat, ſed & diapnoicam exſerit efficaciam, & ſic, prudenter adhibita, medicationi huius febris commodiſſime ſatis facit.

23. Poſt febris decurſum non indulgeat conualeſcens ſecuritati, ſed aëri cum circumſpectione adſueſcat, & per octo adhuc dies eſſentia alexipharmaca vtatur: hac enim ratione, experientia teſte, vires eo citius reſtaurantur.

24. Denique notandum adhuc eſt, quod ſanæ rationi repugnet, febrem catarrhalem ibi arguere velle, vbi neque tuſſis, neque grauedo, neque raucedo, neque peripneumonia, neque eryſipelaceum quidquam ſe ſe manifeſtat.

# TABVLA LXIX.

## DE FEBRE LENTA.

I. DEFINITIO.

Febris lenta eſt auctior motus ſanguinis, quo principium vitale infarctum quemdam, vel ſtaſin circa viſcus aliquod vitale hærentem, diſcutere, & imminentem huic viſceri læſionem auertere & præcauere intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

Febris *lenta* differt a febre *hectica*

1, Ratione *originis*, nam

1) Febres *lentæ* degenerant ex febribus *diariis*, ſynochis, aut quotidianis continuis, mala methodo tractatis; item

item ex febribus intermittentibus, ſed valde æſtuoſis, duplicatis, per adſtringentia ſuppreſſis.

2) Febris autem *hectica*, excipit vomicas, empyemata & inflammationes viſcerum apoſtematodes.

2. Ratione *cauſſæ continentis.*

1) In *lenta* febre nondum præſto eſt vera viſceris læſio, ſed conſtitutio tantum ad illam proxime inferendam.

2) In febre autem *hectica* ſemper adeſt vel ſcirrhus contumax, vel apoſtema, vel vlcus ſiue ſimplex, ſiue fiſtuloſum.

3. Ratione *finis.*

1) In febre lenta natura per motus febriles labem viſceris imminentem & metuendam auertere, & præcauere adlaborat: in hectica autem principium vitale læſionem iam inductam corrigere, quamuis plurimum fruſtra, intendit.

4. Ratione *ſymptomatum.*

1) In *lenta* omnia ſymptomata ſunt mitiora, in *hectica* febre acerbiora.

2) Lenta numquam tanta vehementia occurrit, vt languentem lecto diu adfixum detineat, ſed in dies mitior ſuccedere ſolet: in hectica autem contrarium obſeruatur.

3) Lenta (excepta illa, quæ adſtringentibus ſucceſſit) prona eſt ad largiſſimas ſudationes: hectica autem, niſi fere conſummata ſit, aut ſub ineptis artificiis erret, arido tantum & mordaci calore manifeſta eſt.

4) Lenta tenuia tantum habet excrementa, pauco muco conſpicua: hectica autem conſummata diarrhœis, exitum accelerantibus, ſe ſe manifeſtat.

5. Ratione *prognoſcos* & *exitus.*

1) *Lenta* adhibitis congruis remediis paulatim, *hectica* vero ad modum difficulter aut plane non curari poteſt,

2) Lenta in aliud ſchema facile tranſit, nempe vel in febrem illam, ex qua originem petiit, vel in hecticam ipſam, hectica autem nullum agnoſcit μετασχηματισμόν.

3) Lenta redit vel ſponte ſua ad tranquillitatem,& ſæpius, ſalutariter exit: hectica autem vix vmquam.

III. *SIGNA.*

1. Calor præternaturalis, non admodum quidem ſenſibilis, ægro tamen ſatis moleſtus.
2. Siticuloſa oris ſiccitas.
3. Adpetitus & virium amiſſio; ſi autem aliquid adpetunt, ſunt magis alimenta frigida, quam calida.
4. Color pallidus cum genarum rubore, aut pallido circuitu concluſo.
5. Corporis extenuatio.
6. Sudor largior, in primis ſub ſomno.
7. Somnus eſt turbulentus.
8. Capitis vertiginoſa adflictio.
9. Vrina copioſa,poſt emiſſionem rutila,craſſa,turbida,ſedimentum accipit roſeum, liquore claro ſuperſtante.
10. Aluus eſt inordinata,modo liquida,modo ſicca.
11. Pulſus eſt celer, ſed debilis.

IV. *SVBIECTA.*

1. Homines calidioris genii & plethorici, qui in ephemera, vel ſynocha, per calidiora tractantur.
2. Qui febre aliqua continua aut compoſita,vel intermittente valde æſtuoſa,laborarunt,& vel per impatientiam,vel per incondita remedia diaphoreſin ſuppreſſerunt.
3. Qui grauioribus hæmorrhagiis exhauſti ſunt.
4. Hæmorrhoidum anomaliis laborantes.
5. Qui adſuetas ſanguinis ventilationes prætermiſere.
6. Quibus vlcera vel ſcabies retropulſa.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis*, *continens* & *proxima* eſt infarctus alicuius viſceris vitalis, vel ſtaſis circa illud collecta.
2. Cauſſa *efficiens* huius febris eſt principium vitale, quod per motum talem auctiorem materiam impactam reſoluere, & hac ratione imminentem læſionem præoccupare intendit.

3. Cauſ-

3. Cauſſas *antecedentes* & *occaſionales* ſub *differentia* & *ſubiectis* iam indicauimus.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Febris lenta, ex intermittente legitima, ſeu compoſita, recens nata, ſi in intermittentem, cum primis ſimplicem, iterum tranſit, minus periculoſa eſt.
2. Febris lenta vti lentam pro fundamento habet materiam, quæ præcipitem noxam haud infert, dum ad euacuationem iam aliquo modo præparata eſt, ita natura typum acutum iu lentum transmutat, & Medico indicat, quod eadem lenta via incedere debeat. Quando autem in ſalutaribus ſuis excretionibus impeditur, tum vel priorem typum acutum repræſentat, vel ſi materia viſcera quædam teneriora iam adfecit, in hecticam delabitur.
3. Quæ lenta in lento typo diu continuat, vel in ſtatum tranſit acutum, periculoſior reperitur.
4. Tranſitus autem in hecticam maxime anceps eſt, quando ſcilicet adpetitus redire videtur, reliqua tamen ſymptomata perſiſtunt; præcipue autem, ſi tuſſis ſicca & reſpiratio laborioſa vrgeat, vel in vnum aut alterum latus fiat decubitus, & ſenſibilis grauitas in hypochondrio dextro perſentiſcatur.
5. Quo magis calor aridus, corporis extenuatio cum ſiccitate & virium decremento increbeſcunt, eo propior ad hecticam eſt gradus.
6. Oriuntur non numquam ex ſuppreſſa diaphoreſi phlegmonodeæ quædam translationes ad partes externas.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Methodus generalis.*
   1) Stagnatio ſeu ſtaſis circa viſcus aliquod vitale collecta, eſt diſcutienda. Faciunt hoc
      a) Vegetabilia reſoluentia, nempe.
         α) *Radices* helen. pimpinell. alb. vincetox. & reliquæ alexipharmacæ temperatæ
         β) *Herba* bellid. min. heder. terreſtr. chærefol. vrtic.

 vero-

veronic. ſcord. tempore maxime verno in ſubſtantia aut ſucco propinatæ.

b) Salina colliquantia, e.g. tartar. vitriolat. arcan. duplicat. nitr. antimoniat. ſolut. conch.

2) Saburra viſcida, a febre intermittente relicta, eſt incidenda; quod præſtant

a) Penetrantiora amara, nempe extract. centaur. min. card. bened. abſinth. fumar.

b) Gummi-reſinæ, e.g. gummi ammoniac. hederæ, galbanum &c.

c) Tonus primarum viarum & viſcerum eſt reſtituendus. Laudantur in hunc finem

α) Martialia leniora, e. g. tinct. martis aperitiua *Ludouici.*

β) Stomachica carminatiua: rad. ari, zedoar., galang. cichor. caryophyllat. herb. abſinth. centaur. min. card. bened. tanacet. quæ etiam adpetentiam cibi reſuſcitant.

γ) Vires ſunt reficiendæ per analeptica ex emulſiuis, vino extraneo medice ſumto, pane ſaccharino amygdalato, vulgo Macronen, fructibus conditis, cibis eupeptis.

δ) Sudores colliquatiui modeſte ſunt refrenandi; quod gemmata, legitime vſurpata, præſtant, e.g. ſpecies de hyacinth. corallata cum nitro, item MP. de cynogl.

ε) Aluus ſemper aperta eſt ſeruanda, partim per infuſa leniter laxantia, partim per pilulas *Stahlianas* vel *Beccherianas.*

2. *Methodus ſpecialis.*

Hæc variat ſecundum cauſſas, quibus febris lenta originem debet.

1. Quando ex acuta quadam periodo febris lenta exorta eſt, tum ad viſceris infarctum diſcutiendum ſequentia adhibeantur:

1) Ante meridiem eſſent. alexipharm. *Stahlii* aliquoties ad gutt. 25-30. ſed ſine regimine propinetur. 2)

2) Poſt meridiem puluis abſorbens ſalino-digeſtiuus bis exhibeatur; cui alternis diebus, pro æſtus moderatione nitrum admiſceatur, e.g.

Recip. tart. vitriolat.
antimon. diaphoret.
oc. cancr. acid. citr. ſaturat. ana. vnc. ſemis. M. doſ. ſcrup. i.

Vel: Recip. arcan. duplic.
nitr. depurat. ana. drach. III.
antimon. diaphoret.
ſolut. conch. ana drach. ij. M.

3) His interponantur ſubinde leniſſima laxantia, e.g. pilulæ *Beccheri* vel *Stahlii*.

2. Si febris lenta ex intermittente quadam ſubnata ſit, felicius curari non poteſt, quam per intermittentis reuocationem, cui ſcopo inſeruiunt

1) Pilulæ *Beccheri* vel *Stahlii*.
2) Spiritus ſalis armoniaci, ſi *Ettmüllero* fides habenda eſt.
3) Sequens formula, quæ etiam in lenta ex acuta quadam degenerata, vſui eſſe poteſt.

Recip. Rad. vincetox.
enul.
pimp. alb. ana drach. ij.
Herb. fumar.
capill. vener.
cuſcut.
ſummit. cent. min. ana manip. ſemis.
flor. ſchœnanth.
ſtœchad. Arab. ana pug. iij.
cort. aurant. vnc. ſemis.
fol. ſennæ vnc. j.
fibr. helleb. nigr.
rhabarb. orient. ana drach. ij.
Inciſ. contuſ. fiant ſpecies pro nodulo. cum vino adfuſo extrahendæ.

3. Deinde reuocata febris intermittens tractatur, vti ſuo loco indicatum eſt.

 4) V-

4. Vbi autem lenta grauioribus hæmorrhagiis ſucceſſit, ibi methodus analeptica & humectans requiritur, e.g.
   1) Decocta gelatinoſa C.C. cum rad. cichor. ſcorzon. veronic. ſcord.
   2) Veterum quinque radices aperientes cnm ſero lactis coctæ.
   3) Externe balnea, ex aqua dulci parata, & pro tolerantia ægrorum gradatim vſurpata.
5. Tonum roborantia non numquam interponantur, e.g. tinct. martis aperitiua *Ludouici,* quæ etiam languentem adpetitum reuocat.
6. Sudoribus colliquatiuis moderate opponantur abſorbentia, corallata & gemmata, e.g.

Recip. matr. perlar. drach. j
nitr. depurat. drach. ſemis.
ſpec. de hyacinth. gran. XV.
M. P. de cynogl. gran iij.
M. d. in 5. part. æqv.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

*Venæ ſectio* in febre lenta nullius fere vſus eſt; in hyſtericarum tamen lenta, cum menſium vitiis complicata, item ſi in plethoricis lenta ephemeræ ſucceſſerit, prudenter inſtituta, leuamen adferre ſolet.

2. Nec *emetica* proſunt; excepto illo caſu, vbi lenta in robuſtis glioſam anxiam cardialgiam producit.
3. Vitandæ quoque ſunt *ſudationes* & *purgationes*, quibus lenta facile in febrem continuam, præcipue viſcerum inflammatoriam, præcipitatur.
4. *Sudores* autem *ſpontanei* non ſtatim ſupprimendi, alias debilitas augetur, ſed declinante morbo, lenioribus remediis, ſub methodo ſpeciali commendatis, moderandi ſunt.
5. *Calidorum*, *antihecticorum*, *traumaticorum* & *adſtringentium* abuſus tranſitum huius febris in hecticam promouet, a *refrigerantibus* autem tumores œdematoſi ſubnaſcuntur.
6. *Salia volatilia* non minoris ſunt periculi.

7. Fe-

7. Febres lentæ, ex febribus ephemeris pullulantes, ſæpius quam vulgo creditur, occurrunt; licet ab auctoribus pro dignitate non obſeruentur.

8. Lentæ lentam expoſcunt medelam: hinc medicamentis per 14. circiter dies continuandum eſt.

9. Concurrente alui fluxu, minime ille ſupprimendus eſt, ſed conducunt in hoc caſu abſorbentia vel ſimplicia vel cum acidis & nitro maritata, item eſſ. pimp. alb. gentian. rubr. ari. Quando autem excedere videtur, abhiberi poſſuut corall. rubr. præparat. cort. caſcarill.

10. Si febris lenta *hæmorrhagiis ſuppreſſis* originem debet, earum reuocatio reſpiciatur; quando autem a prægreſſis *nimiis hæmorrhagiis* orta eſt, temperantia & lenia diaphoretica exhibeantur.

# TABVLA LXX.
## DE
# FEBRE HECTICA.

I. D*EFINITIO.*

Febris hectica eſt auctior motus ſanguinis, perpetuæ abſterſioni labis alicuius vlceroſæ, in viſcere quodam vitali, a natura deſtinatus. Deriuatur ab ἕξις, habitus.

II. *DIFFERENTIA.*

Hectica differt

1. Ratione graduum:

1) *Mitior gradus* vix ſenſibilem exhibet moleſtiam, & ſolo titulo *debilioris conſtitutionis* ſubinde tegitur. Germani dicunt: kränckliche, hinfällige Perſonen, welche nichts vertragen können. Et quoniam ſub hac conſtitutione per decem & plures annos hectici viuere poſſunt, non immerito a quibusdam *hectica chronica*, vocatur.

2) *Elatior gradus* omnia quidem ſigna, quæ inferius indicata

cata ſunt, in tali vigore exhibet, vt manifeſto ægri intelligantur, maximam tamen partem extra lectum viuere poſſint. Germani exprimunt: Der Patient gehet herum, will ſich nicht gerne ergeben, ſondern hält ſich mit aller Macht in der Höhe. Hoc gradu eminent pallor faciei, flaccida, immo tabida extenuatio, appetitus & digeſtionis vitia, ac excretionum detrimenta. In tali ſtatu per aliquot adhuc annos æger ſubſiſtere poteſt, & hæc hectica *κατ᾽ ἐξοχήν habitualis* nomine venit.

3) *Vltimus gradus* magnam exacerbationem ſymptomatum inuoluit, in lectum tabidos conicit, & febriles commotiones cum ſiti, ſiccitate oris, agrypnia, anorexia, debilitate & conſumtione corporis, ac ſummo languore, ita auget, vt diu in hoc ſtatu durare non poſſint.

4) Obſeruandum autem eſt, quod hic ordo non in omnibus indiuiduis nobis obueniat. Natura enim, pro diuerſa læſionis conditione, modo lente & gradatim, modo cum feſtinatione noxæ materiali ſe opponit.

2. Ratione *viſceris læſi*; quæ quidem diagnoſis difficilis eſt, niſi ſenſus & morbi prægreſſi aliquid deſignent: ita

1) *Pulmonum* exulceratio dignoſcitur, ſi prædicta morbi acidis, motu corporis, ſuccedente languore, coniunctis liuidis oculis, volaticis ardoribus, cum rubore genarum, item quando tuſſis augetur poſt profundam aëris inſpirationem. *Conf. tab. de phthiſi.*

2) *Hepatis vitium* indicatur per tuſſim ſiccam, colorem faciei liuidum, hypochondrii dextri tenſionem.

3) *Lienis* vlceroſa corruptio diiudicatur ex anxietatibus hypochondriacis.

4) *Renum* læſio dignoſcitur ex prægreſſa nephritide, item ex magna quantitate tenaciſſimi ex vrina muci, anguillarum muco tenacitate ſua vix cedentis.

5) *Par-*

5) *Partium genitalium* læſiones dignoſcuntur ex prægreſſis pathematibus venereis, exulcerationibus, gonorrhœa maligna, quæ debitæ methodo cedere recuſarunt, ſed potius debilitatem cum tabe corporis reliquerunt.

3. *Hectica febris* quo modo differat *a lenta*, præcedente tabula fuſius indicauimus.

III. *SIGNA.*

1. Diuturnitas *typi.*
2. *Calor* perpetuus aridus, qui præſertim poſt paſtum in manibus præualeſcit.
3. *Pulſus* debilis, & paruus, frequens & celer.
4. *Vrina* craſſa, aurantii coloris, ſedimenti roſei, cum cuticula nitida, pingui & odore graueolente.
5. *Adpetitus* languidus ad frigida propenſior.
6. *Sitis* licet, haud adeo magna, tamen pene continua cum *oris* ſiccitate & *ſaliua* ſpumida, aut plane glutinoſa.
7. *Somnus* vel nullus vel inconſtans: delaſſans magis quam reficiens.
8. *Extenuatio* corporis in dies increſcens.
9. *Virium* facilis conſumtio.
10. *Animi* faſtidium & languor.
11. In hectica abdominali obſeruatur *ſenſus* alicuius ponderis in alterutro hypochondrio.
12. *Senſibilitas* ſpecialis & exacerbatio circa tempeſtatum mutationes, præſertim vero anni conuerſiones æquinoctiales & ſolſtitiales.
13. *Caput* vertiginoſum, & quaſi temulentum, quando eleuare ſeſe volunt ægri.
14. *Sudores* in malo prouectiore ſuccedunt colliquatiui, cum virium ſumma amiſſione.
15. *Diarrhææ* tandem ſub *facie Hippocratica* hanc ſcenam claudunt, cui aliquando defluuium capillorum & hæmorrhoides modo copioſæ modo cæcæ iunguntur.
16. *Tuſſis* ſemper & perpetuo ad hecticam non pertinet, ſed potius effectus eſt cauſſæ alicuius, cum hectica coniunctæ.

IV. *SVBIECTA.*

Hecticæ potiſſimum obnoxii ſunt homines:

1. Sicciores, teneri, diætæ calidæ, vinoſæ, aromaticæ, animi pathematibus addicti.
2. Qui nimiis curis, vigiliis, venere, abuſu ſpiritus vini, inedia diuturna, fortioribus purgantibus, vires conſumſerunt.
3. In primis vero, qui euacuationes ſanguinis conſuetas vel intermiſerunt, vel inconditis medicationibus ſuppresſerunt
4. Vel qui hæmorrhagiis nimiis exhauſti ſunt, in quibus deinde viſcera juſto arctius conſtringuntur.
5. Maxime vero qui in febribus, ſiue intermittentibus, ſiue acutis præpoſtere ſunt tractati.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis proxima* hecticæ eſt læſio viſceris alicuius vitalis, ſiue ſit vlcus, ſiue apoſtema, ſiue contumax ſcirrhus. *Conf. differentia.*
2. Cauſſa *efficiens* eſt principium agens, quod per motus febriles labem illam vlceroſam perpetuo abſtergere, & hac ratione præcipitem viſceris corruptionem, a corrumpente illa materia exſpectandam, auertere intendit.
3. Cauſſas *antecedentes* & *occaſionales* in deſcriptione ſubiectorum iam indicauimus.

VI *PROGNOSIS.*

1. Veram & confirmatam hecticam curare velle, fruſtraneum eſt: læſio enim viſceris vlceroſa, cui abſtergendæ febris hectica perpetuo opponitur, in integrum reſtitui non poteſt, quod contra vanas pollicitationes probe obſervandum.
2. Methodo autem prouida ſymptomata mitigare, præualeſcentem exulcerationem ac tabem temperare, & fatalem exitum quodam modo differre, vniuerſum eſt, quod a Medico hic poteſt deſiderari. Hecticæ enim febres, vlcerationum internarum comites, quam diu tranquille pro-

procedunt, poſſunt quidem occupare repentinas & prævalidas exacerbationes & graſſationes, præcipue inflammatorias, vlceri tamen, *qua tali,* nihil detrahunt, & licet ipſi non noceant, certiſſime etiam nihil commodi adferunt.

3. Illa in primis hectica, quæ dyſenteriæ & aliis acutis ſupervenit, mali ominis cenſenda eſt; non minus etiam illa, quæ hæmorrhagias ſequitur.

4. In iunioribus febris hæc citius depaſcit, quam in adultis. Hinc anni periculoſiores ſunt a decimo octauo ad triceſimum quintum. Qui poſt ea hectici fiunt, chronice plerumque hoc morbo laborant. *Conf. Hippocrat. aphoriſm. IX. ſect. V.*

5. Temporum mutationes hecticis ſunt periculoſæ, e. g. ſolſtitia, æquinoctia, in primis autumnale; item anni *climacterici.*

6. Hinc hectici, qui circa æquinoctium vernale ab hoc morbo in lectum coniiciuntur, circa æquinoctium autumnale ſæpius intereunt; & qui ſolſtitiali tempore in hecticam incidunt, altero ſolſtitio fere moriuntur.

7. Hectici ſi, conſumtis iam viribus, ſanguinem hæmorhoidalem deiiciant, conclamatum eſt; quando autem hæc hæmorrhagiæ ſpecies ſub initium hecticæ contingit, tum ſtaſes, nuper factæ, per eamdem diſſoluuntur.

8. Vltima huius morbi tragœdia exit in motus tonici debilitates, partium tam internarum, quam externarum.

1) *Internæ* debilitates tonicæ manifeſtant ſe per diarrhœam non ſolum ſpontaneam, ſed etiam cum magno conatu obtingere ſolitam. *Conf. Hippocrat. aphoriſm. XII. ſect. V.*

2) *Externæ* autem relaxationes produnt ſe per magnam laſſitudinem, defluuium capillorum, ſpontaneum ſudorem, qui, poris externi ambitus laxatis, paſſiue quaſi elabitur, & quidem lymphatico-glutinoſus,

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus generalis.*

1. Sordes mucoſæ tenaces in primis viis collectæ, per ſalia media, e. g. tartar. vitriolat. arcan. duplicat ſunt incidendæ, & aluus per rhabarb. mann. paſſul. mercur. dulc. clyſteres leniter eſt ſoluenda.

2. Acrimonia materiæ vlceroſæ eſt obtundenda, diluenda, temperanda & abſtergenda; cui ſcopo inſeruiunt:

   1) *Abſorbentia* marina, cum acido citri ſaturata; conchæ, mater perlarum, oculi cancri, immo etiam corallia, &, ſano vſu, oſteocolla.

   2) *Ex radicibus* præcipue pimpinell. alb. vincetox. cichor, taraxic. helen. moderate abſtergunt & diſcutiunt.

   3) Decocta gelatinoſa & alia diluentia, e. g. decoctum C. C. cum radice cichorii, & floribus bellid. cremor hordei, auenæ, ptiſanæ cum herba bellidis, ſerum lactis cum bellide vel radice cichorii.

3. Nimia humorum per vlcerata loca commotio eſt auertenda, quod per venæ ſectiones æquinoctiales, ſcarificationes in adſuetis, extra tempus exacerbationis in pedibus inſtitutas, obtinetur.

4. Tonus poſt aliquam orthoſtadiam eſt roborandus, in quem finem laudantur:

   1) *Mixtura* tonico-neruina *Sthalil*, ex ſale quodam volatili & tinctura alcalica parata, e. g. ſpiritus C. C. & tinct. antimonii ana remixt.

   2) *Corallia* cum antimonio diaphoretico, vel bezoardico minerali.

   3) *Traumatica* lenia, & quidem in vitio *hepatis*, hedera terreſtris, in hectica lienis, virga aurea, hypericon, pyrola, ſanicula.

5. *Symptomata* ſunt mitiganda.

   1) *Diarrhœas* & *ſudores* moderantur abſorbentia, coralliata, ſpecies de hyacintho & gemmata.

   2) *Tuſſim* refrenat maſſa pilular. de cynogloſſa, pectoralem ſpecifice ſedat extractum tabaci, legitime præparatum.

   3) *Aeſtum* febrilem temperant emulſiones amygdalatæ, ſaccharachara-

charatæ, ſuccus citri, clyſſus antimonii, decoctum auenaceum pro potu ſumendum, & denique nitrum, cum circumſpectione vſurpatum, *vid. cautelæ.*

4) *Tabi* ſuccurrunt diæta nutriens ex potu emulſiuo, cibis gelatinoſis, gelatina C. C. lacticiniis, ptiſanis cum tragacanth.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. Tempore *exacerbationis.*

1) Mane exhibeatur moderata doſis eſſent. alexipharmicæ, de eſſentia pimpinellæ & ſcordii plurimum continentis.

2) Poſt meridiem aliquoties propinetur puluis quidam abſtergens, præcipitans & diureticus, e. g.

Recip. tartar. vitriolat.
conch. acido citri vel tartari ſaturat. ana drachm. II.
M doſ. ſcrup. I.

3) Vel loco pulueris detur potio aliqua temperans, e. g.

Recip. aquæ plantaginis,
ſcabioſæ,
ceraſorum nigrorum ana vnc. I.
cinnamomi ſine vino drach. II.
ocul cancr. præparat.
antimon. diaphoret. ana drach. ſemis.
M. f. potio, cum ſaccharo perlato edulcoranda, & ſingulis ternis horis ad cochlear I. propinanda.

4) Sub horum vſu aluus expedita ſeruetur, potus ſufficiens, temperatus & paruis hauſtibus ſumendus, iniungatur, corpusque, vbi fieri poteſt, modeſte moueatur, a ſolis autem calore æger defendatur.

2. Tempore *remiſſionis.*

1) Venæ ſectio in pede circa æquinoctia inſtituatur, nec vmquam facile prætermittatur.

2) In iunioribus loco venæ ſectionis temperantia ſubſtituantur, e. g. puluis quidam ex nitro, tartaro vitrio-

triolato, matre perlarum, coralliis rubris, vel potio temperans, ſuperius deſcripta.

3) Ad robur viſcerum bis per diem ſubinde propinetur tinctura tonico-neruina *Stahlii*. vel potio aliqua eiusdem efficaciæ, e. g.

Recip. aq. roſarum,
cichorii, ana vnc. II.
extract. caſcarillæ ſcrup. II.
corall. præparat.
antimon. diaphoret. ana drach. ſemis.
ſyrup. bellid. vnc. ſemis.
M. doſ. ad cochlear. I. mane & veſperi propinanda

4) His in ſpem conſolidandi interponatur mixtura balſamica, ex eſſent. ſuccini & ſcordii ana remixta.

5) In diæta a crudis, calidis, aromaticis abſtineatur. Conducunt autem emulſiones, iuſcula pullorum, potus tenuis, &, vbi vires adhuc conſtant, præ primis in hectica habituali, locum habere poteſt cura lactis.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Cum febris hecticæ ſcopus verſetur circa perpetuam lenem abſterſoriam diſcuſſionem, deinde etiam circa euacuationem moderatam apoſpasmatum talium vlceroſorum, quam maxime hinc cauendum eſt ab omnibus *æſtuoſis* & *balſamicis calidis*, ſanguinem turgefacientibus.
2. Hinc nec ad lenitiuam laxationem adhibere conuenit *acria reſinoſa*, præcipue *aloën*, vtpote ſanguinem inſigniter commouentem.
3. Idem ſentiendum eſt de *balſamicis acrioribus*, quæ in ſpem *conſolidationis* vulgo exhibentur.
4. Abſorbentium *terreorum* nimius vſus nocet, nedum inepte præparatorum, e. g. C. C. philoſophice præparat, lactis lunæ.
5. Magno ægrorum damno offeruntur abſorbendi ſcopo *bolaria*, vti & *martialia*, quæ manifeſta ſua adſtrictione abſter-

abſterſionem impediunt, infarctum obſtipant, & anxietates augent.

6. Idem detrimentum inferunt alia *adſtringentia* & vegetabilia *traumatica*, quæ vulgo propinari ſolent in confuſione hecticæ abdominalis cum pectorali ſeu phthiſi, licet & huic, præcipue antiquæ, certe noceant.

7. Similis efficaciæ ſunt *ſalia volatilia*, copioſe & intempeſtiue propinata, quorum moderatus & ſubordinatus vſus alias non reiicitur.

8. Famoſum eſt *antihecticum Poterii*, ſed nullius boni effectus: eſt enim calx adſtrictoria, ex qua vix draſtica corroſiua quidquam ſoluunt; nedum vt in corpore humano operæ pretium faciat.

9. Eiusdem furfuris eſt *tinctura antiphthiſica Grammanni*, de qua ſub *cautelis tabulæ de phthiſi* plura diximus.

10. *Expectorantia* ſaburram humorum ad pectus inclinant, & hoc ipſo ſtaſibus & corruptioni incrementum adferunt. *Vid. tabul. de phthiſi.*

11. *Abſorbentia* marina per *acidum* tartari vel citri ſaturata, maiorem habent efficaciam abſterſiuo diureticam, & præcipitant ſimul acriores partes in maſſa ſanguinea, quæ alias calorem augent.

12. *Nitrum* vlcerationi quidem internæ non prodeſt, ſobrius tamen & peritus illius vſus, cum abſorbentibus coniunctus, aut illis ſubordinatus, neceſſarius fere eſt ad æſtum febrilem mitigandum.

13. Aequalis humorum diſtributio, non autem diaphoreſis indicatur. Hinc *antimonium diaphoreticum* in hoc adfectu nihil prærogativæ habet, nec reliqua ex antimonio parata. Optandum alias, vt *Syluiana* antimonii diaphoretici commendatio ad vlcerationes internas experientiæ ſatis faceret.

14. *Sudores* nimios & *diarrœhas*, conclamati & funeſti mali ſigna, adſtringentibus & iteratis anodynis adgredi, nihil aliud eſt, quam mortem accelerare; *moderari* autem haſce excretiones, circumſpectæ artis eſt. Cauendum autem

autem, ne largior ſudor, quo febris lenta ordinarie ſoluitur, cum hectico confundatur.

15. *Aër* humidus hecticis magis amicus eſt, quam ſiccus. Hinc veteres *nauigationem* commendabant.

16. Sic etiam omnes humectationes illis conueniunt quævis autem animi pathemata inſigniter nocent.

17. *Locorum mutatio*, ad modeſtam corporis ſuccuſſationem obtinendam, non eſt ſpernenda, & *equitatio* a *Sydenhamo* laudata, tantum ſane valebit, quantum *nauigatio veterum in Ægyptum*,

18. A medicatione *continua* abſtinendum eſt, maxime ſi euphoria aliqua ſuccedat. Simul ac autem noua exacerbatio recurſum minatur, medicatio mature repetenda eſt, cum primis ſi periodus ſolſtitialis aut æquinoctialis exſiſtat, quo tempore etiam diæta corporis & animi eſſe debet temperatiſſima, ne motus gliſcentes prouocentur.

19. Quo magis vero hectica ad ἀκμὴν peruenit, eo magis ab omni medicatione abſtinendum, & exitus ſub analepſi gelatinoſa expectandus eſt.

20 Cum his cautelis conferri merentur illæ, quæ *tabula de phthiſi* indicatæ ſunt.

# TABVLA LXXI.

## DE FEBRIBVS MALIGNIS ET EPIDEMICIS IN GENERE.

I. D*EFINITIO.*

1. *Febres malignæ* ſunt febres acutæ & contagioſæ, in quibus principium vitale ſubtiliſſimam quandam materiam, quæ corpori noſtro repentinam perniciem minatur, motibus febrilibus, indoli materialis noxæ ſatis accommoda-

modatis, eliminare atque hac ratione præceps periculum auertere intendit.

2. *Febres epidemicæ* ſunt itidem febres acutæ, plus vel minus malignæ & contagioſæ, in quibus natura agiliſſimam materiam, quæ tamquam cauſſa communis plures eodem tempore homines infeſtat, motibus febrilibus ex corpore proſcribere, & hoc modo corruptionem putridam præcauere adlaborat. Deriuatur ab ἐπὶ & δῆμος, populus.

## II. *DIFFERENTIA.*

1. Exigua quidem eſt differentia, quæ inter *malignas* & *epidemicas* intercedit, negandum autem non eſt, quod interdum epidemicæ, e.g. variolæ, morbilli, occurrant, in quibus malignitatem notabilem non poſſimus accuſare, & malignæ non ſemper ſint epidemicæ, id eſt, populariter graſſantes.

2. Differunt malignæ malignitatis *gradu*, cuius reſpectu in *peſte* ſummus eſt. Vnde febres peſtilentes *permalignæ* dicuntur. Hunc excipit febris petechialis, caſtrenſis, ſeu Hungarica. Mitioris gradus ſuut febres catarrhales malignæ petechizantes, purpura, variolæ, morbilli, dyſenteria.

3. Præter ea tempora & tempeſtates malignitatis adferunt notabilem differentiam. Notum enim eſt, quod hæ febres hoc anno maiorem, altero autem minorem edant ſtragem.

4. Porro malignæ febres ſunt vel *ſimplices* vel *complicatæ*: modo enim cum peripneumonia, pleuritide, modo cum febribus intermittentibus &c. ſunt coniunctæ.

5. Ceterum vt de malignitate rectius, quam vulgo fit, ſentiamus, notandum eſt, quod febres malignæ adpellantur illæ, quæ ex propria ſua indole & conſtanter malignæ ſunt. Vnde ab aliis febribus, quæ per accidens tantum mali & periculoſi moris obſeruantur, bene diſtinguendæ ſunt.

 III. *SIGNA.*

III. *SIGNA.*

1. Inſolita & repentina virium debilitatio ſine cauſſa manifeſta.
2. Animi abiectio cum tacitis vel vagis anxietatibus & præmaturo mortis præſagio.
3. Sub initium morbi non raro lipothymiæ accedunt; nonnumquam etiam in incremento.
4. Adſunt commotiones febriles, ſi aliunde perturbationes excluduntur, ſatis moderatæ. Vnde neque vehementem calorem, neque pulſus inſignem exagitationem offerunt, cuius potius frequentiam & celeritatem cum paruitate illius compenſant.
5. Vacillatio mentis obliuioſa, vel vera deliria, cum agrypnia fere continua.
6. Inſidioſa ſymptomatum diſſimulatio.
7. Secretionum & excretionum internarum ſuſpenſio & retentio notabilis. Vnde alui ſtricturæ & vrinæ exigua mutatio.
8. Breui temporis ambitu pleræq; abſoluuntur, & breue hoc tempus in longe breuiores *opportunitates* incluſum eſt.
9. Intra hoſce dies fomes febrilis vel ex toto corpore, vel ad minimum ex partibus nobilibus ad peripheriam expellitur.
10. Pleræque enim ſunt exanthematicæ, hoc eſt, inſignes quasdam eiectiones ad peripheriam corporis proferunt
11. Propius accedunt ad indolem continentium quam continuarum. Vnde criſin ſtricte dictam non exhibent.
12. Quo minus negotium ad vota ſuccedit, eo facilius motus conuulſiui ſuperueniunt.
13. Ceterum epidemicæ ſunt vere contagioſæ, & plures homines vno fere modo & iisdem plane ſymptomatibus infeſtant.

IV. *SVBIECTA.*

1. Quamuis malignæ & epidemicæ nulli facile homini parcant, præ aliis tamen occupant plethoricos, ſanguineos, timidos & ſpeculabundos.

2. Pur-

2. Purpura alba *puerperis* in hiſce regionibus familiarior, quam aliis, obſeruatur.

3. Variolæ & morbilli infantibus magis eueniunt. Plura videantur tabulis ſpecialibus.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* eſt materia longe tenuiſſima, mole pauciſſima, agilitate potentiſſima. Vnde inuiſibilis halitus forma de corpore in corpus transferri, atque præſentisſimos & latiſſime graſſantes peſſimos effectus indole ſua fermenteſcente putrida producere poteſt.

2. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod repentinum hoc periculum per motus quidem qualescumque febriles auertere adlaborat; quoniam autem per materiæ pesſimam indolem, inops quaſi tempeſtiui conſilii, in terrorem coniicitur, animum & vires facile abiicit, & multis motuum trepidationibus atque anomaliis ſeſe opponit. Vnde negotium non raro infauſte ſuccedit.

3. Cauſſas *occaſionales externas* exhibent tabulæ ſpecialiores.

4. Ceterum quod ad exanthemata attinet, nullum fundamentum habet adſertio illa, quod ex *corporali* & *mechanica neceſſitate* cuti impingantur, quia particulæ talem habeant figuram, quæ ſolius cutis poris quadret. Docet enim non raro triſtis experienria, quod hæc materia, quæ multo labore ad cutim deducta fuerat, paucis momentis ad interiora recurrat. Hinc rationi magis conſentaneum eſt, quod ipſa natura noxiam hanc materiam a nobilioribus partibus ad ignobiles, minus neceſſarias, robuſtiores & euacuationi aptiores exprimat. Vt paucis dicamus: veterum locutiones de propulſione materiarum noxiarum ad partes ignobiles, plus habent veritatis, quam recentiorum figuræ pororum exquiſiræ, ad captandas ſpecificas materias in hac & non in alia parte efformatæ.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quoniam cauſſa materialis, quæ in malignis eſt, efficaciam habet, vt corruptionem putridam repente induce-

re poſſit, ſanæ rationi reſpondet, vt periodus febrium malignarum breuis ſit, & materia, quæ præceps periculum minatur, ſatis mature eliminetur. Hinc febres hæ omnes periodum formant acutam, & nonnullæ peracutam, ita vt prior ſeptem dierum ambitum, poſterior autem dimidium tantum ſeptenarium pro termino fatali agnoſcat, intra quem vel ad mortem, vel ad ſalutem declinant. Licet enim catarrhales malignæ & variolæ ad finem ſecundi vsque ſeptenarii ſæpe ſe extendant, fit tamen hoc ob mitiorem in his malignitatis gradum. Reliquarum autem contagioſarum acutarum ἀκμὴ, ſeu vigor primum ſeptenarium non tranſcendit, & ſi hoc tempore potior ad minimum cauſſa non ſuperatur, ſumme ambigue & periculoſe cedunt.

2. Si intra primum ſeptenarium conueniens *eccriſis* ſatis libere facta eſt, ſpem facit felicis exitus. Quando autem languide & non ſat largiter hæc ſucceſſit, valde anceps luſus.

3. Effectus corrumpens quando euitari plane non poteſt per pleniſſimam materiæ euacuationem, ſub halitus forma obtinendam, tolerabilius eſt, corruptionem talem ad ignobiles partes externas ante deuolui, quam effectum ſuum noxium humoribus, vel ipſis adeo partibus nobilibus, & ad conſeruationem vitæ directe pertinentibus, induxerit.

4. Vnde non tantum variolæ & morbilli, tranquille in ſuperficie effloreſcentes, & efficaciam ſuam vlceroſam ibidem exſerentes, ſaluberrime decedunt, ſed & ipſa peſtis, quæ carbunculos, vel ad minimum bubones, circa exteriores partes producit, ſpem ſalutis multo maiorem oſtendit, quam ſi nihil harum rerum contingat, & ſolæ anxietates cum capitis grauiſſimis perturbationibus adſint.

5. Quam quam enim & illi paſſim ſuccumbant, qui carbunculos habent & bubones, fit tamen hoc vel ex eo, quod hæc exanthemata tardius eruperint, & ita totam materiæ labem non complectantur, vel quod corruptio illorum putrida velociſſime facta ſit, ſeque in humores late diffuderit.

6. Quæ

6. Quæ male cedunt malignæ, illæ inflammationes internas ſubtiliſſimas, acerrimas & corruptiones ſphaceloſas præcipites moliuntur; id quod de peſte præcipue notum eſt. Ante enim, quam cadauera refrigeſcunt, ita ſe exſerit putreſcendi energia; vt mox turgeſcant, liueſcant, nigreſcant, & deinde in tabum diffluant.

7. Ad calamitoſum euentum non exiguum pondus adferunt:

1) Abundantia ſanguinis commoti, præcipue, ſi dyſcraſia concurrit.

2) Læſio viſceris cuiusdam, quæ vix vmquam ſpem relinquit.

3) Adſuetudo motuum peculiarium translatoriorum, v. g. hæmorrhagiarum, vomitionum, diarrhœarum, dolorum capitis rheumaticorum, pectoris infarctuum, faucium & aurium adfectuum.

4) Indoles morbi fallax, quæ efficit, vt contagium mox non poſſit obſeruari, neque maturo conſilio ſuperari.

8. Salutaris effectus non alia via ſperandus eſt, quam ſenſim progrediente *ſeceſſione* noxiæ materiæ a reliqua humorum maſſa. Hæc contingit, dum ſub motu progreſſiuo & adpulſu ad talia loca, quæ eius modi materiis aditum præbent, dilabitur, ſecedit & tandem penitus excedit.

9. Nullum autem in toto corpore diuerticulum, ad hanc ſeceſſionem admittendam, aptius eſt, quam *ſuperficies*. Poſt hanc capacitas quidem *inteſtinorum* præ aliis idonea eſſet, periculo autem non vacat, ſi talis materia ad interiora viſcera & inteſtina ducitur.

10. Petechiæ ſimpliciores propria ſua indole *ſero* efflореſcunt. Quæ vero mature, copioſe & ſaturate adparent, illæ deterioris, vel plane peſtilentis ſunt indolis.

11. Carbunculi peſtilentes, qui nimis cito & numero plures erumpunt, illi expertorum Practicorum teſtimonio ſunt infames.

12. Animi trepidatio, ſub initium accedens, boni non eſt præſagii.

13. Quo maior eſt virium lapſus, & ſymptomatum diſſimulatio, eo grauius periculum eſt metuendum.

14. *Diarrhœæ* moderate ſuccedentes, non ſunt noxiæ, & licet morbum non ſoluant, longe tamen tolerabiliores ſunt, quam alui adſtrictiones.

15. *Narium hæmorrhagiis*, extra dies iudiciarios & criticos contingentibus, parum fidei habendum eſt. Quando deliria & aphthas adferunt, præſagii ſunt peſſimi, melioris autem, quando deliria prægreſſa minuunt, vel ſoluunt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quem ad modum malignæ per ſe, extra ſpecialia ab indiuiduis impedimenta moderatis, ordinatis & prouidis motibus progrediuntur, ita Medicus hunc eius genium ita ante oculos habeat, vt non tantum euitet methodum contrariam, præcipitem, turbulentam & exagitantem, ſed & caueat, ne a ſymptomatibus illis, quæ per indiuiduorum malos mores inducuntur, in illum errorem prolabatur, vt in his conſulere velit, poſthabito morbi primarii reſpectu.

2. Hinc primis diebus nulla remedia, præter pulueres abſorbentes, cum antimonio diaphoretico & nitro propinentur, continentia tranquilla & tepida, quanta vmquam obtineri poteſt, reſpiciatur & iniungatur, omnes autem commotiones calidæ, expulſoriæ, & ex contrario refrigerationes euitentur.

3. Quando morbus ad ἀκμὴν peruenit, temperatiſſima alexipharmaca paucis & repetitis doſibus coniungantur, regimen autem ſudoriferum excludatur. In non nullis, præcipue variolis, hæc alexipharmaca non ſunt neceſſaria, immo ne quidem vtilia.

4. Analeptica temperata interponantur: *Conf. cautelæ.*

5. Ceterum, quia extra & ante periodum conuerſio in melius non eſt ſperanda, Medicus *exſpectationem* non quidem otioſam, neque tamen etiam intempeſtiuis negotiis occupatam ſibi habeat commendatam, & energiam naturæ ſub grauiſſimis etiam turbis firmiſſime credat.

6. Hæc

6. Hæc methodus ſimpliciſſima quid poſſit in morbis tam arduis & periculoſis, experientia docebit.

7. *Vomitus* promotionem placidiſſimam abſolute quidem non reprobamus, pro vniuerſali autem methodo illam non habemus. Per hanc enim craſſam euacuationem nequaquam poteſt exantlari materia maligna halituoſa, ſed illa tantum, quæ forte in ventriculi cauitate a fermentatiua efficacia in bilioſo acidam acredinem conuerſa eſt. Hinc vbi indicia huius in hoc vel illo indiuiduo adſunt, ibi modeſta vomitio non contemnitur. Hæc autem de peſte præcipue valent, in aliis enim malignis ipſi vomitoriorum patroni, *præter Apinum*, vomitum non facile commendant.

8. Quando febris periodum ſuam cum euphoria abſoluit, caute ſe gerat patiens circa adpetitum & aërem frigidum. Hinc ſenſim aëri adſueſcat & eſſentiam alexipharmacam continuet.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Si vmquam alibi, certe in malignis conuenit animum diligenter aduertere ad duo hæc phænomena: videlicet primum, quid in hiſce febribus fiat *ſine artificiis*, & deinde quid effatu digni obtineatur in iis, qui *remedia* adhibent. Hac enim ratione vana atque friuola fiducia, quam in traditiones variorum remediorum vulgo collocant, in talem moderationem reducitur, vt methodum, quam Deus naturæ humanæ iniunxit, pro optima ſapientia & maximo arcano habeamus, inanes autem perſuaſiones, quas de ſumma & indubia medicamentorum poteſtate imbibimus, hic deſeramus.

2. Et quem ad modum *motus* febriles in hiſce febribus a natura ita inſtruuntur, vt *materiæ indoli* quam maxime quadrent, ita cardo totius negotii in eo vertitur, vt methodum hanc naturalem ſequamur, eandem promoueamus & iuuemus; illa autem commenta opinionum, quaſi arte commodior methodus, quam naturalis eſt, inſtrui poſſit, exterminemus.

3. Hinc

3. Hinc materia peccans ad *peripheriam* corporis, non autem ad alium locum, eſt dirigenda. Atque hoc fieri debet per directiones adſiduas quidem & nullo modo interruptas, attamen moderatas; breui quidem ambitu, ſed non præcipiti impetu.

4. Sub hac opera opportunitates temporum ſeu momenta periodica exquiſita, quæ *critica* dicuntur, ſunt obſeruanda. Hæc ſi obſeruantur & natura non turbatur, materia peccans per excretiones periphericas, ſiue *ſimpliciter diapnoicas*, ſiue *exanthematicas* eliminantur, & optima ſpes eſt ſalutis.

5. Rationi conſonum eſt, materiam hanc peccantem per nullam aliam viam comodius & felicius poſſe excerni, quam per *tranſpirationem*, Hac enim ratione *latius* diſſipatur, & *vis vnita,* quæ alias fortior eſt, infringitur.

6. Hinc tam contra rationem, quam experientiam inpingunt illi, qui materiam hanc halituoſam craſſis commouendi & euacuandi methodis adgrediuntur. Non minus abſurdum eſt, materiam in humores late expanſam & diſſeminatam, per *particularem* quamdam euacuationem cum periculo in vnum locum, e.g. in ventriculum & inteſtina colligere, & ibidem eliminare velle.

7. Eſt autem fallacia *non cauſſæ vt cauſſæ*, quando materiæ peſtilenti primariam ſedem in primis viis ex eo adſignant, quod ſuperficies interna ventriculi & inteſtinorum *nigra* conſpecta ſit in corporibus, peſte peremtis. Dubitandum enim eſt, num hæc conſtitutio ſit vniuerſalis: præter ea fieri poteſt, vt miaſma vel per ſaliuam infectam & deglutitam in ventriculum incidat, vel ex maſſa ſanguinea ad primas vias potius, quam ordine inuerſo recedat.

8. Et licet verum eſſet, quod venenum contagioſum *primum aditum* per *ventriculum* inueniret, non ferret tamen materiæ illius conditio, per craſſam methodum illam eliminare. Diu enim in cauitate non fluctuaret, ſed texturam altius penetraret, quam vt crudo vomitu poſſet exant-

antlari. Tacemus maxima illa detrimenta, quæ per vehementiam vomitus motibus vitalibus, qui in malignis ſolent eſſe moderati, inferuntur. Et cur non potius *alexipharmaca*? hac enim, ſi quid vmquam ad venenum edomandum valent, hic certe valerent, vbi materiam peſtilentem proxime attingere poſſent.

9. Hæc omnia, quem ad modum dubitare nos iubent, an materia contagioſa ventriculum ſæpe obſideat, & vſum vomitoriorum, quem vulgo rationalem habent, expoſcat: ita *effatum Hippocratis*: *exſoluta aluo, febris ſoluitur*, veritati ſimpliciter non reſpondere, nemo neſcit Practicorum.

10. Reiecta methodo craſſa euacuatoria emetica & cathartica, de *methodo correctoria* notamus, quod & hæc hoc loco minimam ſpem faciat: materiam enim malignam vti natura mouendo & excernendo vnice ſuperare intendit, ita cauere ſibi debet Medicus a vanis artificiis & corrigendi tentaminibus.

11. Itaque methodus reſtat *diaphoretica*, quæ ad ſalutarem progreſſum, decurſum & exitum febrium malignarum contagioſarum præcipuum eſt momentum.

12. Notandum autem eſt, quod hic non minus excludantur fortes humorum commotiones per medicamenta calida & regimen coactum. Incondita enim illa perſuaſio, quod in violentis ſudationibus & feruidis remediis vnicum veneni expellendi præſidium ſit, maximam quouis tempore edidit ſtragem. Et quando ſub prætextu exanthematum expellendorum ſub initium admittuntur, ſana deinde conſilia atque remedia raro habent locum. Vnde in ſuſcipienda exanthematum promotione quam maxime caueatur, ne quid intempeſtiue & præmature per inconſultam exſtimulationem tentetur. Et ſane quantum damni intemperatæ commotiones afferant in *febre purpurata miliari*, hic loci addiſcere poſſumus.

13. Quem ad modum autem *feſtinatio* præmatura euitanda & violenta methodus excludenda eſt; ita ex contrario

*cunctatio* negligens non debet admitti, multo minus tempeſtiuus ſucceſſus turbari.

14. Totum negotium ita vult adminiſtrari, vt *media via*, quæ vnice ſalutaris eſt, teneatur. Eſt autem hæc tranſpiratio liberrima, paullulum aucta, moderata madefactione conſpicua, quantum vmquam fieri poteſt placidiſſima per longum tempus modeſte & iugiter continuanda. Hanc promouet ſufficiens potus tepide ſumtus, pulueres febriles, ſub methodo indicati, & temperatiſſima alexipharmaca, exiguis doſibus ſumta, & poſt aliquot horarum interuallum repetita.

15. Non exigua autem eſt difficultas, quæ ex parte *ægrorum* tranquillæ continentiæ & ſalutari febris ſucceſſui ſæpius obiicitur, quando vel ſponte ſine phantaſiæ & voluntatis conſciæ concurſu peruerſe ſe gerunt, vel per immorigeram voluntatem varias anomalias inducunt, e.g. quando ſanguinei motibus voluntariis, cholerici impetuoſis, & ſic vtroque modo *moderamen* motuum vitalium transgrediuntur. Item quando priores anxia, poſteriores importuna impatientia diuturnas & continuas tranſpirationes reſpuunt, medicamina negligunt, potum frigidum extorquent, vel aliis modis immorigeros ſe gerunt.

16. *Alexipharmacorum* vera æſtimatio bene diſtinguenda eſt a fallaci illorum prædicatione. Vti enim ſpecifica rara ſunt, ita reliqua, quorum effectus eſt remotior, ambiguus & fallax, expoſcunt methodum circumſpectam, non autem nudam empiriam.

17. Sic verbi gratia audaciſſima quidem eſt adſertio illa, quod *totus ceruus ſit alexipharmacus*, cui vero venenorum generi vmquam vere quid ſubtraxerit, non conſtat.

18. Hoc tanto magis valet de *vnicornu*: quem ad modum enim id, quod *verum* dicitur, in pharmacopoliis non reperitur, licet in formulis ſemper præſcribi ſoleat, ita abſonum eſt, *marino*, nedum *foſſili* eamdem efficaciam tribuere, quam vulgo *vero* adſcribunt.

19. *The-*

19. *Theriaca*, *mithridatium*, *philonium* & alia confuſa magis, quam compoſita remedia, plus ſane damni, quam auxilii adferunt. Hinc ad iuſta Dei iudicia referendum videtur, quod falſæ de his remediis traditiones vniuerſo fere terrarum orbi impoſuerint.

20. Quod *venæ ſectiones* in febribus malignis *curatorias* nullo modo probemus, *tabula chirurgica de venæ ſectione* cum ſufficientibus rationibus indicauimus. Hinc quando inſignem plethoram in ægro quodam obſeruamus, ininſtitui illa debet in principio principii.

21 *Opiatorum* abuſus ſtupores, deliria, anguſtias & anxietates inducit, deinde ſudationes frigidæ ſequuntur, & has mors excipere ſolet.

22. Quem ad modum repentinæ & impetuoſæ *diarrhœæ* in peſte & variolis periculum minantur, & neque per adſtringentia; neque per fortes diaphoreticas commotiones, huic malo iuſte conſulitur, ita adſeueramus, quod *puluis corticis caſcarillæ* omnibus aliis præferri mereatur. Conducit etiam præcipue in *peripneumonia concurſu*, non minus in circumſtantiis illis, quæ *ſedantia* expoſcunt. Quum enim *narcotica* ſemper adferant ſtupidos, temulentos, turbulentos, caput grauantes & deliros effectus, hic cortex ſine hiſce damnis efficit, quidquid bonæ ſpei par eſt, & ſedatio, quam adfert, e ſalubri qualitate proficiſcitur. Quando autem anodynum effectum ille non exſerit, alia ſoporifera effectum certe calamitoſum introducent.

23. Rationi conſentaneum eſt, quod in plerisque malignis, præcipue directe exanthematicis, *aluus* plerumque *adſtricta* ſit, maxime tempore illo, quo exanthemata excluduntur. Quando enim partes interiores conſtrictæ ſunt tum humores ad exteriora loca vberius ſecedunt, ad interiores autem partes non fit largior aditus. Vnde etiam vrina multum non mutatur. Inter ea multa ſubiecta eius modi conſtipationem alui non experiuntur, & hæc ſunt illa, quibus motus febriles ordinate atque tranquille ſuccedunt.

24. *Sitis* in aliis quidem febribus ſemper fere eſt inſignis, in malignis autem, vti ſub *ſignis* indicauimus, non raro ſatis moderata obſeruatur. Neque hoc ſine ratione: in his enim peccantes materiæ craſſa copia non ſecernuntur, & febrilis commotio, quæ calorem & ſitim parit, tanta hic non eſt, vt ingentem diaphoreſin promoueat, & hinc humoris defectus multum reſarciri debeat.

25. *Diuretica* circumſpecte in vſum vocanda ſunt, ne intempeſtiua ſtimulatione, materia peccans, dum per intimiores corporis partes ad vias vrinarias ducitur, ab ignobilibus ad nobiles reuocetur. Hoc reſpectu in febribus malignis manifeſte exanthematicis locum non concedimus directis diureticis. Ipſa enim natura paullulum conſtringit colatoria interna, vt noxia materia ad peripheriam educatur.

26. Excipimus autem *nitrum*, quia hoc efficacia magis inuertente, quam diuretica euacuante præditum eſt. Egregie enim temperat, dum non ſolum tenues, acres humores moderate inſpiſſat, & efficaciam putridæ fermentationis potenter infringit, ſed & ſenſum roſionis, ardoris, immo veræ vſtionis mitigat, & ipſas inflammationes minuit & temperat. Propinandum autem eſt a granis 4. ad 6. vel ad ſummum 8. miſcendo illud cum abſorbente quodam & antimoniato fixo, & tum omnis generis feroces exacerbationes ſincerius & nihilo etiam ſegnius quam *opium* placabit.

27. *Antimonium diaphoreticum* ita præparatum eſſe debet, vt ab omni effectu vomitorio-cathartico alieniſſimum ſit, & tum in eius modi ſenſibilibus morbis & ſubiectis efficaciam exſerit blandiſſime diaphoreticam, atque *bezoardico minerali*, quod vulgo multis encomiis extollitur, prærogatiuam non concedit.

28. *Abſorbentium* vſus in malignis quibuscumque vix vmquam negligendus eſt: non tantum enim illa remedia occupant cauſſas antecedentes, bilioſo-fermentatiuo acidas, acres, ſed & effectus a commotione humorum febrili ſub-

ſubnaſcentes. Effectum ſuum præcipitantem ita exſerunt, vt cum acidis particulis ſimul agiles ſulphureas irretiant.

29. Et quoniam præcipue in peſte animaduerſum eſt, quod ægri ſaburram bilioſam, ex acidorum cum bile concurſu intenſe viridem, per vomitum reiecerint, vel poſt mortem in ventriculo habuerint, ſpes non eſt vana, abſorbentia in eiusmodi caſibus operæ pretium eſſe factura, & eo ipſo litem illam, quæ de vomitus neceſſitate vel vtilitate mouetur, facile compoſitura. Certe enim prudens illorum adminiſtratio, non ſolum ambiguitatem circa vomitus promotionem expedire, ſed & vera emolumenta atque ſalutares effectus adferre poteſt.

30. Præferimus autem *conchas*, ſine igne præparatas, & *matrem perlarum* ipſis *cancrorum oculis*. Minore enim cum impetu ſolutionem & abſorptionem vti peragunt, ita & hunc effectum ſuum in corpore humano tranquillius abſoluere obſeruantur. Tacemus cancrorum oculos, ſæpiſſime adulteratos, indolem habere terreorum reliquorum craſſiorum, quæ tamquam noxia hic excludimus. Atque inter hoc eſt præcipue *cornu cerui* tam vſtum, quam philoſophicum.

31. *Acida* non coniungenda, ſed *opportune ſubiicienda* ſunt *abſorbentibus*: hæc enim primas vias magis reſpiciunt & humores præcipitant. Vnde prudenter diſcernenda eſt adparens illa repugnantia, per abſorbentia acores obtundere velle, & tamen acida in vſum trahere. Morbidi enim fermentatiui, bilioſo-ſulphurei acores alterius plane indolis ſunt, quam ſinceri, vel craſſiore oleoſa compoſitione exuberantes. Et hæc ratio eſt, quod acidis mineralibus in eadem formula abſorbentia non debeant ſociari. Liquamen autem ex ſaturatione ſucci citri cum abſorbente quodam, ſepoſito craſſa ſedimento, locum quidem habet, ſed magis in aliis acutis, quam in malignis. Exſerit enim efficaciam maiorem, quam

imperitus crediderit, præcipue quando pectoris oppletio vel tuſſis coniuncta eſt.

32. Ex acidis autem primum locum adſignamus *acido citri*, alterum *ſpiritui ſulphuris per campanam*, tertium *ſpiritui vitrioli* & *clyſſo antimonii ſulphurato*; modo obſeruetur, quod acida mineralia parca doſi ſint adhibenda.

33. Acida compeſcunt acriores putrescentes fermentationes & æſtuoſas febriles exagitationes. Vnde *Thonerus* non exiguam in patria exiſtimationem adeptus eſt, quod iulapia, inſolito tum temporis more, fecerit acidula & iucunda.

34. De *aceto* ſpeciatim notandum eſt, quod efficacia illa, quam *ſimplex* habet, non referenda ſit ad *deſtillatum*: hoc enim nimis eſt penetrans & ſubtile, atque raucedinem ciet notabilem. Quadrat autem acetum ſimplex melius *vehiculo* alexipharmacorum, quam aliis formulis.

35. *Analeptica* non debent continere *acria aromata*, ſed temperata, & gratus ſapor, qui per ſaccharum aut ſirupos iis conciliatur, non eſt reformidandus, neque etiam acidorum vſus pro ſcopo corrigendi coniunctus, ſi ſolas *variolas* excipias: In his enim & ratio & experientia acidorum vſum diſſuadet.

36. *Aquæ deſtillatæ*: ſcabioſæ, ſcordii, galegæ, cardui benedicti, plantaginis, diapnoën placidiſſimam & benigniſſimam promouent: Atque cum his iulapia acidula commode poſſunt componi, ſed ſine admixtione *abſorbentium*, præcipue ſi acida *mineralia* adiecta ſint.

37. *Sulphur crudum* licet certiſſime expellat, in malignis tamen non commendatur, quia commotionem exæſtuantem concitat.

TAB. LXXII.

# TABVLA LXXII.
## DE
# FEBRE CATARRHALI MALIGNA PETECHIZANTE.

I. D*EFINITIO.*

Febris catarrhalis *maligna* eſt febris acuta ſecundaria, qua natura motibus ſecretoriis & excretoriis, vltra conſuetum tenorem auctis, materiam catarrhalem, in lympha ſpiſſiori hærentem, valdeque acrem & agilem, vndecumque prognatam, eliminare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quod febris catarrhalis & petechizans, item quotidiana veterum continua phlegmatica, dulcis & ſalſa, *ſpecie* non differant, ſed tantum *gradu*, tabula de *febre catarrhali benigna* iam indicatum eſt.
2. In quantum autem *petechizans epidemice* graſſatur, & ab indole benigna febris catarrhalis *ſimplicis* recedit, atque ad varias excurrit anomalias, in tantum peculiari indiget tractatione.
3. Quo modo hæc febris catarrhalis maligna *petechizans* a febre *petechiali, Hungarica* & *caſtrenſi* differat, collatio huius & ſequentium tabularum docet.
4. *Maculæ*, quæ hac febre efflore ſcere ſolent, non ſunt confundendæ cum maculis *ſcorbuticis.*
5. Differt tandem a *morbillis*, *purpura miliari* & *purpura vrticata.* *Vid. tabulæ* harum febrium *ſpeciales.*

III. *SIGNA.*

1. Quæ ſigna præcedente tabula de febre catarrhali *benigna* indicauimus, illa plurimum etiam valent de *maligna.*
2. *Malignitatis* autem magis *propria* indicia ſunt:
   1) Angor animi inſignis.
   2) Repentina virium exſolutio.
   3) Agrypnia fere continua,

4) &

4) & abſtinentia a cibis, ad vndecim & plures dies continuans.

5) Lipothymiæ intercurrentes.

6) Deliria.

7) Præter ea inhac catarrhali *maligna* dolores valde ſenſibiles & tendentes circa dorſum & artus occurrunt,

8) quibus ſæpe ſuccedunt maculæ illæ, ſeu *petechiæ*, a quo ſymptomate febris ordinarie vocari ſolet petechialis, ab Italico *pedechio*, pediculus, pulex.

9) Quæ petechiæ interuentu medicamentorum calidorum facile augentur.

10) *Angina* & *aphthæ* huic febri præ omnibus aliis facile ſuperueniunt, maxime vbi aluus eſt clauſa.

11) Non pauci quoque ægrotantium *diarrhæis* adfliguntur, ad quas hæc febris ad modum prona eſt, & ſæpius hisce *quaſi critice* ſeſe ſoluere ſolet.

12) *Purpura alba* cum hac febre ſæpius complicatur, præcipue ſi methodo inconueniente tractata fuerit.

13) Siſtit plerumque indolem *continentis*, & ſine inuaſione cum frigore & horrore plurimum accedit; ab accidentali autem cauſſa in quibusdam cum frigore ſeſe manifeſtat.

14) Eſt quidem ordinarie ſine *typo*, & ſtatas exacerbationes, quas aliæ continuæ exhibent, non agitat, ſed non ſine *periodo*, nec ſine *indicatoriis* & *criticis alterationibus*, licet ad criticas *excuſſiones* ineptior obſeruetur.

15) Nonnumquam autem indolem habet *continua* & tum quidem non ſolum cum horrore inuadit, ſed &

a) Aeſtus eodem tenore continuat per totam noctem.

b) Sequenti autem die, in primis circa meridiem, aliquantulum remittit.

e) Circa veſperam denuo adoritur, cum ſymptomatibus ordinariis.

d) Primis diebus remittente paroxyſmo nullus conſpicitur ſudor, ſed tantum lenis vdor,

e) Continuat hoc modo vsque ad finem ſeptenarii, vbi ſudores lenes poſt exacerbationem obſeruantur.

f) In

f) In aliis quarto ſtatim die augetur transſpiratio.
g) In aliis ſeptimo die catarrhus imminuitur, vel plane tollitur.
h) In non nullis eodem tempore paroxyſmus augetur, & poſt ea petechiæ efflorefcunt.
i) In aliis aliud ſchema induit.

16) *Contagioſa* eſt, more febrium malignarum.
17) Tandem hoc adhuc peculiare habet, vt cum aliis morbis facile complicetur, vel pro anni mutationibus illorum ſchema exhibeat, e. g.
a) Menſe *februario*, *martio*, *aprili*, ſub pleuritidis & febris tertianæ ſchemate adparet.
b) *Maio* & *iunio* anxietatibus cardialgicis, & hypochondriacis innoteſcit, & cum febribus cholerico-cauſodeis facile complicatur, vbi ſimul in quibusdam circa initium morbi *enormes hæmorrhagiæ* eueniunt.
c) *Iulio* & *auguſto* dyſenteriæ ſchema ludit.
d) Reliquis menſibus multa tuſſi adfligit.

IV. *SVBIECTA.*

1. Quia contagioſa eſt hæc febris, inuadit, vbi graſſatur, omnis generis ſubiecta.
2. Ea tamen intercedit differentia, vt teneri, delicati, otioſi, timidi, multo magis ab illa corripiantur, quam robuſti, laborioſi, & tempeſtatibus quibuscumque inſalubribus adſueti.
3. Præcipue etiam illos inuadit, qui ad catarrhos alias procliues ſunt, & excretiones naturales, in primis ſudores ſpontaneos, neglexerunt.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſas febris catarrhalis ſummatim præcedente tab. LXVII. indicauimus; quæ autem cauſſæ catarrhalem *malignam* producunt ſequentia docebunt.
2. Cauſſa *materialis* eſt catarrhus acris cauſticus, ſeu miaſma maxime ſubtile, fermenteſcens, & putridum quid inferens.
3. Cauſſa *efficiens* eſt laborioſum naturæ conamen, per mo-

 tus

tus febriles noxiam illam materiam ex corpore proſcribere, & hac ratione corruptionem imminentem præoccupare.

4. Cauſſæ *occaſionales*, quæ hanc febrem prouocare ſolent, ſunt potiſſimum ſequentes:

1) *Aër* fermenteſcentibus & putridis exhalationibus repletus.

2) *Contagium* per alios hac febre correptos; quo caſu timor & auerſatio multum contribuunt.

3) Fructus fugaces, hortenſes vel alii cibi fermenteſcentes.

4) Refrigeratio corporis exæſtuantis.

5. Frequens animi excandeſcentia, eaque ſupprimenda.

VI. *PROGNOSIS*.

1. Quæ præcedente tabula de *febre catarrhali benigna* ratione *prognoſeos* diximus, illa etiam de hac febre, licet maligna, plurimum valent.

2. Præter ea notandum, quod maculæ quidem non abſolute ſint de *eſſentia* huius febris, & rectius hinc *petechizans*, quam *petechialis* adpelletur, inter ea tamen eidem præ aliis proprium eſt, maculas tales proferre.

3. Et licet hæ maculæ pro pure critica excretione, quæ determinatis diebus, immo horis adligata eſt, non habendæ ſint, pro *abſolute* tamen *ſymptomatica* excuſſione non poſſunt declarari, ſed potius pro *eccriſi* vtili, ita vt hæ maculæ, ſibi relictæ, nec præcipitanter concitatæ, morbum quodam modo ſubleuent.

4. Quæ maculæ ante *ſeptimum* diem erumpunt, illæ tam ſalutaris exitus non reperiuntur, quam quæ circa eumdem effloreſcunt.

5. Quæ *poſt* primum ſeptenarium proueniunt, illæ magis ſalutaris adhuc euentus ſunt, quam quæ *circa* eumdem ſe ſe manifeſtant.

6. Quæ nimis copioſe erumpunt, illæ plerumque cum periculo retrocedunt.

7. Quo magis rubicundæ ſunt maculæ, coloris roſei, & poſt tres vel quatuor dies ſenſim iterum euaneſcunt, ac ægrum

grum aliquo modo ſubleuant, eo melioris ſpei cenſendæ ſunt; quo magis autem ad colorem ſaturatiorem nigricantem, & liueſcentem accedunt, eo deterioris ſunt præſagii.

8. Quando poſt eruptionem macularum euphoria non ſequitur, *purpura miliaris* ſæpiſſime adhuc exſpectanda eſt.

9. *Delirium* ante primum ſeptenarium minoris eſt periculi, quam illud, quod poſt eumdem occurrit.

10. *Sudores* iuſto citius erumpentes, placidum morbi decurſum turbant, & facile in nimios, ſummeque debilitantes, degenerant.

11. *Diarrhœa*, licet reliquis febribus exanthematicis, e.g. variolis, infelicem retroceſſionem, & hinc non raro mortem admaturare ſoleant; in *petechizantibus* tamen hoc obſeruare non contingit: quamquam enim morbum non ſoluant, nec vllum inſigne emolumentum hisce febribus adferre videantur, nullum tamen notabile damnum inferunt, & longe minoris periculi obſeruantur, quam alui *adſtrictiones.*

12. *Hippocratis* effatum: *ſoluta aluo febres ſoluuntur;* cum grano ſalis hic accipiendum eſt, & non niſi certis circumſtantiis quadrat. Quamquam enim diarrhœæ *ſpontaneæ*, huic febri ſuperuenientes, nihil adeo metuendi portendant, artificiales tamen laxationes minime ſunt ſubſtituendæ.

13. *Hæmorrhagia narium* extra iudiciaria tempora, cum incremento delirii eueniens, maiora mala prænuntiat, aluo præcipue ſicciore: deliria enim & aphthæ facile ſuccedunt; quando autem diuturnis deliriis hæc vel alia hæmorrhagia ſuperuenit, tolerabilior obſeruatur. Inter ea obſeruamus, quod hæ narium hæmorrhagiæ alio quidem tempore benignioris, alio autem peioris ſint prognoſeos.

14. *Aphthæ*, quando huic febri accedunt, ad funeſtum exitum plerumque inclinant: paucis enim horis ita inualeſcunt, vt per œſophagum ad ventriculum diffundantur;

cuius ſignum eſt borborygmus poſt potum, es kolckei bis in den Magen.

15. *Lipothymiæ* frequentius adfligentes, ad modum ſunt periculoſæ.

16. *Hippocratis* prognoſin de fluxione acri cauſtica præced. tab. LXVIII. iam adlegauimus; quæ proinde hoc loco repetenda eſt.

17. *Inflammatio*, quæ huius indolis fluxiones ſequitur, quo minus *ſanguineæ* admixtionis inuoluit, eo minus etiam ad acrem effectum vlceroſum properat, ſed potius diſcuſſione iterum reſoluitur.

18. *Vlceratio* autem, quando obtingit, multis modis eſt deterior, quam ſimplex *ſuppuratio*; immo ita maligna deprehenditur, vt facile in putridam ſphaceloſam corruptionem abeat.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus generalis.*

1. *Correctio* materiæ malignæ, contagioſæ, pro viribus tentanda eſt, & ſic commotio humorum inteſtina, & ab illa pullulans acrimonia vlceroſa mitigatur. Ad hanc correctionem eligenda ſunt talia alexipharmaca, quæ ſine multa commotione *tantum corrigunt*, ſiue ad excretionem diſponunt. Valet hic præ aliis eſſentia *ſcordii* cum eſſentia *radicum alexipharmacarum* mixta: facit quod poteſt, non autem quod neceſſitas ſæpe poſtulat: *ſpecifica* adhuc deſiderantur.

2. Lentæ & ſenſim progredientes lenes *euacuationes* diuretico diapnoicæ magis quam ſudoriferæ, promoueantur. Obtinetur hoc felicius

   1) per *abſorbentia*, abſterſiuo-diuretica virtute prædita, nempe *acido* ſaturata, it. per acida, v. g. ſucc. citr. ſirup. acetoſ. citr. tinct. roſar. decoct. C.C. & ſcorzon. citrat.

   2) Per *diaphoretica fixa*, e.g. antimon. diaphoreticum, bezoard. mineral.

   3) Efficaciſſime per maritationem cum *nitro*.

4) Per

4) Per *diluentia*.
5) Per potiones diapnoicas, in ſanguineis leuiter acidulas.

3. *Virium* & *ſymptomatum* vrgentium habenda eſt ratio:
1) *Vires* reſtaurant *emulſiones* ex aqua roſarum, cinnamon. & ſemin. card. bened.
2) *Cephalalgiæ* & agrypniæ occurritur per camphorata, externe adplicanda.
3) *Diarrhœa* excedens tuto tractatur per nitrum & cryſtall. montan. præparat.

B. *Methodus ſpecialis*.

1. Mane exhibeatur eſſent. alexipharm. cum multa eſſentia ſcordii remixta, ad gtt. 25. 30.
2. Per diem autem puluis bezoard. propinetur, e.g.
Recip. nitr. depurat.
antimon. diaphoret.
ocul. cancr. acido citri. ſaturat. ana drachm. I. M.
doſ. ſcrup. I.
3. Item potiones ex aquis diapnoicis cum præcipitantibus & antimonio diaphoretico paratæ. e.g.
Recip. aqu. flor. acac.
galeg.
ceraſor. nigr.
ſcord.
ſcabioſ.
plantag.
cinnamom. ſine vino ana vnc. I.
antimon. diaphoret. ſcrup. II.
ocul. cancr. drachm. ſemis
ſacchar. perlat. q. ſ. ad gratiam, doſ. cochl. I. poſt 2. 3. horas repetenda.
4. His ſubinde interponi poſſunt *iulepi*, aut potiones *acidulæ*, e.g. clyſſus antimon. vel ſuccus citri, potui inſtillandus.
5. *Emulſiones* ex ſemine aquilegiæ, card. Mariæ, citri, valent præcipue, ſi maculæ & purpura conſpiciantur.
6. Concurrente *diarrhœa*, eadem quidem manet methodus, pulueres autem nitroſi eo frequentius repetantur, &

cryſtallus montana adiiciatur, obſeruato adhuc magis regimine diapnoico.

7. In *adſtrictione* autem *alui* ſufficiens humectatio, vſus pulverum nitratorum & clyſteres, moderate adhibiti, conveniunt.

8. In *doloribus capitis* ſub initium ſpiritus vini camphoratus, deinde autem vnguent. alabaſtrinum camphoratum adhibeatur.

9. Simul ac ægri male deglutire ſentiuntur, *gargariſmata* ſubadſtringentia, interne & externe diſcutientia, ac leniſſime laxantia tempeſtiue adhibenda ſunt, ne aphthæ præualeſcant. Idem de *aginodeis* malis cenſendum eſt.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quo magis hæc febris epidemica eſt, & petechizat, adeoque ad veterum quotidianam continuam, a phlegmate *ſalſo* exortam, accedit, eo circumſpectiore & leniore methodo adgredienda, ac periodus illius ſeptenaria obſeruanda eſt.

2. Hinc magis adhuc, quam in febre catarrhali *benigna*, cavendum, ne vlla vehemente commotione euacuatoria morbus *primarius*, nempe ſtagnatio materiæ acris, exagitetur; quod in progreſſu morbi *ſecundarii*, ſcilicet febris, tanto magis euitandum: nimis enim mature & copioſe maculæ prodeunt, ac facile recedunt.

3. Procul itaque abſint aluum ſtimulantia, alexipharmaca calida, anticatarrhalia lignoſa, ſuccinata, ſalia volatilia vrinoſa.

4. Secus ſi fiat, maior ad interiora regeſtio, inflammationes internæ eryſipelaceæ, anxietates, & virium amiſſio producuntur.

5. Hinc *Baglivius* a ſimplicibus exagitationibus intempeſtiuis per alexipharmaco-ſudorifera in malignis epidemicis mortem adnunciauit.

6. Specialiter monendum eſt, quod euacuatio ſanguinis per *venæ ſectionem* in hac febre ſumme noxia ſit: nam circa dies criticos congeſtiones humorum verſus caput

plu-

plurimum contingunt, & aphthas ac deliria excitant, cum euentu funeſto; niſi continuum regimen diapnoicum, ſtatim poſt venæ ſectionem iniunctum, hunc infelicem ſucceſſum aliquo modo infringat. Hinc etiam Medicus poſt venæ ſectionem demum in auxilium vocatus, regimen diapnoicum ſibi commendatum habeat.

7. Non tantum doctrina de *ſpecificis fermentis* & *fermentationibus* difficilis eſt, & nulla ſpes adfulget perſpiciendi tandem rationem, cur talia fermenta certas quidem animalium ſpecies violentiſſime inuadant, aliis autem minime noceant, ita vt canes de talibus recenter mortuis ſine damna edere poſſint.

8. Vnde & huius febris noxium fermentum ad certam corruptionis claſſem laborioſe referre, ſuperuacaneum eſt; videtur tamen aliquid *ſcorbutici* fouere.

9. In *ſpecificum* autem huius febris *corrigens* inquirere, maioris eſſet vtilitatis.

10. Dantur quidem *alexiteria*, quæ certæ ſpeciei contagia tollunt, e. g. *ſcorzonera* delet venenum, per morſum ſerpentum communicatum; ſed ſpecificum corrigens contagii, in hac febre præſentis, adhuc incognitum eſt.

11. *Apinus*, in libr. de febribus, multis quidem laudibus *eſſentiam extracti caſcarillæ*, præmiſſo vomitorio exhibitam, extollit, & *Stahlius* bonum inde effectum, ſed ſine vomitorio præmiſſo, itidem obſeruauit, *ſpecifica* autem experientia nondum confirmata eſt, quia febris ordinarium ſuum tempus ſolet ſeruare.

12. Sic nec *elixirium polychreſtum* vniuerſale ſpecificum habendum eſt, nam febris ſtatum ſuum tempus ad 7. 9. 11. dies continuat: attamen continuato eius vſu ſymptomata multo mitiora obſeruantur. Præter ea abuſus, non vero moderatus vſus ſumme debiles reddit ægros, vt diu vires colligere non poſſint, immo facile in febres lentas incidant.

13. De reliquo, licet contagium huius febris propria ſua indole

dole ſatis ſegne & lene obſeruetur, ita vt poſt 3. 4. ſeptimanas demum corripiatur aliquis ex illa familia, in qua ante tantum temporis alter decubuit, variat tamen ſecundum maius & minus, pro anni, temporis, & reliquarum circumſtantiarum diuerſitate; imo obſeruata ſunt non pauca exempla, quæ non decubuerunt hac febre, & tamen maculas experta ſunt.

14. Quando autem plures ſimul, aut breui temporis interuallo ab illa corripiuntur, iuſta ſuſpicio ſubeſt, quod formido, moeror & inſolita fatigatio in alterius ægroti ſeruitio, ſint accuſanda. Huc etiam ſpectat, quando ſani cibum ſuum capiunt in illo conclaui, quo æger decumbit.

15. Dubitat omni iure *Schelhammerus*, *num terrea* præcipuam ſuam efficaciam in corpore exſerant per *acidi* abſorptionem: non enim tam *acidum* abſorbent, quam particulas *tenuiores ſulphureas*, quæ fermentatiuas & putridas corruptiones inferunt, coagulant, & ſic illarum agilitatem infringunt.

16. Hinc euenit, vt *abſorbentia* oſtracodermata ſudorem promoueant, quia ſcilicet acrimoniam talem ſalino-ſulphuream, orgaſmum ſanguinis inducentem, & hac ratione ventilationem ſudatoriam impedientem, feliciter corrigunt, & per diureſin euacuant.

17. Eumdem commodum effectum exhibet *nitrum*: incraſſat enim tenues catarrhos, & ad motum exſcreatorium & diureticum promouet: vnde etiam in repulſo rheumate grauia mala, ab his agilibus particulis exſpectanda, præoccupat. *Conf. tabul.* LXVII.

18. Quando *petechiæ* erumpunt, *emulſiones* temperantes tutius, quam alexipharmaca fortiora propinantur.

19. Quando *diarrhææ* accedunt, caueat ſibi æger, ne ſub aluo deponenda frigori ſe exponat: vnde opus eſt, vt patina, huic negotio accommodata, ægro decumbenti ſupponatur.

20. In *tuſſi catarrhali*, quæ ſæpius cum hoc morbo coniuncta

eſt,

eſt,interponantur *infuſa:* hæc enim & materiæ excretionem, & diapnoën adiuuant.

21. *Vigiliæ* nimiæ non per *narcotica*, ſed ſufficientem potum, pulueres nitroſos,cinnabarinos,emulſiones & potiones analepticas oppugnandæ ſunt.

22. Hæc etiam remedia in deliriis, vel lipothymiis optima ſunt, coniunctis paruis, ſed repetitis doſibus bezoardicorum.

23. *Potus* vbique *tepidus* exhibeatur, cibus ægroto recuſanti non obtrudatur,& mens,quantum fieri poteſt,tranquilla commendetur.

24. Finito morbo eſſentia alexipharmaca aliquam diu continuetur,quo reſiduum materiæ noxiæ prorſus eliminetur;præcipue quando excretiones in ipſius morbi periodo non adeo largas fuiſſe animaduertimus.

## TABVLA LXXIII.

## DE FEBRE PETECHIALI.

I. D*EFINITIO.*

Febris petechialis eſt ſpecies febrium malignarum ſatis acuta,in qua principium vitale miaſma malignum ex maſſa ſanguinea ſeparare, ad peripheriam corporis in forma macularum, pulicum morſibus ſimilium, protudere, & penitus denique expellere intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differt febris *petechialis* a *catarrhali maligna petechizante* ratione *gradus*: quo reſpectu illa hanc longe ſuperat. Præter ea in catarrhali *maligna* catarrhus ſemper adeſt, petechiæ autem non ſemper proueniunt: Vnde petechizans tantum adpellatur; in petechiali autem ſtricte

dicta catarrhus non reperitur, maculæ vero non tantum perpetuo adſunt, ſed & maturius erumpunt: immo dantur caſus, vbi petechiæ ante adparent, quam æger decumbit.

2. A *purpura rubra* in eo quidem differunt petechiæ, vt nullam in cute eminentiam oſtendant, fieri autem non raro ſolet, vt hæc exanthemata ſint coniuncta, & alia aliis interſperſa, ac tum quidem a ſe inuicem difficulter diſtinguuntur.

3. A febre *Hungarica* ſeu *caſtrenſi* etiam diſtinguere ſolent hanc petechialem, & hanc differentiam, vtut exiguam, ſigna huius & ſequentis *tabulæ* oſtendent.

4. Quod a *peſte* differat *gradu malignitatis* & diſpari *exanthematum* ratione, omnibus fere notum eſt.

5. Denique ipſa petechialis pro locorum, annorum, & temporum diuerſitate diuerſos gradus malignitatis & periculi exhibere obſeruatur.

III. *SIGNA.*

1. Hæc conueniunt cum ſignis febrium malignarum.
2. Inuadit autem plerumque circa veſperam cum leni horrore.
3. Æſtus, qui ſequitur, comites habet dolores capitis inſignes, virium amiſſionem, anxietates præcordiorum, animi ſummam inquietudinem & abiectionem, ad lipothymias ſæpius excedentem.
4. In aliis motus conuulſiui occurrunt.
5. Deliria ſunt fere ordinaria.
6. Non raro conqueruntur ægri de faucium ardore, cui niſi arte occurratur, morbi aphthodei vel anginodei ſuccedunt.
7. Petechiæ, vti ſub *differentia* diximus, maturius erumpunt, quam in *catarrhali maligna*.

IV. *SVBIECTA & CAVSSÆ.*

Hæc conueniunt cum iis, quæ tabula de febribus malignis generatim diximus.

V. *PRO-*

## V. *PROGNOSIS.*

1. Febris petechialis ſæpius ita maligna & contagioſa eſt, vt brevi tempore inſignem ſtragem edat.
2. Quo magis ſymptomata diſſimulat & inſidioſe procedit, eo grauius periculum minatur.
3. Speciatim mortem minantur abiectio animi præter manifeſtam rationem, inquietudo continua in lecto, anginæ vel aphtharum concurſus, lipothymiæ grauiores, deliria non interrupta, reſpiratio laborioſa, ſingultus, ſubſultus tendinum & motus conuulſiui, præcipue, quando hæc ſymptomata in ſtatu vel declinatione accedunt.
4. Quo maturius & copioſius petechiæ erumpunt, eo maior malignitas ſubeſt.
5. Petechiæ, quæ inconſtantes ſunt, ita vt modo adpareant, modo evaneſcant, nil boni portendunt.
6. Quæ ſunt coloris roſei & floridi, illæ meliores cenſentur, quam quarum color eſt obſcure rubicundus, liuidus vel plane niger.
7. Adfectus ſoporoſi cum frigore extremarum partium, lethalia ſunt ſigna.

## VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA CVM CAVTELIS.*

1. Quamquam febris petechialis malignior ſit febre catarrhali maligna, eadem tamen methodo incedendum eſt.
2. Hinc ante meridiem bis exhibeatur eſſentia alexipharmaca temperata, poſt meridiem autem pulueres febriles, ſuo loco deſcripti, propinentur.
3. *Analeptica*, eaque temperata, interponantur, & tranquillitas tam animi quam corporis quouis modo reſpiciatur.
4. Omnes autem *commotiones* per remedia calida & regimina coacta excludantur.
5. *Venæ ſectio*, ſi omnino neceſſaria videtur, in principio principii inſtituatur.

# TABVLA LXXIV.
## DE FEBRE HVNGARICA SEV CASTRENSI.

I. DEFINITIO.

Febris *Hungarica* ſeu *caſtrenſis* eſt febris acuta maligna, ſæpius epidemica, qua principium vitale motibus vltra gradum naturalem auctis, miaſma quoddam malignum ex corpore proſcribere intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Febris *caſtrenſis* ſeu *Hungarica* licet cum *catarrhali maligna* & *petechiali* tantam habeat conuenientiam, vt pro vna eademque febre a non nullis reputentur, differunt tamen *gradu ſymptomatum*: in *Hungarica* enim ſeu *caſtrenſi* omnia ſunt grauiora.
2. Speciatim differt a *catarrhali maligna* ratione *catarrhi*, qui in febre *Hungarica* ordinarie non reperitur.
3. Differt a *peſte miaſmatis gradu*, quo huic multum cedit.
4. Sunt, qui inter *Hungaricam* & *caſtrenſem* differentiam adhuc ſtatuunt, hæc autem non niſi in accidentalibus tantum circumſtantiis locum habet.

III. *SIGNA.*

1. Corripit ſubiecta cum horripilatione & dolore capitis.
2. Æſtus ac ſitis, præcipue in plethoricis, eſt fere intolerabilis, & ardor circa ſcrobiculum cordis eximius.
3. Lingua continuo eſt ſicca & ſæpius tumida.
4. Angina ad modum eſt familiaris
5. Circa quartum aut ſeptimum diem grauia deliria accedunt.
6. Vaſa capitis ſanguinea valde turgent, & oculi ſunt fulgidi.
7. Circa veſperam paroxyſmus exacerbatur.
8. Aluus numquam fere rite ſuccedit: vel enim nimis ſtricta eſt, vel diarrhœæ adſunt.
9. Pro ſubiectorum, temporum annuorum, regiminis & diætæ diuerſitate conſpirant vomitus, dyſenteriæ, petechiæ, parotides, paralyſes, hemiplexiæ.

10. Na-

10. Narium hæmorrhagiæ non raro etiam concurrunt.
11. Adeſt agrypnia fere continua & abſtinentia a cibis per multos dies.
12. Pulſus ordinarie eſt fortior quam in aliis malignis.
13. Ceterum hæc febris plurimum menſibus Iunio, Iulio, Auguſto, rarius aliis temporibus exoritur.

IV. *SVBIECTA.*

1. Contagioſa hæc febris omnis quidem generis ſubiecta, vbi graſſatur, inuadit, præ aliis autem plethoricis eſt infenſa.
2. Speciatim corripit milites, qui in caſtris aëri impuro expoſiti ſunt, aquas ſtagnantes bibunt & alia diætæ vitia admittere coguntur, præcipue, quando hæc omnia cum priore vitæ genere non conueniunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* eſt miaſma valde ſubtile, maxime agile & fermenteſcens, cum corpore communicatum
2. Cauſſa *efficiens* eſt ipſa natura, quæ motibus ſuis ſalutaribus corpus a miaſmate illo maligno liberare intendit.
3. Cauſſæ *occaſionales* potiores ſunt:
   1) Aër fermenteſcentibus putridis halitibus refertus.
   2) Contagium per alios inductum.
   3) Parua diæta, ſpeciatim fructus immaturi, potus aquarum putridarum, refrigerationes corporis exæſtuantis.
   4) Animi pathemata, præcipue ſuppreſſa.

VI *PROGNOSIS.*

1. Hæc febris multis reſpectibus eſt periculoſa.
2. Dolores enim capitis & deliria quo magis vrgent, eo maiorem metum phrenitidis incutiunt.
3. Non minus ardores illi interni, qui circa ſcrobiculum cordis pertinaciter adfligunt, inflammationem diaphragmatis vel ventriculi arguunt.
4. Petechiæ huic febri ſuperuenientes ſiniſtrum omen præbent.
5. Valet & hoc de illis deliriis, quæ extra tempus paroxyſmorum adueniunt.

 6. Me-

6. Metaſtaſes humorum ad fauces periculo pleniſſimæ, ſed longe mitioris prognoſeos ſunt parotides.
7. Aluus laxa tolerabilior eſt adſtricta.
8. Hæmorrhagiæ narium extra dies criticos ancipitis ſunt prognoſeos: quæ vero diebus criticis completæ & moderatæ contingunt, illæ morbum ſublevant.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Commendamus quidem hic eamdem methodum, quam *tabula de febre catarrhali maligna* indicauimus.
2. Quoniam autem curatio huius febris ob indiuiduales circumſtantias tum demum Medicis ſolet commendari, quando grauia ſymptomata iam habet conſtipata, mature de circumſpecta illorum tractatione cogitandum eſt, v. g.
3. Deliria tractentur remediis temperantibus nitroſis, abſorbentibus citratis, emulſiuis, potu ſufficiente & blando regimine diapnoico: externe adplicentur camphorata, vel vnguentum alabaſtrinum largiter camphoratum.
4. Anginodea & aphthodea ſymptomata, quo modo tractanda ſint, *tabula medica de angina,* & *tab. chirurgica de iniectionibus* videatur.
5. Diarrhœæ, ſiue ſimplices, ſiue dyſentericæ, tractentur abſorbentibus, nitroſis, cortice caſcarillæ, & pilulis *Stahlianis.*

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quæ cautelæ tabula generali *de febribus malignis & epidemicis* ratione *venæ ſectionis, vomitoriorum, purgantium, ſudoriferorum* & aliorum vehementer operantium remediorum traditæ ſunt, illæ in febre caſtrenſi tanto magis conſiderari merentur, quoniam *methodus heroica* cum indole expeditionum bellicarum egregie conuenit, & in caſtris quam maxime recepta eſt.
2. *Venæ ſectio* quando in principio inſtituenda iudicatur, non tantum largior eſſe debet, ſed & neceſſum eſt, vt regimen diapnoicum mox ſubiungatur, & quouis modo conſeruetur, ne commotiones hæmorrhagicæ exoriantur.

Hunc

3. Hunc in finem commendamus de eſſentia alexipharmaca temperata pulueri febrili guttas XXV. inſtillare, hancque doſin poſt trium horarum interuallum repetere.

4. *Opiata*, *adſtringentia* & multum *incraſſantia* nullo modo hic habent locum.

5. Superato morbo conualeſcentes, in primis iuniores, ad modum ſunt voraces: hinc moderamen in diæta ſollicite eſt inculcandum.

6. Et quoniam aër liberior facile *recidiuam* adfert, conſultum eſt, per aliquod tempus domi ſe continere & eſſentia alexipharmaca vti.

# TABVLA LXXV.

## DE FEBRE PVRPVREA SEV MILIARI, PVRPVRA VRTICATA ET FEBRE SCARLATINA.

I. D*EFINITIO.*

1. *Febris purpurea* ſeu *miliaris* eſt febris acuta, continua, exanthematica, vbi principium vitale miasma aliquod ſubtile fermenteſcens ad peripheriam corporis extrudere intendit: motibus ſecretoriis & excretoriis, vltra conſuetum ordinem auctis.

2. *Purpura vrticata* eſt ſpecies febris benignioris & mitioris, in qua natura per eosdem motus auctiores materiam quandam acrem, papulas ſiue eminentias, læſionibus poſt vrticarum ictum ſimiles, formantem, expellere nititur.

3. *Febris ſcarlatina* eſt ſpecies febrium acutarum, continuarum exanthematicarum, in qua natura materiam quamdam acrem cauſticam, corpori infenſam, in peripheriam, maculas latas rubras formantem, expellit.

II. *DIF.*

II. *DIFFERENTIA.*

Hæ diuerſæ ſpecies ſub vno genere omnes conueniunt, & miaſma quoddam acre, ſubtile, fermenteſcens fouent, ratione tamen efflorescentiæ cutaneæ aliquo modo diſtinctæ ſunt. Et ſic differt

1. *Purpura*; germ. der Frieſel.
   1) a *purpura vrticata*, germ. die Neſſel- oder Wiebel-Sucht, nam in illa exanthemata magnitudine granum milii vix ſuperant: in hac autem ſunt maiora & altiora, ſie ſehen natürlich aus, als wenn man einen mit Brenn-Neſſeln gepeitſchet hätte.
   2) A *febre ſcarlatina*, germ. das Scharlach-Fieber; in qua exanthemata ſunt ad modum lata & inſigniter rubentia, in purpura vero paruæ ſunt eminentiæ.
   3) A *petechiis*, quæ profunde in cute hærent, purpura vero cutim ſuperat.
   4) A *maculis ſcorbuticis*, quæ & colore & magnitudine diſpares ſunt.
   5) A *morbillis*, in quibus exanthemata ſunt elatiora, quam in purpura.
2. Purpura ipſa eſt vel *alba* vel *rubra*.
3. Purpura *alba* ordinarie eſt maligna, & febribus petechizantibus facile complicatur, in quibusdam etiam locis puerperis accidere proximis abhinc annis obſeruata eſt. *Vid. ſubiecta.*
4. Purpura autem *rubra* multo benignior ordinarie obſeruatur, ad quam proinde definitio, modo tradita, in totum non poteſt adplicari.
5. Purpura alba & rubra differunt fere vt variolæ & morbilli.
   1) Vti enim variolæ malignius ordinarie ſe gerunt, quam morbilli, ita etiam purpura *alba* malignior eſt *rubra*.
   2) Quem ad modum autem aliquando variolæ benigniores, morbilli autem maligniores obſeruantur, ſic etiam purpura *alba* interdum benignior, & ſine grauiore febre, *rubra* autem malignior, & cum febre acuta coniuncta adparet.

3) Sicut variolæ puſtulas habent albas, & morbilli protuberantes tantum hirſutas efflorescentias, ita etiam purpura *alba* veras habet puſtulas, & purpura *rubra* hirſutos ſolum nodulos; id quod ex *ſignis* magis elucеſcet.

III. *SIGNA.*

1. *Purpuræ albæ.*

1) Inuadit plerumque cum horripilatione & anguſtia ac anxietate præcordiorum.

2) Frigus & æſtus volatilis alternant,

3) Ante eruptionem exanthematum ægri de pruritu intercutaneo conqueruntur, vel prorſus grauiora pathemata anxietatis incurrunt; inter ea omni ſollicitudine a frigore ſe præmuniunt.

4) Circa quartum ordinarie diem exanthema hoc erumpit, primum in collo & pectore, poſt ea in reliquo corpore, nonnumquam etiam ſerius, die ſcilicet ſeptimo, immo vndecimo & decimo quarto, hæc eruptio contingit.

5) Sub qua eruptione primum *rubedo* quædam per ſuperficiem corporis adparet.

6) Poſt ea in medio cuiusuis rubicundæ maculæ *puſtulæ albæ* exſurgunt, & quidem tam copioſæ, vt vna fere alteram attingat.

7) Ordinarie cum febre *acuta*, rarius ſine illa.

8) Diaphanæ ſunt hæ puſtulæ, & aquam tenuem continent.

9) Quando per quatuor circiter dies ſubſtiterunt, exſiccantur, ſquamarum inſtar decidunt, & febris ſoluitur.

10) In humidioribus autem, & abſente febre, puſtulæ hunc humorem exſtillant.

2. *Purpuræ rubræ.*

1) Inuadit eadem fere ratione, vti *alba*, nempe horripilationibus & æſtu volatili illis intercurſante.

2) Cum tenſione & preſſione in dorſo.

3) Item cum anguſtia præcordiorum & tuſſi.

4) Circa diem quartum, ſeptimum, vel adhuc ſerius erumpunt exanthemata, ſeminis *milii* & cutis anſerinæ inſtar, ſub prurigine & punctione intercutanea.

5) Febris, quæ accedit, ordinarie mitior eſt: in aliis tertianæ, in aliis quotidianæ, in nonnullis vero acutæ ſchema exhibet.

6) Hæ febres ad largiores ſudores inclinant, fœtore graui ſeſe manifeſtantes.

7) Sub febrium paroxyſmis ingentes anxietates & artuum ſpaſmi ſeſe exſerunt.

8) Nonnullos ſine febre occupat, ita vt ægri negotiis ſuis vacare poſſint, & nil, niſi pruritum ſub cute, perſentiſcant.

9) Quando autem paullulum incaleſcunt, ardore & ſenſu punctorio corripiuntur, cum ſucceſſu fere largiſſimi ſudoris.

10) Nonnulli grauitatem & perturbationem capitis ſentiunt, ac ſomnolenti & tædioſi obſeruantur; immo nonnumquam lipothymiis corripiuntur, præſertim quando exanthemata nondum legitime effloruerunt.

11) Vbi per aliquot dies exanthemata ſubſtiterunt, decidunt, & æger plenariam recuperat euphoriam.

12) In aliquibus autem, præcipue debilioribus, valetudinariis, & calido regimine viuentibus, continuat fere per annos, & licet paullulum remittat, leuiſſima tamen occaſione recrudeſcit.

3. *Purpuræ vrticatæ.*

1) Inuadit ſæpius cum ſubtili ſenſu refrigerii in ſuperficie corporis.

2) Subſequitur moderatus calor.

3) Hunc comitatur ſitis, non tamen adeo intenſa.

4) Iungitur etiam aliqua capitis perturbatio aut lenior eiusdem dolor.

5) Tandem cum multo pruritu & ſuperficiali tenſione & rigore hinc inde exanthemata tam in facie quam reliquo corpore erumpunt.

6) Hæc

6) Hæc exanthemata cutim ſuperant, & cito in notabile augmentum adcreſcunt, ac papulas quasdam eminentes, paullo latiores, coloris ex pallido roſei, vrticarum læſiones referentis, offerunt.

7) Nonnumquam cum tuberculis ſemi-eryſipelaceis, & aſperitate ſerpiginoſa effloreſcit, & aliquo modo eryſipelatis indolem imitatur.

8) Febris, ſi adeſt, mitioris indolis eſſe ſolet.

9) Non tamen conſtanter permanent exanthemata, ſed diurnis in primis horis euaneſcunt, quibus etiam motus febriles remittunt.

10) Circa veſperam vero, vbi febris reuertitur, denuo prodeunt, & eo tempore etiam pruritus moleſtus & ardens inſigniter adfligit.

11) Totus morbus intra triduum aut quatriduum finem ſuum adſequitur, & ſi a febre immunis eſt, adhuc citius exitum ſortitur.

12) Cum temperata diaphoreſi exit, & poſt ceſſationem exiliſſimæ ſquamulæ ab adfecta parte ſecedunt.

4. *Febris ſcarlatinæ.*

1) Incipit & hæc purpuræ ſpecies cum leni horripilatione, quam temperatus ſubſequitur æſtus, plerumque ſiti moderata, faucium ardore & virium deiectione ſtipatus.

2) Adeſt etiam oppletio pectoris, reſpirationem difficilem reddens, cum tuſſicula ſicca.

3) Accedit capitis grauitas vertiginoſa aut dolor magis acutus.

4) Die quarto tota facies intumeſcit, & erumpunt maculæ intenſius rubicundæ, primo paruæ, mox vero latiores redduntur & coaleſcunt, ac totam faciem ſumma rubedine tingunt.

5) Circa hoc tempus in quibusdam, præcipue plethoricis, ſuperueniunt hæmorrhagiæ narium.

6) Poſt ea hæ maculæ latæ etiam in pectore & dorſo, tandem in artubus prodeunt, & totam ſuperficiem tegunt.

 7) Poſt-

7) Poſtquam duos aut tres dies ita ſubſtitere, rubor ille inſignis perit, facies derumeſcit, & ſquamulæ decidunt.

8) Febris ſatis tranquille excurrit, & cum moderata diaphoreſi ſalutarem euentum obtinet.

9) Aluus ordinarie toto hoc tempore eſt clauſa, vti etiam in reliquis ſpeciebus, quæ tamen ſub finem morbi ſponte aperitur.

10) De reliquo hæc febris ſereno & æſtiuo tempore vſitatius adfligit.

IV. *SVBIECTA.*

1. Omnes hæ purpuræ ſpecies prioribus temporibus ita non innotuerunt, vti nunc ab aliquot hinc annis in Saxonia ſeſe manifeſtant; in qua regione purpura, in primis *alba* epidemice graſſari obſeruata eſt.

2. Purpura, præſertim *alba*, ab anno 1652. in quibusdam dictæ regionis locis commune ſymptoma puerperarum deprehenditur.

3. Vbi febres petechizantes graſſantur, ibi non raro *alba* cum petechiis proueniunt.

4. Sicuti etiam cum variolis nonnumquam conſpirare & ſymptomata ibi grauiora excitare ſolet.

5. Præter ea hæc mala & præcipue purpura rubra, chronica, benigna, inuadere obſeruantur ætatem iuniorem præ adulta.

6. Homines plethoricos, ſpongioſos, de temperamento ſanguineo & phlegmatico multum participantes.

7. Otio deditos & diæta lauta vtentes, & ad iram pronos.

8. Laborioſi autem vix vmquam his exanthematibus adfecti inueniuntur, & ſic cum ſcorbuto eadem fere fata ſubeunt, qui etiam otioſos frequentius occupat.

9. Feminæ hyſtericæ & delicatulæ præcipue obnoxiæ ſunt purpuræ *rubræ*, & ante, quam erumpit, ſchemata ſuffocationis vterinæ lipothymicæ ludit, non autem tranſitoria, quæ in ſuffocationibus hyſtericis vulgaribus deprehendimus; ſed ad eruptionem vſque exanthematum continuantia.

10. Ma-

10. Maxime omnium illis otioſis & delicatulis euenit, qui ſalvis rebus & tranquillis, tegumentis copioſis ab aëre ſe præmuniunt, & hac ratione humores ſemper ad peripheriam corporis inuitant.

11. Febris *ſcarlatina* nonnumquam virgines emanſione menſium laborantes, poſt varia molimina ad eorum excretionem tendentia, inuadere ſolet.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* horum exanthematum eſt materia ſubtilis fermenteſcens, plus vel minus maligna, & hac tenus in quibusdam locis epidemica, corruptionem ſui generis ſpecificam in corpore generans.

2. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod motibus, præter gradum naturalem auctis, miaſma illud noxium, & effectum ab illo inductum, nempe materiam vere iam corruptam, ſecernere & per corporis peripheriam excernere intendit.

3. Cauſſæ huius mali *occaſionales* & *procatarcticæ* ſunt:

1) Aër fermenteſcentibus particulis grauidus.

2) Contagium per alia corpora, eodem modo correpta.

3) Sudores non tantum repulſi & impediti, verum etiam

4) Per medicamenta exæſtuantia & regimina calida, præſertim in morbis petechizantibus & puerperiis coacti.

5) Peruerſa rheumatiſmi & febrium catarrhalium curatio per methodum nimis refrigerantem.

6) Diæta craſſa & dyſpepta, præcipue in minus adſuetis & otioſis.

7) Euacuationes ſanguinis *naturales* ſuppreſſæ, e. g. menſium, lochiorum hæmorrhoidum.

8) Vel *artificiales* neglectæ.

9) Repentinæ & immoderatæ ſanguinis commotiones & exæſtuationes, quibus ex ipſa humorum maſſa ſubtilis hæc & reliquæ mixtionis integritati inimica materia generatur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Purpura *alba* per ſe numquam periculo caret, in primis ſi

conſtitutio eſt epidemica, & tunc ſæpius plures iugulat.

2. Interdum tamen aliquo modo benigna obſeruatur, præſertim quando tum temporis nullæ febres malignæ graſſantur.

3. Ita, quæ ſine *febre* contingit, minus quidem periculoſa, maioribus tamen anxietatibus & motibus ſpaſticis ſtipata eſt, quam *rubra*.

4. Quando purpura *alba* nimis languide erumpit, ita vt poſt diſceſſum priorum noua exanthemata ſuccedant, ſemper peioris eſt indolis.

5. Receſſio purpuræ *albæ* ſæpius eſt lethalis, vel tamen grauiora ſymptomata, aphthas, mentis alienationes, vel ſummas anxietates inducit.

6. Purpura *alba* repulſa quando iterum expellitur, & tamen ſymptomata, a receſſione illa inducta, non mitigantur, omnino fidei eſt ſuſpectæ.

7. Quæ cum petechiis ſimul, præcipue mature, nempe tertio vel quarto die erumpit, eſt periculoſa; melioris autem notæ, quæ petechiis demum innaſcitur.

8. Purpura *alba*, lochiorum ſuppreſſionem excipiens, ſemper peior eſt quam reliqua.

9. Purpura *alba* ſubiecta plethorica aut cacochymica corripiens, ſemper grauius adfligit, & maiori periculo exponit ægrotantes.

10, Diarrhœa ſymptomatica, quando vehemens eſt, recuſſionem exanthematum facile poſt ſe trahit, & hinc merito ſuſpecta eſt.

11. Purpura *rubra* plurimum benigna eſt, & raro grauia coniuncta habet ſymptomata aut mala conſectaria.

12. Si vero conſtitutio eſt epidemica, ſæpius eumdem malignitatis gradum ac purpura *alba* obtinet, immo hanc interdum adhuc ſuperat.

13. Spongioſi longe facilius ferunt purpuram, quam qui ſtrictioris ſunt habitus.

14. Purpura *rubra*, quando, regimine placido neglecto, recedit, tam præſentaneum quidem periculum, vti *alba*, non

ad-

adfert, ſequuntur tamen anxietates cum motibus ſpaſticis & grauatione defatigatoria in omnibus corporis partibus.

15. Nonnulli inflammationes faucium, aphthas, & dolores anginodeos ex hac receſſione incurrunt.

16. Alii tuſſi ſicca vehemente, alii ardore vrinæ, alii arthriticis malis, hemicrania & pleuritide ſpuria corripiuntur.

17. Quæ vero ſymptomata, erumpente iterum purpura, fere prorſus euaneſcunt.

18. Purpura *vrticata* & febris *ſcarlatina*, quando ſibi relinquuntur, nihil mali portendunt, & ſponte interdum iterum ceſſant.

19. Si autem imprudenter tractantur, in primis per regimen nimis calidum, aut per alia ſanguinem commouentia, mala plerumque conſectaria habere ſolent.

20. Hæmorrhagia narium ſufficiens, in febre *ſcarlatina* ſub eruptione exanthematum contingens, morbum inſigniter imminuit.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Si vmquam alibi, certe in *purpura* methodus debet eſſe temperatiſſima.

2. Hinc eſſentias alexipharmacas, vtut temperatas, durante morbo hic excludimus, & ſolos pulueres febriles cum potionibus diapnoicis & emulſionibus adhibere commendamus.

3. Immo in purpura ſimpliciore, non maligna, ſed chronica, ne antimoniata quidem fixa adhibenda eſſe cenſemus, quoniam in ſenſibilibus plus commotionis excitant, quam imperitus forte crediderit. *Conſ. præfat. Illuſtr. Stahlii.*

4. Quando diarrhœæ accedunt, puluis corticis caſcarillæ ad grana decem pulueri febrili miſcendus eſt.

5. Sudores ſpontanei, qui durante morbo non exigua incommoda adferunt, neque ſupprimendi, neque promouendi, ſed prudente ratione moderandi vel tolerandi ſunt.

6. In

6. In declinatione morbi eſſentiæ alexipharmacæ temperatæ cum leni limis laxantibus locum habent.

7. De purpura *vrticata* & febre *ſcarlatina* non habemus, quod ſpeciatim dicamus.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quæ tabula de febre catarrhali maligna de continentia tranquilla, placido regimine, & euitandis calidis medicationibus diximus, illa hoc loco quam maxime etiam ſunt obſeruanda.

2. Sigillatim irritatio *alui* hic tam periculoſa eſt, quam in variolis & morbillis: hinc leniſſima adeo clysmata non ſatis tuto adplicantur.

3. Nec etiam, vti ſub *methodo* iam diximus, locus concedendus eſt *alexipharmacis* calidis *diaphoreticis*, & aliis maſſam humorum commouentibus, ſiquidem ſub hoc labore feruido plures generantur impuritates, & materia acris vna cum febre augetur.

4. Et licet plethora commota his malis ordinarie anſam præbeat, *venæſectio* tamen inſtituenda non eſt, ne exanthematum receſſio ad interiora ſequatur.

5. Quando exanthematum receſſionis metus ſubeſt, potus aquæ calidæ, e.g. thée commendatur, extra hunc autem timorem pro potu ordinario cereuiſia dilutior, bene tamen defæcata, vſui eſſe poteſt.

6. *Regimen* coactum licet noxium ſit, caueant tamen ſibi decumbentes, ne exiguum etiam aëris acceſſum refrigeratorium admittant: hinc neceſſarium erit, per illos dies, quibus purpura durat, lectum non ſternere.

7. Morbis faucium ſuperuenientibus eſſentia *pimpinellæ albæ* per aliquot guttulas, ſine vehiculo inſtillata, egregie ſe gerit: ardorem quidem, ſed etiam ſalutarem effectum hæ guttulæ, in ore detentæ & deglutitæ, inferunt.

8. *Scarificatio* repetita, &, rebus adhuc tranquillis, ad præcautionem inſtituta, vſum habet in illis, qui ſæpius a purpura infeſtantur.

9. Vbi autem ſuppreſſæ ſanguinis euacuationes ſubſunt, ibi illarum

illarum reſtitutio animo inſideat, ad quam obtinendam præcipue pilulæ *Stahlii* vel *Beccheri* egregie ſe gerunt, ſubiuncta pro rerum circumſtantiis venæ ſectione.

10. Rebus tranquillis tranſpirationem naturalem per vitæ genus placide laborioſum promouere, multo efficacius erit ad ſanitatem tuendam, quam ſollicita aëris per tegumenta excluſio; quæ potius hæc exanthemata ad peripheriam corporis inuitat. Tempore autem illo, quo efflorefcunt hæc exanthemata, neceſſarium eſt, pectus ad vmbilicum vſque a ſenſu frigoris defendere.

11. De purpura *alba* adhuc indicandum eſt, quod ad modum inſidioſe nonnunquam ſe gerat, & variis ſuis ſchematibus multis modis Medicum decipiat. Aegri de nullis doloribus conqueruntur, bene ingerunt, dormiunt, ſudant, & tamen orthoſtadii eſſe non poſſunt. Erumpente tandem purpura animam efflant, e. g. Studioſus quidam hoc malo corripiebatur, qui primis diebus nihil niſi laſſitudinem accuſabat, interim neque de cibo & potu ſibi aliquid detrahebat, neque vigiliis multis vexabatur. Die nono purpura alba conſpiciebatur; vndecimo autem die neſcio quo caſu factum eſt, vt ſumma auiditate duplam cibi portionem deuoraſſet. Qua ingeſta poſtulauit, vt ſibi ſtratum adferrent, ſe iam eſſe moriturum, cui etiam parato membra ſua repoſuit, & ſtatim ex hac vita diſceſſit.

## TABVLA LXXVI.

## DE VARIOLIS ET MORBILLIS.

1. D*EFINITIO.*

Variolæ & morbilli ſunt febrium acutarum, exanthematicarum ſpecies, epidemice plerumque graſſantes, vbi natura motibus ſecretoriis, & excretoriis, vltra gradum

naturalem auctis, materiam fermenteſcentem vlceroſam, ad peripheriam corporis propellere, & hac ratione eamdem eliminare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Variolæ ac morbilli quotannis fere pro diuerſa aëris conſtitutione epidemica variant, atq; hoc reſpectu ſunt vel
   1) *Regulares* & *benigniores*, quæ ſtata & definita tempora ſeruant; vel
   2) *Irregulares* & *maligniores*, (ſecundum *Sydenhamum*) quæ ab hac norma deflectunt.
2. Vulgus variolas diſtinguit in *veras* & *nothas*; per *nothas* autem intelligit illas, quæ minus copioſe prorumpunt, & veſiculam pellucidam, humore refertam, formant, ſine acceſſu febris exquiſitæ: german. Wind- und Waſſer-Pocken, wilde Blattern.
3. Variolæ ratione numeri ſunt:
   1) Vel *paucæ* ac *diſtinctæ*.
   2) Vel *copioſæ confluentes*.
4. *Variolæ* differunt a *morbillis* ſuppuratione.
5. *Morbilli* differunt a *petechiis*.
   1) *Latitudine*, qua petechias ſuperant.
   2) *Eleuatione*, quæ in morbillis magis conſpicua & notabilis eſt.
   3) *Inflammatione*, quæ in morbillis ad genium inflammationis eryſipelaceæ proxime accedit.
   4) *Morbilli* etiam differunt a *purpura miliari*: in qua, in primis alba, ſunt puſtulæ exiguæ pellucidæ, ex maculis rubris ortæ: in rubra autem paruæ eminentiæ duræ, ſeminis milii inſtar.
   5) A *maculis ſcorbuticis*: quæ ſunt latæ, coloris obſcure rubicundi, plurimum absque febre.
6. Tandem *morbilli* ſunt, vel
   1) *Sporadici*, qui paucos adfligunt & benigniores obſeruantur; vel
   2) *Epidemici*, qui multos ex cauſſa communi corripiunt, & maligniores ſunt.

III. *SI-*

III. *SIGNA.*

A. *Imminentium.*

1) Inuadunt *variolæ* ſine horrore & frigore notabili, more febrium continentium, in adultioribus autem non raro frigus, vel ad minimum leuis horripilatio accedit.

2) Oſcitationes & pandiculationes concurrunt.

3) Adpetitus eſt diminutus.

4) *Morbilli* autem cum horrore plerumque incipiunt.

5) Cooritur, vel ſuccedit, *æſtus*, qui eſt præter naturam, plurimum tamen ſatis tolerabilis, cum *capitis* gravatiua & vertiginoſa perturbatione.

6) Concurrit apud plurimos tuſſis & pectoris notabilis oppletio.

7) Accedit tenſio dorſi cum ſenſu leuiter compunctorio.

8) Multis eueniunt tormina abdominis leniora, aliquando fluxus alui, & non raro vomitus, præcipue infantibus, item hæmorrhagiæ narium largæ, circa & ſub ipſam eruptionem; non minus conuulſiones, quæ variolarum eruptionem proxime præcedere ſolent. Hinc *Bagliuius* motus conuulſiuos, qui febribus puerorum, variolas nondum expertorum, ſuperueniunt, pro certiſſimo indicio habet, quod hæc exanthemata mox eruptura ſint.

9) Speciatim in morbillis præcedit ſeroſa excretio per nares & oculos, frequens ſternutatio, tuſſis ſicca, & verſus quartum diem palpebrarum tumida eleuatio.

B. *Præſentium.*

1) Eruptio variolarum contingit inter tertium & quartum diem, & durat vsque ad ſeptimum, tam in illis, qui paucas, quam qui copioſas accipiunt.

2) Placide ſuccedit hoc eruptionis negotium, ſine ſenſibilibus febris ſymptomatibus & ſine ſudore, intra limites liberæ tantum tranſpirationis. Nonnulli ſub eruptione leui ſaliuatione corripiuntur.

3) Conueniunt inter ſe variolæ & morbilli, dum ſtigma-

 tum

tum rubicundorum ſchemate viſui occurrunt, ſed altero die mox eluceſcit, cui generi hæ effloreſcentiæ accenſendæ ſint.

4) *Variolæ* enim puſtulas formant, ad mediocris piſi diſſecti quantitatem accedentes.

5) A ſeptimo ad vndecimum diem ſuppuraſcunt, ſub ambiente circulo rubente, & inflammatione turgido cutis, præcipue in facie & manibus.

6) Circa vndecimum diem rupturam & puris effuſionem ſubeunt.

7) Circa diem autem decimum quartum exſiccantur & delabuntur.

8) *Morbilli* autem cutis planitiem eminentia tantum lenticulari excedunt, ſub macularum rubicundarum forma.

9) Deinde aliam mutationem non ſubeunt, ſed aliquot dierum decurſu ruborem ſui minuunt, & ſenſim ſubſidendo cum aliquo pruritu euaneſcunt, relictis ſquamulis furfuraceis ſenſim decidentibus.

10) Aluus ordinarie eſt adſtricta.

IV. *SVBIECTA.*

1. Quantum hiſtoriæ relationes docent, graſſantur hæc mala frequentius inter gentes *Nigritarum* & *Cafrorum*, atque tam adultos quam iuniores inuadunt. Hinc iuſta ſubeſt ſuſpicio, quod variolæ & morbilli apud iſtos populos morbi ſint endemii, plus ſemel vnum indiuiduum per vitam infeſtantes.

2. Ex hac mundi plaga ſecundum omnem veri ſimilitudinem per nauigationem ad *Europæos* hi morbi transportati ſunt: ita vt tantum non omnes illorum ſemel, dum viuunt, ab illis corripiantur,

3. Dantur etiam exempla, ſed ad modum rariora, quæ bis vel ter ab his infeſtantur.

4. Sæpiſſime eueniunt infantili ætati, & plerumque tempore verno, interdum etiam autumnali, graſſantur.

5. Poſt infantes puerilis ætas maxime illis expoſita eſt.

6. Hinc

6. Hinc reliquæ ætates hos morbos rarius incurrunt, quia plerique homines eosdem vel infantili, vel puerili ætate perpeſſi ſunt.

7. D reliquo ad modum probabile eſt, quod tempore *Hippocratis* & *Galeni Europa* noſtra a variolis & morbillis libera adhuc fuerit, alias de ſonticis hiſce malis conſpicua monumenta more ſuo nobis reliquiſſent. Papularum, teneræ ætati familiarium, *Hippocrates* quidem mentionem facit, ſed in tranſitu ſolum, & ita ad notabiles hos adfectus denominatio hæc non poteſt adplicari.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa vera & genuina horum malorum eſt incognita.

2. Generatim quidem miaſma ſubtile fermenteſcens poteſt accuſari, ſiue ex macrocoſmo ſuſceptum, ſiue per contagium communicatum.

3. Quale autem ſpecificum ſit fermentum, quod morbos hoſce tam notabiles, & ab omnibus aliis morbis per aliquot plane peculiares circumſtantias diſtinctos producat, non poteſt determinari.

4. Vulgaris ætiologia ortum horum ducit a *venenatis qualitatibus ſanguinis menſtrui*, ſed hæc iactata cauſſa multis difficultatibus laborat, præcipue quando conſideratur, quod ſecundum veri ſimilitudinem apud *Europæos* non ſemper cogniti fuerint.

5. Alii ad cauſſas ſubtiliores confugiunt, & hæc exanthemata pro ſymbolo impuritatis ſpiritualis declarant; ſed quo infirmo iudicio, ex circumſtantiis, modo indicatis, colligendum eſt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Variolæ & morbilli, quando per ſe conſiderantur, plerumque ſalutariter exeunt, malus autem ſucceſſus a cauſſis accidentalibus plurimum dependet.

2. Larga horum exanthematum eruptio tam placide ſuccedere obſeruatur, quam pauca, & hæc non numquam æque funeſtum euentum adfert, quam illa, concurrentibus videlicet vtrimque cauſſis accidentalibus.

 3. Tra-

3. Traditio illa popularis non prorſus contemnenda, quod, quibuscumque in pedum ſoleis nullæ puſtulæ adparent, illi expoſiti ſint periculo ſecunda, immo tertia vice has experiundi.

4. Ex hiſtoria practica conſtat, hos adfectus a grauidis in foetum propagatos fuiſſe.

5. Exanthemata hæc, quando intempeſtiue & impetuoſe extruduntur, vel inæqualiter effloreſcunt, ordinarie ſolent recedere, & funeſtum exitum ſortiri.

6. Vel, vbi omnino non recedunt, magnum tamen diſcrimen in ſuppuratoria, illa inflammatione ſubeunt, quo œconomia vitalis facile turbatur.

7. Quando nobiliores corporis partes occupant, ſcilicet oculos, aures, nares, fauces, his ſæpius periculum minantur.

8. Variolæ generatim cum morbillis collatæ, quouis reſpectu ſunt perículoſiores, id eſt: benignæ variolæ longe deteriores ſunt, quam benigni morbilli, & malignæ variolæ maius diſcrimen adferunt quam maligni morbilli.

9. Nonnumquam tamen morbilli malignius graſſantur, & variolæ illo quidem tempore benignius ſe gerunt.

10. Variolæ, licet iam maturatæ, ruptæ, euacuatæ, immo deſiccatæ ſint, tantum tamen periculi adhuc fouent, vt ægri aërem frigidum negligentius admittentes, repente ſæpius vitæ iacturam incurrant; quod a morbillis non timendum, qui etiam, quando ſemel effloruerunt, tam facile recedere non ſolent.

11. Tam certum etiam non eſt periculum mortis, ſi in morbillis receſſio vel diarrhœa contingit.

12. Diarrhœa autem, præſertim torminoſa, ſiue a medicamentis, ſiue a refrigerio extremorum concitata, cum receſſione horum exanthematum obueniens, plerumque quidem eſt lethalis, hoc autem periculum, a diarrhœis metuendum, grauius tempore alio, alio mitius eſſe obſeruatur.

13. Diarrhœa illa quaſi purulenta, quæ circa maturationis tempus ſæpius contingit, non deterreat Medicum; ſi tantum moderate procedat. *Vid. caut. num. 8.*

14.

14. Variolarum ſenſim facta eleuatio, ſi debito tempore non ſuccedit, areolæ circa puſtulas palleſcunt, aut nigreſcunt, ipſæ etiam puſtulæ ſeſſiles, & in medio depreſſæ conſpiciuutur, aut mature ſubſident & dehiſcunt, ac loco puris ſtigma ſanguineo-nigricans exhibent, infauſta & plerumque funeſta ſunt præſagia.
15. Quo magis autem variolæ ad rotunditatem adſurgunt, eo melioris notæ ſuut cenſendæ.
16. *Petechiæ* aut *exanthemata miliaria*, quando in variolarum interſtitiis occurrunt, inſignem malignitatem indicant, ſæpiſſime ſunt funeſti euentus, in primis ſi nigricantem colorem oſtendunt.
17. *Variolæ nothæ*, id eſt, quæ feſtinato ſucceſſu attolluntur, germ. Spitz-Pocken; item illæ grandes variolæ, quæ limpido humore cito turgent, & eumdem intra paucos dies, ruptis veſiculis, effundunt, germ. Wind- und Waſſer-Pocken, longe benignius, quam veræ variolæ, ſe gerunt.
18. Variolæ *confluentes* ſemper maius, quam diſtinctæ, periculum minantur, præſertim ſi regimen calidum præceſſerit.
19. Si in principio tertii diei iam erumpunt, ad irregulares & confluentes inclinant, atque ita peioris ſunt indolis.
20. Hæc exanthemata ſemper tolerabilius & tutius infantibus cedunt, quam adultis.
21. Qui minus ſucculenti ſunt, illi felicius ea ſuperant, quam valde tales.
22. Tempore ſuppurrationis noua plerumque febris inflammatoria ſuccedit, & hæc grauius ſæpe, quam quæ circa eruptionem fuit, periculum adfert: vnde ægri in declinatione morbi, vbi prima febris iam ſuperata videbatur, cum hac noua febre pereunt.
23. Plures moriuntur ob variolarum copiam, quam ob earumdem inopiam; id quod contra vulgarem methodum expellendi probe notandum.
24. Symptomata grauiora, e.g. conuulſiones epilepticæ, quæ in principio, & ante eruptionem obueniunt, tantum periculi

riculi non minantur, quam quæ poſt efflorescentiam ſe manifeſtant.

25. Turgefactio inflammatoria faciei & manuum, tempore ſuppurationis expectanda, ſi vel non ſuccedit, vel iuſto maturius ſubſidet, graue periculum minatur: licet enim variolæ non recedant, ſequitur tamen iactatio corporis, delirium, ſuppreſſio vrinæ, mors.

26. Quando ſanguis, per venæ ſectionem emiſſus, cruſta alba & craſſa in ſuperficie obductus eſt, (id quod in omnibus inflammatoriis morbis obſeruatur) prædicit *Baglivius* variolas copioſas & valde periculoſas.

27. Inuaſio variolarum cum *horrore* deterioris quoque eſt ominis: & quo ſenſibilior eſt horror, eo maior inflammatio viſceris alicuius metuenda eſt.

28. Nimii *ſudores* non ſunt optimæ notæ. Hac enim ratione humores, qui variolarum repletioni & maturationi deſtinati ſunt, nimium effunduntur. Vnde exanthemata facile ſubſident & recedunt.

29. *Alui* adſtrictio, modo cetera paria ſint, nihil damni infert; proturbatio autem illius, temere ſuſcepta, longe plus monſtri alit. *Conf. num.* 12.

30. Ex numero pauciorum, qui contra hos morbos medicamenta adhibent, plures moriuntur, quam ex numero plurium, qui nullis medicamentis vtuntur, ſed & ſoli naturæ hoc negotium committunt.

31. Variolas nonnumquam excipiunt *apoſtaſes* ſeu *metaſtaſes*, præcipue ad pulmones, vnde tuſſis poſt morbum ſuperatum facile remanet.

32. Poſt exanthemata hæc, recte perfuncta, homines ſentiuntur vegetiores, & fere omnes Europæi per totam deinde vitam ab illis, præcipue morbillis, ſatis ſecuri ſunt.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. In variolis & morbillis, placide, leniter & ordinate procedentibus, præſtat ab omni medicatione abſtinere, & conſultorem magis, quam actorem agere nimis officioſum.

2. Quando autem omnino medicatio aliqua efflagitatur ab

iis,

iis,qui ſalutare hoc conſilium non capiunt,methodus ſequens, præoccupandis malis ſymptomatibus deſtinata eligatur.

3. Iuſtum eruptionis tempus circumſpecte obſeruetur, nec vnquam aliquid intempeſtiue, vel medicamentis, vel regimine calidiore,promoueatur.

4. Tutiſſimus hic vbique,& præcipue etiam ſub initium morbi, deprehenditur vſus *abſorbentium* marinorum, cum antimoniato fixo coniunctorum: quo nomine laudantur oculi cancri, mater perlarum, conchæ præparatæ, cornu cerui, ſiue vſtum, ſiue aſſum, antimonium diaphoreticum, bezoard. minerale; de quibus pulueribus grana XV. pro adultis,pro iunioribus pauciora,exhibeantur, & poſt trium vel quatuor horarun interuallum ſemper repetantur.

5. Vel loco pulueris *potiones*, ex aquis diapnoicis & dictis abſorbentibus paratæ, propinentur.

6. Vbi *æſtus* inſignis, & ſanguinis *orgasmus*, eruptionem impediens, concurrit, ibi nitrum quoque & blanda acida, præcipue in adultioribus,locum habent, e.g. ſuccus citri, clyſſus antimonii, tinctura flor. bellidis.

7. Tempus *eruptionis* quando accedit, iniungantur continentia quieta, & regimen leniter diapnoicum; de medicamantis autem ſiue emulſio, ſiue potio quædam leniſſime diaphoretica propinetur, e. g.

Recip. Semin. card. Mariæ
aquileg. ana vnc. II.
aquæ ſambuci,
flor. tiliæ,
ſcordii,
plantag. ana vnc.II.
Fiat ſ. a. emulſio addantur
conch. cum acido citri ſolut.
matr. perlar. ana drach. II.
antimon. diaphoret. drachm. I.
Edulcoretur cum ſaccharo ad gratum ſaporem,

rem, & poſt tres ſemper horas cochlear I. propinetur.

8. Sub ipſa *maturatione* cum pulueribus abſorbentibus,&, vrgente æſtu, ſubinde nitratis, continuandum, interpoſita aliquando emulſione.

9. Quando variolæ ad *maturationem* peruenerunt,ſpontanea exſiccatio exſpectetur,vitando vbique artificialia ſubſidia, niſi forſan oleum ouorum, leniter camphoratum adhibendum fuerit. *Vid. cautel.*

10. Morbo feliciter *ſuperato* primæ viæ leniter expurgentur; in quem finem laudatur extract. panchymagog. *Crollii*, cum aliquot granis mercurii dulcis commixtum.

11. Denique conualeſcens *ſenſim* aëri adſueſcat, & quotidie eſſent. alexipharmac. aliquoties vſurpet. Sufficiant hæc de methodo fere ſuperflua dixiſſe, magis autem neceſſaria eſt medicatio, vbi mala accidentia & ſymptomata ſuperueniunt, e.g.

1) Quando *conuulſiones* epilepticæ concurrunt, ſequens puluis offeratur:

Recip. Matr. perlar. ſcrup. II.<br>
antimon. diaphoret. ſcrup. I.<br>
cinnab. natiuæ præparat.<br>
lumbricor. terreſtr. ana ſcrup. ſemis.<br>
M. doſ. gran. V-X-XV-XX. bis per diem.

2) In *receſſione* variolarum eſſentia alexipharmaca *Stahlii* refractis, ſed repetitis, doſibus exhibeatur, ſub regimine conueniente.

3) Quæ eſſentia etiam locum habet, quando turgefactio illa inflammatoria, ad ſuppurationem neceſſaria, emanet,vel iterum euaneſcit.

4) In *diarrhæa*,præcipue torminoſa,ſed nondum adeo invaleſcente, nihil tutius & efficacius eſt, quam *nitrum* paucis granis,repetito,exiguo vehiculo,& coniuncto quodam abſorbente, exhibitum.

5) *Oculorum* pericula nulla re certius præoccupantur,quam per lintea ſpiritu vini camphorat.crocat.largiter imbuta,

buta, per auram fere reſiccata, & oculis impoſita; cavendo a luce fulgida, ploratu, frictione.

6) Conglutinatio *palpebrarum* reſeratur per modeſtum vſum olei ouorum, leniter camphorati.

7) *Dolor* & *ardor faucium* nimius mitigatur eſſent. alexipharmac. *Stahlii*, vel eſſent. pimpinellæ albæ, paucis guttis ſine vehiculo adſumta. *Vid. cautel.*

8) Reliqua ſub cautelis quærantur.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Autocratia* naturæ in nullo facile morbo tam conſpicua eſt, quam quidem in variolis & morbillis: plurimi enim ſine medicatione conualeſcunt. Hinc *Sydenhamus*, qui admodum prudenter de variolis ſcripſit, nulla medicamenta contra easdem commendauit.

2. Vulgata praxis, cum alias *qualitati* humorum *corrigendæ* plurimum inhiet, in variolis, vbi correctio locum haberet, inuerſo ordine procedit, & expulſoriam euacuationem commendat.

3. Sed ſponte currenti calcar adiicere, proxima via eſt ad lapſum: hinc quouis modo cauendum, ne ſub ſpecioſo prætextu, malignitatis & veneni de corde expellendi, quidquam ſtimuli adhibeatur.

4. Exſulent vbique medicamenta, ſanguinem commouentia: exſulet itidem regimen ſudoriferum coactum, ſub ipſo etiam tempore eruptionis inſtitutum. Sufficit æqualis, temperata, & quieta corporis continentia; vitando vbique refrigerationem.

5. *Emulſiones* ex ſeminibus aquilegiæ, napi, naſturt. card. Mariæ, expulſioni promouendæ vulgo deſtinatæ, non quidem reiiciuntur, *raro* tamen, horum vel aliorum remediorum vſus *neceſſarius* eſt.

6. *Vena ſectio* in variolis & morbillis ne in adultis quidem, niſi inſignis plethora concurrat, commendatur.

7. *Strictura alui*, in primis vbi nulla pathemata in abdomine ſentiuntur, & reliqua bene ſuccedunt, potius toleretur, quam acriore ſtimulo ſoluatur. Hanc enim alui occlu-

ſionem natura excitat, quo materia illa peccans eo magis, ad peripheriam transferatur: vnde exanthemata etiam copioſius efflorescunt.

8. *Diarrhœam* ſpontaneam per adſtringentia, vti vulgo moris eſt, cohibere, vix citra eximiam periclitationem ſuccedit: adſtringentia enim efficaciam ſuam non ſolum in primis viis, ſed vlterius in partibus corporis interioribus exſerunt. Speciatim tum ſibi caueat Medicus a tali adſtrictione, quando medio ſuppurationis tempore deiectiones aliquot purulentæ ſuperueniunt; niſi enim cito & ſæpe ſe inuicem ſequantur, aut inſigni conatu aliquid effatu dignum educant, extra periculum ſunt.

9. Methodus *Gundelsheimeri*, quæ alternis diebus lene *emetico-catharticum* ex tartaro emetico & manna Calabrina, aut caſſia exhibet, rationi quidem repugnare non videtur, quia laxans ſordes biliofo-mucidas ex primis viis ſubducit, & emetici motus, humores verſus ſuperficiem propellendo, variolarum receſſiones impediunt, ſed circumſpectione indiget, & diſcretione ſubiectorum. Hinc altera magis placida methodus, nempe correctoria huic euacuatoriæ præfertur.

10. Vti methodus *euacuatoria* notabile damnum inductura eſſet, ſi nuda vomitoria, vel nuda laxantia propinarentur, ſic etiam in methodo *correctoria* nimiæ doſes abſorbentium, in primis ineptiorum, tamquam noxiæ reiiciuntur.

11. Vitetur vſus *balſamicorum*, præcipue myrrhatorum, acidorum, aquæ fumariæ deſtillatæ, vt & ſpecificorum domeſticorum, quæ plebs adhibere ſolet, e.g. vinum rubrum, decoctum lentium, excrementa ouina & alia expellentia fortiora cum hypocauſto feruido.

12. *Hæmorrhagia narium* larga, verſus aut ſub ipſam eruptionem contingens, innumeris exemplis nihil damni adfert; modo artificialia abſint incitamenta, cohibitiones autem peſſimum præbent euentum.

13. *Faciem* a variolis defendere, irritum plerumque eſt conamen.

14. Ne-

14. Negandum autem non eſt, quod veſicæ, aqua calida repletæ, & collo atque pectori adplicatæ, non ſolum exanthematum eruptionem in hisce locis adiuuent, ſed præcaueant etiam, ne facies nimium adficiatur.

15. Ad *foueas* in facie præoccupandas mulieres varia ſæpe tentant, ſed cauendum, ne ſub præmaturis talibus artificiis receſſio variolarum contingat: ruptis autem papulis *oleum ouorum* leniſſime camphoratum placidam conſolidationem iuuat, & minime periculum minatur. Sulphuris autem vſus eſt periculoſus.

16. *Faucium* vitiis ſuccurrit eſſent. pimpin. albæ, ſi guttæ aliquot bis vel ter per diem ſine vehiculo deglutiantur; quæ ipſa eſſentia reliquas etiam circa caput ſtagnationes præoccupat. *Conf. tab. de ſcorb. caut.* vbi effectus huius eſſentiæ laudatur.

17. Quando puſtulæ fauces iam obſident, *gargariſmata* ex decocto auenaceo, adiecta modica nitri portione, etiam conueniunt.

18. Quando *narium* exulcerationes internæ concurrunt, ſuccurritur illis per oleum ouorum, eſſent. ſuccin. myrrh. & ol. terebinth.

19. Fabula eſt, quod *ex mercurio vitæ*, per ſimplicem cum nitro colliquationem proueniat medicamentum, quod, præter alias dotes, ſpecifice etiam variolis ſuperandis ſufficiat.

20. Eiusdem fidei eſt *lotura* illa per *phlegma vitrioli* ex corona C. C. philoſophice præparat. aut ex floribus aquilegiæ.

21. Nemo etiam prudens effectum illum exſpectet, quem aliqui iuſculis *lentium*, cicerum, immo gran. ficuum in morbillis tribuunt.

22. Euenit nonnumquam, vt variolæ lento progreſſu erumpant, & priores ad maturationem iam accedant, quando poſteriores demum effloreſcunt; quo caſu ægri facile ſecuri redduntur, & ſuperata potiore variolarum quantitate, paucas reliquias negligunt, & hinc frequenter conuulſiones experiuntur, immo ad mortem properant.

perant. Clandeſtinam hic malignitatem accuſare, eſt quidem moris, ſed non rationis.

23. Oppletio ſeu infarctus pectoris, tamquam commune variolarum ſymptoma, præcauetur per moderatum in hac regione calorem, alias tuſſis facile remanet.

24. In nimia *tuſſi* conducunt abſorbentia citrata, cum aqua veronic. chærefol. flor. ſambuc. mixta.

25. Remedia *præcauentia*, vti in aliis contagioſis ſumme incerta ſunt, ita multo magis in variolis & morbillis.

26. In *adultis* tamen, tam ad prophylaxin, quam melioris etiam totius morbi decurſum, in primo principio lenes expurgationes primarum viarum, & in plethoricis venæ ſectiones conducunt. Fortior vero alui euacuatio citiorem horum exanthematum inuaſionem produxiſſe obſeruata eſt.

27. Qui *vitio* quodam *pectoris* laborant, illis confert radix pimpinellæ albæ, ſubiuncto dextro vſu corticis caſcarillæ.

28. Sic etiam *vermes*, rebus adhuc ſaluis, remouendi ſunt, turbas enim in variolis facile ſolent concitare.

29. Hæc autem *præcauendi* cura in *teneriore* ætate diſſuadetur, quia infantes felicius ordinarie hos morbos ſuperant, quam adulti: hinc præſtat iuuentutem hiſce communibus fatis commendare, quam per totam vitam timori eamdem exponere.

30. Non minus diſſuadetur alterum illud extremum, vbi infantes, quando exanthemata hæc *benignius* graſſari obſeruantur, in domus infectas transportant, vel transplantant

31. De *transplantatione* videatur *Vateri* tractatus vom Blatter-Pelzen. Hæc operatio, quoniam nuper in noua Anglia male ſucceſſit, per publicum *Regis Britanniæ* edictum prohibita eſt, ſed poſt modum renouata.

32. Quando variolæ copioſæ, loco iuſtæ ſuppurationis, in *vlcuſcula*, eaque profunda, abeunt, eſſentia alexipharmaca cum pulueribus abſorbentibus & antimoniatis fixis, coniuncto regimine diapnoico, adhibenda. Externe quid in hoc caſu faciendum vel omittendum ſit, circumſtantiarum rationes prudentem Medicum docebunt.

# TABVLA LXXVII.
## DE
# DYSENTERIA.

I. **D**EFINITIO.

Dyſenteria eſt fluxus alui valde torminoſus, cum deiectione materiæ mucido-cruentæ conſpicuus, & commotionibus febrilibus magis vel minus acutis, perpetuo coniunctus, ad miaſma malignum eliminandum a natura excitatus. Deriuatur a δυς, difficile, ἔντερον, inteſtinum, & ῥέω, fluo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Dyſenteria eſt
   1) vel *benignior*, quæ leniter incipit, & paulatim augeſcit, motibus qualibuſcumque febrilibus, ſed ſine typo, ſuccedentibus.
   2) Vel *malignior*, quæ præcipiti progreſſu inuadit, & ſtatim ſub ipſa inuaſione febrem ſatis acutam, typicam, inflammatoriam ſecum ducit, reliqua etiam ſymptomata ita exaſperata habet, vt ægri breui viribus deficiant
   3) *Benignam* vulgo vocant dyſenteriam ſine febre, & *malignam* cum febre; ſed minus diſtincte: nulla enim dyſenteria ab omni febre immunis eſt; id quod ex *ſignis* ſubſequentibus magis eluceſcet.
2. Porro dyſenteria eſt vel *epidemica*, vel *ſporadica*
3. Diuiditur etiam dyſenteria in *cruentam*, die rothe Ruhr, & *non-cruentam*, quam die weiſſe Ruhr adpellant.
4. Dyſenteria non confundenda eſt cum fluxu illo, qui *Lutetiis Pariſiornm* ita endemius eſſe dicitur, vt omnes aduenæ illum incurrere ſoleant. Gallis *le mal de Paris* audit, & ſequentibus a dyſenteria differt:
   1) Cum diarrhœa quidem incipit ille fluxus, & ſanguinis excretionem habet ſuccedentem, ſed non eſt contagioſus, nec ad dyſentericam accedit malignitatem.

2) Quo-

2) Quolibet anni tempore indifferenter ſolet euenire, dyſenteria autem numquam extra tempus exeuntis æſtatis contingit.

3) Fluxus ille ſæpius a febrilibus ſymptomatibus alienus eſt.

4) Ceterum incolæ cauſſam huius fluxus *Sequanæ* fluuio, quo tota ciuitas vtitur, abſcribunt.

5. Dyſenteriam ſatis quidem graphice ſimulant *hæmorrhoides torminoſæ*, & impeditius emicantes, quæ etiam Medicis ſæpe imponunt, a dyſenteria tamen ſequentibus facile ſunt diſtinguendæ:

1) In dyſenteria ordinarie aliquid ſpumidæ & vlceroſæ ſimilitudinis adparet, in hæmorrhoidibus nihil huius reperitur.

2) Dyſenteria eſt contagioſa: hæmorrhoides, impeditius etiam fluentes, non item.

3) Dyſenteria ordinarium ſeruat annuum tempus, hæmorrhoides autem promiſcue obueniunt.

4) In dyſenteria excretio ſanguinis *augeſcens* exaſperat malum, in hæmorrhoidibus autem, quo magis fluxus ſanguinis ſuccedit, eo magis ſymptomata, præcipue torminoſa, imminuuntur.

6. Differt etiam dyſenteria a fluxu ſic dicto *hepatico*, *Vid. tabul. de hæmorrhoidibus internis.*

7. Differt itidem dyſenteria ab aliis alui fluxionibus, in quibus ſymptomata ſunt mitiora, excretiones non ſunt cruentæ, multo minus epidemica graſſatio in illis deprehenditur.

8. Speciatim dyſenteria *alba* non confundenda eſt cum excretionibus *cholericis*; cuius ſigna *tabula* de *febribus bilioſis* conferantur.

9. Ad differentiam etiam referri poteſt, quod dyſenteria *Hippocrati* quamcumque acrem alui fluxionem deſignet.

III. *SIGNA.*

*Dyſenteriæ benignioris.*

1) Menſe Auguſto, rarius circa Iulii medietatem, ægri corripiuntur lubrica aluo, eo maxime tempore, quo ceraſa,

raſa, pruna molliora, & pyra præcocia, matureſcere incipiunt.

2) Hæc alui ſolutio magis magisque iu maiorem impetum excedit.

3) In abdomine exquiſitæ torſiones, cum anxietate præcordiorum, & circa ſedem morſus acres velut in horas inualeſcunt.

4) Accedit ordinarie *teneſmus*, ſeu perpetuus alui deponendæ conatus, cum intercurſantibus horripilationibus vagis & phlogoſibus.

5) Increſcit languor corporis, adpeditus cadit, & adſpectus in facie morbidus ſenſim adparet.

6) Reiicitur materia tenuis, albuginea, leuiter flaueſcens, cum odore non tam fœtido, quam ouo leniter olido ſimili.

7) Tandem hanc materiam comitatur ſanguis dilutior, inſtar turbidæ carnium loturæ, aut ſubcruenta mucida ſubſtantia, ac ſi inteſtina abraſa effluerent.

8) Cito increbeſcunt hæc pathemata, ita tamen, vt ægri non ſemper, ſed tum demum decumbant, quando mali huius ferocia inualeſcit.

9) Numquam ab omni febre immunis eſt benignior hæc dyſenteria, quo vehementius autem febris concurſat, eo deterior materia peccans, & ferocius eſt malum. Ludit autem interdum ſchema modo quotidianæ, modo tertianæ intermittentis.

10) Sitis accedit ſatis mature.

11) *Vrina* imminuitur, & aliquando ad plenariam accedit ſuppreſſionem.

12) In progreſſu & declinatione morbi procidentia inteſtini recti facile ſubſequitur.

2. *Dyſenteriæ malignioris.*

1) Præcipiti progreſſu obruuntur adflicti.

2) Sub ipſo inuaſionis tempore *febris* exquiſita, & maxime ardens, ſtatim adeſt, immo interdum præcedit.

3) Reliqua ſymptomata, quæ cum benigniore habet communia, magis ſunt exaſperata; præcipue tanta eſt anxietas

xietas præcordiorum, vt conuulſiones interdum & ſingultus ſuperueniant.

4) *Agrypnia* propter dolores & deiectiones crebriores ad modum vrget.

5) *Vomitus* quoque in principio interdum adfligit, & ſanguinem per eumdem non nulli emittunt.

6) Circa *ſtatum*, immo in *incremento* lingua adparet arida, torrida, nigra.

7) *Vires* breui tempore decreſcunt.

8) *Aphtha*, præſertim ſi præpoſtera methodus accedat, non raro ſuperueniunt. Non minus etiam *petechia* & *purpura*.

9) Excrementa *incruenta* magis, quam in *benigniore* conſpiciuntur.

IV. *SVBIECTA.*

1. Dyſenteria, quia *contagioſa* eſt, & epidemice graſſatur, omnem ſexum & ætatem occupat.
2. In primis autem inuadit plethoricos & caeochymicos, & præ aliis grauiter illos exercet.
3. Non tantnm illos homines infeſtat, qui fructus fugaces ingurgitare ſolent, ſed etiam, qui ab eorum vſu prorſus abſtinentes viuunt.
4. Cholerici tandem & ſanguinei omnium maxime per contagium hoc morbo corripiuntur.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* eſt fermentum ſubtilius, ſiue ex atmoſphæra, ſiue per contagium, cum humoribus communicatum.
2. Specialiſſimæ autem indolis hoc fermentum præ omnibus aliis eſſe, exinde diiudicandum eſt, quia natura illud, inſtar purgantium, per inteſtina eiicere adlaborat, vnde hic morbus a *Sydenhamo*, *febris ad inteſtina conuerſa*, adpellatur.
3. Huius ſpecificæ indolis rationem perſpicere, nulla quidem ſpes adfulget, hoc tamen certum eſt, quod cum bile excrementitia concurſans hoc fermentum talem cum illa corruptelam formet, quæ catharticæ excretioni conueniat.

4. Hinc

4. Hinc *bilis*, tamquam cauſſa *concurrens*, & fermento huic ſpecifico maioris acrimoniæ incrementum ſuppeditans, habenda eſt; id quod multæ anatomicæ obſeruationes confirmant, præcipue a *Bontio* traditæ, qui in folliculo fellis nullam bilem, ſed multam materiam quaſi chyloſam in mortuo quodam dyſenterico deprehendit.

5. Fermentum hoc ſpecificum in ſola indole fructuum dictorum hortenſium fruſtra quærimus: menſe enim *octobre* etiam fructus eiusmodi & inprimis *vua* comeduntur, nulla autem tum dyſenteria obſeruatur, bene vero aliæ alui fluxiones. *Conf. ſubiecta num. 3.*

6. Magis tribuendum erit *aëris* conſtitutioni: æſtate enim minus feruida, minus etiam dyſenteria metuenda eſt; quo magis autem auſtrina aëris conſtitutio, id eſt, calor humidus regnat, eo crebrius occurrit dyſenteria.

7. Specialiter ad hoc malum contribuit illa aëris temperies, quæ declinante æſtate, & incipiente autumno obſeruatur, vbi frigoris & æſtus frequentes viciſſitudines occurrunt.

8. Reliquæ cauſſæ aduentitiæ & procatarcticæ ſunt:

1) Potus largior *frigidus*, vel *fermenteſcens* poſt ingurgitationem fructuum hauſtus.

2) *Iracundia* vel *refrigeratio*, quando tali fructuum abuſui ſuperueniunt.

3) *Status plethoricus* multum etiam ad hoc malum contribuit.

4) Specialiter neglectus *euacuationum* ſanguinis adſuetarum.

9. Cauſſa *formalis* eſt principium vitale, quod humores copioſe verſus inteſtina dirigit, ad materiam fermenteſcentem infringendam, & inflammatoriam eius potentiam præoccupandam.

10. Ætiologia *vulgaris* cauſſam adſcribit acrimoniæ cauſticæ, inteſtina ſtimulantis, illorum tunicas rodentis, humores coagulantis, & ſic ſtaſin & corruptionem inducentis, quæ aliquo modo vera quidem ſunt, ſed genuinam & primariam huius mali cauſſam vix digito attingunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Dyſenteria *benignior* numquam quidem vacat omni periculo, ad plures tamen hebdomades, immo per tres menſes durare, & æger interdum emergere ſolet.

2. Quo magis autem febris inflammatoria concurrit, eo magis peſtilens fit morbus, & periculo pleniſſimus.

3. Qui nudo *contagio* malum hoc contraxerunt, febrem graviorem, proſtrationem virium maiorem, & reliqua ſymptomata, magis exacerbata, experiuntur, quam qui a *materiali* occaſione, e.g. fructuum ingurgitatione, ab hoc morbo infeſtantur.

4. Sponte ſua non facile ſalutariter ceſſat & decurrit, ſed ſæpius decumbentem iugulat; præcipue *adultis* periculoſius cedere obſeruatur, quam iunioribus. Atque ita pertinet dyſenteria ad pauciores illos morbos, in quibus natura arti cedere obſeruatur.

5. *Tormina* quando repente euaneſcunt, euphoria tamen non ſuccedit, ſed corporis & animi languor continuat, res eſt calamitoſa.

6. Maxime omnium funeſti præſagii deprehenditur *aphthodes* faucium inflammatio: ſiue a ventriculo ſurſum adſcendat, ſiue per œſophagum deorſum deſcendat.

7. Corripiuntur enim hinc facile ægri extrema illa *atonia*, nempe paralyſi muſculorum œſophagi, vt cum ſonitu deſcendat, quidquid liquiti adſumunt, es ſollert bis in den Magen hinunter, omine plurimum funeſto.

8. Dyſenteria quando per *adſtringentia*, vt plerumque fieri ſolet, tractatur, grauiſſimæ anxietates, ardores, conuulſiones, præceps lethalis euentus, ſæpiſſime inducuntur.

9. *Vomitus* dyſenteriæ quidem non eſt familiaris, quando autem mature, & protinus poſt ingurgitationem fructuum præcipue horæorum, ante, quam aluus turbatur, largiter euenit, toti malo præoccupando, vel ad minimum imminuendo, conducere obſeruatur.

10. Quando autem conatus magis, quam verus vomitus, & quidem ad modum ſero accedit, læſio quædam in ventriculo præualeſcens indicatur, & ita conamen illud vomendi a bono effectu alienum eſt.

11.

11. Dyſenteria *non-cruenta*, vulgo *alba* dicta, & abraſione veluti vlceroſa conſpicua, longe perículoſior eſt, quam *cruenta*, præcipue ſi deiectiones antea cruentæ ſine euphoria ceſſauerint: nam in dyſenteria alba maior eſt acrimonia acido-auſtera, quæ ſanguinem in tenerioribus inteſtinorum vaſis coagulat, & ita exitum ei præcludit, vnde poſt ea grauior inflammatio & corruptio preſſo pede inſequitur.

12. Quo minus materia excernenda ſuccedit, eo grauior eſt *teneſmus*, quem externum frigus, & adſtringentia interne adhibita, non mediocriter exacerbare ſolent.

13. *Adpetitus* qualitercumque ſibi conſtans, aut denuo ſuboriens, multo melior eſt, quam illius per plures dies amiſſio.

14. Dyſenteria, quando feliciter ſuperata eſt, relinquit inteſtina firmiora, ita vt eius modi conualeſcentes poſt hæc aliis alui fluxionibus, vel torminibus, non tam facile obnoxii ſint.

15. Dyſenteria ſi funeſte exit, quo magis eneruati fuerunt ægri, eo minus conuulſiones accedunt; vbi autem fluxus per adſtringentia cohibitus fuit, ibi intereunt ægri conulſionibus grauioribus, & quidem ordinarie diebus indicatoriis, vel criticis.

16. Prouentus eius modi materiæ, quæ caruncul as aut glandulas æmulari videtur, non ſtatim quidem funeſtæ, nec tamen melioris eſt prognoſeos.

17. Quo magis *interne* ardores, & *externe* refrigerationes ſentiuntur, eo grauior inflammatio metuenda eſt.

18. *Faucium* ariditas & ardor quando adfligit, aphthas portendit pernicioſas.

19. *Lingua* obſcure rubicunda aut nigra ac tumida, peſſimum indicat malum.

20. *Petechiæ* huic morbo ſuperuenientes, exitum minantur funeſtum.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus generalis*

Duo inuoluit momenta, quæ vniuerſum negotium exhauriunt.

1. Ma-

1. Materia *corrupta craſſior* & fæculentior eſt euacuanda; id quod obtinetur
   1) Per rhabarbarum ſiue in ſubſtantia, ſiue in infuſo abunde ſaturato, vſurpatum,
   2) Per pilulas *Beccheri*, multo magis *Stahlii*.
   3) Per clyſteres, ex ſero lactis paratos, &, ſecundum *Sydenhamum*, paucis horis aliquoties repetitos.
2. Materia *corrumpens ſpecifica*, nempe ſubtiliſſima fermentatiua ſubſtantia, conueniente ſuæ ſpeciei modo, eliminanda, & ita ab vlteriore corrumpente progreſſione cohibenda eſt; id quod perficitur
   1) *Alexipharmaco-diapnoicis* remediis ſelectisſimis, e. g. rad. pimpin. alb. gentian. ver. angelic. herb. ſcord. & millefol. item ſemin. ſantonic. & tanacet. licet ex diuerſo fundamento.
   2) *Decantatis ſpecificis*, hepate ſerpentis, ſmaragdo præparata, priapo cerui, exſiccato ſanguine leporis non vulnerati, ſed capti & iugulati, radice ipecacuanhæ, & maxime omnium cortice *caſcarillæ*.

B. *Methodus ſpecialis*.

1. Si auxilium Medici requiritur ante, quam febris notabilis accesſit, & vitium in primis viis hærere cenſetur, medicatio ſequente ratione inſtituatur:
   1) Curæ *initium* fiat per laxans rhabarbarinum, adiecto nitro, quod ſub initium huius morbi egregie ſe gerit, e.g.
      a) Rec. rad. rhabarb. ſelect. ſubtiliſſime præparat.
         nitri depurat. ana drachm. ſemis.
         M. f. puluis, qui pro vna vice *mane* ſumatur.
      b) Vel propinetur doſis pilularum *Stahlii*, quæ ſæpius ſolæ vniuerſum malum auferunt.
   2) Huic laxationi *veſperi* ſubiungatur lene anodynum, ſubadſtringentibus maritatum, e. g.
      a) Recip. corall. præparat. gr. VI.
         ſpec. de hyacinth. gr. V.
         MP. de cynogloſſ. gr. I.
         M. ſumatur pro doſi.
      b) Vel exhibeatur theriacæ *Andromach*. ſcrup. I.

c) Vel

c) Vel poſt meridiem bis propinetur puluis caſcarillæ ad gr. X. XV.

3) Hæc methodus in tali mitiore malo ſequente etiam die repetatur, immo, ſi opus videtur, duplicetur, ita vt pilulæ *Stahliana* bis, & puluis caſcarillæ per diem porrigantur.

2. Vbi autem malum *profundius* iam hæret, & febrilis commotio, vel ſtatim ſub initium, vel ſucceſſu temporis & neglectu auxilii, mature quærendi, ægrum vehementius occupauit, ibi motus febriles, qui miaſma ſubtile fermentatiuum eliminare intendunt, magis reſpiciendi ſunt & adiuuandi.

1) Mane itaque propinetur eſſentia alexipharmaca temperata, cum eſſentia caſcarillæ vel millefol. ſaturata remiſcenda, ſubiuncto regimine leniter diapnoico.

2) Per diem vero bis vel ter exhibeantur puluere præcipitantes cum antimonio fixo, & interdum ſpecifico aliquo, e. g. hepat. ſerpent. cortic. caſcarillæ, maritati. De *nitro* vid. cautelas.

3. Symptomata, quæ hunc morbum comitantur, congruenter ſunt tractanda, in primis decocta mucilaginoſa & gelatinoſa cum potu calido & tranquilla continentia adhibenda.

4. Miteſcente impetu medicationi tandem colophonem imponere conuenit cum ſtomachicis & ventriculi tonum reſtaurantibus. Huc pertinent: eſſent. abſinth. card. bened. tanacet. galang. cort. aurant item fructus ſorbi maioris exſiccati, miua cydoniorum, vinum generoſum.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Iudicio Medici relinquendum eſt, num ſub mali initium *vomitorium* præſcribendum ſit.

2. Vbi a prægreſſa ingurgitatione fructuum fermenteſcentium, vel alia diæta inordinata dyſenteria inducta eſt, ibi omnino locum habet; & in talibus circumſtantiis ſpecificum illud *Americanum*, nempe *radix ipecacuannæ*, commode inſeruire poteſt, doſis ſcrup. I. plus vel minus.

3. Quan-

3. Quando autem vomitorium illo tempore propinatur, quo febris inflammatoria iam inualuit, vniuerſo morbi decurſui magnum incommodum adfertur.

4. *Potus* fere quilibet, præcipue frigidus, fouet, ad minimum exaſperat hoc malum, ægro tamen ob febrem non poteſt denegari; modo calidus porrigatur.

5. Loco vero ordinarii potus plurimum conducit decoctum *ſeminis carui* inſtar thée vſurpatum. Immo decoctum hordei, gelatina C. C.

6. Dyſenteria hoc peculiare habet, vt moderatus potus generoſi vini non ſolum non noceat, ſed plerumque etiam, licet febris conſpiret, bonum effectum præſtare obſeruetur.

7. *Ad febrem* hic magis, quam ad *fluxum* reſpiciendum eſt: illæ enim medicationes, quæ febri conducunt, fluxum vero augent, e. g. potus largior, minimam noxam adferunt; quæ autem, fluxum inhibentia, ſed febri contraria, adhibentur, illa inducunt euidentiſſima damna.

8. Huius cenſus ſunt *adſtringentia*, & ſane deplorandi ſunt errores, qui non ſolum per vulgus, ſed etiam a Medicis ipſis in dyſenteria committuntur, & quidem ſub ſpecioſo illo prætextu, ac ſi fluxus alui a laxitate inteſtinorum dependeat, quæ proinde adſtringentibus talibus corrigenda ſit; cum tamen expreſſio, ſub hoc fluxu contingens, repetitis *conſtrictionibus* abſoluatur. Tanto magis autem ab adſtringentibus abſtinendum eſt, vbi dyſenteria, quod frequenter fieri ſolet, cum febribus epidemicis petechizantibus colludit.

9. *Subadſtringentia* autem in mali mitioris initio, vel etiam in declinatione, bonum ſubinde effectum præſtant.

10. *Opii* vſus ſumma cautione indiget; ſi materiales læſiones remotæ ſunt, & tum aliquid opii placet, theriaca vel M. P. de cynogloſſa aliis præfertur.

11. Quælibet *refrigerationes* hoc malum exaſperant, hinc deſidentibus aquam calidam ſupponere, & plantis pedum calidos lateres adponere, conducit; *calor* etiam moderatus vbique commendatur.

12. Ex

12. Ex hoc fundamento non poſſunt probari antiquorum *clyſteres* re ipſa *frigidi*, quos pro ardore inflammatorio extinguendo paſſim commendant: ſane enim vera refrigeratione tales ardores adgredi, cœptum eſt inconſultiſſimum.

13. *Clyſteres* etiam generatim in hoc malo eximium non habent effectum, immo ne quidem indifferentem vſum; niſi quidem in principio, vbi terebinthinati eſſe debent, adhibeantur.

14. *Euacuantia* non alia, quam leniſſima, laudantur, ſpeciatim *rhabarbarum*, quod abſtergit, & ſimul etiam aliquid adſtringentis relinquit: hinc in ſubſtantia, non autem in extracto, febre adhuc exigua, ad gr. XXX. XL. vſurpatum, vſum ſuum præſtat.

15. *Nitrum*, quod abſtergentibus, vulgo accepta interpretatione, adnumeratur, per initia cum abſorbentibus exhibitum, eximium leuamen præſtat, & tantum abeſt, vt illo tempore noceat, vt etiam iu progreſſione morbi, ſi poculentis dilutum exhibitum fuerit, probetur.

16. *Correctio* materiæ, quæ hic commendatur, exoptatiſſima quidem eſſet via ad finem ſalutarem obtinendum; ſi modo remedia, quæ huic ſcopo ſatis facerent, proſtarent.

17. *Abſorbentia* certe pleraque, quæ pro materia corrigenda commendantur, nullius ſunt pretii, præcipue in malo per contagium communicato.

18. *Corallia* aliis ſolent præferri, ſed ſemper incertum eſt, num alio, quam abſorbendi effectu, exiguum hic vſum ſuppeditante, operentur.

19. Idem iudicium eſto de bolaribus concretis, ſeu *terris ſigillatis*, niſi enim hæ terræ adſtringendo aliquid efficiant, de reliquo inutiles ſunt, & inteſtina grauant.

20. Quid vulgo dicta *corallina* forte hic poſſit, cuiuslibet experientiæ relinquendum, cum in aliis inteſtinorum pathematibus non inefficax deprehendatur.

21. *Mitigantia*, obtundentia, & reliqua *pinguia* exigui ſunt effectus: *oleum commune* multis eſt ſuſpectum: *oleum lini*

nullius ſpecificæ & conſtantis efficaciæ reperitur, cui *oleum ouorum* multis reſpectibus præferendum eſt.

22. *Lac*, pro temperante illo & demulcente ſcopo, diu quidem laudatum, modus autem vtendi, quando copioſe ingeritur, ſuſpectus immo interdum noxius eſt: in ſpiſſius enim coagulum hac ratione facile tranſit, & hoc tormina ac reliqua ſymptomata magis fouet, quam temperat. Si vero ſecundum *Sydenhamum* vni parti lactis, duæ partes aquæ ſimplicis addantur, felicior erit effectus.

23. Mitigans nullum *gummi Arabico*, largius exhibito, par eſt.

24. *Specifica* innumera fere in dyſenteria laudantur, ſi modo effectus hiſce laudibus reſponderent.

25. *Volckamerus* pater in miſc. N. C. ſemini *lapathi acuti cruenti*, vulgo ſangu. dracon. præter effectum adſtringentem, ſpecificam adhuc in dyſenteria efficaciam adſcripſit.

26. *Priapum cerui*, *hepar ſerpentis* & *ſmaragd.* præparat. ſub methodo iam quidem adlegauimus, faciunt autem quod poſſunt.

27. Ab *Hagendornio* & aliis *fungus ſorbi aucupariæ*, vulgo Eberaſche, extollitur.

28. De ſpecifico *Americano* recentiſſimo, nempe radice *ipecacuannæ*, multæ paſſim quiritationes, quod votis non ſemper reſpondeat, audiuntur: num inueterata radix vel vtendi minor dexteritas, in culpa ſit, incertum eſt.

29. Corticem autem *caſcarillæ* & febri & dyſenteriæ ſalutariter conuenire, experientia teſtatur.

30. *Sympathetice* a quibuſdam laudatur *caput mortuum vitrioli*, ſellæ inponendum, ſed quoniam adſtringit, cautiſſime vſurpandum.

31. Ægri non ad quemuis conatum deponendi ſurgant, ſed calide bibendo, & tranquille iacendo diaphoreſin, ad modum ſibi ſalutarem, exſpectent.

32. *Cryſtallus montana*, minoribus & repetitis doſibus, ſiſtit diarrhœas, habet enim ſubadſtringentis aliquid: vnde cautius adhibenda, ſine tamen periculo adſtrictionis exhibe-

hibetur, ſi correctorium aliquod, nempe potiuncula quædam vel nitrum illi addatur. Conferantur, quæ de cryſtallo montana *tabula de febribus bilioſis* dicta ſunt.

33. In *ſuppreſſa* dyſenteria, ſi æger male inde habet, ad reuocandum fluxum commode datur puluis rhabarbari.

34. Alexipharmaca fortiora, vti in omnibus febribus acutis noxia ſunt, & æſtum nimium augent; ita hoc loco non commendanda ſunt.

35. In complicatione dyſenteriæ cum *hæmorrhoidibus cæcis* circumſpectione medica opus eſt. In hoc enim caſu repetitus vſus laxantium, licet leniſſimorum, non quadrat, vſus autem millefolii internus cum fumo muris marini, externe adhibito, commendatur. *Conf. cautel. tab. de hæmorrhoidibus cæcis.*

# TABVLA LXXVIII.

## DE PESTE.

I. D*EFINITIO*.

Peſtis eſt princeps febrium acutarum, epidemicarum, malignarum, vbi principium vitale per motus febriles ſumme ſubtilem, & ad corruptionem putridam inferendam admodum agilem materiam, verſus peripheriam corporis excutere, eliminare, & hac ratione periculum ſphaceloſæ corruptionis auertere intendit.

II. *DIFFERENTIA*.

1. Peſtis a reliquis febribus epidemicis & malignis differt *gradu*, quo omnes alias longe poſt ſe relinquit.

2. Non minus etiam *per ſe* hac graduum malignitatis differentia graſſatur, ita vt pro diuerſitate annorum, tempeſtatum, locorum & ſitus vrbium, alibi grauior, alibi mitior eſſe ſoleat; mitiſſima tamen peſtis longe malignior eſt variolis, morbillis & petechiis, extra peſtis tempus

graſſantibus: hæ enim febres, quomodocumque malignæ, tantam ſtragem numquam edunt, nec tam breuibus & ſæuis lethalibus effectibus ſeſe exſerunt.

III. *SIGNA.*

1. *Vires* ſtatim ſub initium mirifice cadunt, ita, vt ægros pigeat ſe mouere: es ſcheinet ihnen nichts zu fehlen, als daß ſie nur ſo ungemein matt ſind.

2. Hanc repentinam, & quaſi ſpontaneam virium deiectionem confirmat *pulſus* ſenſibilis debilitattio: quod tamen ita non intelligendum eſt, ac ſi ad naturalem, vel adhuc inferiorem gradum accedat: rara enim in febribus auis eſt vulgare illud dicterium: *Vrina ſana, pulſus ſanus* &c.

3. Immo nonnumquam lipothymici plane adfectus occurrunt.

4. *Vigiliæ* pertinaces citra perſpicuam cauſſam, e.g. doloris, inquietudinis, in plurimis obſeruantur.

5. Manifeſtant *ſeſe mentis* vacillationes, lapſui memoriæ ſimiliores, quam veræ aberrationi.

6. *Frequentiſſime* obſeruatur inſidioſa diſſimulatio ſymptomatum conſuetorum, & ſemidelira morbi neglectio, ita vt calorem, ſitim, & dolores vix perſentiſcant.

7. Quando autem grauiorum ſymptomatum repentinæ eruptiones contingunt, illæ potiſſimam peruerſæ medicationi, e.g. opiatis, ſalibus volatilibus, cum regimine exhibitis, adſtringentibus, calidis elixiriis &c. adſcribendæ ſunt.

8. Ad indolem huius morbi magis pertinent exanthemata, mature erumpentia, e.g. *anthracum,* in partibus ſanguineis erumpentium & eximium ardoris ſenſum inuoluentium; item *bubonum, parotidum, vibicum, petechiarum.*

9. Animus ſub hoc morbo valde ita abiectus obſeruatur, vt etiam mature lethalem exitum ſibi infecti præſagiant.

10. Reliqua ſigna cum aliis acutis continuis & malignis hic morbus habet communia, e.g. inuadit cum horrore, ſuccedente leni æſtu; in nonnullis autem cum vomitu, vel diarrhoea, aut hæmorrhagiis ſeſe manifeſtat.

IV. *SVB-*

IV. *SVBIECTA.*

1. Quod peſtilentia omnis generis homines, ætatem & ſexum promiſcue inuadat, per vulgus notum eſt.
2. Facilius tamen eidem obnoxii obſeruantur homines timidi, otioſi, penſitabundi, plethorici.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* eſt miaſma fermenteſcens magnæ ſubtilitatis, ita vt halitus & vaporis forma per vniuerſam ſanguinis maſſam diffundi, ex illa autem, ob colatoriorum in corpore humano minus quadrantem proportionem, difficulter ſecerni poſſit.
2. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod per motus febriles hanc, molis quidem ſummæ exilis, agiliſſimæ autem indolis, materiam e corpore eliminare, & hac ratione imminentem putredinem præoccupare intendit.
3. Cauſſæ *occaſionales*, quæ peſtilentem hanc materiam producere, & aërem ea inficere creduntur, ſunt ſequentes:
   1) Terræ motus, vapores tales noxios emittentes.
   2) Exhalationes putridæ corporum, poſt magnam ſtragem non legitime ſepultorum. Huc etiam pertinent reliquorum animalium, immo volatilium, corpora putredine adfecta.
   3) Effluuia venenoſa, per nefandas hominum quorumdam manus excitata.
   4) Cibus inſolitus & naturæ aduerſus, e.g. carnium equorum vel aliorum animalium; quale quid præcipue eo tempore contingit, quo vrbes obſidentur, vel fames per certas mundi plagas populos adfligit.
4. Certius eſt, peſtiferam materiam & luem in Aegypto & Barbaria ſedem quaſi fixiſſe & exinde latius diffundi, ſæpeque nobis per contagium affricari, de quo ſolide commentatus eſt beatus D. Kanold.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quoniam materia in peſte peccans, per corporis noſtri colatoria ob tenuitatem coërceri & ex ſanguine ſecerni non poteſt, ſed illorum colatoriorum poros ſemper

iterum perreptat, non poteſt non funeſtus plurimum euentus ſuccedere.

2. Trepidatio animorum, non ſolum ſub ipſo morbo, ſed etiam ante illius inuaſionem exoriens, plurimum ad hunc infelicem exitum contribuit: trepidus enim animus trepidos etiam inuoluit motus vitales.

3. Quo magis *leniora* ſunt ſymptomata æſtus, ſitis, dolorum &c. eo malignior eſt peſtilens materia.

4. Omnium ſæculorum vnanimis obſeruatio conſpirat, quod peſtis *tribus modis ſalutariter* finiri ſoleat:
   1) largis ſudoribus in ipſo initio.
   2) Bubonibus.
   3) Anthracibus, ſed vtrisque etiam his mature & ſatis prompte erumpentibus.

5. Ex contrario peſte *perire* obſeruantur
   1) Quibus nulla talis excretio tempeſtiua obtingit,
   2) Vel emicans iterum recedit,
   3) Vel plane ad interiora ſecretoria & excretoria organa defertur, vt diarrhœas, vrinas diſcolores, vomitus, ſeu conatus vomendi diuturnos, hæmorrhagias, pleuriticos & anginoſos morbos formet.

6. *Medio* quaſi inter hæc *loco* ſunt *petechiæ* peſtilentes, tardius erumpentes, valde liuidæ, ſaturatæ, copioſæ, & ægrum eruptione ſua nihil ſubleuantes: hæ plerisque ſunt funeſtæ, paucioribus ſalutariter eueniunt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Materia maligna quia *corrigi* non poteſt, ſed potius intra breue tempus intimam corruptionem inducere valet, omni modo ex corpore *expellenda* eſt.

2. Hæc autem expulſio vno, breui, atque forti impetu fieri non poteſt, ſed placide ac adſidue omnia hic ſunt peragenda.

3. Quidquid ſperare licet, *maturæ* excretioni *periphericæ* innititur: nam materia maligna, vti ſub halitus forma corpus occupauit, ſic etiam per placidam, & continuam exhalationem iterum debet expelli. Huic indicationi inſeruiunt 1) con-

1) continentia ægri tranquilla, & regimen non tam calidum, quam verum refrigerium arcens.
2) Sufficiens humectatio, e. g. potus tepidi ad inſtar thée e radice ſcorzoner. flor. galeg. & ſimilibus, ſapori non ita aduerſis. Item ptiſanæ acidulæ.
3) Alexipharmaca temperata, e. g. mixtura ſimplex leniter ſaltem camphorata, eſſent. alexipharm. *Stahlii*, eſſent. pimpinell. alb. largiter ſaturata. Hæc refracta, ſed repetita doſi exhibeantur.
4) Interpoſitis vbique pulueribus, ex nitro, antimonio diaphoretico, & abſorbente quodam, paratis, ad ſuſpectam & nimiam humorum commotionem mitigandam.
5) Huic mitigandi, & ſimul lenem diaphoreſin promouendi ſcopo, etiam inſeruiunt potiones ex aquis diapnoicis, antimonio diaphoret. & abſorbente aliquo, paratæ.
6) Reliqua ſub *cautelis* videantur.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Si vmquam alibi, certe in peſte nocet methodus ſic dicta *heroica*. Hinc non ſolum a venæ ſectionibus, vomitoriis, & purgantibus, verum etiam a vehemente & copioſa *aquoſi* ſudoris expulſione abſtinendum eſt.
2. Sufficit auctior transſpiratio cum leni madore conſpicua: commotiones autem ſanguinis impediunt liberam hanc diaphoreſin. Vnde motus febriles in peſte a natura merito leniores inſtituuntur, quam in aliis acutis.
3. *Sudor* ſic dictus *Anglicus,* qui ante ſesqui circiter ſæculum graſſabatur, exemplar huius rei præbet euidentiſſimum: hoc enim morbo correpti raro tertium diem attingebant, ſed plurimi intra 12-24. horas moriebantur; nulla medicatio, nulla prophylaxis locum habebat, ſed vnice ſudoris, non aquoſi, ſed nebuloſi vehemens eruptio, quæ a ſola decumbentis continentia exſpectanda erat.
4. Hæc continentia quieta eſt anima totius negotii, ad excretionem hanc vaporantem & diuturnam obtinendam.

5. *Pro:*

5. *Proportio,* quantum fieri poteſt, talis ſeruetur, vt ſub initium admodum placide hæc excretio diapnoica inſtituatur, & diuturniore demum ſucceſſu ſenſim augeatur, ad 12-18-24. horas continuando.

6. *Antiquorum* diuinum remedium fuit *theriaca* ſed bona magis intentione, quam ſalutari effectu; ſub promiſcuo certe illius vſu, opii notabilis quantitas non poteſt non diſplicere.

7. *Recentiorum* famoſæ tincturæ bezoardicæ, quatenus mixturam ſimplicem pro baſi habent, laudem quidem ſuam merentur, *camphoræ* autem quantitas, quæ vulgo in illis recepta eſt, non poteſt adprobari, quia feruidos in corpore edit effectus. Subtripla illius portio ſufficere poſſet.

8. Sic etiam *croci* & *myrrhæ* concurſus copioſus has tincturas deturpat.

9. In peſtilenti lue reiiciuntur ſpiritus c. c. ſal volatile viperarum, & omnia vrinoſa volatilia *præparata*, non autem *ſimplicia,* e. g. c. c. viperæ.

10. *Nitrum* purum, moderatis doſibus vſurpatum, tantum abeſt vt in peſte noceat, vt potius in illo, præſertim in fluxuum ſymptomaticorum metu, plus ſpei, quam in vllo alio ſpecifico remedio, collocandum ſit; habet inſuper generalem, licet lenem, efficaciam, ſubtiles corruptiuas fermentationes temperandi.

11. *Acida* hic illis præcipue ſubiectis commendantur, quæ ſanguine fluidiore inſtructa, & a tuſſi vel aliis pectoris ſymptomatibus libera ſunt; quo nomine præ aliis laudantur clyſſus antimonii, acidum citri, mixtura ſimplex.

12. In potu affatim offerendo quouis modo caueatur, ne vel ventriculum, vel aluum, vel vrinam valde adficiat: nam omnes irritationes humorum & motuum ad interiora viſcera periculum inferunt.

13. Vti in aliis febribus malignis *ſpecifica,* vere talia, adhuc deſiderantur, ita multo magis in peſte. Laudantur a qui-

quibusdam *oſſa humana*, non cruda, ſed putrefacta illa, quæ a cœmeteriis petuntur; & ſane dignum eſt, vt inquiratur, an non eadem ratione ab homine, peſte intermortuo, remedium contra hoc venenum impetrandum ſit, vti hoc efficaciter a *cane rabido* contra hydrophobiam deſumitur; item ad imitationem illius remedii, quod ab oſſibus iumentorum impetratur, quæ a malo per *gramen oſſifragum* illato, exſtincta ſunt. *Vid. Flora Francica edit. nouiſſ.*

14. Licet eruptiones illæ peſtilentes, nempe bubones & anthraces, ad chirurgiam magis pertinere videantur, Medicus tamen ſequentia circa illas notet:

1) Regimen leniter, ſed continuo diapnoicum plus ad eruptionem confert, quam vlla alia tentamina.

2) *Diſcuſſio* anthracum atque bubonum pro re ſumme dubia atque difficili habenda, neque in vllo medicamento, niſi in camphora, ſpes aliqua hic collocanda eſt.

3) *Bufones* quid ad hunc ſcopum valeant, ab experientia demum exſpectandum eſt: nam relationes ita variant, vt aliæ nimium quantum, aliæ plane nihil iisdem tribuere velint.

4) Idem valet de *magnete arſenicali*, ab aliis laudato, ab aliis ſpreto; quamuis vtraque hæc non tam diſſipare, quam ſolum mali impetum mitigare, ſeu venenum extrahere aut eneruare credantur.

5) Quid de *foliis hyoſciami* ad diſſoluendos carbunculos promittatur, in herbario *Pancouii* videri poteſt.

6) Illud vbique ſedulo cauendum, ne, loco diſcuſſionis, nuda repulſio ſuſcitetur, quæ tanto certius in bubonibus funeſta, quanto maiore leuamine illæ eruperunt.

7) *Emollitio*, maturatio per emplaſtra & epithemata emollientia, ſi mature inſtituatur, &, facta apertione, putredo per infuſionem balſamicorum præcaueatur, ſpem diſcuſſione facit maiorem.

8) In anthracibus, præcipue circa partes teneriores eiectis *vſtio* per ferrum *candens* aliis medicationibus præfertur:

ferτur: Anthraces etiam recedentes nihil præſentius reuocat, quam cauterium tale eminus admotum; de qua re digniſſima obſeruatio apud *Scultetum* occurrit.

9) Vbi reliquæ circumſtantiæ conſentiunt, non improbandus eſt auſus quorumdam chirurgorum, per *ſectionem* bubones, mediocris adhuc molis, exſtirpare.

10) Conferantur tabulæ chirurgicæ de *carbunculis* & *bubonibus*.

15. Remedia prophylactica vti in aliis contagioſis ſumme incerta ſunt, ita multo magis in peſte. Animus, a timore mortis liberatus, maioris eſt efficaciæ, quam tot laudata elixiria, aceta alexipharmaca, pilulæ antipeſtilentiales &c.

16. Quando autem omnino conſilia & remedia præcauendi ſcopo deſiderantur, ſequentia poſſunt ſuppeditare:

1) Quo magis plethora adeſt, eo magis commendatur *venæ ſectio*.

2) Mane exhibeatur doſis eſſent. pimpinellæ albæ, bene ſaturatæ, veſperi vero puluis bezoardicus.

3) *Diæta* ſit moderata, cibi aciduli.

4) *Suffimenta*, e. g. per baccas iuniperi, frequentia iniungantur.

5) *Motus* corporis placidus numquam prætermittatur, vt transſpiratio naturalis vbique locum habeat.

6) Qui cum peſte infectis commercium habent, illi radicem pimpinellæ albæ eo tempore in ore detineant, & ſaliuam perpetuo reiiciant.

17. Denique adhuc notari meretur, quod peſtis varia ſubinde ſchemata exhibeat: modo enim vt febris continens, modo vt continua, præcipue inflammatoria, ſeſe manifeſtat; quæ ficta ſchemata Medicum a methodo genuina non deducant.

18. De *amuleto Wedelii*, quod *arcanum duplicatum catholicum* vocat, atque radicem *colchici* & *plantaginis* continet, ipſius auctoris *tractatus de colchico veneno* logi poteſt.

19. Quæ præteritis annis in quibusdam Galliæ prouinciis maritimis regnauit peſtis, illa induſtriam Medicorum non medio-

mediocriter quidam exercuit, ſed quid præſidii in arte fuerit, litteræ publicæ paſſim docuerunt. Cingulum, tinctoris cuiusdam nouum inuentum, *ex mercurio, ſulphure & aliis ſimplicibus* paratum, &, vti in ſcabie alias fieri ſolet, nudo corpori adligatum, efficaciam quamdam in quatuor perſonis habuiſſe, gubernator prouinciæ ſignificauit.

## TABVLA LXXIX.

## DE FEBRE QVOTIDIANA INTERMITTENTE.

I. D*EFINITIO.*

Febris quotidiana eſt ſpecies febrium intermittentium, ſingulis diebus cum horrore & æſtu ſubſequente recurrens, quibus motibus febrilibus natura, ſeu principium vitale, noxiam aliquam materiam in primis viis ordinarie hærentem, corrigere & euacuare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Febris quotidiana intermittens a quotidiana *continua* facile poteſt diſtingui. *Vid. tab. de febre catarrhali benigna.*
2. Quotidiana intermittens a tertiana *duplici* intermittente in eo quidem differt, quod quotidiana conſtans & vniforme tempus inuaſionis & durationis ſingulis diebus exhibeat, in tertiana autem *duplici* non ſinguli paroxyſmi, ſed alterni ſibi reſpondeant, e. g. paroxyſmus primi diei conuenit cum paroxyſmo quarti, hæc autem diagnoſis magnum in praxi momentum non inuoluit, Medicus enim rationalis reſpicit paroxyſmos, quocumque tempore, & quibuscumque horis recurrentes.

III. *SIGNA.*

1. Febris *quotidiana* inuadit ordinarie tempore matutino, hora circiter ſexta vel ſeptima.

2. Cum frigore & horrore ſatis notabili, per horæ ſpatium circiter durante.
3. Vomitu quoque, vel diarrhœa ſpontanea, aut ambobus ſimul ſtipata.
4. Succedit æſtus ſatis vehemens, cum ſiti, inquietudine, & capitis dolore.
5. Totus paroxyſmus raro ſex horas tranſcendit.
6. Æſtus quando paullulum remittit, ſudor ſpontaneus ordinarie ſubſequitur.
7. Singulis tamen diebus recurrit, tempore fere prorſus eodem, vel, vbi turbatur, plane diuerſo, anticipando aut poſtponendo.

IV. *SVBIECTA.*

1. Febris quotidiana rarior eſt, quam reliquæ intermittentes.
2. Occupat magis phlegmatica, quam reliqua temperamenta.
3. Ætati ſenili præ iuuenili.
4. Item ſexui feminino præ virili magis eſt familiaris.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis* eſt materia viſcido-mucoſa, quæ in primis viis ordinariam ſedem habet.
2. Cum hoc primarum viarum vitio ſæpius conſpirat plethora cum ſpiſſitudine ſanguinis in vena portæ.
3. Cauſſa, *formalis* eſt principium vitale, quod motibus febrilibus materiam illam noxiam ſecernere & excernere intendit. Conf. *cauſſæ* tabulæ ſequentis.
4. Cauſſæ *occaſionales*, quæ primas vias deprauare, & ſanguinem *ſpiſſum* reddere poſſunt, ſunt ſequentes:
   1) Diæta inordinata & cruda.
   2) Vita ſedentaria otioſa.
   3) Animi mœrores continui.
   4) Temperamentum ſegnius phlegmaticum, vel ſanguineo-phlegmaticum.
5. Cauſſæ febris *quotidianæ* conueniunt quidem cum cauſſis tertianæ, in quotidiana tamen qualitas vel quantitas materiæ peccantis maiore gradu ſubeſſe videtur; niſi quidem tertiana in quotidianam mutata fuerit per remedia commouentia.

VI. *PRO-*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Febris quotidiana in longius quidem plerumque tempus protrahitur quam tertiana, ad indolem autem quartanæ non accedit.
2. Quo magis plethora cum ſpiſſitudine ſanguinis concurrit, eo difficilius omnia in paroxyſmis ſuccedunt, & eo diutius durat vniuerſus morbus. Natura enim quando obſeruat, plethoram ſub labore hoc febrili imminui, prius facile non deſiſtit, quam quantitas ſanguinis ſufficiens hac ratione euacuata fuerit, licet vitium primarum viarum iam ſublatum ſit.
3. Quo magis *æſtuans* eſt hæc febris, eo magis ad *continuam* properat.
4. Vomitus & diarrhœa, quando expedite ſuccedunt, ſudor etiam lenis ſub declinatione paroxyſmorum erumpit, febris, tum ratione impetus, tum ratione tenoris, in dies ab vno paroxyſmo in alterum decreſcere obſeruatur.
5. Quando autem debitæ excretiones non ſuccedunt, & in primis ſudor per incontinentiam ſupprimitur, atque inſuper remedia adſtringentia propinantur, tum facile obſtructiones viſcerum, hepatis, lienis, item febres lentæ & hecticæ, cachexia, & tumores œdematoſi ſuccedunt.
6. Calidioribus autem medicamentis ſi nimium ſanguis exagitetur, febris hæc intermittens facile tranſit in continuam, præcipue inflammatoriam.
7. Conferantur ea, quæ tabula ſequente ſub *prognoſi* dicta ſunt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

1. Materia viſcido-mucoſa in primis viis eſt corrigenda & *præparanda*; faciunt hoc
   1) *Incidentia*
      a) digeſtiua ſalina: tartarus vitriolatus, nitrum antimoniatum.
      b) Reſoluentia acriuſcula vegetabilia, e.g. radix ari, piper, zingiber, ſemen ſinapi.
   2) *Herbæ capillares*, e. g. capillus veneris, trichoman. ceterach,

terach,& aliæ radices ac herbæ, quæ hepaticæ ac ſple-
neticæ dicuntur, v.g. rad. taraxici, cichorii, herb. a-
grimon. centaur. min.

3) *Gummata* temperatiora: ammoniac. galban. ſagapen. excluſa tamen myrrha, quæ nimis æſtuoſa eſt.

2. Materia præparata, & mobilis facta, pro conditione circumſtantiarum eſt *euacuanda*, ſiue per

1) *Emetica*, ſiue per

2) *Laxantia* blandiora, v.g. pilulas *Beccheri, Stahlii, Quercetan.* tartareas *Bontii*; quin & per

3) *diaphoretico-diuretica* temperata, v.g. rad. helen. vincetox. pimpinell. alb. & ex his parat. eſſent.

3. *Symptomata*, nimis vrgentia, prudente ratione ſunt mitiganda.

1) *Frigus* nimis vehemens & diuturnum ſubleuant

a) *Linimenta* & *balſama* ſtomachica; quibus ſcrobiculus cordis & ſpina dorſi inungi poteſt.

b) Vel ſolus *ſpiritus vini* rectificatiſſimus, linteis quadruplicatis regioni epigaſtricæ adplicatus.

2) *Æſtum, ſitim, cephalalgiam* enormem moderantur

a) *Nitroſa* & *acida*, v.g. nitrum depuratum, ſpiritus vitrioli, nitri, clyſſus antimon. ſuccus citri, quod acidum naturæ humanæ amiciſſimum eſt.

b) *Diluentia*, v.g. infuſum thee, veronic. vel potus tenuior ordinarius, non nimis frigidus, neque etiam nimis calefactus.

c) *Continentia* tranquilla ſub ſudore, ſiue ſpontaneo, ſiue per temperata diaphoretica promoto. Hæc præcipue lenit æſtum *proximi* paroxyſmi, item languorem & fatigationem.

4. *Primæ viæ* ſunt roborandæ; quod faciunt

1) *amara*, non nimis ingrata, ſtomachica vulgo dicta, v.g. rad. gentian. rubr. ſummitat. centaur. min. tanacet. herb. card. benedict. abſinth. ſcord. & hoc nomine ipſa eſſent. alexipharm. cum eſſent gentian. ſociata.

2) *Acida* temperata, & *martialia* correctiora, vbi ſpeciatim tinct.

tinct. vitrioli martis *Ludouici* laudatur, ſi languor ſtomachi poſt febrem ſuperatam diutius perſeueret.

5. *Motus* in conſuetudinem deducti, &, ſublata materia, adhuc perennantes, prudente modo cohibendi ſunt; cui indicationi ſatis faciunt

1) *Anodyna*, ſedatiua, v.g. pilulæ *Wildeganſii* genuinæ, aut *Matthæi* ſiue *Starkeyanæ* veræ, veſpera, quæ paroxyſmum præcedit, ſumendæ.

2) *Subadſtringentia*, e.g, cortex chinæ, crocus martis antimoniat. tenerior *Stahlii*, verſus paroxyſmum, non tamen *proxime* ante eumdem, propinanda.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. Ante paroxyſmum pulueres digeſtiuo-præcipitantes propinentur, e.g.

Recip. tartar. vitr.
conch. acido tartari ſaturat. ana M. doſ. ſcrup. I.

2. Sub æſtu ſufficiens tepidus potus, qualiſcumque dilutus, porrigatur, & quando ſitis vehementer vrget, cum nitro temperetur, præcipue etiam continentia corporis tranquilla obſeruetur.

3. Æſtu vero remittente, madore ſpontaneo erumpente, exhibeatur eſſent. alexipharm. *Stahlii* ad gutt. XX-XXX. cum regimine ad modum moderato.

4. Horis vacuis continuentur pulueres digeſtiuo-abſorbentes.

5. Verſus ſomnum pilulæ *Beccheri*, vel aliæ laxantes, ex gummatibus & reſinis paratæ, propinentur, vt circa ſequentem paroxyſmum effectum ſuum edant, & hac ratione materiam febrilem præſcindant. Vix autem, & non niſi in febre languidiore, hæc laxantia ſunt *neceſſaria*.

6. Denique, ſuperato plurimum morbo, ad tonum ventriculi & viſcerum reſtaurandum, eſſentia quædam ſtomachica in vſum vocetur, e.g.

Recip. eſſent. gentian. rubr.
centaur. minor.
galang. ana M. D. XXX. gutt. verſus paſtum.

Vel recip. tinct. martis aperitiu. *Ludouici* vnc. I.
eſſent. lign. aloes drach. II. M. D. gutt. XL-L

VIII. *CAV-*

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE*

1. Vulgaris methodus, qua febres intermittentes hodie tractari ſolent, duo extrema inuoluit: altera enim materiam peccantem cum *impetu* eliminare intendit, nempe per vomitoria; altera autem, per corticem illum Peruuianum, materiam potius ſupprimit & concludit, quam euacuat.

2. *Vomitoria*, empirice adhibita, ſæpe conatus tantum enormes, ſine materiæ peccantis ſucceſſu, prouocant, ægros inutiliter fatigant, & plethoricos vehementer angunt.

3. Quando *euemetis* propinantur, præcipue eo tempore, quo ſponte natura ad vomitum propendet, nempe verſus paroxyſmos, facile *hyperemeſin* inducunt, & tamen ſufficientem excretionem non præſtant.

4. Tanto magis hoc contingit, ſi, quando febres diu durarunt, & in habitum iam deductæ ſunt, emetica exhibentur.

5. *Altera methodus*, qua motus febriles, nullo habito reſpectu ad materiam peccantem, ſimpliciter cohibentur, ſiue per corticem Peruuianum, ſiue per alia adſtringentia, grauiora adhuc damna inducere ſolet.

6. Nempe adſtrictionem alui pertinacem, in conſuetudinem facile abeuntem, flatulentiam, anguſtias præcordiorum, poſt paſtum præcipue adfligentes.

7. Quo magis ſtatus plethoricus concurrit, eo certius poſt cibum phlogoſes, faciei rubores, capitis grauitates, & hypochondriaca pathemata ſuccedunt.

8. Porro: colica, icterus, tabes, cachexia, oedemata, hydrops, febres acutæ inflammatoriæ, anginæ, febres lentæ, hecticæ, anomalæ, & innumera fere alia mala.

9. De hoc damno, per corticem *chinæ chinæ* inducto, in recente adhuc memoria ſunt duo *regia ſpecimia*. Annis enim proxime præterlapſis Hiſpaniæ Regina poſt vſum chinæ chinæ non ſolum dicta ſymptomata mox experta eſt, ſed & ex vita mature exceſſit. Regem autem ipſum quot periculis expoſuerit ineptum hoc medicamen, nouellæ Madritenſes anno 1718. d. 19. dec. confirmant ſe-

ſequentibus: Ob zwar unſer König durch den Gebrauch der China de China das neuliche Fieber vertrieben, ſo hat ſich doch an deſſen Statt ein auszehrendes Fieber eingeſtellet, welches Jhn noch dieſe Stunde nicht verlaſſen wil, auch wil die Schwulſt an dem einen Fuſſe im geringſten nicht abnehmen, ja es iſt gar eine inflammation darzu geſchlagen. Wiewohl nun das vomitiv und andere medicamenta eine gute Wirckung ſcheinen gethan zu haben, ſo iſt man gleichwohl wegen des Königes Leben in groſſer Bekümmerniß. Optandum ſane eſſet, vt hæc *regia* exempla ab vniuerſa ſchola medica altius conſiderarentur.

10. Reliquæ obſeruationes & cautelæ videantur tabula ſequente.

## TABVLA LXXX.

### DE FEBRE TERTIANA.

I. D*EFINITIO.*

Febris tertiana eſt ſpecies febrium intermittentium, poſt tertium diem cum horrore & ſuccedente æſtu recurrens, quibus motibus febrilibus principium vitale noxiam aliquam materiam, in primis viis plurimum hærentem, præparare & euacuare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Febris tertiana eſt vel *ſimplex* vel *duplex;* quam differentiam *ſigna,* quæ inferius ſequuntur, docent.
2. Tertiana *legitima* bene diſcernenda eſt a *ſpuria, ſub-continua,* quæ plerumque frigus *lenius*, æſtum vero vehementiorem & diuturnum, præter ea ſymptomata adhuc aliqua inſolita, e.g. tuſſim, adfert, poſt paroxyſmos etiam languorem, laſſitudinem artuum, capitis grauitatem vertiginoſam, ſitientem calorem, ſomni inquie-

 tudi-

tudinem, languorem ſtomachi, iugiter perſeuerantia, relinquit.

3. Tertiana probe etiam diſtinguenda eſt a febribus illis acutis, præcipue *epidemicis*, quæ typum tertianarium ſimulant, quando in tempus vernum, & in corpus circa primas vias impurum incidunt: hæ enim notabilem continuitatis habent malignitatem, & non raro maculas petechiales, purpuram, & alia exanthemata parturiunt.

III. *SIGNA.*

A. *Tertianæ ſimplicis.*

1. Inuadit horis ante meridiem, a ientaculo vſque ad prandium, & quidem
2. qui ientare conſueuerunt, incidunt in paroxyſmum circa tempus ientaculi; qui autem huic non adſueti ſunt, ab hora decima vſque duodecimam ordinarie a paroxyſmo corripiuntur.
3. Incipit cum notabili horrore, qui ad membrorum concuſſionem frequentius excedit.
4. Senſus hic ſpaſtico-refrigeratorius primum ordinarie circa regionem lumborum ſentitur, & inde per longitudinem dorſi verſus ſcrobiculum cordis adſcendit.
5. Succedit *nauſea* cum anguſtiis & anxietatibus præcordiorum.
6. Quo magis legitima eſt tertiana, eo certius hæc nauſea in ipſum *vomitum* tranſit, per quem modo tenax & mucoſa materia, modoillioſa ſaburra, modo cibi adhuc indigeſti, primis paroxyſmis reiiciuntur.
7. In quibusdam fortes tantum vomendi *conatus* obtingunt ſine notabili excretione.
8. Vel loco vomitus diarrhœa ſequitur, & quidem in ſubiectis minus vegetioribus, phlegmaticis, annoſis, aut vbi ſaburra mucoſa diu ſemicocta in primis viis hæſit.
9. Hæc ſymptomata quando per vnam vel alteram horam durauerunt, tum frigori remittenti ſuccedit flaccida fatigatio & languor corporis vniuerſi, præcipue vero artuum, cum moleſto ſenſu contuſionis, als wenn alles

an

an dem Patienten zerſchlagen wäre; exceptis illis, in quibus nauſea diutius continuat.

10. Hunc languorem excipit æſtus, qui plurimum lento interdum vero ſatis præcipiti curſu augeſcit.

11. Concurrunt dolores capitis, ſitis & amarities oris.

12. Quam primum hic æſtus paullulum miteſcit, mador quidam, ſeu lenis ſudor erumpere obſeruatur; non quidem ſemper prioribus, bene vero ſequentibus paroxyſmis.

13. Quo magis tranquilla continentia concurrit, eo citius æſtus miteſcit, & ſudor ſuccedere ſolet.

14. Totus paroxyſmus vix infra 6. horas decurrit, ſæpius ad octo, &, quando vehementior eſt, ad duodecim horas ſeſe extendit, has autem quæ excedit, pro *notha*, id eſt, vere practico ſenſu, compoſita, ad continuum genium accedente, habenda eſt.

15. Repetuntur vero hæc omnia alternis diebus, ita vt ad minimum interuallum 24. horarum intercedere ſoleat.

16. Paroxyſmi plerumque ſtato tempore & hora, nonnumquam vero anticipando, aut poſtponendo, recurrunt.

B. *Tertianæ duplicis.*

1. Hæc ſingulis quidem diebus recurrit, non ſinguli autem paroxyſmi, ſed alterni ſibi reſpondent, e.g. primo die inuadit ante meridiem, ſecundo poſt eumdem, tertio ante meridiem, quarto poſt eumdem.

2. Tertianæ *anomalæ* nullum certum inuaſionis tempus obſeruant.

IV. *SVBIECTA.*

1. Tertiana legitima occupat magis ſexum virilem quam femininum.

2. Familiarior eſt ætati iuniori & iuuenili, quam annoſiori, quæ facilius tertianas anomalas incurrere ſolet.

3. Item magis euenit perſonis vegetioribus, quam ſegnioribus & incurioſis.

4. Præcipue autem homines ſenſibiliores & nauſeabundi facile tertianam incurrunt, quando poſt cibos, cum nauſea adſumtos, conatus vomendi violenter ſupprimuntur.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* eſt viſcida, lenta, mucida aut ſemi concocta materia, plurimum in primis viis hærens; interdum vero, præcipue quando febris antea ſuppreſſa vel corrupta fuit, materia peccans in vaſis meſeraicis vel hepate obhæreſcit.
2. Cauſſa *efficiens*, eſt principium vitale, quod motibus hiſce febrilibus materiam dictam eliminare intendit.
3. Cauſſæ *occaſionales*, quæ primas vias deprauare ſolent, ſunt ſequentes:
   1) Diæta inordinata, craſſa, & concoctioni refractaria.
   2) Præſertim quando cum nauſea cibi adſumuntur.
   3) Vel commotiones animi vehementes ante, ſub vel poſt paſtum acceduut.
   4) Vitæ genus ſedentarium & otioſum.
   5) Refrigeratio in regione abdominis, præcipue circa tempus, quo cibus adſumtus eſt: hac enim ratione concoctio impeditur.
   6) Scabies repulſa.
4. *Bilem* cum veteribus hic accuſare velle, irritum eſt: licet enim illa in febre tertiana ſæpius euomatur, hoc tamen retorſionibus duodeni, quæ ſub his vehementibus commotionibus contingunt, tribuendum eſt. Experientia docet, quod etiam ſani, vomitorio vtentes, bilem ſub vltimis vomitibus eiiciant.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Febris tertiana legitima, ſi inconditæ medicationes non admittantur, toto genere ſalutaris eſt; immo per vulgus conſtat, quod poſt legitimum huius febris decurſum ægri non ſolum priorem, ſed etiam firmiorem recuperent ſanitatem.
2. Hæc legitima tertiana frequentius ante ſeptimum paroxyſmum, raro autem ante quartum in ſolidum ceſſat; ſed nihil critici in hac febre obſeruare licet.
3. Quando diæta conueniente, & regimine modeſto ſublevatur, numquam ruit in exitum periculoſum, & abſque artis auxilio feliciter ſolet decurrere.

4. Vbi

4. Vbi vero per medicamenta calida ſudor, præcipue ſub æſtu vehemente, immodeſte concitatur, ægri valde debilitantur, & continuas tabidas ſudationes, immo febres acutas, viſcerum inflammatorias incurrere ſolent, & hoc tanto certius, quo magis temperamentum ſanguineum vel cholericum, ætas iunior, & diæta vinoſa concurrunt.

5. Quando autem tertianæ per *adſtringentia* cohibentur, ſuccedunt: laſſitudo, faſtidium, preſſiones circa præcordia & hypochondria: porro obſtructiones hepatis, lienis, febres lentæ, hecticæ, cachexia, præcipue in illis ſubiectis, quæ temperamenti ſunt phlegmatici vel melancholici, aut ætatis prouectioris.

6. Vti in tertiana legitima *euacuationes* per vomitum vel diarrhœam, quando mature & vegete procedunt, ſalutariter ſuccedere ſolent; ita harum excretionum retentiones morbum in longum tempus protrahunt, paroxyſmos non decreſcentes, ſed æquali tenote recurrentes, inferunt, & vires notabiliter exhauriunt.

7. *Sudor* ille lenis, qui ſub declinatione æſtus erumpere ſolet, quo magis tranquilla continentia & placido regimine promouetur, eo certius *ſenſim* decreſcunt paroxyſmi & morbus ſalutariter finitur: atque hæc tardior febris terminatio melioris eſt fidei, quam quæ præcipiti greſſu decurrit.

8. Quando error quidam ſiue in diæta, ſiue in medicatione committitur, ſuccedens paroxyſmus notabiliter exacerbatus obſeruatur.

9. Nihil facile huius febris legitimum decurſum vehementius turbare poteſt, quam inſignis *plethora*; hæc enim, vbi concurrit, omnia ſymptomata exaſperat; præcipue æſtum infert grauiorem, & ſudoris ſpontanei eruptionem multum impedit: ægerrime etiam tales ægri medicamenta calida, vel cohibentia tolerant: non raro enim in febres acutas inflammatorias per illa coniiciuntur.

10. Paruum & breue frigus ſubſequente diuturniore æſtu, ſine excretionibus notabilibus, febrem deſignat irregu-

larem, & acuto typo, ad minimum compoſito, propinquam.

11. Tertiana aliquando *contagioſa* velut adparet, ſed non aliter, quam ſub craſſa conuerſatione & contactu, e. g. quando in eodem lecto dormiunt, ex iisdem vaſis bibunt; præſertim ſi vitium primarum viarum concurrat.

12. Inſolita *voracitas* in hac febre, præcipue quæ paroxyſmos antecedit, morbum protrahere obſeruatur; vnde per vulgus paſſim audire contingit: die Freß-Fieber halten lange an, ſubiuncta interdum hac ratione: ſie haben volle Nahrung.

13. Sic etiam auctior adpetitus, poſt febris decurſum ordinarie ſuccedens, quando per ingeſtionem ciborum repletur, facile *recidiuam* inducit.

14. Tertianæ, quæ verno tempore oriuntur, melioris genii ſunt, quam quæ reliquis temporibus obtingunt.

15. Tumores œdematoſi poſt tertianas tantum quidem periculum non inuoluunt, quam qui quartanas excipiunt; niſi tamen mature & conueniente methodo illis occurratur, hydrops tandem inducitur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

Hæc prorſus conuenit cum illa, quam præcedente tabula de febre quotidiana indicauimus.

B. *Methodus ſpecialis* exiguis tantum circumſtantiis variat.

1. Vna vel altera hora ante paroxyſmum exhibeantur digeſtiua cum abſorbentibus maritata, e.g.

Recip. nitr. antimoniat. vnc. ſemis.
conch. præparat. & acido tartari ſaturat. drach. II.
M. doſ. ſcrup. I.

ita vomitus ſpontaneus plerumque ſubſequitur.

2. Sub paroxyſmo potus ſufficiens concedatur; modo non inebrians, non fæculentus, neque actu frigidus, aut nimiis hauſtibus ingurgitatus. *Conſ. cautel.*

3. Vbi æſtus & ſitis vehementius vrgent, potus pro ſanguineis leniſſimis acidis, pro cholericis autem & melancholicis nitro temperari poteſt.

4. Æſtu

4. Æſtu miteſcente ſudor ſpontaneus promouetur per moderatam doſin eſſent. alexiph. *Stahlii*, ſubiuncto placido regimine.

5. Die vacua hæc eſſent. alexipharm. & pulueres digeſtiuo-abſorbentes continuentur, hac tamen diſcretione:

1) Si nimio maior ſit exæſtuatio febrilis, crebrius, ſed refracta magis doſi, propinanda eſt eſſent. alexiph. ne motus in febrem lentam hecticam degenerent.

2) Si vero æſtus minor ſit, digeſtiua crebrius, quam alexipharm. ſunt exhibenda.

6. Eodem die vacuo lenes etiam laxationes conueniunt, abſolutæ autem non ſunt neceſſitatis, niſi febris langueſcere, & in longum tempus durare ſoleat: quo caſu pilulæ *Beccheri, Stahlii*, cum extract. panchymagogo *Crollii* pro re nata coniunctæ, laudantur. Item decoctum aliquod ex reſoluentibus & laxantibus paratum; in quem finem conducunt: rad. cichor. tarax. herb. fumar. card. benedict. agrimon. rad. hellebori nigri, rhabarbar. fol. ſennæ & ſimilia.

7. Locum etiam habent ſtomachico-carminatiua, eodem die verſus paſtum propinanda, ad tonum primarum viarum reſtaurandum, e.g. eſſent. gentian. rubr. abſinthii compoſita, tinct. martis aperitiu. *Ludouici*, item eſſent. e rad. ari. herb. abſinth. centaur. min. maſtich. galang. cort. citri, aurant.

8. Denique vbi hæc omnia ſollicite obſeruata ſunt, & motus febriles nihilo minus perſeuerant, ibi *ſiſtentia* conceduntur. Præ aliis laudantur

1) *Crocus martis* antimoniat. tenerior *Stahlii* 3. 5. gran. pro doſi. Hic crocus aluum non adeo adſtringit, vti china chinæ, & tamen æque præſentem efficaciam in ſiſtendis motibus febrilibus exhibet.

2) *Pilulæ Wildeganſii* 4-5. horas ante paroxyſmum ad gran. 3-4. exhibendæ: hæ non prima doſi, ſed paulatim impetum paroxyſmorum infringunt, & ſæpe ſudorem excitant.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ*

1. Febris tertiana *duplex* aliam non expoſcit methodum, ſed pecu-

peculiarem tantum ad paroxyſmos reſpectum & adplicationem.

2. Quæ *præcedente* tabula ſub cautelis dicta ſunt, illa hoc loco repetantur.

3. Subiecta febris tertianæ quo magis ſunt valetudinaria, tenera, & ſenſibilia, eo leniore methodo tractanda ſunt.

4. Abſint in iisdem impetuoſa *euacuantia*, multo magis autem motus febriles cohibentia; digerentibus potius per tempus aliquod inſiſtatur, & lento demum greſſu euacuantia in ſubſidium vocentur.

5. Habent quidem in tertianis locum *vomitoria*, vbi cibus dyſpeptus & malæ concoctionis, recenter febrem excitauit; ſtolidum autem eſt, naturam adhuc magis per artem excitare, ſi iam ſponte ad vomitum inclinet.

6. Extra has circumſtantias vomitorium exhibere vix vmquam neceſſarium eſt: materia enim morbifera ſatis præparata & mobilis facta, commodius ſponte naturæ reiicitur, ſiue per placidum vomitum in ipſis paroxyſmis, ſiue magis tacite per ordinarias aluinas excretiones.

7. Quod ſi tamen omnino in robuſtioribus, vel etiam ſegnioribus vomitorium aliquod præſcribere placet, ad negotium eo citius & facilius expediendum, ſollicite obſeruetur, quod, ſecundum *Hippocratem*, non *cruda*, ſed *concocta* mouenda ſint; ſin ſecus, grauia tantum vomendi conamina ſuccedere ſolent, quæ vires proſternunt, debitos motus turbant, & ita vniuerſum negotium difficilius reddunt.

8. Febres tertianæ, per *adſtringentia* ſuppreſſæ, vti non raro occurrunt; ita certior illarum medela non obtinetur, quam per paroxyſmorum febrilium reuocationem; quæ per pilulas *Beccheri*, *Stahlii*, vel alia moderata, & tamen efficacia, laxantia commode obtinetur.

9. Quam primum per lenia talia laxantia febris reuocata eſt, ſymptomata per ſuppreſſionem inducta, e.g. tenſiones & preſſiones circa præcordia & hypochondria, laſſitudo, faſtidium, tumores œdematoſi &c. citius ordinarie miteſcunt.

10. Poſt

10. Poſt felicem febris tertianæ decurſum adpetitus moderandus, refrigerium, præcipue humidum, euitandum, & ad tonum ventriculi reſtituendum, tonico-ſtomachicis continuandum eſt; ſubiuncto motu corporis moderato.

11. Vbi autem hæc febris, minus feliciter decurrens, tumores œdematoſos relinquit, ibi ſalia digeſtiua, lenia tonico-martialia, ſtomachica & blandiſſima laxantia conueniunt; abſtinendo a ſalibus volatilibus, acrioribus alcalicis & purgantibus fortioribus.

12. Digeſtiua *ſalina*, e. g. tartar. vitriol. arcan. duplicat. nitr. antimoniat. longe hic præferenda ſunt *vegetabilibus*, e.g. rad. ari, zedoar. piperi, zingiberi, &c. hæc enim ſegniora non ſolum obſeruantur, verum etiam per ſal ſuum volatile, quod ſub acrimonia ſua fouent, æſtui febrili nocumentum aliquod adferunt.

13. Quando autem febris lenteſcit, & ita minor æſtus præſto eſt, vel ſubiectum phlegmaticum occupat, tum hæc vegetabilia & alia *amara* laudabilem operam præſtant; in primis laudatur *centaurium minus*, &, febre ſubacta, carduus benedictus, qui ad tonum roborandum eximia virtute præditus eſt.

14. *Extracta* horum amaricantium decoctis & infuſis præferenda ſunt, præcipue in ſubiectis ſenſibilibus, in quibus infuſa talia, copioſe adſumenda, per nimiam ſuam amaritiem facile æſtum hecticum inducere ſolent.

15. Sal digeſtiuum *Syluii* non commendatur, multo minus ſalia volatilia vrinoſa.

16. Medicatio per *arſenicum* non decet viros ſinceros.

17. Saburra ad primas vias congeſta, aliis febribus concurrens, tertianarii typi complicationem haud raro adfert; quod tanto magis obſeruandum, quo ſæpius tales febres anomalæ in noſtris climatibus occurrunt. Faciunt hoc præcipue febres epidemicæ, paullo lentioris indolis, verno tempore obuenientes. *Vid. differentia*, item *tabula de febre catarrhali maligna*.

18. Ex omnibus febribus *duæ* ſunt, quarum cauſſa materialis

ob loca ſatis commodam proximam *correctionem* paullo magis admittit: nempe febris cholerica & tertiana; cauendum tamen vbique, ne intentione corrigendi abſorbentia nimis copioſe ingerantur.

19. *Efflorescentiæ vlceroſæ* in externo oris ambitu non tantum tertianis intermittentibus, ſed & tertianis continuis, & aliis acutis, cum magna anxietate cardialgica coniunctis, immo in vermibus etiam ſunt familiares. Hoc tamen loco mentio illarum fieri debuit, quia potiſſimum ſub febre tertiana obſeruantur. Quod hæc fiant in febribus minus benignis & in longum tempus ſe ſe extendentibus, vulgo quidem adſeritur, docet autem experientia, ipſas benignas tertianas eius modi efflorescentiis ſæpius eſſe ſtipatas.

20. *Venæ ſectionem* in febribus intermittentibus adhibere abſonum eſt: facile enim typum intermittentem in continuum mutant.

21. Potum quando etiam ſub *frigore* ægri efflagitant, ille tanto modeſtius & magis tepidus porrigendus eſt.

22. Denique ad *recidiuam* tertianæ febris præoccupandam, adhuc notandum, quod annuo recurſu primæ viæ per lenia laxantia euacuari, & per ſtomachica roborari poſſint; ſubiuncto regimine diætetico exquiſito.

23. Laudant quidam ſympatheticam febrium curationem per *cancrum fluuiatilem*: jubent nimirum ſegmenta vnguium ægri cancri chelis adligare & deinde cancrum in fluuium demittere, daß das Fieber mit dem Krebſe fortſchwimme. Sed ſine omni effectu ſæpe tentatum eſt.

## TABVLA LXXXI.
### DE
# FEBRE QVARTANA.

I. DEFINITIO.

Febris quartana eſt ſpecies febrium intermittentium, quarto quo-

quouis die cum frigore & ſuccedente æſtu inuadens: quo labore febrili principium vitale materiam aliquam noxiam, circa viſcus aliquod hypochondriacum hærentem, corrigere, remouere, & hac ratione viſceris læſionem auertere intendit.

## II. *DIFFERENTIA.*

1. Febris quartana eſt vel *ſimplex*, vel *continua*.
2. De *ſimplice* hac tabula, de *continua* autem infra agitur.

## III. *SIGNA.*

1. Quartana legitima præ aliis intermittentibus typum ſuum exactiſſime ſeruat: vix enim alio tempore, quam poſt meridiem, circa horam quartam vel quintam inuadit.
2. *Frigus* quod format, ad horrorem quidem & artuum ſucuſſationem non accedit, eſt tamen ſatis ſenſibile, & ad duas circiter horas extenditur.
3. Præcedit & concurrit *languor* corporis & animi.
4. *Vomitus* non facile exoritur, niſi febris a manifeſta ciborum inconuenientium ingeſtione initium ſumſerit.
5. Neque *diarrhœæ* ordinarie eueniunt, notabiliter potius aluus non ſolum die febrili, verum etiam reliquis vacuis conſtricta obſeruatur.
6. *Calor*, qui frigori lento greſſu ſuccedit, non tam vehementia, quam odioſa ſiccitate, immo mordaci ariditate, patienti moleſtus eſt: vnde etiam vix vmquam ſudor ſuccedere ſolet.
7. *Æſtus* hic ad quatuor vel ſex horas, raro diutius ſeſe extendit, niſi forte primo & ſecundo paroxyſmo.
8. Durante ita calore vertiginoſa capitis perturbatio cum dolore obtuſo, non exquiſite lancinatorio, adfligit.
9. Superato paroxyſmo redit quidem æger ad mediocrem orthoſtadiam, & ſuccedentibus vacuis diebus in eodem ſtatu perſeuerat; manet autem aliquod animi faſtidium & ſenſus profundus contuſionis & confractionis, quem dolorem Medici vocant *oſteocopon*.
10. Quarto quouis die recurrit paroxyſmus, & quidem ſtatis præciſe horis, raro poſtponendo, rarius anticipando:

quam primum enim anticipat, iuſta ſtatim *continuitatis* ſuſpicio fouenda eſt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Quartana præcipue occupat ætatem conſiſtentem, & provectiorem.
2. Quando autem ab auctoribus, e. g. *Sydenhamo* & *Sennerto*, traditur, quod infantilis etiam ætas hac febre occupetur, hoc epidemicæ indoli tribuendum eſt.
3. Temperamentum melancholicum præ omnibus reliquis huic morbo ſuccumbit.
4. In primis tales perſonæ eumdem incurrunt, quæ ſub vitæ genere otioſo, ſedentario & ſpeculabundo, frequentes animi mœrores & ſollicitudines experiuntur.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* huius febris eſt materia viſcida, tenax, plerumque in viſceribus hypochondriacis, cum *vena portæ* connexionem habentibus, ſtabulans, e. g. in hepate, liene, glandulis meſaraicis: rarius in primis viis.
2. Cauſſam circa viſcera hypochondriaca hærere, ſatis confirmat nexus reciprocus, quem hæc febris cum ictero, cachexia, tumoribus œdematoſis & aſciticis fouet: modo enim quartana his, modo hæc quartanæ ſuccedunt: modo complicantur. *Conf. prognoſis. num. 9.*
3. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod motibus talibus lentis lenteſcentem ſtagnantem materiam reſoluere intendit, ad obſtructiones, ſcirrhos & ſalino-acres corruptiones in dictis viſceribus præcauendas.
4. Cauſſæ *occaſionales* & procatarcticæ ſunt:
   1) Febris tertiana vel quotidiana, male curata.
   2) Obſtructiones euacuationum ſanguinearum conſuetarum, e. g. menſium, hæmorrhoidum.
   3) Diæta cruda cum potu parciore.
   4) Refrigeratio abdominis, præcipue poſt paſtum, aëre humido exſiſtente.
   5) Tempus autumnale: vnde quartanæ dicuntur febres autumnales.

6) Vitæ

6) Vitæ genus ſedentarium, otioſum, ſpeculabundum, præcipue cum mobili permutatum.
7) Abuſus *acidorum*, ſpiſſitudinem humornm inducens.
8) Abuſus *ſpirituoſorum*, qui orgaſticam ſanguinis commotionem excitat.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Motus & decurſus huius febris plane reſpondet quantitati & qualitati materiæ peccantis, quæ exiguæ quidem molis, difficillimæ tamen, ob tenacitatem, reſolutionis eſt.
2. Hinc quartanæ ad plures hebdomades, immo menſes ſeſe extendunt, & ita ſæpius contumaces reperiuntur, vt diu pro ſcandalo Medicorum habitæ ſint.
3. Concurrente autem methodo conueniente, & ægri patientia, hæc febris, licet ſibi relicta pertinax ſit, & non facile ſponte ſua ad tranquillitatem redeat, feliciter tamen profligatur.
4. Immo in iunioribus, labori alias adſuetis, intra duas interdum hebdomades ſoluitur.
5. Si autumno inuadit, non raro ad vernale tempus ſeſe extendere obſeruatur, bis die Bäume ausſchlagen, vernalis autem quartana breuioris eſt periodi.
6. Quartana poſt annuum decurſum facile *recidiuam ſiſtit*; immo ſi magis ſuppreſſa, quam legitima methodo ſuperata fuit, tam longam periodum non exſpectat, ſed breui ſæpius iterum recrudeſcit, cui rei facile anſam præbet repletio ingentis adpetitus, poſt ſuppreſſionem per *chinam chinæ* excitati.
7. Ad nullam excretionem notabilem hæc febris ordinarie inclinat, vti ſub *ſignis* iam indicatum eſt.
8. Quando autem per vomitoria, purgantia fortiora, ſudorifera, ſalia volatilia vrinoſa, adſtringentia, venæ ſectionem, tractatur, facile in typum acutum, vel malum chronicoteron, febrem lentam, hecticam, transmigrat.
9. Quartana legitime ſuperata ſoluit prægreſſos hypochondriacos morbos; incongruenter autem ſuppreſſæ ſcirrhus hepatis, lienis, glandularum meſaraicarum, tumo-

res œdematoſi, hydrops, hectica, aſthma ſiccum, tuſſis ſicca, icterus, præcipue niger, ſuccedunt.

10. Tumores œdematoſi, qui poſt quartanam ſequuntur, longe contumaciores ſunt illis, qui durante adhuc febre obueniuut. *Conf. cautela.*

11. Quæ de adpetitu fortiore, ſeu potius voracitate, ante vel poſt paroxyſmum vrgente, præcedente tabula diximus, valent etiam de febre quartana: nempe portendit talis edacitas febris plurimum diuturnitatem.

12. *Scabies*, quæ interdum febri quartanæ ſuperuenire ſolet, felicem febris decurſum promittit: materia enim, ad peripheriam translata, in ſcabiem fœtidam mutatur, & ſic vere conſumitur; quando autem ad pedes deiicitur, tumores duriores, & non raro peſſimi moris vlcerationes format.

## III. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus generalis.*

1. Collectio & infarctus materiæ tenacis & mucoſæ circa viſcera hypochondriaca hærens, *incidendus* & *reſoluendus* eſt. Faciunt hoc

   1) *Salia digeſtiua*, e.g. arcan. duplicat. tartar. vitriolat. nitr. antimoniat. Item: ſal. abſinth. centaur. min. card. benedict. tartar. tartariſat. terra foliata tartari.

   2) *Gummata* temperata: ammoniac. ſagapen. ſarcocoll. (myrrha iuſto æſtuſior eſt.)

   3) *Radices* incidentes, e.g. rad. ari, gentian. rubr. pimpinell. alb. vincetox.

   4) *Herbæ* reſoluentes amaræ, e.g. fumar. epithym. capill. vener. præcipue centaur. min. item abſinth. adianth. alb. marrub.

   5) *Diluentia*, in primis etiam ob aluum adſtrictam, & ſpisſitudinem ſanguinis.

1. Materia hac ratione reſoluta, correcta & præparata, per aluum & vrinam *euacuanda* eſt. Præſtant hoc

   2) Laxantia, præcipue melanagoga, cum *epicraſi* ordinata, coniunctis nempe modo commendatis reſoluentibus radicibus & herbis, quæ vim diureticam exhibent.

2) Vel

2) Vel pilulæ ex gummi ammoniaco, extractis amaris, aloë, extract. hellebor. nigr. mercur. dulc. & reſin. ſcammon.

3) Item pilulæ tartareæ *Quercetani* vel *Sylnii*.

4) Præ omnibus pilulæ *Stahlii* vel *Beccheri*.

3. *Tonus* viſcerum eſt reſtaurandus; cui ſcopo inſeruiunt ſtomachica, tonica, neruina, præcipue eſſent. rad. gentian. rubr. centaur. min. card. benedict. abſinthii compoſita, tinct. mart. aperitiu. *Ludouici*.

4. *Motus* denique, ſi re vera in conſuetudinem degenerati obſeruentur, ſiſtendi ſunt. Præſtant hoc

1) Electuar. cort. chinæ chinæ 3. 4. horas ante paroxyſmum exhibitum.

2) Crocus martis antimoniatus tenerior *Stahlii*, dicto tempore ad gran. 4. 5. propinatus: non prima doſi, ſed ſenſim motus ſiſtit, & hinc cortice Peruuiano ſecurior eſt.

3) Crocus martis cachecticus *Zwelferi*.

4) Nonnunquam amuletica efficaciam præſtant, e. g. adpenſio aranearum, emplaſtra *epicarpia*, die Puls-Pflaſter, per *Helmontium* & *Knæpffelium* commendata.

B. *Methodus ſpecialis*.

1. Vna vel altera hora ante paroxyſmum propinetur ſcrup. I. ſalis alicuius digeſtiui, præcipue tartar. vitriol. legitime parat. omiſſo, vel parca doſi adiecto, abſorbente, ne materia magis lenteſcens reddatur.

2. Durante æſtu tranquilla continentia ſeruetur, & ſufficiens, tepidus, dilutus potus porrigatur.

3. *Primo* die vacuo

1) *Mane* eſſent. alexipharm. cum eſſentia quadam ſtomachica remixta, exhibeatur, e. g.

Recip. eſſent. pimpinell. alb.
ſcordii ana drach. II.
gentianæ rubræ vnc. ſemis. M. doſ.
XXX. gutt.

2) Verſus prandium repetatur.

3) Poſt meridiem ſalia digeſtiua aliquoties exhibeantur.

4. *Altero*

4. *Altero* die vacuo

1) *Mane* pilulæ *Beccheri, Stahlii,* vel alia lenia laxantia, cum aperitiuis & ſtomachicis maritata, forma infuſi propinentur, e. g. recip. rad. ari, gentian. rubr. pimp. alb. vincetox. ana vnc. ſemis, herb. centaur. min. abſinth. fumar. ana manip. ſemis, fol. ſennæ drach. VI. rhabarb. elect. vnc. ſemis, fibr. helleb. nigr. drach. II. tart. vitriolat. vnc. ſemis, inciſ. contuſ. fiant ſpecies, cum libr. I. aquæ feruentis bulliant, & remotis ab igne addantur vini libr. II. doſ. vitr. I.

2) Circa veſperam pulueres digeſtiui bis exhibeantur.

5. Vbi *tumores* œdematoſi, vel plane hydropici cum quartana iam complicati ſunt, ibi pilulæ *Stahlianæ* vel *Beccherianæ* ſingulis vacuis diebus propinari poſſunt.

6. Die *febrili* ante meridiem eſſent. alexipharmaca, verſus autem & poſt meridiem vsque ad nouum inſultum digeſtiua exhibeantur.

7. Hæc methodus per aliquot hebdomades continuetur, & ſi tum febris cedere recuſet, & motus illi, remota materia, in habitum obfirmati adpareant, ægri autem diebus intercalaribus ad plenariam euphoriam, & ad legitimum vſum rerum *non-naturalium* perueniſſe videantur, tum vera *ſiſtentia* conceduntur: quo caſu crocus martis antimoniatus tenerior, tempore ſuperius indicato exhibitus, ſatis efficax deprehenditur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quartana vti in ſe lento progreſſu & motu leniore gaudet: ita commotiones artis impetuoſiores ægerrime tolerat.

2. Hinc *emetica* & *cathartica* draſtica, item *alexipharmaca* ſub paroxyſmis, præſertim cum regimine ſudorifero data, grauiora damna inducunt, & totum febris genium turbant.

3. Præcipue in plethoricis ſudorifera talia vertiginoſam capitis perturbationem, & alui adſtrictionem pertinaciorem relinquunt: vnde febris exaſperatur, & æger facile in lentam ac hecticam febrem coniicitur.

4. Idem

4. Idem de *venæſectione* iudicandum eſt; nocent, quidquid dicant antiqui, præcipue *Arabes.*

5. *Abſorbentia,* ſiue ſolitarie ſiue cum aliis affatim ingeſta, lentorem materiæ febrilis augent, ita vt facile typum quartanæ in lentum vel ſub-continuum transmutent.

6. *Olea volatilia* aromatica, quæ ab aliquibus commendantur caute ſunt adhibenda; in phlegmaticis quidem robuſtioribus, & minus raræ texturæ, *oleum piperis* aliquid præſtat, in aliis autem ſubiectis hectica facile inducitur.

7. Tenſiones & preſſiones in ſiniſtro hypochondrio, quando concurrunt, adhibeatur methodus, quæ tabula de *infarctu lienis* commendata eſt, ſpeciatim eſſent. adianthi albi cum tinct. martis *Ludouici* remixta, & verſus paſtum exhibita, egregie conducit.

8. *Externe* in tali caſu, vti & in doloribus præcordiorum, emplaſtrum ſaponatum *Barbette,* largiter camphoratum, locum habet.

9. Vix dicendum eſt, quam ſalutariter ſe commendent pilulæ *Beccheri* correctæ in tumoribus, huic febri ſuperuenientibus: proſtant enim exempla, vbi febris quartana, tumore per vniuerſum corpus non mediocriter ſtipata, intra tres hebdomades ſolis hiſce pilulis & pulueribus digeſtiuis feliciter ſublata eſt.

10. Quod ad diætam attinet, abſtrahatur a cibis crudioribus, præcipue ſi voracitas accedat; ex contrario adhibeantur, lentorem humorum corrigentia, e.g. embammata ex ſucco cochlear. ſinap. raphan. marin. naſturt. &c.

11. *Nux vomica* penetrantiſſima amaritie gaudens ad tenaces collectiones & infarctus, auctore *Ludouici,* commendatur.

12. Dantur interdum aliæ adhuc ſpecies febrium intermittentium, e.g. quintana, ſeptimana. Sic etiam notum fuit exemplum, in quo die ſolis & mercurii ſchemata febrilia tantum adparebant; cuius rei genuina cauſſa hæc videbatur, quod profligata ante annum in hoc ægro febris, quæ mercurii die initium ſumſerat, ſolis die altera vice recurrerat. Vnde poſt annuum interuallum hiſ-

ce duobus diebus motus tales aliquoties ſeſe manifeſtabant. Tractantur autem methodo eadem.

13. Conferantur etiam *cautelæ*, quæ præcedente tabula indicatæ ſunt.

# TABVLA LXXXII.

## DE FEBRIBVS COMPOSITIS EX ACVTA PERIODO.

I. D*EFINITIO.*

Febres compoſitæ ex *acuta* periodo ſunt complexus variorum motuum, e duabas acutis concurrentium, quibus principium vitale & quantitatem ſanguinis imminuere,& qualitatem eius corrigere intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Eebres mirum in modum inter ſe complicantur, & hæc complicatio vniuerſum ſæpe negotium ſatis reddit intricatum & ambiguum.
2. Duplicis autem in genere generis ſunt febres ita compoſitæ:
   1) aliæ enim ex *continente* & *continua*, & ſic ex duabus acutis componuntur, quæ in regionibus noſtris ſeptentrionalibus ſatis ſunt frequentes; licet vulgo parum attendantur.
   2) Aliæ ex intermittente & continua coaleſcunt,& longe rariores ſunt compoſitis primi ordinis.
3. Compoſitæ ex duabus acutis triplicis iterum generis ſunt:
   1) Modo enim febris *contienns* ad plethoram imminuendam inſtituitur, in executione autem illius ſcopi impedimenta qualitatis ſanguinis, præcipue ſpiſſitudinis obiiciuntur, vt, tamquam ex accidenti, ſtaſis inflammatoria, & ad hanc diſcutiendam, febris *continua* ſimul introducatur. Huc pertinet antiquorum *ſynochus*

*chus putrida*, ob putridam qualitatis corruptionem, quam veteres in ſanguine agnoſcebant, & vel ex vrina fœtida ominabantur, ita denominata. Ad hunc cenſum etiam referri poſſunt febres anginodes, phrenitis, immo non raro etiam aliæ febres inflammatoriæ, e. g. hepatitis.

2) Modo febris *continua* primas partes ſortitur, cui deinde febris *continens* accedit, vti v. g. febris ſynocha ſimplex contagioſis malignis ſuperuenire obſeruatur.

3) Modo *continua* cum alia continua complicatur, e.g. febres bilioſæ cum aliis acutis, in primis contagioſis.

4. De compoſitis, ex acuta periodo prouenientibus, hac tabula agemus, de aliis autem compoſitis, quæ ex continua & intermittente coaleſcunt, duabus ſequentibus agetur.

III. *SIGNA.*

1. Quando *continua continenti* ſuperuenit, cum ſub initium morbi ſigna ſynochæ offeruntur, nimirum febris ſine horrore ſtatim cum æſtu inuadit, ſucceſſu tamen morbi typus febris *continua* notabiliter intercedit, & ſic hæc complicatio ſchema mixtum exhibet, quod ſæpe confundit illos, qui hoſce febrium concurſus non animaduertunt.

2. Vbi autem *continens* ad *continuam* accedit, ibi etiam ſub initium ſigna continuæ pura adſunt, deinde autem continentis indoles interludia ſua profert; præcipue maiorem calorem,quam qui alteri febri conuenit,exſuſcitat.

3. Sic etiam ſe res habet, quando *continua* cum alia *continua* complicatur, e. g. febres bilioſæ cum petechizantibus, ibi enim vtrarumque febrium ſigna ſeſe manifeſtant.

IV. *SVBIECTA.*

1. Febres, ex acuta periodo compoſitæ, illis hominibus eueniunt, qui non ſolum inſigniter plethorici ſunt, verum etiam vitio ſimul qualitatis ſanguinis, præcipue vero illius ſpiſſitudine, laborant.

2. Hinc tales compoſitæ febres tam frequenter in regionibus noſtris ſeptentrionalibus occurrunt; rarius autem con-

continentes ſimplices inueniuntur: vnde etiam tam raræ apud nos ſunt *ſimplices criſes*, ſiue per hæmorrhagias, ſiue per criticos ſudores, contingentes.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis* harum febrium eſt vitium quantitatis & qualitatis ſanguinis.
2. Cauſſa *finalis* eſt duplex reſpectus ſeu intentio principii vitalis, nempe quantitatem ſanguinis imminuere, & qualitatis aliquod vitium corrigere.
3. Sic v.g. in concurſu continentis & continuæ quantitas ſanguinis inſigniter exagitatur: ſub hac exagitatione ob ſanguinem ſpiſſum facile exoritur ſtaſis inflammatoria: hæc ſtaſis diſcutienda alios deinde motus expoſcit, quam qui in febre *continente* obſeruantur.
4. Eadem ratio eſt, vbi natura miaſma aliquod periculoſum, vel aliud qualitatis vitium per febrem *continuam* expellere intendit, ſub hoc autem labore abundantiam ſanguinis non exigua impedimenta adferre experitur, ibi mirum non eſt, ſi motus febris *continentis*, euacuationem ſanguinis reſpicientes, immo ipſæ hæmorrhagiæ, concurrant.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Si quidquam aliud, certe complicatio duarum acutarum ſalutarem febrium decurſum ſufflaminare poteſt.
2. Motus enim, qui in hiſce febribus occurrunt, ſibi inuicem plane ſunt contrarii, typus eſt inconſtans, es wechſelt ſo oft in einem Tage mit dem Patienten; & ſic neutri febrium ſatis fieri poteſt.
3. Ita v.g. fortior impulſus ſanguinis progreſſiuus, conquaſſatorius, reſolutorius, qui in febre *continente* neceſſarius eſt, aduerſatur motibus placidis ſecretoriis & excretoriis, febri *continuæ* propriis & neceſſariis.
4. Item quando in febre continente humores die critico in vnum locum ad intimiores nobiles partes, præcipue ad caput, alibi ad vterum, alibi ad alia viſcera abdominis, coaceruantur, hæc quidem directio hæmorrhagiæ famula-

mulatur, quoniam autem hac ratione miaſmata maligna ad has partes ſimul compelluntur, lethalis ſæpe eventus introducitur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Venæ ſectio vel inſtituatur, vel prætermittatur, ſecundum indicationes, infra ſub *cautelis* legendas.
2. Vbique vtiliſſima eſt artificialis promotio & conſeruatio liberi motus humorum ad peripheriam, citra tamen ſanguinis exagitationem, vt nempe diapnoica ſolum excretio obtineatur.
3. Præcipue facta venæ ſectione hæc methodus diapnoico-diaphoretica ſummæ neceſſitatis eſt, & verſus dies *criticos* paullo exactior eſſe debet, ne illo tempore congeſtio & conatus hæmorrhoos ad caput contingat, & ægrum iuguiet.
4. Præter ea hæ febres tractantur, vti aliæ acutæ, nempe per temperatam eſſentiam alexipharmacam, & pulueres nitroſo-abſorbentes cum diaphoretico fixo remixtos; interpoſitis ante meridiem potionibus diapnoicis, & poſt meridiem emulſionibus ad gratum acorem iucundis.
5. Quoniam autem conſtantem typum non ſeruant hæ febres, Medici primarium officium erit, quasuis per diem mutationes ſollicite obſeruare, & modo dicta medicamenta iisdem prudenter ſubſtituere.
6. Aluus per totum morbi decurſum aperta ſeruetur clyſteribus, tertio ſemper die repetendis.
7. Continentia tranquilla tam corpore quam animo vbique iniungatur, cum potu ſufficiente & ſatis diluto.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ*

1. Licet rationi ad modum conſentaneum ſit, in hiſce compoſitis acutis abundantiam ſanguinis per proximam viam, nempe per venæ ſectionem, ventilare, & ſic toti illi contentioni ſatis facere; certa tamen regula, vbi ſanguinis eductione abſolute opus ſit, non poteſt conſtitui; excepto ſolo caſu eminentis ad modum plethoræ. Hinc totum negotium iudicio Medici relinquendum eſt.

2. Quando autem venæ ſectionis neceſſitas iudicata fuit, neceſſarium eſt, vt illa in principio principii, & quidem paullulum largiter, inſtituatur, ac deinde verſus ipſas criſes vena frontis aut raninarum ſecetur, vel per Ægyptiacam narium ſcarificationem ſeu inciſionem ſcopo propoſito conſulatur.
3. Remedia calida & validiora vti in aliis acutis, ita tanto magis in hiſce compoſitis, abeſſe debent, quia vel ſolum intemperans regimen eximias in iisdem turbas concitare obſeruatur.
4. Obſeruare contingit in praxi clinica, quod interdum præcedant congeſtiones rheumatico-arthriticæ cum notabili tumore circa artus manuum & pedum. Has congeſtiones excipit hæmorrhagia narium ſatis larga & per aliquot dies continuans ſub commotionibus febrilibus *continentis* ſchema exhibentibus. Tandem ſuccedit febris *continua* typica. Has anomalicas complicationes & hunc metaſchematiſmum motuum nemo prudenter tractabit, niſi qui rationalem naturæ intentionem prudenter æſtimare, & finem horum motuum conſiderare, didicit.

## TABVLA LXXXIII.
### DE
# FEBRE TERTIANA CONTINVA.

I. DEFINITIO.

Febris tertiana continua eſt ſpecies febrium compoſitarum, inuoluens paroxyſmos, tertianæ intermittenti ſimiles, cum calore nihil intermittente, ſed frequenter ita excedente, vt ab vno paroxyſmo ad alterum ſeſe extendat.

II. DIFFERENTIA.

1. Febres ex *intermittente* & *acuta* compoſitæ diſtinguendæ ſunt

ſunt ab illis, quæ ex *duabus acutis* complicatæ obueniunt, de quibus præcedente tabula iam actum eſt.

2. Tres autem ſpecies illarum compoſitarum obſeruantur, quæ ſub ſchemate intermittentis & acutæ coaleſcunt:
   1) Febris *quotidiana continua*, quæ, quoniam cum febre catarrhali benigna prorſus quadrat, immo vnam eamdemque ſpeciem conſtituit, ſuperius iam pertractata eſt. *Vid. tab. LXVII.*
   2) *Tertiana continua*, quam hæc tabula exhibet, & veterum tertianam *extenſam* includit.
   3) *Quartana continua*, quæ ſequente tabula explicabitur.

## III. *SIGNA.*

1. Tertiana *continua* exhibet paroxyſmum, tertianæ intermittenti ſimilem, nempe cum *frigore*, vel tamen *horrore* ſinguli paroxyſmi plurimum recurrunr.
2. Huic ſuccedit *æſtus*, per initia ſatis vehemens, deinde ſenſim langueſcens, ſemper tamen vsque ad ſuccedentem nouum paroxyſmum naturalem gradum ſuperans.
3. *Adpetitus* maxime iacet.
4. *Vires* deficiunt.
5. *Somnus* eſt inquietus.
6. *Cephalalgia* eſt continua.
7. *Sitis* cum ſiccitate oris perpetuo vrget.
8. *Pulſus* velocitate iugiter perennat.

## IV. *SVBIECTA.*

1. Tertianam continuam incurrunt, quibus tertiana ſimplex peruerſis medicationibus, vel malo regimine, ſuppreſſa fuit.
2. Sigillatim quibus calida alexipharmaca verſus paroxyſmum propinata fuerunt, vel ſub æſtu per refrigerium ſudoris ſucceſſus fuerit retropulſus. Item quibus in tertiana ſimplice vena ſecatur.
3. Eueniunt etiam illis, quibus aliæ excretiones repente ſubpreſſæ ſunt, e.g. poſt ſcabiem retropulſam, tumores ad interiora repreſſos.

V. *CAVSSÆ.*

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis* eſt miaſma tenuius, malignum, indolis fermenteſcentis.
2. Deliteſcit autem praua huius materiæ indoles, & tegitur quaſi ſub ſchemate tertianæ intermittentis.
3. Natura enim, tamquam cauſſa *efficiens*, craſſiore ſaburra in primis viis prægrauata, occaſione huius adgreditur cauſſam manifeſtius vrgentem, & hac ratione febrem intermittentis & craſſioris indolis format.
4. Cauſſas *occaſionales* & *procatarcticas* præcedente membro iam nominauimus, quibus accenſendus adhuc eſt aër fermenteſcentibus talibus particulis grauidus. *Vid differentia tab. de febribus bilioſis.*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Vti quotidiana, ſic etiam tertiana continua epidemica quadam larua interdum prouenit, & tum indolem ſuam, per ſe ſatis deteriorem, magis adhuc manifeſtat, & exanthematibus non raro ſtipata obſeruatur.
2. Quando mitius tractatur, tranſit facile in febrem tertianam intermittentem, & hac ratione legitimæ methodo cedere obſeruatur; nonnumquam autem in hecticam ex hac tertiana ſimplice transmigrat, præcipue ſi nimiis abſorbentibus tractata fuit.
3. Vbi autem præpoſtera calida medicatio & peruerſum regimen accedit; ibi non raro in acutam impetuoſam, præcipue inflammatoriam febrem æger coniicitur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Verſus paroxyſmum exhibeatur puluis antifebrilis cum ſale quodam digeſtiuo, ob ſaburram in primis viis, coniunctus, e.g.

   Recip. antimon. diaphoret.
   conch. acido tartari vel citri ſaturat.
   nitri depurat.
   tartar. vitriolat. ana doſis ſcrup. I.

2. Sub æſtu ſufficiens potus iniungatur.
3. Remittente autem *calore* natura ad excretiones diapnoicas

cas manu quaſi ducatur, eſſentiam alexipharmacam paruis doſibus exhibendo, & intra quatuor vel quinque horas repetendo.

4. Verſus nouum autem paroxyſmi impetum pulueres temperantes aliquoties iterum propinentur.

5. Vbi æſtus fortior, plethora inſignis, & temperamentum ſanguineum concurrunt, ibi acida laudabilem vſum præſtant, e.g. ſpiritus vitrioli, clyſſus antimonii ſulphuratus, ſpiritus ſulphuris per campanam, & in primis acidum citri.

6. In nimis feruentibus itaque paroxyſmis iulapia, cum his acidis remixta, adhibeantur, & pulueres etiam temperantes aliquoties interponantur.

7. *Aluus* omni modo aperta ſeruetur, non vero ſtimuletur.

8. Quo magis autem impetus ſeneſcit, eo commodius lenes laxationes ante dictis ſubiunguntur, ita quidem, vt effectus laxantium in paroxyſmi initia incidat.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. In his & reliquis compoſitis quam maxime caueatur, ne *lentor*, quem interdum hæ febres ſimulant, Medicum ſecurum reddat, vel etiam confundat, aut malignam illam labem negligendo, reſpectum ſolum habeat ad craſſam materiam, in tertiana ſimplice peccantem, & hanc vomitoriis, purgationibus, ac ſudationibus adgrediatur.

2. Ægerrime enim compoſitæ febres eius modi commotiones vehementes tolerant, & non raro per easdem in plane malignas transmutantur.

3. Præſtat itaque moderata methodo incedere; & licet tertiana tantum ſimplex, vel continua ex ſimplice recens nata ſubeſſe, & emeſin efflagitare videatur, fortioribus tamen hisce commotionibus non opus eſt: nemo enim hominum in ſtatu tali facile moritur., ex aduerſo ſi error in diagnoſi contingat, præpoſtera remediorum tentatio grauia damna infert.

4. Ipſæ *diaphoreticæ* commotiones, ſi intempeſtiuæ & immoderatæ ſint, in vehementem acutum typum præſentiſſime febrem coniiciunt.

5. *China china* vti in tertiana ſimplice *exiguum*, ita in continua plane nullum vſum obtinet.
6. Symptomata acerbiora *opio* non niſi fucantur, debito autem vſu nitroſorum, & iuſto excretionum conuenientium ſucceſſu in ſolidum miteſcunt.
7. Ad *recidiuas* hæ compoſitæ inclinant: hinc opus eſt, vt æger, ſuperato licet morbo, medicamenta antifebrilia per aliquod adhuc tempus continuet, & ſenſim aëri adſueſcat.

## TABVLA LXXXIV.

DE

# FEBRE QVARTANA CONTINVA.

I. D*EFINITIO.*

Febris quartana continua eſt ſpecies febrium compoſitarum, quartanarium quidem typum ſeruans, ſed calorem ſuum ab vno paroxyſmo vſque ad alterum extendens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quartana *continua* ab intermittente facile, & vel ipſa denominatione, diſcernenda eſt.
2. Licet ad hecticam febrem motibus ſuis lentis propius accedat, typus tamen quartanarius differentiam ſatis docet.

III. *SIGNA.*

1. Exhibet paroxyſmum, quartanæ intermittenti ſimilem, nempe paroxyſmus quarto ſemper die cum pandiculationibus, horripilationibus plus vel minus ſtipatis recurrit; tam ſtatas autem horas non ſeruat, vti quartana ſimplex, ſed anticipare interdum obſeruatur.
2. *Æſtus* ſuccedit ſatis aridus, moleſtior primo die, mitior ſequentibus, paullulum tamen maior naturali calore, ita vt æger extra lectum diu ſubſiſtere non poſſit.
3. *Sitis* cum oris ſiccitate, & ſpumida pauca ſalitra, continuo moleſta eſt.

3. *Sitis*

4. *Aapetitus* eſt valde langueſcens, frigida & ſalſa magis, quam alia deſiderans.
5. Concurrit adfectio capitis magis temulenta, quam cephalalgica.
6. Ad ſomnum quidem valde propendent ægri, ob perennem autem corporis & animi inquietudinem, ſomnus ad modum eſt turbatus, & nihil reficiens.
7. *Vrina* ad hecticorum vrinam fere accedit: eſt enim rubicunda, craſſa, & roſeum deponit ſedimentum.

IV. *SVBIECTA.*

1. Quartanam continuam incurrere ſolent homines, qui in quartana ſimplice ineptis medicationibus tractati ſunt, e. g. calidis alexipharmacis, verſus paroxyſmum exhibitis, item adſtringentibus.
2. De reliquo eadem ſubiecta occupat, quæ tabula de quartana legitima indicauimus, nempe perſonas
   1) conſiſtentis & prouectioris ætatis,
   2) temperamenti melancholico-phlegmatici,
   3) otioſas, ſpeculabundas, frequentibus animi mœroribus expoſitas.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* quartanæ continuæ conuenit quidem cum cauſſa quartanæ intermittentis, eſt nempe materia viſcida & tenax, in viſceribus hypochondriacis ſtabulans, in continua tamen eminentior haud dubie ſubeſt gradus, ita vt infarctus ſimplex in obſtipationes ſcirrhoſas iam tranſiiſſe videatur.
2. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod motibus febrilibus leniſſimis & lentis lenteſcentem talem materiam reſoluere & vlteriorem noxam, ab illa exſpectandam, præoccupare intendit.
3. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* conueniunt potiſſimum cum iis, quæ tabula de quartana ſimplice indicatæ ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quæ de *pertinacia* quartanæ intermittentis tabula de quartana ſub prognoſi iam diximus, ea magis adhuc valent de quartana continua.

2. Ad hecticam indolem, vti proxime accedit, ita etiam in *veram* talem prorſus facile tranſit, præcipue, vbi adſtringentibus tractatur; quo caſu hydrops etiam introduci ſolet.
3. Quando autem per remedia calida, vel vomitoria, hi motus lenteſcentes excitantur, tum febres acutæ inducuntur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMDIA.*

1. Verſus paroxyſmum exhibeantur ſalia digeſtiua, e.g. tart. vitriolat. vel arcan. duplicat. cum exigua portione alicuius abſorbentis, cum acido citri ſaturati.
2. Quam diu æſtus vrget, continentia tranquilla commendetur, & ſufficiens potus offeratur.
3. Sequentibus autem diebus, quibus calor paullulum remittere obſeruatur, propinentur lenia laxantia, cum reſoluentibus, aperitiuis, ſic dictis hepaticis & ſpleneticis, ſiue coniungendis, ſiue ſubordinandis, e. g.
   1) Ante meridiem bis exhibeatur eſſent. alexipharm. cum eſſent. centaur. minor. vel gentian. rubr. remixta.
   2) Poſt meridiem adhibeatur decoctum aliquod ex radice cichorii vel taraxaci, cum ſero lactis paratum.
   3) Verſus ſomnum propinetur doſis pilularum *Stahlii* vel *Beccheri*.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Repetantur hic, quæ tabula præcedente, item de quartana ſimplice ſub *cautelis* dicta ſunt.
2. Quartanæ continuæ minime omnium tolerant commotiones artificiales per vomitoria, purgantia, diaphoretica, venæ ſectiones.
3. Cauendum, ne per abſorbentia, ad quæ & lapis *bezoar* referendus eſt, copioſe adſumta collectio illa viſcida & ſpiſſa adhuc magis augeatur.
4. Febris quando feliciter ſuperata eſt, non ſtatim ab omni medicatione ægrotus deſiſtat, ſed per aliquot adhuc ſeptimanas digeſtiua & ſtomachico-tonica vrſurpet, alias motus facile recrudeſcunt.

TAB. LXXXV.

# TABVLA LXXXV.
## DE
# FFBRIBVS CORRVPTIS,
## ITEM DE
# FEBRIBVS NONDVM TYPICIS.

I. DEFINITIO.

1. *Febris corrupta* eſt febrium tam intermittentium, quam acutarum conſectarium, quod partim ex malo earum regimine, partim ex ineptis artificiis prouenit, indolem ac typum ordinarium prorſus omittit, & ægros cum Medico ad modum diuexat.
2. *Febres nondum typicæ* ſunt motus febriles, modo auctiores, modo leniores, qui vero, licet pleraque ſymptomata febrilia habeant coniuncta, talem tamen ſcenam adhuc ludunt, vt cognitu ſit difficile, num ad febres acutas, an vero ad intermittentes ſint acceſſuræ.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Febris corrupta* differt a febribus tam *intermittentibus*, quam *continuis* ratione typi & ſymptomatum.
2. Ratione *euentus* differt ab aliis febribus in eo, quod curationem plurimum reddat difficilem & intricatam.
3. In ſe vero ſpectata hæc febris corrupta, eſt vel *acutæ*, vel *intermittentis* indolis.
4. *Febres nondum typicæ* differunt a *commotionibus febrilibus*, ſtrictiore ſenſu ſumtis: hæ enim ſatis quidem vehementer inuadunt, poſt vnum autem alterumue inſultum iterum euaneſcunt; illæ autem tam diu oberrant, donec tandem typum febris vel intermittentis, vel continuæ ordinarium oſtendant.
5. Differunt denique hæ febres nondum typicæ ab *ephemera plurium dierum*, vti *commotiones febriles*, ab *ephemera ſimplice*. In ephemeris enim omnia ſunt acerbiora & motus febriles æquali tenore & ordine procedunt, donec

iuſto ſuo termino notabiliſſimas excretiones exhibeant.

III. *SIGNA.*

1. *Febris corruptæ:*

1) Motus febriles, ob typum antea turbatum, adeo confuſe procedunt, vt ad certam febrium ſpeciem referri amplius non poſſint.

2) Symptomata ſunt acerbiora.

3) Vires inſigniter imminutæ.

4) Animus valde abiectus eſt & moroſus.

2. *Febrium nondum typicarum.*

1. Corripitur æger inſultibus febrilibus, iam fortioribus, iam lenioribus, modo hoc, modo alio die, hodie cum horripilationibus, cras ſine iisdem, poſt aliquot autem dies hæ anomaliæ ad typum ordinarium accedunt.

2) Hinc & ſymptomata febrilia primis diebus vix poſſunt dignoſci, ad quam febrium claſſem ſint referenda.

IV. *SVBIECTA & CAVSSÆ.*

1. *Febris corruptæ.*

1) Febribus vel intermittentibus, vel continuis correpti, quando præpoſteris medicaminibus tractantur.

2) Vel quando ipſi ægroti regimen, febribus conueniens, non obſeruant.

2. *Febrium nondum typicarum.*

1) Sunt omnia illa ſubiecta, quæ *tab. de febribus in genere* adducta ſunt.

2) Præcipue vero ſenſibilia, hæſitantia & ad animi commotiones prona.

V. *PROGNOSIS.*

1. *Febris corrupta* maiori plurimum periculo exponit ægrotantes, quam ordinaria, quia omnia omnino ſymptomata magis vrgent.

2. Diutius quoque inſiſtit, & difficilius curatur.

3. Grauius adhuc periculum portendit illa, quæ excretionibus, febri nondum corruptæ debitis, caruit.

4. Febris

4. Febris *acuta* corrupta, omnium periculoſiſſima eſt, & conveniente licet modo iterum fuerit tractata, ſæpiſſime tamen exitum nanciſcitur lethalem.
5. Mitior ſententia ferenda de *intermittentibus* corruptis, quæ curationem ſæpius admittunt.
6. *Febres nondum typicæ* facile grauiores inferunt morbos, ſi circumſpecta cura non tractantur.

VI. *METHODVS MEDENDI CVM CAVTELIS.*

A. *In febribus corruptis.*

1. Nihil hic melius eſt, quam veram methodum antifebrilem denuo amplecti, & cum tranquillitate ac patientia eamdem proſequi: in talibus enim corruptis febribus ſolidum leuamen tam promte non ſuccedit; quæ *prognoſis* omni modo obſeruanda eſt.
2. Per initia præſtat puluerulenta abſorbentia & diapnoica magis exhibere, quam eſſentiam alexipharmacam.
3. Quando autem ſenſibilis in melius conuerſio obſeruatur, tum præſtat eſſentiam illam ſæpius, ſed non auctis, pulverulenta autem rarius, propinare.
4. Si *aluus* non bene ſuccedit, extractum panchymagog. *Crollii* paucioribus granis, vel pilulæ *Beccheri* aut *Stahlii* adhibeantur; quæ laxantia in corruptis & ſuppreſſis *intermittentibus* præcipue conducunt, & non raro paroxyſmum reuocant, vt deinde ex fundamento curari poſſit.
5. *Abſorbentia* autem acido citri ſaturata, aliis nudis hic in primis ſunt præferenda: magis enim diureſin & diaphoreſin promouent.
6. Sic etiam eſſentia alexipharmaca cum multa eſſentia ſcordii remiſcenda eſt. Vulgaris eſſentia *Stahlii* hæc eſt:

Recip. radic. imperator.<br>
helen.<br>
angelic. ana vnc. ſemis.<br>
pimpin. alb.<br>
vincetox. ana vnc. I.<br>
aliquando addit radic. valerian.<br>
carlin.<br>
rarius radic. recent. fraxinell.<br>
Inciſ. contus. f. l. a. eſſentia.

7.

7. Hanc eſſentiam temperat cum eſſent. ſcordii, ita vt modo partibus æqualibus, modo duabus ſcordii illam permiſceat.

8. Quoniam autem radices imperat. angelic. & helen. calidiores ſunt, vulgari huic eſſentiæ ſæpius præfert, & illius loco exhibet eſſentiam pimpin. alb. cum eſſentia ſcordii æquali pondere remixtam.

B. *In febribus nondum typicis.*

1. In recte adminiſtrandis talibus malis, quorum genius nondum ſatis perſpectus eſt, præſtat ab omnibus commotionibus abſtinere, nempe a vomitoriis, purgantibus, ſudoriferis fortioribus, venæ ſectione: peſſimum enim eſt conamen, genium morbi non reſpicere, & tamen remedia generoſiora, ſine quocumque ſpecioſo prætextu, arripere.

2. Tutiſſimum eſt hic agere, quod generatim in omnibus aliis febribus locum habet, nempe materiam corrigere & lenibus excretionibus eminus quaſi viam oſtendere.

3. Adhibeantur itaque primis diebus pulueres nitroſo-temperantes cum antimoniali fixo coniuncti, & his leniter diapnoica interponantur, e.g. in iunioribus aquæ diapnoicæ cum abſorbente quodam & antimonio diaphoretico remixtæ, item in adultioribus eſſent. alexipharm. temperatiſſima, exiguis doſibus propinanda.

4. Hæc methodus valet, etiam, vbi in primis viis materia acrior & choleriodes præſto eſſe coniicitur.

5. Idem agere conuenit, quando calor non plane nimius, ſed potius clandeſtinus, cum laſſitudine & ingente virium deiectione ſeſe manifeſtat.

6. Quando autem febris qualemcumque typum ſeruat, Medicus illum ſollicite animaduertere debet, obſeruando, quo diei vel noctis tempore peius ſe habere ſentiat ægrotus.

7. Ante omnia inquirat Medicus in principium febris, num cum frigore, eoque maiore vel minore, num mane, circa ortum ſolis, vel veſperi inuaſerit.

8. Hac ratione certior factus tractat morbum, vt moris eſt, nem-

nempe verſus illud tempus, quo exacerbatio ſentitur, exhibet nitroſo-temperantia, cum antimoniali fixo remixta, & his inſiſtit, vel leniſſima diapnoica liquida interponit.

9. Miteſcente autem paroxyſmi impetu, lenia alexipharmaca propinat, & vſque ad nouum fere paroxyſmum, refractis doſibus, eadem porrigit; quo noui inſultus tempore temperantia abſorbentia & antimonialia fixa repetit.

10. Ceterum de *corruptis* febribus adhuc adiicimnus, quod res conſideratu digna ſit, eius modi aleam, periculo ſæpius plenam, in ſe ſuſcipere. Hinc neceſſe eſt, vt circumſpecta prognoſi ante nos præmuniamus, quam therapiam adgredimur.

## TABVLA LXXXVI.
## DE
# OEDEMATE.

I. D*EFINITIO.*

Oedema eſt pallidus & indolens partis alicuius tumor, ab impedito libero progreſſu ſeroſo-lymphalis humoris coortus. Deriuatur ab οἰδέω, tumeo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Oedema differt ab *aſcite*, *anaſarca* & *leucophlegmatia*.

1) *Gradu* tumoris: œdemate enim tantum artus, in aſcite autem non ſolum artus, ſed & abdomen, in anaſarca & leucophlegmatia vniuerſum corpus tumore adficitur.

2) Ratione *cauſſarum*: hydropici adfectus ſedem primariæ cauſſæ circa viſcera formant, œdema autem ſimplex a cauſſis magis externis & aduentitiis dependet: licet enim materialis cauſſa hydropis etiam œdema, quod in hydrope inſeparabile exſiſtit, proferat, immo ſimplex

plex, particulare œdema, cito & copioſe ſe diffundens, hydropem ipſum inducere poſſit, eſt tamen ingens differentia cauſſæ antecedentis, concurrentis & ſuccedentis.

2. Oedema facile poteſt diſcerni a *cachexia*, quamuis enim œdema cachexiæ auctioris paſſim veſtigia legat, manet tamen inſignis differentia inter œdema ſimplex, particulare, quod artus tantum occupat, & inter ſymptoma illud œdematoſum cachecticum, totius corporis deprauationem inuoluens.

3. Differentiam œdematis a *podagrico* tumore ſequentia docent:

1) Senſus dolens, in œdemate nullus, in podagra autem ſatis ſenſibilis eſt, & moleſtus.

2) Status antecedens: tumores enim podagrici obueniunt illis, qui motibus hæmorrhoidalibus obnoxii fuerunt, vti & feminis poſt varia rheumatica pathemata, quæ omnia ab œdemate ſimplici, inſenſili, aliena ſunt. Hæc differentia ad prognoſin & therapiam multum valet.

III. *SIGNA.*

1. *Tumor* ſatis eſt notabilis & pallidus.
2. Digito quando comprimitur, ſubſidet & ſcrobiculum in loco compreſſo format, qui ſenſim iterum explanatur.
3. Occupat hic tumor extremos potiſſimum artus, præcipue pedes,
4. in illo videlicet caſu, vbi ſolus, ſimplex, & ſine alio morbo exſiſtit.
5. Quando autem hydropis conſecutio & ſymptoma eſt, vel cachexiæ ſuperuenit, tum latius in corpus ſe diffundit.
6. In œdemate ſimplice nullus *dolor* præſto eſt, vti ſub *differentia* iam obſeruauimus, immo citra omnem ſenſum euenit; in malo autem præualeſcente tenſio notabilis cum grauitate interdum ſentitur.
7. Tactu *frigidus* eſt tumor hic œdematoſus, licet æger nullum ibi frigus moleſtum ſentiat.

8. *Al-*

8. *Alvus* vaga, nempe modo ſiccior, modo laxior obſeruatur.
9. *Vrina* vel conſtanter pallida, vel obſoleto rubore imbuta & craſſa, medio quaſi colore inter aurantium & cereuiſiarium dilutum; vtrimque autem quantitate parciſſima.
10. Si ad ſummum peruenerit, nitet præ nimio infarctu cutis, & tunc quidem ad minimum tumor hinc inde ruffeſcit, ita vt tenerrima etiam vaſcula ſanguinea in conſpectum prodeant.

IV. *SVBIECTA.*

Tumoribus œdematoſis præ aliis obnoxii ſunt:

1. Homines phlegmatici habitus, ſexus vtriuſque.
2. Viri poſt hæmorrhoidum, & feminæ poſt menſium ſuppreſſionem.
3. Ætas paullo annoſior.
4. Feminæ grauidæ, præcipue vltimo tempore geſtationis.
5. Vterque ſexus, quando diu & profunde crura aquæ frigidæ immergit, præcipue femininus, ſub fluxu menſium in lauandis linteamentis occupatus.
6. Vulneratos etiam œdemata facile incurrere, ſi vulnera refrigerantibus tractantur, *Paracelſus* non friuole adnotauit.
7. Incidunt etiam in tumores eiusmodi ſeroſo lymphales, qui tumoribus calidis, phlegmone, immo eryſipelate, non nimium feruido, adficiuntur, per diſcutientia autem, valde efficacia, e.g. per ſpiritum vini camphoratum, ſubtiliores ſanguineas partes velociter repellunt.
8. Specialiter *febricitantibus* apoſtaſi quadam, nunc ad vtrumque, nunc ad alterutrum pedem œdema tale diffunditur; quod, licet a ceteris rubro perpetuo, & *calore* paroxyzante differat, molle tamen eſt, &, diſcuſſis volatilioribus ſanguineis particulis, ſinceram œdematis faciem induit.
9. Specialiſſime tales tumores illis ſuccedere obſeruantur, qui in acutis febribus ſalia volatilia, e.g. ſpiritum cornu cerui, copioſe ingerunt.

10. Dantur & exempla, in quibus œdema oboritur poſt nimis diuturnam tenſoriam femorum preſſionem, intercepto nempe libero fluxu humorum ex inferioribus partibus crurum; quale quid facile ab equitatione, in primis ſuper equo lati dorſi, contingit.

11. Denique œdemata etiam incurrunt, quibus ſcabies ineptis remediis repellitur.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *continens* & *proxima* eſt mucida humorum ſpiſſitudo, & motus tonici relaxatio.

2. Non ſemper autem argui poteſt ſimplex vitium humorum, ſed ſubſunt interdum *actiua* pertinaces congeſtiones, præcipue in œdemate diuturno & habituali, cuius indolis maxime omnium ſunt tumores, poſt febres, per apoſtaſin formati, vbi, ſecundum antiquorum ſanum ſenſum, materia peccans ex partibus nobilioribus ad ignobiliores proiicitur.

3. Immo cauſſam antea paſſiuam non raro excipere ſolet actiua, nempe ob conſuetudinem & frequentem œdematis diſcuſſionem.

4. Cauſſas *occaſionales*, & procatarcticas, quæ vel vitium humorum inducere, vel motum tonicum relaxare poſſunt, ſub deſcriptione *ſubiectorum* iam indicauimus.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Omne œdema pertinax eſt, & quo plures cauſſæ in illo conſpirant, eo contumacius deprehenditur.

2. Melioris adhuc ſpei & reſtitutionis ſunt, quæ œdemata a pure externis cauſſis, e.g. contuſionibus, refrigerationibus humidis &c. orginem ducunt.

3. Sic etiam œdema poſt ſcabiem, non ita pridem repulſam, inductum, conueniente methodo facilius adhuc diſſipatur.

4. Quo magis ab aſcitico tumore adhuc diſtat, eo minus periculum inuoluit, & contra.

5. Artus œdemadoſi, ſic extra lectum non perpetuo, nec inſigniter frigeant, neque in lecto conſtanter & notabiliter æſtuant, ſpem faciunt diſcusſionis. 6.

6. Inſignes tales tumores, quando non *diſcutiuntur*, ſed ad interiora viſcera *repelluntur*, varia ſontica mala eueniunt, nempe inflationes abdominis & præcordiorum, immo non raro verus hydrops introducitur.
7. Oedema in ſummo gradu conſtitutum, nitente ſcilicet & rubeſcente cute, adfligente etiam intimiore ſenſu ardoris, ſi febris acuta vel hectica exacerbata concurrit, corruptionem gangrænodem, ſphaceloſam, mortem, minatur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus generalis.*

1. Mucida humorum ſpiſſitudo eſt *corrigenda*; in quem finem laudantur:
   1) *Salia* media & alcalica fixa, e.g. tartarus vitriolat. arcan. duplicat. nitr. antimoniat. tartar. tartariſat. arcan. tartari, ſal. abſinth. centaur. minor. card benedict. geniſtæ, ononid.
   2) *Gummi-reſinæ*, e.g. ammoniaci, galbani, hederæ, iuniperi, myrrhæ, ſuccini.
   3) *Radices* alexipharmaco-diureticæ, præcipue rad. pimpinell. alb. quæ valde temperata, & tamen tenuium partium eſt ad penetrandum, item rad. vincetox. enul. imperator. irid. Florent. ari, gentian. rubr. angelic. petaſitid. bardan. cichor. tarax,
   4) *Herbæ* antiſcorbuticæ & amaricantes, e.g. cochlear. trifol. fibrin. fumar. centaur. min. item marrub. alb. capill. vener. cuſcut. hyſſop. epithym.
   5) *Ligna* antiuenerea, e.g. ſaſſafars ſantali, iuniperi.
   6) *Compoſita*, tinctur. antimonii rartariſata, cum ſpiritu lumbricorum volatili remixta, tinctur. ſalis tartari, eſſent. ſuccin. pimpinell. alb.
   7) *Aromatica* peregrina & noſtratia, e.g. zingiber, piper, coſtus, cardamom. caryophyll. cinnamom. ſem. ammios, aniſi, cumini, coriandri, fœniculi, anethi, baccæ iuniperi, lauri, cort. citri, &, in potu, aurantiorum. Item raphanacea, alliacea, cepæ, ſquilla, dracunculus eſculentus, aſparagus, endiuia, petroſelinum tam vul-

gare, quam Macedonicum, piperitis, naſturtia, thlaſpi.

2. Correcta materia eſt *euacuanda*, ſiue per laxantia cum epicraſi, ſiue per pilulas *Beccheri*, ſtimulo quodam adiutas, ſiue in robuſtioribus per paullulum fortiora phlegmagoga.

3. *Motus* tonicus eſt roborandus:

1) *Interne* per martialia, e.g. tinctur. mart. tartariſat. *Ludovici* cum eſſentia adianthi albi remixtam, item per tinct. vitrioli martis *Zwelferi*, crocum martis antimoniat. aperitiu. *Stahlii* &c.

2) *Externe* per frictiones, motum corporis ambulatorium, continuatum, ligaturam cum faſcia ampla, per decocta vel infuſa, halitus forma adhibenda, vel etiam proxime adplicanda, e.g. recip. chelidon. mai. raphan. recent. ſedi vermicularis murarii, fol. bardanæ, petaſitid. fiat decoctum cum vino, vtpote roborandi virtute prædito. Laudant etiam oleum bufonum. De ligatura autem legantur cautelæ, quæ *tabula chirurgica* de tumoribus œdematoſis num. 29. traditæ ſuut.

4. Vlcerationes œdematis, quando eueniunt, ſunt conſolidandæ; quod per liquamen myrrhæ obtinetur.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. Pro gradu & diuturnitate morbi per aliquod tempus adhibeantur reſoluentia, attenuantia, aperitiua & digeſtiva, ſub methodo generali denominata.

2. Deinde ſubiungantur laxantia, ad euacuandos præparatos humores, & eliminandas ſordes primarum viarum, e.g. Recip. extract. panchymagog. *Crollii* drach. I

hellebori nigri ſcrup. I.

Mercur. dulc. drach. ſemis.

Reſin. ialapp. gr. XV.

Ol. aniſi gutt. VI. M. f. pilulæ, de quibus quarto ſemper die grana XV - XX. propinentur, intermediis autem diebus pilulæ *Beccheri* vel *Stahlii* adhibeantur.

3. Vel

3. Vel mox ſub initium lenia laxantia cum reſoluentibus poſſunt coniungi, & ita in forma decocti aut infuſi adplicari.
4. His ſatis peractis tonica adhibeantur, & externa ſimul in ſubſidium vocentur. *Vide cautelas.*
5. Vbi œdema poſt febres remanſit, laxantia amara, condita aromatica, per aliquod tempus continuentur, vt vel febris reuocetur, vel materia relicta mature tollatur, coniuncto externorum vſu.
6. Si menſium vel hæmorrhoidum vitia in cauſſis ſunt, & tumor adhuc vacillans exſiſtit, ita vt modo redeat, modo diliteſcat, generali medicationi commode venæ ſectio in pede præmittitur, illo videlicet tempore, quo tumor deliteſcit, & vaſa conſpicua ſunt.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Pro felice œdematis tractatione bene obſeruetur, quod *diſcuſſio* placida & paulatim facta longe differat a *repulſione*, quæ breui tempore vno impetu peragitur.
2. Repulſio hæc ſubitanea, teſte quotidiana experientia, aſthmata, hydropem, acutos inflammatorios, ſuffocatiuos, ſpaſticos, ileodes, aliosque anomalos adfectus circa abdomen adfert, hinc quam maxime caueatur a repellentibus, refrigerantibus, humectantibus frigidis.
3. Oedema, quando ab internis cauſſis ortum eſt, niſi interna medicatio præmittatur, externa remedia facile receſſionem ſuſcitant, & infelices illos effectus, de quibus modo diximus, producunt. *Conf. tabul. chirurg. de tumoribus œdematoſis.*
4. Valet hoc præcipue in illis caſibus, vbi œdemata a menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione nata ſunt; in quibus ſane ad externa remedia prius non properandum eſt, quam hæ excretiones ad debitum ſucceſſum redactæ ſunt.
5. Omnium autem ſenſibiliſſimi obſeruantur habituales tumores, & qui poſt febres *per apoſtaſin* efformati ſunt. Hi, neglecta ſub initium legitima *diſcuſſione*, quando firmi-

orem

orem ſedem in membro aliquo iam conſtituerunt, deinde autem vel ſponte euaneſcunt, vel arte diſſipantur, pericula non exigua portendunt.

6. Vnde omnia adſtringentia, repellentia, aquæ aluminoſæ, fabrorum, balnea ſulphurata, pinguia vnguinoſa cautiſſime ſunt adhibenda. *Saponata* autem mature adplicata, vſum habent.

7. Vix etiam *emplaſtica*, præſertim acriora, poſſunt admitti: vel enim plane non, vel nimis tenaciter adhærent, & ſic varia incommoda important.

8. Vti humida frigida, & ſimplices inertes humectationes parti adfectæ grauius detrimentum adferunt, ita etiam nimis calida, neque interne, neque externe quadrant.

9. *Thermarum* vſus cautelam poſtulat: qui vegeti & integris viſceribus inſtructi ſunt, continuato illarum vſu interdum a tumore liberantur; minus autem ſanis, tenerioribus, præcipue feminis, thermæ tumoris incrementum, & non raro mortem adferunt.

10. Nocent autem præcipue thermæ vitriolicæ & aluminoſæ indolis, vti & aliæ aquæ minerales talis proſapiæ, arte calefactæ, & pro lauacro adhiberi ſolitæ.

11 *Acidularum* vſus cum primis in œdematibus inueteratis, non ſolum ambiguus eſt, ſed & in hæmorrhoidariis certiſſime nocet.

12. Aqua exſtinctionis *calcis viua*, limpida licet, in œdematoſis tumoribus, hydropicis, in primis cum hectica complicatis, latius & largius adplicata, effectum edit quodam modo repellentem, & hinc non promiſcue adhibenda eſt; rubores autem ardentes, qui huic tumori interdum ſuperueniunt, certiſſime mitigat, neque in tali caſu tam præſentis periculi ferax obſeruatur. *Vid diſſertat. de adſtringentium canto vſu.*

13. *Camphora* autem cutim quaſi ſiccam & denſam reddit, & varia hinc incommoda relinquit.

14. Oedemata, qui nimio infarctu contingunt, & cutis rupturam minantur, vel etiam per minores papulas ſeri effuſionem moliuntur, non ſunt toleranda: liber enim

ex-

exitus facile adſueſcit, cohibitus autem infauſtam receſſionem inducere valet; vnde interne per congrua laxantia, & externe per temperata balſamica, ſuccurrendum eſt.

15. Vbi œdema, quod ab externis cauſſis ortum ſumſit, iam inveteratum eſt, & partis adfectæ *debilitas*, in ætate præſertim adultiore, concurrit, ibi præſtat manum detrahere, quam vel in caſſum laborare, vel fortioribus motibus repulſoriis damna illa inferre, quæ num. 2. indicata ſunt.

16. *Scarificatio* nullius vſus eſt, facile enim ſphacelum inuitat, vel ad minimum vulnuſcula, per illam inflicta, ægerrime conſolidantur.

17. In *vlceratione* œdematis, *theriaca* periculoſum ardorem excitat, *emplaſtica* adfluxum augent, *eſſentia* myrrhæ iuſto ardentior eſt, & ſic *liquamen* tantum illius, *oleum per deliquium* dictum, tamquam temperatum balſamicum, commendatur.

## TABVLA LXXXVII.

## DE CACHEXIA.

I. DEFINITIO.

Cachexia eſt flaccida corporis conſtitutio, in externis maxime partibus conſpicua, a mucido-ſeroſo lymphæ vitio & motus tonici remiſſione, originem ducens. Deriuatur a κακὸ, malus, & ἕξις habitus.

II. *DIFFERENTIA.*

Differt cachexia

1. ab hydrope vbi ante omnia præiudicata illa opinio remouenda eſt, quaſi cachexia primus hydropis ſit gradus: hunc enim errorem ſequentia refutant;

1. Licet cachexia in hydropem aliquando tranſeat, immo proxima quaſi ad illam diſpoſitio ſit, ſæpe numero ta-

 men

men citra talem hydropis conſecutionem corpus obſidet.

2) Hydrops ſæpe grauiſſimus, maxime in maribus, ſine prægreſſa cachexia exoritur.

3) Methodo medendi etiam non plane conueniunt, vti collatio vtrorumque adfectuum demonſtrat.

2. Ab *anaſarca*, & *leucophlegmatia*.

1) In *cachexia* inflatio corporis eſt flaccida, mollis, pendula, in *anaſarca* autem tumor ita durus exſiſtit, vt etiam ad nitorem cutis ſeſe extendere, & crepaturæ quaſi metum incutere ſoleat.

2) Non eſt de eſſentia cachexiæ, in vlla corporis parte verum œdematoſum tumorem formare, in anaſarca autem hoc ſemper contingit.

3. Ab *aſcite*.

1) *Aſcites* inferiores tantum corporis partes occupat, cachexia autem totum corpus æqualiter obſidet.

2) *Cachexia* a fluxibus ſanguinis diuturnis paſſim originem ducit, *aſcites* autem vix vmquam, niſi aliæ cauſſæ, præcipue adſtrictiones, concurrant.

4. Ab *œdemate*, vti præcedente tabula demonſtratum eſt.

5. Ab *ictero*, qui, quamuis etiam totum corporis habitum occupet, non tamen illius ſubſtantiam profundius intrat, ſed fibroſæ texturæ in ſuperficie tantum adfricatur; cachexia autem ita intimius fibris ſeſe inſinuat, vt velut imbibitæ turgeſcant; Germani dicunt: aufgequollen und gedunſen ausſehen:

6. A *choloroſi* virginum cachexia non aliter differt, quam genus a ſpecie.

7. Quo modo cum *cacochymia* partim conueniat, partim ab illa differat, tabula de cacochymia indicauimus.

8. Cachexia eſt vel *ſimplex*, vel *compoſita*, quæ cum aliis morbis e.g. ſcorbuto, complicatur.

III. *SIGNA*.

1. Ad cachexiam dignoſcendam nulla ſubeſt difficultas, nam ſigna eius externe ſeſe manifeſtant.

2. Pri-

2. Primo enim per extremitates corporis, facie, manibus, pedibus, cruribus, ſolito magis turgeſcere conſpiciuntur ægri.
3. Cedit *calor* naturalis, quem ſenſus quidem frigidulus excipit.
4. Concurrit *languor* quidam & grauitas per vniuerſum corpus, præcipue ſub adſcenſu altiorum locorum, cum faſtidio ipſius animi ac torpore.
5. *Adpetitus* eſt vagus & inæqualis, ab alimentis repentina euenit obſaturatio, immo faſtidium.
6. Poſt cibos grauatiua pathemata ventriculi, tenſiones & preſſiones flatulentas perſentiſcunt, quæ omnia infidam deſignant concoctionem.
7. *Aluus* obſeruatur inconſtans: modo enim ſegnior, modo indigeſtorum ciborum reiectione, ſeu lienteria, conſpicua eſt.
8. Ad ſomnum quidem inclinant ægri, ab illo autem non reficiuntur, ſed magis delaſſantur; de qua re notabilis toni relaxatio poſt eumdem teſtatur.
9. *Vrina* eſt pauca, modo cruda & ſubturbida, modo limpida, ſemper tamen pallido aut ſubliuido colore conſpicua.
10. *Pulſus* eſt languidior, quam ſtatui naturali conuenit.
11. *Sanguis*, ſi quacumque occaſione in conſpectum venit, pallidus eſt, & ſero abundat.
12. Perſentiſcunt etiam ægroti anguſtias præcordiorum, cum reſpiratione difficili, præſertim poſt corporis motionem.
13. Intercurrunt ſubinde volatici calores, capitis frequentes perturbationes, modo vertiginoſæ, modo dolentes, in primis autem ſomnolentæ.
14. Tumor œdematodes, licet non ſemper adſit, non ita raro tamen coniungitur, ſed minime alibi, quam in artubus, & præcipue pedibus, quibus ſtantibus adparet, iacentibus autem recedit.
15. Conſpirat ſenſus duritiei, preſſionis, conſtrictionis ſub hypochondrio dextro, aliquando ſiniſtro, aut ſub vmbilico introrſum.

 16. *Ab*

16. *Abdomen* non ſemper quidem & conſtanter inflatum ac durum, aliquando tamen inæqualitate, tactu ſentienda, intus obſeſſum eſt.

17. Hæc omnia quando ingraueſcunt & diutius perſeuerant, cachexia tandem tranſit in hydropem; de qua re ſub *prognoſi* plura dicemus.

IV. *SVBIECTA.*

1. Cachexia euenit corporis laxa textura inſtructis, quæ ſunt temperamenti ſanguineo phlegmatici.

2. Familiarior eſt hic adfectus ſexui feminino, quam virili, tum ob molliorem texturam & craſin ſanguinis minus γλυσχρὰν, tum ob alias cauſſas, infra adlegandas.

3. Specialiter autem illis feminis euenit, quæ intra menſium periodum adhuc conſtitutæ ſunt; nam poſt finem menſium in aſcitem magis, quam cachexiam prolabuntur.

4. Longe frequentius illæ feminæ cachexiam incurrunt, quæ defectu menſium, quam quæ exceſſu illorum laborant. & talis adfectus *chloroſis virginum* vocatur, quia illis præ maritatis proprius eſt.

V. *CAVSSÆ.*

1. *Interna.*

1) Cauſſa *antecedens* eſt commotio & reſtagnatio ſanguinis abundantis circa viſcera, præcipue venæ portæ, connexa.

2) Hæc ſanguinis coaceruatio impedit lymphæ ſecretionem a ſero, propius iam ad excretionem diſponendo.

3) Hoc ſeri excrementitii cum lympha diuturnius commercium cauſſam *magis propinquam* inducit, nempe pulpoſam, mucidam, lentam ſpiſſitudinem, inſtar tragacanthæ ſolutæ.

4. Quæ mucido-viſcida humorum conſtitutio ſenſim obſtruit glanduloſa colatoria, tam per hepar, quam meſenterium, vt ſecretioni lymphæ a ſero adhuc magis imparia euadant.

5) Vnde tandem ſpiſſitudo illa ſeroſo-lymphalis per vniuerſam maſſam ſanguinis inualeſcens, circulationem ſeri & lymphæ difficilem reddit.

6) Hic

6) Hic ſtagnatorius infarctus, partim a vitio humorum, partim etiam a vitio viſcerum colatoriorum, inductus, eſt cauſſa *proxima* & *continens* cachexiæ, qui infarctus poſt ea cutim, tamquam latiſſime patens colatorium ſeroſo-lymphaticum in leuem tumorem attollit, quam reliqua ſymptomata inſequuntur.

2. *Externæ, aduentitiæ,* & *occaſionales:*

1) Habitatio in conclauibus humido-frigidis.

2) Motuum corporis voluntariorum inſignis neglectus, ſeu vita otioſa.

3) Cum primis, ſi victus vappidus, muceſcens, potus autem largior aquoſus accedit; quæ vero diæta in laborioſis numquam cachexiam per ſe adfert; in his enim tranſpiratio & vrinæ excretio abunde ſuccedunt.

4) Abuſus potuum ſpirituoſorum, ſanguinem turgefaciendo, & ſic infarctum eius per viſcera inducendo.

5) Vbi inſuper ſpiritus ardentes, nimium ingurgitati, ipſa humorum coagulatione obſtipationes tales producunt.

6) Adſtringentia tali tempore ingeſta, quo ſanguis in orgaſmo conſtitutus eſt, e. g. in febribus & hæmorrhagiis.

7) Refrigerationes diuturnæ.

8) Scabiei repulſio intempeſtiua.

9) Præcipue euacuationum ſanguinearum conſuetarum ſuppreſſio, maxime menſium: rariſſime enim femina cachectica illibato menſium ſucceſſu occurrit.

10) Vbi primatum ducunt menſes per malam diætam, aut alienarum rerum ingurgitationem, obſtructi.

11) Rarius aliæ potentiores, repentinæ menſium cohibitiones.

12) Profuſiones ſanguinis impetuoſæ non ita facile aut frequenter cachexiam inducunt, vt vulgo creditur, ſed potius diuturna largi profluuii continuatio, ob ſubſidentiam vaſorum, & difficilem ſanguinis boni, propter craſſam diætam, reſtaurationem.

 13) Diſ-

13) Diſpoſitio proxima hæmorrhoidalis, quæ in ſenioribus tacitis moliminibus ſeſe exſerit, vel fluxus adſuefactus, aut ſuppreſſus, vel inordinate & nimia copia procedens.

14) Motus arthritici, & in primis podagrici, variis artificiis ad interiora repreſſi.

15) Salium volatilium abuſus, qui febricitantes ad tumores cachecticos diſponit.

16) Addephagia puerorum.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. *Plenaria* cachexia, ſeu vniuerſalis craſeos humorum deprauatio, meatuum infarctus, fibrillarum turgida inflatio, maxime omnium viſcerum obſtipatio, eſt ſane malum magis pertinax, quam vt tam facile poſſit ſuperari.

2. In *iunioribus* quidem, infra triceſimum annum adhuc conſtitutis, tam obſtinatos mores & graues ſucceſſus non exhibet, quin frequentius congruæ continuatæ medicationi cedat.

3. *Annoſiores* autem, & magis ſeneſcentes quando plenaria cachexia corripiuntur, priores frequenter hecticam & hydropem, non tam anaſarcam, quam aſcitem: poſteriores autem tantum hydropem incurrunt. Cachexia autem repulſa catarrhum ſuffocatiuum facile inducit.

4. Vbi cachectica tantum *diſpoſitio* adeſt, quæ præcipue iunioribus virginibus, ob menſium retardationem, euenit, ibi non ita difficulter malum tollitur; niſi intempeſtiua & aliena artificia, aut malum regimen aliquid damni inducant.

5. Sed quo citius, eo certius curatur; quo longius autem durat, eo longiorem ad minimum expoſcit medicationem.

6. *Chloroſis virginum*, quæ medium quaſi locum inter *diſpoſitionem* cachecticam, & cachexiam plenariam occupat, eſt malum plerumque chronicoteron, & ſponte non fa-

cile

cile euaneſcit, niſi vitæ generis inſignis mutatio, præcipue tranſitus in ſtatum matrimonialem, intercedat.

7. Moleſta quidem eſt hæc *chloroſis*, tetro colore, animi & corporis languore, cordis frequente palpitatione, ſed non præſentis periculi; tandem autem flauum adſpectum, hepaticæ obſtructionis indicem, exhibet, & in plenariam cachexiam, immo hecticam, tranſit.

8. Cachexia per multos ſæpe annos contumaciter durat, & licet œdemata etiam in tibias & pedes paſſim ſe extendant, non tamen ſemper verus inde hydrops inducitur; quæ prognoſis vulgarem illum errorem, quem ſub *differentia num.* 1. iam deteximus, magis adhuc refutat.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

*Cachexia* eamdem fere expoſcit methodum, quam præcedente tabula de *œdemate* tradidimus, nempe humorum correctionem, viſcerum referationem, præparatorum humorum euacuationem, & denique toni reſtitutionem; variat autem pro cauſſarum differentia, & hinc methodum ſpecialem ſequente ordine tradimus:

1. Ad mucido-tenaces humores incidendos, & eosdem ad excretionem præparandos, per octo vel quatuordecim dies exhibeantur reſoluentia, & digeſtiua, pro temperamenti diuerſitate eligenda ex illis, quæ præcedente tabula ſub methodo generali iam denominata ſunt.

2. His vel coniungantur, vel interponantur, aut ſubiungantur euacuantia, e.g. fiant noduli ex reſoluentibus & laxantibus phlegmagogis: ialapp. fol. ſenn. agaric. mechoacan. rad. ebuli, quæ mitior eſt, quam ſambuc. addito his iuſto tempore ſtimulo colocynthiaco.

3. Vbi malum a cohibitione febrium inductum eſt, ibi pilulæ amaræ, *Beccherianæ, Stahlianæ,* & alexipharmacorum vſus cum dictis laxantibus coniungi poſſunt.

4. Quando autem ſubeſt menſium defectus, ſiue ſponte ſiue arte inductus, tum poſt dicta corrigentia & aperientia adhibeantur emmenagoga & pediluuia, reſpiciendo ad illud tempus, quo menſes exſpectandi ſunt. *Conf. tabul. de menſium ſuppreſſione.*

5. Vbi

5. Vbi ab hæmorrhoidum ſuppreſſione cachexia inducta eſt, ibi, facta ſufficiente correctione, hirudines ad inteſtinum rectum adplicentur, aut venæ ſectio in pede, maxime tempore æquinoctiali, inſtituatur

6. Si poſt nimias diuturnas hæmorrhagias hoc malum exortum eſt, in paroxyſmo temperantia, analeptica, tonica, extra hunc autem corrigentia, ſed leniſſima propinentur, ne per calida ſanguis orgaſticus magis excitetur; quo autem caſu ad euacuationem ſanguinis per venæ ſectionem reſpectum ſimul habere conuenit.

7. His omnibus decenter obſeruatis, & peractis, *tonica* adhibeantur.

   1) *Interne.*

      a) *Martialia*, e.g. tinct. martis tartariſata *Ludouici*, tinct. vitriol. martis *Zwelferi*, eiusdem crocus martis cachecticus, crocus martis antimoniatus tenerior *Stahlii*, limatura martis cum tartaro tartariſato.

      b) *Specifica hepatica*: agrimon. ſcolopendr. nard. celtic. flor. ſchœnanth. rad. curcum. lign. ſantalorum.

   2) *Externe*: balnea calida ſicca, frictiones, in feminis, menſium defectu laborantibus, pediluuia ex aromaticoneruinis, fol. aſari, lapathi, tabaci, ari, flor. chamomill. *Conf. cautel.*

8. *Diæta* conueniens vbique obſeruetur, abſtinendo a cibis craſſis, acidis, ſalſis, potu aqueo frigido, item ſpirituoſo; cauendo etiam a refrigeratione pluuioſa, & nimiis humidis: hæc enim tonum relaxant, fibras emolliunt, & ſerum inſpiſſant; eligendo cibum mollem, mediocriter aromatiſatum, embammata ſinapios, raphan. marin. & ſubinde hauſtum vini generoſi, quod digeſtionem egregie promouet. Omnibus autem hiſce præfertur *motus corporis* placidus & perennans, ceu præſtantisſimum remedium aperiens & tonicum.

9. Ne adfectus recrudeſcat, interdum lenia laxantia poſſunt adhiberi, e. g.

Recip.

Recip. extract. panchymag, *Crollii* ſcrup. II.
fumar.
centaur. min. ana ſcrup. ſemis.
gumm. ammoniac.
galban. ana ſcrup. I.
myrrh. ſcrup. ſemis.
mercur. dulc. gran. XV. M. f. pilulæ, doſ. ſcrup. I. ſingulis fere menſibus propinentur.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Ventilationes* ſanguinis, iuſto tempore inſtitutæ, præcipue in pedibus, egregie ſubleuant, & non raro ſpontaneas hæmorrhagias reuocant: modo caueatur, ne, dominante adhuc ſeri vappidi intemperie, ſanguinis, vt talis, qualiſcumque fiat iactura.
2. Euitetur error ille communis, qui omnes cachecticos pro pure phlegmaticis declarat, & hinc calida, aromatica, præcipue olea deſtillata, promiſcue & audacter exhibenda cenſet: hæc enim in ſanguineis, ſanguinem exagitando, notabile damnum inferunt.
3. Speciatim *myrrha*, *ſabina*, *crocus*, & alia draſtica pellentia, quando feminis cachecticis extra inſtantium menſium tempus exhibentur, illas in aſcitem coniiciunt: fauent enim magis expulſioni ſanguinis, quam illius attenuationi.
4. *Euacuatio* humorum præparatorum commodiſſime fit per aluum; lenta tamen repentinæ præferenda eſt, niſi ex accidentalibus cauſſis ſaburra primarum viarum *turgeat*: ſic omnia ad naturæ ductum circumſpecte inſtruenda ſunt.
5. Vbi acres ſtaſes & oppilationes viſcerum iam in ſuſpicione ſunt, ac motus febriles hectici conſpirant, ibi tanto magis a crudioribus hydragogis commotionibus abſtinendum, & res per lenia digeſtiua, aperientia, ſalia colliquantia, eſſent. alexipharm. temperat. expedienda eſt.
6. Quando cachexia repulſæ ſcabiei ſuccedit, ad ſpecialem huius cauſſæ correctionem reſpiciendum eſt. *Conf. tabul. de ſcabie.*

7. In chronicis morbis, a ſeroſa colluuie pendentibus, non ingens medicamentorum farrago, ſed ſelectus & ſubordinata, tempeſtiua illorum adplicatio commendatur.

8. In primis, neglecto tali ſelectu, *abſorbentia* terrea ad cachexiam, qua talem, inepte propinantur: largiter enim ingeſta, dyſcraſiam ſeri reddunt tenaciorem; in ataxiis tamen primæ coctionis, per acidorum abuſum inductis, ſine noxa concedi poſſunt, licet tales caſus rarius contingant.

9. *Fumaria* non tam in alia, quam forma extracti, aut infuſi propinanda eſt; humoribus autem ipſis tantopere non ſuccurrit, vt hinc effectus quaſi ſuperſtitioſus, quem vulgus ipſi tribuit, exſpectandus ſit.

10. De *ligno guaiaco*, quod tantopere in cachexia laudatur, legi poteſt *edit. nouiſſ. Flor. Francic.* Sed non exhaurit negotium vniuerſum.

11. *Semina diuretica* caute ſunt adhibenda, præſtant his ſalia digeſtiua enixa, tincturæ alcalinæ.

12. *Bufo*, extus & intus adhibitus, diureſin quidem mouet, ſed nullius *ſpecialis* efficaciæ obſeruatur.

13. *Adſtringentia*, *martialia*, *ſalia volatilia* vrinoſa, prius non adhibenda ſunt, quam poſt debitam & ſufficientem humorum reſolutionem, alias periculum inferunt, & ſpeciatim copioſius propinata, hydropem accelerant.

14. Ad tumores pedum inter *topica* vſum habent acria aperientia, e.g.
   1) Hyeme cortex raphani nigri, plantis pedum ſuppoſitus.
   2) Æſtate chelidonium maius, leuiter conquaſſatum ad plantas, immo taleolos vſque adplicatum.
   3) Sedum murarium.
   4) Decoctum tabaci.
   5) Spiritus lumbricorum terreſtrium, qui tumores incipientes diſcutit, præcipue ſi malum a ſpiritus ardentis abuſu proueniat.

15. *Camphora* autem cutim exſiccat, & reliqua topica impedit.

16. *Balnea* ſulphurea, aluminoſa, adſtrictoria, cachexiam ad interiora magis repellunt, & in ſtaſin hydropicam deuoluunt. *Conf. cautel. præcedentis tabulæ.* TAB.

# TABVLA LXXXVIII.
## DE
# HYDROPE VNIVERSALI.

I. D*EFINITIO.*

Hydrops eſt tumor plus vel minus vniuerſi corporis, pallidus, & tactui frigidus, a vitio lymphæ, & vaſorum, illius repurgationi inſeruientium, ſubnatus. Deriuatur ab ὕδωρ, aqua, & ὄπτομαι video.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Hydrops quo modo a cachexia differat, præcedente tabula fuſius indicatum eſt.
2. Eſt vel *vniuerſalis* vel *particularis.*
   1) *Vniuerſalis* tres habet ſpecies:
      a) *Anaſarca*, quæ valde raro contingit, vniuerſum corpus occupat, & licet eaſdem cum aſcite cauſſas communes habeat, hæc tamen intercedit diuerſitas, quod aquæ in aſcite non ita facile in ſuperiores partes diffundi poſſint, quam diu æger erectum ſitum proſequitur.
      b) *Aſcites*, ſeu *vtricularis*, abdomen potiſſimum occupat, & frequentius quidem quam anaſarca occurrit, reſpectu tamen aliorum morborum ad rariores etiam adfectus referri poteſt.
      c) *Tympanites*, vbi abdomen inſtar tympani expanſum eſt, aſcite ſimul concurrente. Etiam hic morbus oppido raro contingit.
   2) *Particularis*, ad quem ſequentes ſpecies referuntur:
      a) *Hydrocephalus*, ſeu hydrops capitis.
      b) Hydrops *pectoris* & pericardii.
      c) Hydrops *omentalis*, vbi ſerum omento, tamquam ſacco, incluſum detinetur.
      d) Hydrops *ouarii* muliebris.
      e) *Hydatides*, ſeu veſiculæ aquoſæ, in hepate, liene, aut alio quodam viſcere obuenientes.

 f) Hy-

f) Hydrops ſupremæ regionis *medullæ ſpinalis*, ſecundum *Wepferum*.

g). *Hydrocele*, ſeu tumor ſcroti, humore aquoſo formatus.

3) Vniuerſalem hæc, particularem autem ſequens tabula exhibet.

III. *SIGNA.*

1. *Generalia.*

1) Tumor præternaturalis, pallidus, turgidus.

2) Tactu frigidus & mollis, vt cutis ſcrobiculum, per digitum impreſſum, aliquamdiu retineat, qui ſenſim iterum explanatur.

3) Lento gradu ordinarie hydropici tumores eueniunt, aliquando autem cum impetu quaſi, & intra paucas hebdomades præualeſcunt.

4) *Aluus* eſt liquida, lubrica, mucida, rarius adſtricta.

5) *Vrina* ad proportionem potus parciſſima, per initia tenuis & aquoſa, ſucceſſu autem temporis craſſitiem & ruborem exhibet.

2. *Specialia.*

1) *Anaſarca.*

a) Oedematoſus tumor, per vniuerſum corpus ſe diffundens, ad proportionem membrorum fere æqualis, & tanto infarctu habitum corporis tumefaciens, vt cutis ad nitorem extendatur, & rupturæ quaſi metum iniiciat.

b) Durior hic tumor eſt, & quando premitur, impreſſi digiti veſtigium *tardius* iterum euaneſcit.

c) Sub initium diu ſæpe mobilis eſt, & qui veſperi, maxime poſt multas corporis exercitationes, ingens erat in pedibus, mane notabiliter recedit.

d) Eſt incrementi vel languidi, vel repente inualeſcentis: priori modo ſubſiſtit interdum medio quaſi tumoris gradu, quem veteres *phlegmatiam* adpellarunt; vbi inflatio valde quidem conſpicua, mollis tamen & ſatis laxa reperitur.

e) *Ad-*

e) *Adpetitus* valde eſt languidus.
f) Ad *motum* ſunt laſſi.
g) Ad *ſudorem* ad modum difficiles.
h) Conqueruntur, maxime poſt paſtum, de anguſtiis præcordiorum,& difficili reſpiratione.
i) *Somnus* eſt grauis & delaſſans.
k) Vrina tenuis, aquea, non tamen diaphana.

2) *Aſcitis.*
a) Notabilis tumor, totum abdomen diſtendens.
b) Hic tumor primo ſæpius in pedibus ſeſe exſerit, vnde magis magiſque per femora ad ipſum abdomen adſcendit.
c) Frequenter pedetentim, interdum autem ſatis cito augeſcit, & denique totam cauitatem ita extendit, vt ad ſcrobiculum cordis vſque conſpiciatur.
d) Aliquando ingens, aliquando ſatis parca quantitas aquæ in abdomine reperitur, prout magno impetu effuſio facta eſt, vel hydrops longius durauit.
e) Subſiſtit hic tumor, cum inſigni plerumque pertinacia: noctu quidem, lecti calore, paullulum ſubſidet, interdiu autem redit, erectis nempe, ambulantibus vel ſedentibus, ægris.
f) Quo magis inualeſcit, & abdomen diſtenditur, eo certius adpetitus & vires cadunt, ſitis autem inexplebilis accedit, habitus corporis ſuperioris contabeſcit, & tuſſis cooritur, quæ, quo ſiccior, eo vehementior obſeruatur.
g) In vtroque ſexu hic tumor genitalia occupat, ſpeciatim in viris *hydrocele* prouenit, & *exomphalos*, ſeu protuberantia vmbilici, non raro iungitur.
h) Reliqua ſigna laſſitudinis, ſomni grauioris, &c. cum anaſarca habet communia.
i) *Vrina* eſt craſſa & rubicunda.

3) *Tympanitis.*
a) *Venter*, licet minus, quam in aſcite, molis habeat, ita tamen vehementer tenditur, vt, digito percuſſus, tamquam tympanum reſonet, & leuem murmura-

tionem,ſonitum,ac rugitum quaſi exhibeat. *Vid. obſeruat. Lommii.*

b) *Ructus* ſæpe concurrunt, qui, quando emittuntur, aliquantulum ſubleuant ægrotum; quo magis autem ſuppreſſi manent, eo ſenſibilius æger adfligitur,ita vt vix ſtragulum impoſitum tolerare queat.

c) *Pedes* non æque adeo, vti in reliquis hydropis ſpeciebus,tument.

d) Reliquum corpus extenuatur.

e) Scrutinio anatomico venter, vel etiam inteſtina flatibus diſtenſa reperta ſunt, vnde hydrops ſiccus ſolet vocari.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Anaſarca.* Hanc præcipue incurrunt homines,

1) qui in febribus tractantur variis ineptis artificiis.

2) Quibus *ſcabies* per ſulphurata,pinguia ſaturnina,intempeſtiue repulſa eſt.

3) Cachectici tam in anaſarcam,quam aſcitem,paſſim prolabuntur.

2. *Aſcitis.*

1) Ætas iuuenilis & media promte & impetuoſe aſcitem incurrit; ſeniores autem rarius huic malo ſubiacent, & quando omnino id contingit, magis lento gradu, quam præcipiti inſultu ab eodem occupantur.

2) Sexus ſequior,vti cachexiæ,ſic etiam aſciti,magis obnoxius eſt, quam virilis.

3) Item temperamentum ſanguineo-phlegmaticum præ reliquis temperamentis.

4) Speciatim feminæ, quibus menſes imminuti, vel plane ſuppreſſi ſunt.

5) Viri poſt fluxus,immo motus tantum,hæmorrhoidalis cohibitionem.

6) In primis,quando in vtroque ſexu hæ ſanguinis euacuationes fuerunt largiores,& conſuetudine in habitum quaſi antea deductæ.

7) Aliquando etiam aſcitem incurrunt,qui hæmorrhagiis *diuturnioribus* exhauſti,nec analepticis & congruo regimine

gimine debite refocillati ſunt; idque tanto certius, quo magis adſtringentium abuſus eiusmodi hæmorrhagiis oppoſitus fuit.

8) *Febricitantes*, qui inconuenienter & præmature per chinam chinæ, ſeu alios cortices adſtringentes, martialia &c. tractantur.

9) Quibus metaſtaſis febrilis, eryſipelas, vel phlegmone repellitur.

10) Quorum diæta craſſa craſſis humoribus generandis apta eſt.

11) Qui *thermis* & *acidulis*, item ſpirituoſis potionibus, abvtuntur.

12) Qui luxationibus, contuſionibus, & immodeſtis refrigerationibus obnoxii fiunt.

13) Tandem etiam *grauidarum* œdemata aſciti interdum anſam præbent.

3. *Tympanitis.* Huic malo præ aliis ſubiacent

1) *Flatulenti*, diuturnis ventriculi ac inteſtinorum inflationibus vexati.

2) In primis feminæ, abortum paſſæ, aut in puerperiis male tractatæ, item menſium vitio laborantes.

3) Viri poſt hæmorrhoidum ſuppresſionem.

4) Interdum etiam illi tympanitidem incurrunt, qui, ſub diuturnis febribus, peruerſis medicationibus tractantur.

5) Denique qui *vermibus* obſesſi ſunt.

## V. *CAVSSAE.*

1. Hydrops, in primis aſcites, easdem, quas cachexia, cauſſas ſequitur. *Conf. tabula antecedens.*

2. Vitium autem *organorum* & viarum, quæ humorum repurgationi inſeruiunt, in ordine cauſſandi prius eſt, quam vitium *humorum.*

3. Licet enim vitium organorum probabiliter ſæpius initia ſua ſumat a vitio humorum, incrementa tamen velocia, & inemendabilis huius mali perſeueratio magis dependent a vitio organorum.

4. Et

4. Et ſic dyſcraſia humorum eſt cauſſa *generalis* & *remota* ad productionem hydropis.
5. Cauſſa autem *ſpecialis* & magis *propinqua* eſt deprauatio organorum, ſiue ab humorum infarctu, ſiue ab aliis cauſſis inducta.
6. Hæc organorum vitia occurrunt
   1) Modo in *meſenterio* & pancreate, vbi ſæpe glandularum induratio & ſcirrhi, rarius autem infarctus & extenſio, reperiuntur.
   2) Modo & præcipue in *hepate*, quod viſcus in aliis, ordinarie in iunioribus hydropicis in globum quaſi collectum, conſtrictum, & exarefactum, in aliis, præſertim ſegnioribus & annoſis, inſigniter inflatum & expanſum deprehenditur.
   3) Ad hæc organorum vitia pertinet etiam vaſorum lymphaticorum *ruptio*, cui tamen non adeo facile ſubſcribendum eſt, niſi vbi diuturnior illorum extenſio iam in conſpicuas bullas, *hydatides* dictas, excreuit.
7. Cauſſa *immediata* & *proxima* eſt ſtagnatorius ſeri & lymphæ infarctus, partim a vitio humorum, partim a vitio organorum inductus.
8. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica*, quæ humorum & organorum vitium contrahere poſſunt, in deſcriptione *ſubiectorum* obiter quidem iam indicatæ ſunt, quoniam tamen præcipue & magis efficaces illarum peculiari adhuc nota accuſandæ ſunt, illas ſequente ordine recenſemus:
   1) Quævis artificia, quæ ſanguinem in orgaſmum & turgefactionem perducunt, viis exitui non exacte reſpondentibus.
   2) Frequentisſime omnium molimina ſanguinis excretoria, exitum non inuenientia, e.g. menſium, hæmorrhoidum.
   3) abuſus adſtringentium, turgente eodem tempore ſanguine, e.g. in febribus & hæmorrhagiis.
   4) Enormes & diuturnæ hæmorrhagiæ.
   5) Largior potus aquæ frigidæ, corpore excalefacto, vnde

ſtri-

ſtricturæ hepatis repentinæ & coagulationes ſubitaneæ ſeri & lymphæ, per hepar & glandulas meſeraicas oriuntur.

6) Refrigeratio humida, minus adſueta, ſpiſſitudini humorum & lentori efficacem præbet occaſionem.

7) Denique notandum, quod importuniores & quaſi violentæ aduentitiæ cauſſæ ſæpius inducant hydropem, quam ſegniores illæ in œconomia ipſius corporis ſubnatæ. Huius cenſus ſunt: contuſiones, conquaſſationes, venena pro medicamentis exhibita &, omni iure immodicæ crebræ potationes *ſpirituoſorum*, immo, obſtructis præcipue viſceribus, aquoſorum, e.g. acidularum.

9. Defectus *bilis* non eſt cauſſa hydropis, vti vulgo creditur, ſed potius productum conſecutiuum vitii illius organorum & humorum.

10. Quod hydrops frequentiſſime ab infimis corporis partibus incipiat, vera cauſſa eſt decubitus lymphæ ſeroſæ, hinc inde per peripheriam corporis ſtagnantis, & ex *grauitatis* nudo motu ita ſubſidentis, non autem ob caloris defectum, & inutilium particularem depoſitionem ad partes ignobiliores.

11. De reliquo certum eſt, tumorem aſciticum non ſolum formari ab aqua extrauaſata, & in abdominis cauitate contenta, ſed etiam a ſero illo, quod in meſenterii & inteſtinorum glandulis ſtagnat. Hæ enim glandulæ in ſectione aſciticorum valde turgidæ cernuntur. Hæc etiam ratio eſt, quod abdomen atrophicorum infantum ab obſtructis hiſce glandulis tumidum conſpiciatur.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. Hydrops eſt morbus ſatis pertinax.
2. Quando a vitiis *humorum* inductus eſt, facilius adhuc reſtituitur, quam ſi originem duxerit a vitio organorum.
3. Hinc *anaſarca*, & reliqui vniuerſales tumores, *leucophlegmatiæ, cachexiæ,* in quibus viſcera nondum adeo obſtructa & læſa ſunt, longe meliorem ſpem reſtitutionis faciunt,

unt, quam *aſcites*, ſiue ſolitarie eueniat, ſiue cum *anaſarca*, vti interdum contingit, complicetur.

4. Ipſa ſana ratio dictitat, quod deprauationem illam organorum, & præcipue hepatis metamorphoſin, quam cadauera ſecta monſtrant, in integrum reſtituere, negotium ſit omnium difficillimum.

5. *Aſcites* in ætate iuniore & vegeta, lentoque ſui progreſſu, quando mature tractatur, melioris eſt præſagii, maxime ſi nulla hectica, aut magna reſpirandi difficultas, tuſſis ſicca, facies liuida, concurrant.

6. Quo magis autem, præcipue in ætate paullulum prouectiore, *aſcitici* de virium labe, orthopnœa, ardore interno, æſtu inconſolabili, conqueruntur, eo propinquior eſt exitus lethalis.

7. Vaſa lymphatica quando perrupta ſunt, illorum conſolidatio vix vmquam exſpectanda eſt; niſi forſan in feminis ad modum robuſtis, ſub menſium reuocatione, aliquid ſperare liceat.

8. *Oedemata* quando recedunt, ſymptomata exaſperantur, nempe maiorem ægri perſentiſcunt anguſtiam, duriorem abdominis inflationem, dolores colicos, ardores febriles, adpetitus & virium proſtrationem, vomendi conatum; quæ omnia reuertentibus illis miteſcunt.

9. *Oedemata* rupta temporarium quidem leuamen, ſed funeſtum etiam plerumque euentum adferunt.

10. *Vrina* quo magis craſſa & rubicunda conſpicitur, eo minor eluctandi ſpes adfulget: nam hecticæ complicatæ ſignum eſt.

11. *Alui* obſtructio omnia ſymptomata exaſperat, aquoſæ vero per illam excretiones, conſtantibus ſibi viribus, vtiles ſunt.

12. *Tympanites* vera prognoſi raro differt ab *aſcite*, ſæpe enim in hunc adfectum deſinit, lethali plerumque euentu:

13. Quando vero febribus male tractatis ſuccedit, nonnumquam admittit reſtitutionem, licet non adeo maturam, præcipue in robuſto indiuiduo & vegeta ætate.

14. Hectica in tympanite conſumtio, tuſſis ſicca, cachecticus vul-

vultus, tumorum pedis incrementum, ſtatum conclamatum ſignificant.

15. Infantilis & iuuenilis ætatis tympanites ad atrophiam ſpectat, & eiusdem cum illa eſt prognoſeos. *Conf. tabula de atrophia.*

16. Denique de *paracenteſi* notandum, quod nouus aquarum prouentus fere ſemper repullulet, quidquid vanæ pollicitationes in contrarium adducant. *Conf. cautel.*

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus generalis.*

1. Viſcera integritati ſuæ ſunt reſtituenda; id quod negotium difficillimum eſt.
2. Vitium humorum mucido-viſcidorum eſt *corrigendum.*
3. Effuſi hi & reſtagnantes humores, qui tumorem conſtituunt, poſt ſufficientem correctionem ſunt *euacuandi:* licet autem correctio, & euacuatio materiæ, viſcerum tentandæ reſtitutioni poſtponantur, vrgente tamen caſu ordine medendi priores ſunt.
4. Denique *tonus* partium, per tumorem hactenus eneruatarum, eſt reſtituendus.

### B. *Methodus ſpecialis.*

Anaſarca & aſcites ſequente methodo tractentur.

1. *Correctio* humorum eo diutius perpetuetur, quo magis hydrops inueteratus eſt, vt ſufficiens reſolutio & attenuatio obtineatur, & euacuatio deinde eo felicius ſuccedat. Præ aliis humores corrigunt:
   1) *Radices:* vincetox. pimpinellæ albæ, ari, zingiber. taraxic. bardan. petaſitid. helen. raphan. gentian. rubr. quæ omnia, licet etiam per diureſin *euacuent*, plus tamen incidendo & corrigendo præſtant.
   2) *Herbæ:* abſinth. centaur. min. fumar. card. benedict. tanacet. item antiſcorbutica acriora.
   3) *Salia media* & *alcalica* fixa, e.g. tartar. vitriolat. nitr. antimoniat. arcan. duplicat. ſal abſinth. centaur. min. card. benedict.
   4) *Gummi-reſinæ*, v. g. ammoniac. ſagapen. galban.

5) E *compoſitis:* tinct. antimon. tartariſat. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, cum eſſentia ſuccini remixta &c.

2. Hæc eadem remedia reſerandis etiam viſceribus adhiberi poſſunt, ſed prouido ſelectu: nam quo magis adeſt phlegmaticus & mucidus ſtatus, eo acriora & amariora medicamenta indicantur, & quo magis ſanguineum temperamentum concurrit, eo temperatiora remedia requiruntur; *hepar* autem ſiccum & exarefactum tanto difficilius reddit negotium. Solantur hic

1) *Humectantia*, emulſiua, ſpeciatim herba & flores bellidis.

2) *Sapo* philoſophicus, & chymico-medicus ſaponis vſus, quorum vtrorumque efficacia hic non reiicienda eſt.

3) Item *vectura* in iunioribus, immo, tumore plurimum imminuto, *equitatio*, præcipue ſi cum hydrope tali a primo initio tuſſis ſicca & vehemens, hecticæ indicium iuncta fuerit.

3. Correctis ſatis humoribus, ad ſerum extrauaſatum & reſtagnans *euacuandum* adhibeantur

1) in *robuſtioribus*.

a) Hydragoga *fortiora*, e. g. ialappa, gummi guttæ, elater. ſemen carthami, herb. ſoldanell. rad. ebuli & ſambuci, cort. med. ſambuci, ſuccus radicis irid. noſtr. extract. & ſucc. eſulæ, electuar. hydragog. *Syluii*.

b) Coniunctis *diureticis* & *diaphoreticis*, quo nomine laudantur ſuccus raphani expreſſus, in recente malo cum ſaccharo cryſtalliſato edulcoratus, lixiuium a *Sydenhamo* commendatum, eſſent. alexipharm. decocta lignorum, præcipue eſſent. ligni ſaſſafras.

2) In *tenerioribus* & in præualeſcente hydrope:

a) *Mitiora* laxantia cum epicraſi, e. g. pilulæ ex amaris extractis, aloë, gummi heder. iunip. pilulæ *Beccheri*, *Stahlii*, maiore doſi ſumendæ, vel paullulum acuendæ.

b) Con-

b) Coniunctis itidem diureticis & diaphoreticis, modo dictis, cum ſudatione in ſtuphis laconicis, pro tolerantia & conditione ægri; commodior autem eſt ſudatio in anaſarca quam aſcite.

4. Euacuatis ita humoribus *tonica* tandem adhibeantur, & diæta euchyla cum motu corporis ſuccuſſatorio, vectura, vlteriori viſcerum apertioni proſpiciatur. Præſtant hoc.

1) *Condimenta* aromatica temperata, peæcipue zingiber conditum.

2) *Martialia*, cum ſalibus digeſtiuis coniuncta.

3) *Salia volatilia*, e.g. ſpiritus C.C. cum alcalicis fixis, v.g. tinct. antimon. vel tartari, æquali pondere remixta. Item ſpiritus lumbricorum, cum tinctura quadam alcalica coniunctus, quæ mixtura etiam, maxime in iunioribus, malo adhuc recente, & magis anaſarcode, euacuantibus mox coniungi poteſt.

5. In *tympanite* ſequente modo medicatio inſtituatur:

1) *Reſoluentia* & carminatiua per 2 - 3. hebdomades præſcribantur, e.g. digeſtiua, catarrhalia, gummi-reſinæ, extracta gentian. centaur. min. quibus limatura martis pro tono addatur.

2) Tribus diebus præterlapſis interponantur lenia *laxantia*, e ialapp. mercur. dulc. pilul. *Beccheri*, coniunctis diureticis, ſuperius commendatis.

3) Tandem *tonica* propinentur, v.g. tinct. vitrioli martis, vel alia ſupra laudata.

C. *Methodus ſpecialiſſima.*

1. Quando *defectus* & ſuppreſſio menſium hydropem qualemcumque induxit, poſt debitam correctionem craſeos, lenia emmenagoga laxantibus miſceantur. Conducunt hic præcipue pilulæ *Beccheri*, *Stahlii*, quæ continuato vſu ſeroſo lymphalem colluuiem eliminant, & etiam fluxum menſium reducunt.

2. Si manifeſte ab hæmorrhoidum ſuppreſſione hydrops proueniat, hirudines ad inteſtinum rectum adplicare conuenit.

3. Vbi autem hydrops ab *exceſſu* hæmorrhagiarum obortus eſt, balſamico analepticis æger reficiatur, & tonica coniungantur.

4. In cauſſis febrium, peruerſe tractatarum, magis conducunt antifebrilia.

5. In hydrope, per ſcabiem repulſam inducto, interne antiſcabioſa adhibeantur. *Conf. tab. de ſcabie.*

6. Febriles hecticodes æſtuationes quando accedunt, nitrum, cum ſale digeſtiuo coniunctum, propinetur.

7. *Tympanites*, a febre intermittente ſuppreſſa originem ducens, expoſcit maturam huius reuocationem per digeſtiua ſalina & amara cum laxantibus,

8. Quando *aluus* ſicca & ſtricta eſt, ſoluatur per clyſteres emollientes carminatiuos; toti vero abdomini imponatur emplaſtrum ſaponatum *Barbette*, tamquam egregium reſoluens, vel linimenta ex oleis carminatiuis.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ante omnia euitetur irritum illud conamen, quod, neglecta humorum correctione & præparatione, ſtatim ad euacuantia accelerat; quæ methodus ad modum eſt periculoſa: licet enim tumor euaneſcat, hectica tamen inducitur, immo ſphaceloſa plane corruptio inde ſubnaſci ſolet.

2, Hinc etiam ipſa *diuretica*, ſalina draſticotera, ſpiritus acidi non promiſcue adhibeantur, alias non tam corrigunt materiam, quam per vrinam expellunt.

3. *Salia volatilia*, quando ſub initium pro ſcopo attenuante & aperiente propinantur, tum viſcera indurata adhuc magis conſtringuntur.

4. *Sulphura ſpirituoſa*, e.g. vinum generoſum, ſpiritus vini, item ſalia volatilia *oleoſa* aromatica, quando immodeſte exhibentur, facile calorem hecticum inducunt, cum oris ſiccitate & corporis inquietudine.

5. *Sulphur* minerale externo vſu nocet: pauca autem illius grana, cum aliis congruis remediis mixta, & propinata, non reiiciuntur.

6. *Aci-*

6. *Acidularum* vſus mortem accelerat.
7. *Thermæ* etiam improbantur: licet enim illæ, quæ *calcariæ* ſunt indolis, tutiores exſiſtant, quam aluminoſæ, melius tamen eſt, prorſus ab illis abſtinere: nimia enim humida tonum partium magis relaxant.
8. Lignoſa *antiuenerea* ad correctionem non commendantur.
9. *Amara*, vt ſimile eſt vero, viſcerum magis reſerationi & reſtaurationi, quam humorum correctioni inſeruiunt.
10. *Zingiber* remedium hic valde efficax eſt, magis autem corrigendo materiam & adficiendo vias, quam, ſecundum antiquos, hydragoga temperando. Certe egregie fundit, & incidit ſeroſam ſanguinis tenacitatem. Idem hoc præſtat *radix ari*, quæ zingiberi acrimonia ſimilis eſt.
11. Ex *antiſcorbuticis* raphanacea, præcipue radix armoraciæ, vino infuſa, præmiſſis præmittendis, eximie ſe gerit. Reliqua, ipſa etiam cochlearia, incerti hic ſunt effectus.
12. Prouidus *hellebori albi* vſus, non *emeticus*, ſed alterans tantum, vti alias in chronicis, ita & hic laudatur ab experientia. Abigitur autem vis emetica per coctionem.
13. *Mercurius vitæ* anceps eſt, & vomitus periculoſos ſuſcitat.
14. *Cryſtallos lunæ* pro ſcopo diuretico nemo peritus facile probabit.
15. *Cantharides* prouide ad modum in vſum vocandæ ſunt, facile enim renes & veſicam adrodunt.
16. Pilulæ ex amaris extractis, e.g. centaur. min. abſinth card. bened. fumar. & euacuantibus, v.g. gran. vno vel altero euphorbii, ialappæ vel gummi guttæ, adiect. gum. galban. ſarcocoll. paratæ, & per plures dies continuatæ, egregium vſum præſtant, in primis quando diuretica lenia, quæ humores excretioni etiam aptos reddunt, interponuntur; quo nomine laudantur tincturæ alcalinæ, e. g. antimonii acris, ſalis tartari, cum eſſentia *ſuccini* coniungendæ. Item eſſent. lignorum, ſpeciatim eſſent. *ſaſſafras* aromatiſata; laudatur etiam gummi *iuniperi*, quod nonnulli ipſi ſuccino præferunt.

17. *Car-*

17. *Carthamus*,& illius ſemen,item etiam rad. *ialappæ*, & ex antiquorum cenſu *ſoldanella*, ſeu braſſica marina, ſatis temperate; *gummi* autem *guttæ*, cortex *ebuli* & *ſambuci* fortiter euacuant.

18. Non dubitandum, quin illa ſeri portio, quæ in abdomen effuſa eſt,ſatis fluxilis ſit, vt non indigeat præparatione ad abſorptionem in vaſa, commode tamen reſoluentia & incidentia præmittuntur, vt viſcera expurgentur, & ad transmittendos humores apta reddantur.

19. *Venæſectio* in nulla hydropis ſpecie probatur, multo minus, vbi malum altiores iam egit radices.

20. *Scarificationes*, ad ſerum in externis partibus euacuandum inſtitutæ,valde improbantur: ſuperficiales enim parum euacuant, & nihilominus difficulter conſolidantur; profundiores autem ſphaceloſam corruptionem inducere ſolent.

21. *Paracenteſis* plures inuoluit difficultates, conſtantem tamen efficaciam non præſtat; & licet in illis, quorum viſcera adhuc illæſa ſunt, & vbi malum a cauſſa quadam externa originem duxit,ſolidum auxilium adferre poſſit,raro tamen neceſſaria eſt.

22. *Veſicatoria* etiam plus incommodi, immo periculi, quam auxilii adferunt.

23. *Saliuatio mercurialis* nullo modo probatur: hæc enim non corrigit feroſo-viſcido-ſpiſſos humores, ſed lympham ſalſam,coagulatam;& quoniam in hydrope per via meatuum ſudoriferorum libertas, quam ſaliuatio requirit, ob humorum ſpisſitudinem, ægre obtinetur, grauia inde damna,ſtaſes, paralyſes, introduci poſſunt.

24. *Sudationes* vſum omnino ſuppeditarent, præcipue in anaſarca, & vbi malum a cauſſis externis,illæſis adhuc viſceribus,inductum eſt, ſi modo abſque ſanguinis commotionibus impetrandæ eſſent: his enim accedentibus res eſt valde anceps, præſertim quando ſudor plane non ſuccedit.

25. Ad hanc ſanguinis exæſtuationem euitandam, remedia externa, pro ſcopo ſudatorio,magis comendantur, e.g. 1) In-

1) Inuentio *Borrichii*, qui multis veſicis, aqua calida repletis, ægrum fouere iubet.

2) *Stupha ſicca*, ſaluo capite, præeuntibus plebeiis, qui clibano corpus intrudere, caput autem libero aëri exponere obſeruantur.

3) Quid ad hunc finem folia *fraxini* ſiccata, & externe circumdata, valeant, experientiæ relinquitur; vbique autem notandum, quod hæc omnia irrita ſint, niſi interna remedia debite præmittantur & ſubiungantur.

26. *Cauſtica* acriora, externe adhibita, materiam ſiue ad interiora repellunt, ſiue, cute diſrupta, eamdem cum variis incommodis contumaciter deinde emanare faciunt. Commodiſſime hinc illa topica adplicantur, quæ tabula de *œdemate* ſub methodo generali commendata ſunt.

27. In *tympanite* fortiores euacuationes minus, quam in *aſcite*, locum habent; leniores autem per aluum, vrinam, & ſudorem vſum ſuum præſtant.

28. *Tympanitem* ſpaſmis accenſere, contra rationem eſt: in adfectibus enim flatulentis remiſſio potius, quam rigida intenſio occurrit.

29. *Tonica* prius non adhibeantur, quam poſt ſufficientem correctionem & euacuationem humorum, alias maior hepatis obſtipatio inducitur, & omnia exaſperantur.

30. Denique adlegamus *puluerem* illum *hydragogum*, cuius mentio facta eſt in diſſertatione *Stahlii* de hydrope pag. 32. 33. qui, ad octo grana quotidie propinatus, ſatis *blande* euacuat & tumores profligat, euidente teſtimonio, quod copioſa vehemens humorum euacuatio negotium medelæ non ſemper exhauriat.

31. Licet enim per fortia purgantia aquæ ſæpius notabiliter educantur, non raro tamen exempla occurrunt, in quibus nil præſtant, quamquam repetitis doſibus propinentur; immo damnum inferunt, nam inteſtina valde irritant, tonum viſcerum debilitant, vaſorum lymphaticorum rupturam promouent. Nimia ſeri glutinoſitas. vel abundantia quæ purgantium particulas obtundit

aut diluit, effectum catharticum non raro etiam fruſtratur.

32. Ratione *modi* & *viarum*, per quas purgantia aquas aſciticorum euacuent, auctores diſſentiunt. Recentiores ſequentia de hoc ſtatuunt: Purgantia ſtimulant inteſtina, hinc primum emulgetur ſerum, quod in glandulis minoribus *Peierianis* continetur. Horum enim vaſa excretoria immediate in inteſtina hiant. Glandulæ meſenterii ob connexionem ſimul ſtimulantur, quoniam autem valuulæ vaſorum lacteorum obſtant, ſerum ſuum in cauitatem inteſtinorum immediate effundere non poſſunt, ſed in chyli receptaculum mittunt: Vnde in maſſam ſanguinis recipitur, poſt ea in glandulas inteſtinorum deponitur & euacuatur. Hac ratione vaſa ſanguifera a notabili ſeroſa hac excretione quodam modo vacua redduntur, & ſerum ſubtile, quod in cauitate abdominis ſtagnat, per poros in venas recipitur, ad cor fertur, per arterias ad inteſtina ducitur, & ibidem ex glandulis emulgetur.

## TABVLA LXXXIX.

DE

# HYDROPE PARTICVLARI.

I. D*EFINITIO.*

Hydrops particularis eſt tumor tactu mollis, & pallidus, in certa quadam corporis parte contingens: a vitio modo humorum, modo organorum inductus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Septem* ſpecies hydropis particularis præcedente tabula iam indicatæ ſunt, & ſub ſignis potiſſimum repetentur.

2. *Hydrocele* bene diſtingui debet a *pneumatocele* ſeu hernia ventoſa, quam differentiam ſequentia docent.

1) Quan-

1.) Quando tumor in loco obſcuro ad lumen candelæ adſpicitur, tum hydrocele, minorem pneumatocele autem maiorem offert perſpicuitatem.

2) Hydrocele vbi manu tangitur, pondere grauis, pneumatocele autem longe leuior eſt.

3) Hydrocele conſiſtentem, pneumatocele autem ætatem magis infantilem & puerilem occupat.

4) Hydrocele, niſi aſcites concurrat, lento ad modum greſſu, pneumatocele autem repente, incrementum ſumit.

5) Hydrocele ſponte ſua rarius imminuitur, & ſi quid imminuatur, in reliqua parte ſenſibilis laxitas & inanitio conſpicitur; pneumatocele autem frequentius alternare obſeruatur: modo enim tumor eſt remiſſior, modo intenſior, nulla tamen partium laxitate ſed æqualitate vbique conſpicuus. *Conf. tab. chirurg. de herniis.*

III. *SIGNA.*

A. *Hydrocephali.*

1. Tota ſuperioris capitis regio, a fronte iuxta tempora ad occiput ſurſum verſus, dimenſo quaſi circuitu, in molem aliquando ſtupendam extumeſcit.

2. Quæ inflatio ſublucida eſt, præcipue quando candela poſt eamdem tenetur.

3. Aliæ partes, e.g. labia, naſus, præcipue etiam oculi, ordinariam ſuam ſeruant magnitudinem.

B. *Hydropis pectoris.*

Certiora de hoc ſigna non proſtant, quod enim de fluctuatione ſub decubitus mutatione memoratur, aut, quia talis adfectus etiam alterutrum tantum latus occupare poteſt, de graui impedimento reſpirationis, quando æger in latus ſanum recumbit, adlegatur, non ſufficit ad diagnoſin certiorem.

C. *Hydroceles.*

1. Tumor ſcroti, tactu plurimum mollis, interdum tamen plane rigidus, plerumque ſine doloribus,

2. ad anſerini oui magnitudinem, immo maiorem aliquando excedens.
3. Latus illud ſcroti, quod hoc mole diu oneratur, denſius redditur.
4. Aliquando iungitur aſciti, aliquando ſolitarie euenit, & tum lentius ſolum augetur.

D. De reliquis ſpeciebus, e. g. ouarii muliebris, hydatid. certiora ſigna non proſtant.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Hydrocephalus* ſæpe infantibus poſt laborioſum partum euenit, vbi tumor ſtatim poſt excluſionem initia ſua manifeſtat.
2. *Hydrocele* crebrius occurrit in aſciticis, & deinde etiam in illis ſubiectis, quæ externam ſcroti contuſionem, compreſſionem, vel alium violentum contactum, quod probe notandum, experta ſunt.

V. *CAVSSÆ.*

1. *Hydrocephali.*
   1) Hic vix non ſemper *violentam* cauſſam habet externam, nempe ſi infans, ſub partu, capite ex vtero promineat, tum ſpaſtica vteri contractio maſſam humorum ad caput violentius reſtringit.
   2) Et ſic cauſſa *proxima* & *continens* eſt infarctus œdematoſus a diſtenſione partium non ſolum exteriorum ſupra caluariam, ſed & ipſius ſubſtantiæ cerebri, inductus.
2. *Hydroceles.*
   1) Cauſſa *continens* eſt dilatatio meatus illius, qui ex abdomine in ſcrotum tendit.
   2) Cauſſa *occaſionalis*, quæ huic dilatationi viam ſternit, eſt clamoſa eiulatio: vnde humor ille pedetentim in ſcroti cauitatem, & diſtenſas partes delabitur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. *Hydrocephalus*, quando intra leniorem adhuc gradum ſubſiſtit, non ita difficulter iterum tollitur; inualeſcens autem periculo non caret: nam grauis cerebri perverſio non facile ad legitimam ſtructuram reducitur.

2. Hy-

2. *Hydrocele.*

1) Ab externis violentis cauſsis inducta, facilius diſsipatur.

2) Ad altiorem autem pueritiam continuata ſæpe cachexiam conciliat.

3) Ipſa autem portio aquoſa, in hunc locum collecta, per multos annos ſine corruptione, teſte experientia, durare poteſt.

4) Quæ vero *hydrocele* internæ cauſſæ ortum debet, & cum aſcite complicata eſt, illa difficillime eſt reſtitutionis: niſi enim aſcites funditus exſtirpetur, hydrocele minime cedit.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Hydrocephalus* ſequente ordine tractetur:

1) Nutrici, vel, ſi fieri posſit, infanti, per aliquod dies exhibeantur lenia laxantia, inter quæ præſtant phlegmagoga.

2) Externe *fotus* diſcutientes adplicentur, ex radice iridis Florentinæ, & reliquis anticatarrhalibus, vti & herbis, floribus, ac ſeminibus coronariis, carminatiuis.

3) Reliquo tempore emplaſtrum ſaponatum *Barbette* per aliquot ſubinde horas imponatur.

2. *Hydrops pectoris* rarior eſt, & generalem illam expoſcit medicationem, quæ præcedente tabula indicata eſt. Licet autem paracenteſis hic æque ac in anaſarca locum habeat, eiusdem tamen cum illa eſt conſiderationis & difficultatis. *Conf. cautelæ tabulæ antecedentis.*

3. *Hydrops pericardii* rarisſimus adfectus, & in artificum magis inuentis, quam naturæ operibus quærendus eſt.

4. *Hydrocele* ſequente ratione tractetur:

1) *Interne* adhibeantur lenes euacuationes cum epicraſi, e. g. rad. irid. noſtrat. ſem. carthami. cum herbis reſolventibus, amaris; vbi autem vires conſtant & aſcites complicatur, ibi fortiores euacuationes locum habent, nempe illæ, quæ ſub aſcite memoratæ ſunt.

2) *Externe.*

a) *Discuſſio* promoueatur per neruina carminatiua, in

ſacculo, vino calido imbuto, per aliquot dies adplicanda. e.g.

Recip. rad. irid. Florentin.
caryophyllat.
vincetox.
bryon.
ſigill. Salomon. ana vnc. ſemis.
Herb. chærefol.
bardan.
rorismarin.
geran.
puleg. ana man. I.
flor. chamomill.
melilot. ana pug. II.
ſem. cumin.
petroſelin.
ammios, ana drach. II. M.

b) Ad *repulſionem* efficax eſt ſulphur, in lixiuio calcis viuæ adhibitum.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Vbi viſceris alicuius labes in hydrope particulari concurrit, ibi eadem difficultas, quæ hydropem vniuerſalem premit, in medicatione obſeruatur.
2. Eius modi hydropes particulares, quando febribus ſuccedunt, vti febres tractantur: nempe digeſtiuis & aperientibus; quo caſu vſus martialium, & ſalium volatilium, cautiſſimus eſſe debet.
3. Non friuole, ſub *methodo* hydrocephali, emplaſtri ſaponati adplicatio certis horis, pro vna vice, circumſcripta eſt: ſi enim nimis diu impoſitum manet, puſtulæ enaſcuntur.
4. Cauendum etiam eſt, ne ſacculi, calide adplicati, diuturniore mora refrigeſcant.
5. Hydropes particulares, qui in *pectore* contingunt, magis pro congeſtionibus & ſtagnationibus ſanguinis, ſeroſas ſeceſſiones generantibus, quam pro cauſſis vitioſis lymphalibus, reputandi ſunt; non aliter ac mors anxia *polypum*

*pum* generat, qui hinc pro cauſſa ipſius morbi & mortis non ita libere, vti fieri ſolet, pronunciandus eſt.

6. *Hydrocele* ſæpe diſcutitur morbo interno manente: vnde diſcuſſioni ſimplici tanta opera non erit impendenda, ſed lymphæ potius correctio neceſſaria eſt; quæ autem ſollicitam tractationem requirit, euitando vbique impetus ſudoriferos & purgatorios.

7. *Camphorata* ſanguineas quidem portiones diſcutiunt, ſed tum ſeroſo-mucidæ partes magis inſpiſſantur: hinc nihil præſidii ad hydrocelem in illis quærendum eſt.

8. Potus calidi ſedulo adhibeantur, frigus autem & frigida euitentur, quia magis inſpiſſant.

# TABVLA LXXXX
## DE
# ICTERO.

I. **D***EFINITIO.*

Icterus eſt bilis excrementitiæ per vniuerſum habitum corporis diffuſio, modo ab obſtructione ductus cholodochi, modo, & frequentius quidem, ab hepatis conſtrictione, tranſitum bilis ad folliculum & inteſtina intercipiente, originem ducens. Deriuatur hæc denominatio vel ab *ἰκτὶς*, viuerra, cuius oculi tali colore tincti cernuntur, vel ab ictero, aue nempe illa, quæ germ. Gold-Hämmerche vocatur. Dicitur etiam *aurigo* ab auri calore; item morbus regius.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Icterus eſt vel *flauus*, vel *niger*; quam differentiam ſubſequentia ſigna, & cauſſæ docebunt. De *flauo* magis valet definitio.

2. Porro icterus eſt vel *idiopathicus*, qui ſine alius morbi prægreſſu per ſe exoritur; vel *ſymptomaticus*, qui aliis morbis, e.g. febribus билioſis, ſuccedit.

3. Dif-

3. Differt verus icterus a colore illo icterode, quo infantes ſtatim poſt partum tincti obſeruantur: hic enim color nullius eſt conſiderationis, & poſt meconii debitam excretionem ſponte ſæpius euaneſcit.

III. *SIGNA.*

1. *Flaui.*

1) Inuadit cum inſigni laſſitudine, quam interdum leuis horror præcedere ſolet, præcipue, vbi excandeſcentia animi huic malo anſam dedit.

2) Hanc laſſitudinem excipit ſpecialiſſimum ſignum, omnibus ictericis familiare, nempe ſtrictura & compreſſio ſub ſcrobiculo cordis.

3) Vnde anxietas repentina, & anguſtia præcordiorum, interdum plane ſuffocatiua, ad minimum cum difficili reſpiratione.

4) Immo omnes icterici, quos cito, licet non tanto impetu, adfectus obruit, ſentiunt etiam preſſionem talem ſub hypochondriis, ordinarie verſus latus dextrum.

5) Melius habent, ſi erecto corpore ſedeant, quam ſub decubitu vel obambulatione.

6) Iungitur interdum *febricula* quædam, nempe calor ſolito maior, præcipue quando cum aliquo horrore malum inuadit, uel poſt verſationem in libero aëre frigus aliquod in partibus externis perſentitur.

7) *Aluus* modo ſegnior, modo laxior eſt, cum pallidis plurimum, interdum etiam lientericis, excrementis.

8) Sub his omnibus *flauedo* in peripheria ſatis mature ſeſe manifeſtat; primo quidem in oculis, deinde autem per totum corporis habitum.

9) *Vrina* flauedinem exhibet ſaturatam, & quando agitatur parietibus vitri hunc flaueſcentem calorem adfigit; immo ſi paucæ tantum illius guttæ linteo vel chartæ adſpergantur, flauedine illa tinguntur.

10) *Adpetitus* plerumque languet, & vbi omnino ægri aliquid cibi adſumunt, ſtatim preſſionis illius circa ſcrobiculum perſentiſcunt incrementum.

11) *Somnus* eſt inquietus, interdum multus & profundus.

12) Cum

12. Cum his omnibus conſpirat *animi* languor & faſtidium.

2. *Nigri.*
   1) Maior gradus *languoris* corpore & animo.
   2) *Color* eſt nigricans non ſolum in oculis, ſuperficie corporis, vrina, ſed etiam ipſa ſubinde ſaliua, quæ ad minimum ſaturata flauedine reiicitur.
   3) Concurrit *calor* hecticus cum inquietudine, tabe & adpetitus maiore defectu.
   4) Tenſiones & preſſiones, quæ in ictero *flauo* latus dextrum ordinarie occupant, hic in ſiniſtro ſentiuntur.

IV. *SVBIECTA.*

1. Generatim omnis ætas, vterque ſexus, & quodlibet temperamentum ab ictero corripitur.
2. Speciatim tamen *cholerici* præ aliis huic adfectui obnoxii ſunt, & ætas præcipue iuuenilis ac ſenilis.
3. *Specialiſſime*, qui cauſſas occaſionales ſubſequentes incurrunt.

V. *CAVSSÆ*

1. A viciata bilis eccriſi hoc malum prouenire, certiſſimum eſt, vnde autem hoc vitium oriatur, per indiuidua non ſemper liquet.
2. Negari quidem non poteſt, quod interdum obſtructio ductus cholidochi hoc vitium inducat, frequentius tamen in conſtrictione hepatis quærendum eſt, quæ ſtrictura tranſitum bilis ad veſiculam illius & inteſtina intercipit.
3. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* ſunt:
   1) Puerorum addephagia, vel alia craſſa atque incondita diæta.
   2) Repentina repreſſio hæmorrhagiarum, e.g. menſium, hæmorrhoidum, quo caſu icterus non raro hepatitem præoccupat, vel interdum hanc ipſam conſequitur.
   3) Suppreſſio febrium intermittentium, præcipue quartanarum.
   4) Excandeſcentia animi, in primis ſuppreſſa.
   5) Symptomatice interdum icterus febribus bilioſis ſuperuenit. *Conf. Hippocrat. aphor. 62 ſect. IV.*

6) Emetica fortiora, præcipue in ſenſibilibus cholericis.
7) Immodeſtus potus frigidus, corpore calente.
8) Scirrhoſa hepatis conſtitutio.
9) Calculus in cyſtide fellea.

4. Cauſſa *icteri nigri* in chronico & contumaci lienis vitio magis conſiſtit.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Icterus in iunioribus facilius tollitur, quam in annoſis; raro etiam illos cum tanta vehementia inuadit.
2. Quando cum magno impetu occupat ægrum, periculum ſubeſt febris acutæ vel lentæ hecticæ.
3. Icterus, quando febri acutæ, quarto circiter die, vel ante eumdem, & quidem cum magno inſultu accedit, ingens vitæ periculum portendit. *Vid. caut. num.* 16.
4. Quo magis viſcerum obſtipatio, a febribus intermittentibus ſuppreſſis inducta, præualeſcit, eo maioris periculi eſt, febris autem cohibita quando reuocatur, ſpem facit reſtitutionis.
5. Qui bis vel ter ictero corripiuntur, in conſuetudinem quaſi huius morbi ita deducuntur, vt deinde ſæpius illi obnoxii fiant.
6. Icterus quando difficilem reſpirationem, anxietatem, preſſionem circa præcordia, phlogoſes, oppletionem pectoris quaſi aſthmaticam diu & pertinacius fouet, tum ſiue hectica, ſiue aſcites, cum vel ſine tumore pedum, ſuccedit, & emaciatio atrophica ſequitur.
7. Color *flauus*, ſi in ictericis repente in album iterum tranſit, peſſimum eſt præſagium: ſcirrhoſam enim hepatis conſtitutionem deſignat.
8. Fluxus hæmorrhoidalis, ictero ſuperueniens, ſpem facit felicis huius mali ſolutionis.
9. Sic etiam bonæ notæ ſunt largiores illi ſudores, qui flauedine ſua induſia tingunt.
10. Icterus, qui in adultis a ſpirituoſorum abuſu exoritur, ob coniunctam hepatis ariditatem, indolis eſt deterioris.

11. Fit

11. Fit interdum, vt febris *quartana* ictero ſuperueniat, conatu quidem non culpando, effectu tamen non ſufficiente. Sic etiam icterus interdum ſuccedit quartanæ, per chinam chinæ ſuppreſſæ, qui, quo contumacius inuadit, eo maiorem hepatis obſtipationis & præſentis hecticæ metum infert.

12. Verbo: icterus *leuior* non adeo periculoſus, modo caueatur, ne alius peior adfectus concurrat: præualeſcens plurimum eſt lethalis: ſi non excernatur bilis, degenerat facile in febrem acutam: vbi nimium effunditur, abit in febres biliosas: quando ab hepatis conſtipatione bilis retinetur, tranſit in hecticam.

13. Icterus *niger* difficulter ſanabilis eſt, præcipue ſi ſenes inuadat, aut diutius iam occupauerit: hectica tabe ægri tales plerumque moriuntur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMDIA.*

### A. *Methodus generalis.*

1. Mucoſum & tenax coagulum, quod vel hepar, vel ductum cholidochum obſtruere, & ſic bilis ad inteſtina tranſitum impedire ſolet, eſt *incidendum* & *reſoluendum*; quo ſcopo commendantur:

1) *Radices* catarrhales, e.g. helenii, vincetox. pimpinellæ albæ, ari, item gentian. rubr. cichor. tarax. ariſtoloch. vtriuſque, quinque aperientes.

2) *Herbæ* centaur. min. abſinth. card. benedict. marrub. alb. capill. vener. cuſcut. epithym. immo fumaria vſum hic habet abſtergentem.

3) *Semina* dauci, fœniculi & coriandri, etiam bene ſe gerunt.

4) *Salia digeſtiua*, e.g. tartar. vitriolat. nitr. antimoniat. arcan. duplicat. cum quantitate nitri, arcanum tartari, recte præparatum, tartarus tartariſatus, recte præparatus; item ſalia ammoniacalia regenerata.

5) *Gummi reſinæ*, e.g. ammoniac. galban. ſagapen. ſarcocoll.

6) E *compoſitis* tinctura antimonii tartariſata, tinct. tartari.

7) *Specifice* laudantur: rad. curcumæ, chelidon. mai. herb. abrotan. ſem. aquilegiæ, naſturtii, napi, lumbrici ter-

reſtres, millepedes cum croco vel in ſucco, vel electuario, vel tragea, fel animalium.

2. *Motus conſtrictorii* in hepate & ductu biliario ſunt leniendi, emolliendi, & relaxandi, vt bilis legitime e maſſa ſanguinea poſſit ſecerni, & ad inteſtina deduci. Ad lenem talem relaxationem & deiectionem expediendam rhabarbarum præcipue commendatur vel in forma pulueris, vel ſi adrideat, in forma infuſi, coniunctis foliis ſenæ, rad. polypodii, & reſoluentibus modo commendatis.

3. Portio autem illa, ad ſuperficiem corporis iam diffuſa, eſt iuuanda, vt *excernatur*; vbi commode antimonium diaphoreticum cum ſale quodam digeſtiuo, & abſorbente remixtum, adhibetur.

4. Denique *tonus* partium naturalis eſt reſtituendus; in quem finem conducunt martialia tenuiter reſoluta, v.g. crocus martis aperitiuus *Stahlii*, & lenia tonica ex vegetabilibus, e.g. rad. fragar. rub. tinctor. caryophillat. herb. agrimon. ſcolopendr. adianth. alb.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. Vbi malum adhuc recens eſt, ter vel quater per diem exhibeantur ſalia digeſtiua, cum nitro combinata.

2. In ſuſpicione iracundiæ prægreſſæ his pulueribus abſorbens aliquod modica portione remiſceatur.

3. His digeſtiuis interponantur lenia laxantia, e.g. puluis rhabarbari drach. ſemis vel ſcrup. II. cui pro leniſſimo ſtimulo ſcammonium, bene correctum, adiiciatur.

4. Vel ex herbis & radicibus reſoluentibus, ac dictis laxantibus, nempe rhabarb. ſenn. polypod. fiat nodulus, vino immittendus, de quo expreſſo mane, item verſus prandium & cœnam hauſtus ſumatur, ein Spitz-Glas voll, & mox deinde ſcrup. I. de puluere digeſtiuo ſalino ſingulis vicibus ſubiungatur. Hac ratione recentior adhuc icterus ſatis prompte expeditur, immo in herba quaſi ſuffocatur.

5. Ad excernendam autem illam portionem, quæ ad ſuperficiem iam diffuſa eſt, pulueri digeſtiuo ſalino verſus ſomnum grana VI. antimonii diaphoretici miſceantur.

6. Quan-

6. Quando hæc per aliquot dies continuata ſunt, & icteri decrementum obſeruatur, faceſſente nempe ſenſim colore ex oculis, & reliquis corporis partibus, tum tenuiora martialia ſalinis digeſtiuis ad gr. II-IV. pro doſi immiſceri, & bis per diem, nempe verſus prandium & cœnam, propinari poſſunt, qua ratione naturalis tonus reducitur, conſtrictio remittitur, & aluus ſimul leniter promouetur; repetendo tamen ſubinde laxans rhabarbarinum; vel ſi forma liquida pro tono roborando magis placeat, loco pulueris eſſentia quædam ſtomachica amara, e.g. centaur. min. gentian. rubr. cum tinct. martis *Ludouici* propinetur.

7. Vbi etiam icterus altius iam hæret, ibi eadem blanda valet methodus, quæ autem diutius eſt continuanda; quo caſu inter remedia reſoluentia præcipue locum habet radix curcumæ ad ſcrup. I. propinata: præmiſſa, interpoſita, vel ſubiuncta, ſemper leni laxatione.

8. Regimen æquale & leniter diaphoreticum vbique conſeruetur.

9. Quo magis *commotiones febriles* cum ſiti concurrunt, eo magis nitrum & antimon. diaphoreticum cum ſalibus digeſtiuis debent coniungi.

10. In *iunioribus*, ſupra puerilem ætatem, quia icterus facile cedit, vix opus eſt multis medicamentis, ſed ſufficiunt leniter diſcutientia & ad ſuperficiem expellentia; vbi eſſent. alexipharm. bis vel ter per diem exhibita, & verſus noctem puluis ſalinus abſorbens cum antimon. diaphoret. gr. VI-VIII. ſub initium ſatis faciunt.

11. Denique, quia icterus facile *reuertitur*, præoccupando inſeruiunt lenes euacuationes cum epicraſi, aliquoties per annum repetendæ, e. g. fiat vinum medicatum ex herb. rad. reſoluentibus, rhabarb. polypod. ſenn. & ſingulis anni quadrantibus per aliquot dies exhibeatur.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Icterus non tolerat fortiores commotiones ſed omnium excretionum lenem expoſcit promotionem.

2. Exſulent itaque *vomitoria*: licet enim per eadem ſincera tandem bilis eliciatur, folliculus tamen fellis ſub hiſce commotionibus fortius comprimitur, &, quia obſtructio quædam a mucoſo & tenaci coagulo, aut ſtrictura inteſtini duodeni verſus ductum cyſticum, præſto eſt, maiores effuſiones & diffuſiones bilis per maſſam ſanguineam contingunt, vnde non ſolum inſigniores anguſtiæ & cardialgiæ, ſed febres plane acutæ, aut lentæ hecticæ inducuntur.

3. Eodem etiam loco collocanda ſunt *purgantia* fortiora; immo ipſa *laxantia*, paullulum efficacia, non conducunt, exceptis illis, quæ ſub methodo commendata ſunt, quibus iure adhuc adnumeramus ſal Anglicanum, ob virtutem, quam præſtat. leniter reſoluentem & euacuantem.

4. Sic etiam coactæ *ſudationes*, per calida diaphoretica & regimina productæ, vniuerſum malum exacerbant.

5. *Martialia* legitime vſurpata, nempe aperientibus & reſolventibus ſubiuncta, vti egregie ſe gerunt, ita notabiliter malum exaſperant, quando præmature adhibentur.

6. In eligendis medicamentis aperientibus & reſoluentibus, temperamenti rationem habere conuenit: nam in cholericis ſalia digeſtiua, item ſuccus cichorii, taraxaci, & mitiora antiſcorbutica magis conueniunt, præcipue vbi febris complicatur; in aliis autem fortiora reſoluentia, e.g. gentian. rubr. centaur. min. locum habent.

7. *Sapo purus* tuto interne ſumitur, & in reſoluendo ac abſtergendo muco non eſt contemnendus. Doſ. drach. ſemis ad drach. I. impurus autem catharſes, & in primis nauſeam, producit. *Conf. method. tab. de hydrope vniverſali.*

8. *Conchæ vſtæ* in ictero aliquando exhibuerunt effectum, a gran. XXX. ad XL. propinatæ.

9. *Balnea*, ad calorem flauum abluendum, præſcribere, labor eſt ſuperuacaneus.

10. Ab anicularum friuolis, nauſeabundis experimentis, paſſim celebratis, e.g. ſtercore gallinaceo, & aliis abſurdis, cauendum eſt.

11. *Lumbrici* terreſtres non plane fruſtra, ad propellendum icterum, a quibusdam ſpecifice laudantur: vbi inſuper vſtulati, non autem ambuſti ad nigricantem colorem, conducere perhibent. Poſſunt vel per ſe, & quidem ſine omni periculo, vel cum momento nitri, propinari; quod tanto commodius eſt, quia liquamen eorum, nitro imbutum, diutius conſeruatur.

12. Laudant de reſiquo Practici remedia acriuſcula, & præcipue illa, quæ flauo ſimul colore prædita ſunt, e.g. rad. chelidon. maior. curcum. croc.

13. *Paracelſus* præcipue *radicem curcumæ*, quæ penetrantis eſt acrimoniæ, tamquam ſpecificum commendat: neque etiam contemnenda eſt, licet adeo inſignis efficacia ei non adſcribenda ſit.

14. Radix *chelidonii maioris* pro ſpecifico quidem venditari non poteſt, præmiſſis tamen abſtergentibus, & leniter expedita aluo, quod in omnibus ſpecificis obſeruandum locum habet.

15. *Sympathetica* experimenta in ictero rarius effectu reſpondent; interdum enim nihil, interdum vero contrarium agunt, e.g. ouum in vrina ægri coctum, & aceruo formicarum, ad conſumtionem, impoſitum. Non temere talia exhibenda ſunt, præcipue in ſenſibilioribus, qui grauia ſubinde pericula per illorum vſum incurrunt, maxime ſi apoſpaſmata a corpore humano putrefactioni aut vſtioni exponantur.

16. *Criſis icterica*, quæ in febribus bilioſis interdum adparet, non adeo magnam inuoluit conſiderationem, mature enim plerumque iterum cedit. *Conf. prognoſis num. 3.*

17. Quæ ſubiecta *flauedine* faciei, & præcipue oculorum, facile ſuffunduntur, hepatis debilitate laborant: hinc ad viſceris huius vitium ſemper reſpiciendum eſt, quoties aliis morbis corripiuntur.

18. Maxime ſi ſordes bilioſæ ad renes deuoluantur, & ſabulum ibi generent, vel coagula lymphalia ſcabioſa producant, tum ſane cautius eccriſes tales tractandæ ſunt, ne regurgitatio verſus hepar, iam labefactatum, incitetur.

19. Icte-

19. Icterus, a *ſuppreſſis febribus*, hæmorrhagiis, & doloribus podagricis repulſis exortus, vti ſemper periculoſior eſt, quam qui a diætæ vitio originem duxit, ita etiam longe cautius & moderatius eſt tractandus.

20. *Diæta* craſſa viſcida fugiatur, eligendo aromatica illa hortenſia,leni diuretica virtute prædita, e.g. petroſelin. aſparag. cichor. intyb. naſturt. beccabung. quibus reliqui cibi quaſi condiantur. Vinum rubellum,ſub adſtringentis efficaciæ, vbi intemeratum haberi poteſt, etiam conducit.

21. *Aluus* minime obſtructa ſit,numquam autem notabili ſtimulo ſoluatur.

22. *Motus* corporis, quantum pro rerum circumſtantiis obtineri poteſt, iniungatur.

## TABVLA XCI.
### DE
# SCABIE.

I. **D***EFINITIO.*

Scabies eſt morbus cutaneus, e ſtaſi & corruptione materiæ ſeroſo-lymphaticæ originem ducens: modo leníoribus, modo grauioribus corruptelarum effectibus, pro diuerſa maſſæ ſanguineæ conſtitutione, ſtipatus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Scabies eſt vel *benigna* vel *maligna.*
2. *Benigna*, quæ etiam *ſimplex* dici poteſt, eſt
   1) Vel *humida*, vel *ſicca.*
   2) Item vel *chronica,* per multos annos durans, vel *periodica*, modo euaneſcens, modo recurrens.
   3) Porro: vel *ſuperficiaria*, a contagio communicata, vel *profunda*, per totam humorum maſſam intimius diffuſa.

3. *Ma-*

3. *Maligna* varias complectitur ſpecies, e.g. ſcabiem *ferinam* ſeu *ſcorbuticam*, *veneream*, *lepram*.

4. Scabies maligna *complicata* dici meretur, v.g. ſcabies luis venereæ complicata eſt cum aliis malis effectibus, ſymptoma quoddam, ſeu ſchema latioris illorum efficaciæ ſiſtit, ſic etiam lepra & impetigo, vbi totius cutis textura vna peruertitur. *Conf. cautela.*

III. *SIGNA.*

1. *Generalia.*

1) Puſtulæ euidentes, quæ per vniuerſum corporis ambitum, excepto fere capite, oriuntur, & in corruptelam vlceroſo-ſanioſam tranſeunt.

2) In artubus, qui aëris acceſſui præ aliis patent, puſtulæ tales primo proueniunt, & deinde magis magisque ad reliquas corporis partes transferuntur.

3) Superficies corporis ſolito turgidior eſt, in primis in illis locis, vbi *copioſius* puſtulæ effloreſcunt.

4) Puſtulæ hæ pruritum aut ſalino-roſiuum ardorem inferunt, maxime per noctem, ita quidem, vt & quietem turbent.

5) Intra paucos dies ruptæ, vel ſcalpendo concerptæ, formant vlcuſculum, quod tamen plus vel minus facile deſiccatur, & iterum coaleſcit, citra omnem cicatricem relictam.

6) Occupat enim ſcabies, in primis *benigna*, ſummam tantum cutis ſuperficiem, ita vt materia inter cutem & cuticulam reſideat: vnde cutis, non altius corroſa, tanto citius cuticulæ conſolidationi locum præbet.

2. *Specialia.*

1) *Benigna.*

a) *Humida.*

α) Puſtulæ multo humore turgidæ, &, ruptæ tandem, copioſam ſaniem effundentes.

β) In ambitu harum puſtularum rubedo inflammatoria conſpicitur, & quo magis adparet, eo maior ſuppuratio contingit.

γ) Dolorem magis & ardorem, quam pruritum, inferunt, profundiores quoque vlcerationes moliuntur.

b) *Siccæ.*

α) Puſtulæ exiguæ molis, pauco mucido, & fere lucido ſero refertæ.

β) Pruritum magis quam ardorem inducentes.

γ) Non adeo profunde exulceraſcentes.

2) *Malignæ.*

a) *Ferinæ*, ſeu *ſcorbuticæ.*

α) Hæc ſicca, ſquamoſa eſt, & ſub hiſce ſquamulis ſtigmata cruenta exhibet.

β) Cutis circumiacens modo liuido, modo roſeo colore, ob ſanguinem altius, quam decet, ipſi ſeſe inſinuantem, eſt conſpicua.

γ) Grauior hic præſto eſt pruritus, qui, quoties refrigeratio vel calor ſolito maior accedit, intolerabilis fere obſeruatur.

δ) Vbi autem eſchara, & ipſa cuticula, quod facile contingit, ſcalptione abraditur, cutis ſubcruenta quidem adparet, vix autem quidquam cruoris, ſed lympha tantum ſeroſa, ſubflaua emanat, quæ vero facile in eamdem ſquamoſam eſcharam coaleſcit.

b) *Venereæ.*

α) Hæc etiam ordinarie magis ſicca, quam humida eſt, & ſegnius ſerpit.

β) Occupat vel vniuerſum corpus, vel particularia ſolum loca, e.g. femora, ſcrotum, faciem.

γ) Sub initium ſui prouentus noduli plerumque diu ſeſe manifeſtant.

δ) Deinde autem cruſta ſuccedit, quæ per multos ſæpe dies pertinaciter adhæret, & non facile abſcedit.

ε) Dolor eſt rodens, maxime ſi ſcalptione irritetur.

ζ) In reliquis partibus etiam dolores profundi, & quaſi infixi ſentiuntur, qui nocturno tempore magis exacerbantur.

η) Concurrunt ſæpe fluor albus, in feminis, gonorrhœa, in viris, tumores bubonodei, & in infantibus excoriationes, immo excreſcentiæ circa anum verrucoſæ, criſtatæ.

c) *Lepra.*

α) Hic caput præcipue adfligitur, dolores ſunt acutisſimi, & capilli cum cute decidunt.

β) Sanies alba prorumpit.

γ) Vniuerſa cutis textura eſt immutata, tenuibus ſquamis cuticula obſeſſa, &, elephantorum inſtar, aſpera, vnde etiam *elephantiaſis* vocatur,

δ) Præter ea ſenſus fere expers eſt.

ε) Facies eſt inflata.

ζ) Dentes nigricant.

η) Anhelitus eſt graueolens, immo fœtidus.

θ) Tumores bubonodei hinc inde per corpus proueniunt, qui in vlcera fœtida maligna tranſeunt.

ι) Tandem fruſta de facie cadunt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Scabiei *benignæ.*

1) *Humidæ*, ſunt homines temperamenti ſanguinei, habitus corporis ſpongioſi, item phlegmatico-ſanguinei, quibus facilius non ſolum euenit, ſed etiam pertinacius adhæret.

2) *Siccæ* ſunt homines temperamenti melancholici, cholerici, vel melancholico-cholerici, habitus corporis ſiccioris.

3) Præter ea ſcabiem facile incurrunt, qui diæta craſſa, aqua limoſa, ſalſa, potu auſtero, præcipue vino acido copioſo vtuntur.

4) Item qui inter aërem humido-frigidum & nebuloſum diu verſantur.

5) Porro qui vitio hepatis laborant, vel febre quartana

diu occupati ſunt. *Confer. prognoſis tabulæ de febre quartana.*

6) Quibus ſerum ſalſum per ordinarias vias non excernitur, e.g. in receſſione & ſuppreſſione vrinæ.

7) Huc etiam pertinet fonticulorum, & vlcerum manantium repentina ſuppreſſio.

8) Scabiem etiam experiuntur, qui ſcarificationes adſuetas neglexerunt.

9) Denique otioſi, & vitæ ſedentariæ addicti.

2. *Maligna:* ſcorbutici, venerei &c.

V. *CAVSSAE.*

1) Scabiei *ſimplicis & benignæ.*

1) Cauſſa *proxima* eſt ſtaſis humorum lymphatico-ſeroſorum, in corruptionem abeuntium.

2) Cauſſæ *procatarcticæ* & *occaſionales* partim ex illis, quæ in deſcriptione *ſubiectorum* diximus, partim ex ſequentibus colligendæ ſunt:

a) Aëris ambientis inuſitata temperies, in primis frigido-humida, liberam exhalationem impediens, & humoribus in ſuperficie collectis, ad corruptionem anſam præbens.

b) Ciborum atque potuum mutatio per hebdomades & menſes.

c) Sed plethoricis hic euentus ſæpius contingit.

d) Facillime & frequentiſſime a contagio initia ſui ſumit, per mantilia, veſtimenta, lectos, cochlearia, pocula, vel alia, quæ ſcabioſis vſui fuerunt.

e) Criſis morborum nonnullorum, e.g. quartanæ intermittentis.

f) Vſus largior ſalſorum exaſperat quidem ſcabiem, ad excitandam autem illam exiguum momentum adfert, defectus potius ſalis in cibis oleraceis ad ſcabiei generationem multum contribuit.

2. Scabiei *maligna* ſeu *complicata.*

1) *Ferina* cauſſa eſt ſcorbutus;

2) *Ve-*

2) *Venerea* autem a ſpeciali lymphæ corruptione, in malo gallico præſente, originem ducit.

VI. *PROGNOSIS.*

1, Scabies benigna *humida*, omnium eſt mitiſſima, &, legitima methodo tractata, facile adhuc profligatur; quoniam autem ad inſignes vlcerationes tanto pronior eſt, quo magis humida exſiſtit, non raro talis vlceroſa conſtitutio retardat medicationem.

2. Benigna *ſicca* maiorem quidem moleſtiam faceſſit, quam humida, conuenienter tamen tractata haud ita longius curationem moratur.

3. Scabies, præcipue humida, ſanioſa, ſuppuraſcens, quando per remedia inepta externa, e.g. vnguenta ſulphurata, mercurialia, cingula mercurialia, adſtringentia, refrigerantia, repellitur, quod hodie vſitatiſſimum eſt, infauſta ſymptomata inducuntur, nempe anguſtiæ præcordiorum, cardialgiæ, aſthmata, catarrhi ſuffocatiui, febres intermittentes, immo acutæ inflammatoriæ, vtrinque typi ordinarie anomali, cachexia, œdemata, anaſarca, deliria, conuulſiones, &c.

4. Scabies *ſuperficialis*, recenter per contagium communicata, melioris eſt curationis, quam *profunda*; quæ, vtpote per vniuerſam humorum maſſam diſſipata, maiorem expoſcit circumſpectionem.

5. Sic etiam ſcabies *chronica* difficilius curationem recipit quam *periodica*.

6. Vbi viſceris alicuius vitium concurrit, ibi triſtior eſt prognoſis.

7. Scabies *maligna*, vi ipſius vocis, maiorem inuoluit difficultatem; quod ſane experientia confirmatur, & ratione; indolis enim eſt fermentalis, & ita radices ſuas ægrius exſtirpari patitur.

8. Præcipue valde rebellis eſt ſcabies *ferina* ſeu ſcorbutica; vbi tamen notandum, quod vitæ genus & conditio maiorem difficultatem, quam ipſius morbi indoles, adferat: pauperes enim, qui legitima tractatione carent, a ſcabie mali moris plurimum infeſtantur.

9. *Venerea* omni quidem iure ad ſcabiem malignam refertur, prognoſis autem illius multo benignior eſt: iuſta enim methodo tractata certius & citius, quam quæcumque fere alia ſcabies percuratur, & quando etiam recedit, minoris tamen eſt periculi.

10. Vbi autem intimior vlceratio iam inducta eſt, ibi maiores occurrunt difficultates.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis.*

1. *Corruptio* humorum pro differentia ſpecierum eſt corrigenda.

1) In ſcabie *benigna* corruptionem ſeroſo - lymphalem corrigunt:

a) Alexipharmaco-diuretica, e. g. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, pimpinell. alb. fumar. enulæ.

b) Succinata, v. g. eſſent. ſuccini.

c) Tinct. alcalin. e. g. antimon. tartari.

d) Decocta lignorum, eſſent. lign. ſaſſafras.

e) Abſorbentia ſalina, nempe ocul. cancr. conch. præparat. cum acido citri vel tartari ſaturat.

f) *Acrimoniam* ſcabioſam ſpecifice inuertunt: ſulphur cum nitro, & arcan. duplicat. balſam. ſulph. cum oleo amygdalar. dulc. tinctur. ſulphur. antimon. crud. gr. V. VI.

g) *Externe* abſtergunt & ſpecifice corrigunt:

α) Vnguenta *mercurialia*, e. g.
Recip. mercur. viu. vnc. ſemis.
ſaturni drach. II. fiat amalgana, terr. tripoli drach. I. l. a. cum vnguent. roſar. ſubigantur.

β) Lixiuia ſulphurata.

γ) In *ſicca* ſcabie magis loc[illegible] habent balnea abſtergentia ex rad. bardan. oxylaphath. fontibus mineralibus:
Item ex lixiu. ſulphuris cum calce viua parata.

2) In ſcabie *maligna*, & quidem

a) *Ferina.*

α) *In-*

α) *Interne* conducunt ſucci recentes antiſcorbuticorum, quorum vſus per aliquod tempus continuandus eſt; item eſſent. ſcord. fumar. cum ſpiritu cochlear. parat.

β) *Externe* mercurialia & balnea abſtergentia pariter locum habent. Præter ea mundificandi ſcopo commendatur ſuccus vel decoctum tabaci, ad conſolidationem autem oleum ouorum, myrrhæ per deliquium, hyperic. *Ardorem* vero mitigat camphora, emplaſtr. de ſpermate ranarum.

b) *Venerea.*

α) *Interne* conueniunt antiuenerea illa remedia, quæ tabula de lue venerea commendata ſunt, coniuncto regimine diapnoico continuato.

β) *Externe* vnguentum mercuriale, modo deſcriptum.

γ) In malo profundiore *ſaliuatio.*

2. Humores correcti ſunt *euacuandi;* id quod obtinetur

1) Per laxantia phlegmagoga, & præcipue mercurium dulcem.

2) Per blanda diaphoretica & diuretica.

B. *Methodus ſpecialis.*

1. In ſcabie *benigna.*

1) Sub *initium* propinetur purgans aliquod mediocris efficaciæ, ad ſordes craſſiores, præcipue primarum viarum, eliminandas, e. g.

Recip. extract. panchymag. *Crollii.*
mercur. dulc, ana gr. VIII.
reſin. ialapp. gr. IV.
ol. aniſ. gutt. I. M. f. pilul. pro vna doſi adultis exhibendæ.

2) *Sequentibus* diebus ad correctionem humorum exhibeantur:

a) Mane, verſus prandium & cœnam mixtura quædam, ſanguinem mundificans, e. g.

Recip. eſſent. pimpinell. alb.
ſuccin.
ſcord. ana doſ. pro adult. gutt. 30 40.

b) Ver-

b) Verſus ſomnum puluis quidam ſalino - abſorbens, cum antimoniato fixo coniunctus; cui etiam ſenſim aliquid florum ſulphuris addatur.

3) Hæc quando per ſex circiter dies continuata ſunt, ſuperius purgans repetatur, & deinde corrigentia per aliquot dies de nouo propinentur &c.

4) Hac medicatione, per quatuordecim circiter dies patienter continuata, citra externorum remediorum vſum, ſcabies ſæpe profligatur.

5) Quando autem ſola *interna* non ſufficiunt, tum vnguentum aliquod mercuriale, vel alia remedia *externa*, ſuperius deſcripta, locum habent, e.g. veſperi ad piſi vel fabæ magnitudinem iuncturis, præcipue carpi, tarſi, tale vnguentum tepide illinatur, per 10-12. dies continuetur, & mane ſemper per ſaponem abluatur, ſeruato vbique regimine temperato; vitando frigus, cibos ſalſos, & ſcalptionem, vtpote maiorem adfluxum & ardorem concitantem.

6) Sub vſu huius vnguenti laxatio per mercurium dulcem aliquoties iteretur.

7) De reliquo eſſentia alexipharmaca, ſiue ſola, ſiue cum aliis conuenientibus remixta, ſemel; vel, ſi inſignia circa pectus aut abdomen incommoda ſentiantur, bis de die propinetur, coniunctis abſorbentibus fixis, etiam aliquoties per diem exhibendis, vitando ſulphurea & alia calidiora.

8. In *infantibus* autem, quibus vnguenta mercurialia, ob illorum incontinentiam, tuto adplicari non poſſunt, remedia interna tanto diutius propinanda ſunt: nempe bis per diem eſſent. alexipharmaca, ſubiuncto abſorbente aliquo fixo, & interdum laxante conueniente.

9) Ad pruritum mitigandum ſetarum modeſtus vſus conceditur.

10) In *receſſione* ſcabiei conueniunt:

a) Mercurius dulcis ad gr. IV-VIII. pro adulto, nempe non laxatiuo, ſed alterante ſcopo exhibendus.

b) Vel

b) Vel ſi non ad manus ſit, flores ſulphuris 4-6. gran. pro doſi, ad 8-10. dies continuando, ſatis faciunt. *Conſ. cautel.*

c) Eſſentia alexipharmaca, coniuncto puluere ex arcano duplicato, antimon. diaphoret. conchis præparatis.

d) Vbi calor febrilis ægrum iam occupauit, ibi loco ſulphuris nitrum adiiciatur.

2. In ſcabie *maligna*, & quidem

1) *Ferina:* hic remedia interna, ſub methodo generali commendata, exhibeantur, & per aliquod tempus illorum vſus continuetur; deinde etiam externa, ibidem laudata, in ſubſidium trahantur; cauendo, ne *ſolis* externis remediis malum repellatur. In ſtatu autem inueterato, vbi capilli iam excidunt, inſanabilis plurimum eſt morbus.

2) *Venerea:*

a) Interne mundificantia lignoſa præmittantur.

b) Externe tandem mercurialia ſubiungantur.

3) *Leproſa*, furfuracea: hæc ſimilis indolis eſt in fundamento generali cauſſarum & tractationis.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Scabies, quo magis ab *externa* contagii cauſſa originem duxit, eo citius & tutius ſpecifica mercurialia & ſulphurata poſſunt adplicari.

2. Quando autem *cacochymia* in cauſſis eſt, tum prius catharſi & mundificationi inſiſtendum.

3. Viſceris alicuius, e.g. hepatis, labes *obſtructoria*, quando in ſubiecto quodam, præcipue adultiore, concurrit, tum medicatio blande & lento gradu inſtituenda eſt. Conueniunt in tali caſu rad. cichorii, tarax. herb. hed. terreſtr. bellid. min. agrimon. pilul. *Beccheri.*

4. Methodo ſuperius præſcriptæ ſcabies ſimplex ordinarie intra duas, tres, aut ad ſummum, quatuor hebdomades cedit; illa autem methodus, quæ in *ſulphuris* interno vſu conſiſtit, ad 5-6. hebdomades extenditur.

5. Scabies per ſulphuris vſum *externum*, vel alia adſtringentia repellentia, v.g. aquam exſtinctionis fabrorum, præſentiſſime quidem repelli, ſed non eadem velocitate iterum expelli poteſt. Quæ damna vero ex hac repulſione fluant, ſub *prognoſi* indicauimus; inprimis ſulphurea in ſcabie venerea peſſima ſymptomata inducunt.

6. Quando autem expulſio illa per medicamina impetum facientia, & regimina ſudorifera, tentatur, tum exagitatio humorum inducitur, & grauia facile pericula ſuccedunt: hinc ſulphuris vſus internus, etſi maxime etiam huic expulſioni inſeruire videatur, ad modum tamen modeſte adhibendus & cum puluere abſorbente coniungendus eſt.

7. Scabiei repulſio non facile timenda eſt ab aqua exſtinctionis calcis viuæ, niſi valde frigida corpori calenti adhibeatur. *Conf. diſſertat. D. D. Stahlii de adſtringentium cauto vſu.*

8. Scabies *ſegnius* repulſa tumores œdematodes, immo, in ſeniore præſertim ætate, vniuerſales gignit, & quidem ſine omni veſtigio acrimoniæ ſalſo-rodentis; in quibus tumoribus ſulphur cum puluere abſorbente ter per diem exhibitum, bonum effectum præſtat. Mirabilis ſane eſt effectus, quem ſulphur exſerit: *externe* enim adhibitum ſcabiem & alia vlceroſa inquinamenta præſentiſſime repellit, licet in aliis malis tam euidentem adſtringendi efficaciam non monſtret; immo ſi per vnctionem in exiguo tantum loco ſignum veluti datur, per totum habitum corporis effectus ſe diffundit; *interne*, quando adhibetur, contrarium quidem præſtat, expellendo nempe ad ſuperficiem, proportionem autem non ſeruat, expoſcit enim vſum continuum, notabilem inſuper quantitatem, non vbique tutam & probatam.

9. *Sudationes* in ſcabie minus conueniunt, niſi ad modum modeſte inſtituantur, tranſpiratio tamen ſemper libera conſeruetur, præſertim ſub vſu vnguentorum mercurialium, alias nodi ſub brachiis facile proueniunt.

10. O-

10. Omnia itaque calida, ſudorem fortius concitantia, improbantur: vnde etiam *lignoſa antiuenerea* nihil eximii præſtant, quibus potius præferuntur temperata alexipharmaco-diuretica, præcipue rad. pimpinellæ albæ.

11. Maxime omnium ſcabies in *ſenioribus* cautiſſime tractanda eſt, quia facile febres inflammatoriæ, vel tertianæ nothæ ſuccedunt; id quod etiam in pueris aut infantibus, febre tertiana notha infectis, quam non raro achores aut ſcabies præceſſerunt, attendendum eſt.

12. Longa autem euacuatio, præparatio & purificatio humorum, a veteribus commendata, non neceſſaria ſunt, quamquam ad diapnoën conſeruandam inſeruiant.

13. *Eſſentia myrrhæ* licet, præmiſſa diaphoreſi leniore, infantibus conueniat, feminis tamen inſignes ſanguinis turgefactiones facile concitare ſolet.

14. Acrimonia in vlcuſculis ſcabioſis quidem conceditur, falſum autem eſt, quod ab illa pruriginoſus ille ſenſus & ardor, vnice & abſolute dependeat, alias hæc incommoda ſemper deberent adeſſe, quæ tamen eo tantum tempore ſentiuntur, quo corpus vel a calefactione & expanſione humorum turgeſcit, vel aura frigida cito illi admittitur.

15. Hæ circumſtantiæ ſatis demonſtrant, ſenſum hunc, re vera fremebundum & ſubtiliſſime tremulum, a tonico ſpaſtica ſubtili criſpatura, & vibratili motitatione tenerrimarum fibrarum dependere, & acrimoniam eſſe potius effectum illius cauſſæ antecedentis.

16. Quæ obſeruatio hunc vſum exhibet, ne efficaciæ *abſorbentium* nimium tribuamus: horum enim vſu nulla ſcabiei medela abſoluitur, abuſu autem primæ viæ onerantur, mucus incraſſatur, & òbſtructiones augentur.

17. In ſcabie *ſicca* loco eſſentiarum in cholericis commendantur ſucci vel decocta herbarum, cum decocto hordei, vel alia humectantia, gelatinoſa, qua ratione debilitati ſimul occurritur.

18. Succulenti, ſcarificationibus adſueti, aut eryſipelaceis commotionibus vexati, ſi in ſcabioſas impuritates incidant, ſubleuantur ſæpe ſcarificatione.

19. Materiæ ad modum ſalinæ & fermenteſcentes ſcabiem corpori conciliare deprehenduntur, e.g. ſuccus betulæ, maiore quantitate hauſtus, quam commode iterum poteſt euacuari; item thermæ *Wolkenſteinenſes*, das Wieſen-Baad, corporibus, in primis floridis, ſcabiem inducere ſolent: vnde fermentalis ſcabiei indoles & contagii facilitas concluditur.

20. Scabies in *lue venerea* & *ſcorbuto* eſt tantum ſymptoma quoddam, accidentaliter concitatum: nam mille ſcorbutici, vel lue gallica correpti, occurrunt, vbi nullus ſcabiem vniuerſalem experitur, bene vero, ſi materia illa ad ſuperficiem quidem propulſa, ſed non expulſa ſit, vnde ibi demum vlceroſam talem ſubit corruptelam.

21. Immo ipſa *lepra* non eſt ipſe morbus, ſed effectus vlterior morbi cuiusdam; quod monſtrat dyſcraſia ſanguinis leproſorum.

22. Vera *mercurii* indoles parum perſpecta eſt, vnde etiam ab eius efficacia, quam in ſcabie exſerit, nullus aditus patet, ad definiendam materialem craſin ſcabioſæ corruptelæ.

23. Paucis: Scabies *ſimplex* conſtanter tollitur
   1) tranſpiratione moderata.
   2) Mercurio moderate & minore doſi interne & externe adhibito.
   3) Sulphuris vſu interno, vix vnquam externo.

24. In ſcabie autem magis *refractaria* mercurii dulcis duo grana cum puluere abſorbente exhibeantur, & per quatuordecim dies continuentur, & quidem cum hac diſcretione, vt iis, qui domi ſe continere poſſunt, mane, aliis autem verſus ſomnum, illa doſis propinetur. Sic ſenſim euaneſcit ſcabies, & hæc methodus etiam in *venerea* locum habet.

TAB.

# TABVLA XCII.
## DE
# SCORBVTO.

I. DEFINITIO.

1. Scorbutus eſt corruptio lymphatico ſanguinea, ſemiputrida, a peculiari humorum dyſcraſia, ſiue vniuerſali, ſive magis particulari, originem ducens; ad quam corrigendam, & impeditum ſanguinis curſum promouendum varii motus diſcuſſorii preſſorii, ſpaſtici a natura inſtituuntur. Deriuatur a *Vandalorum ſcoorboyck*, morbum abdominis ſignificans; qua adplicatione, infra dicetur.

II. *DIFFERENTIA.*

Scorbutus differt

1. a *malo hypochondriaco* & *melancholico*; ad quam confuſionem euitandam ſequentia notentur:

1) Dolores *ſpaſtici* vtrique quidem malo communes ſunt, ſed in *ſcorbuto* ſpaſmi aliquo modo phyſicam etiam habent rationem, nempe acriores humores; in malo autem *hypochondriaco* oriuntur illi prorſus a morali intentione, expellendi, propellendi, diſcutiendi, humores.

2. In *ſcorbuto* ſanguis, ſtricte dictus, eſt grumoſus, & cum parte ſeroſo-lymphatica non ſatis ſubactus: in *hypochondriaco* autem malo humores ſimplici magis ſpiſſitudine peccant, & gelatinoſam facile ſubſiſtentiam ſubeunt.

3) *Corruptiones* ex ſtaſi hypochondriaca magis ſimplices ſunt, in ſcorbutica autem corruptione vlcera maligna & fœtida proueniunt.

4) Ob hanc ſemiputridam corruptionem ſcorbutici defectiones virium, horrores, trepidationes naturæ, ad lipothymiam vſque, experiuntur, quæ omnia in ſtatu

hypochondriaco non æque occurrunt, ſi hyſtericas ſuffocationes excipiamus.

5) Quando ſcorbutus cum malo hypochondriaco omnino conſpirat, tum indolem ſuam contagioſam non exſerit, vt facit ſibi ſoli relictus.

2. A *lue venerea;* quæ differentia, quando non obſeruatur, incredibile damnum parit, vti ſub *cautelis* audiemus. Hinc ſigna ſcorbuti cum ſignis luis venereæ omni attentione ſunt conferenda; quorum euidentiſſima, quæ pro cynoſura eſſe poſſunt, explicabimus:

1) *Scorbutus* ſpontaneo prouentu ſæpius generatur, non tam inſigniter contagioſus eſt, & contagium ipſius fere per os, numquam autem per genitalia, propagatur; *lues* autem *venerea* non niſi contagio exoritur, quod contagium ſcorbutico longe ferocius eſt & genitalibus potiſſimum in alia ſubiecta transfertur.

2) *Scorbutus* gingiuas magis occupat, & dentes reddit carioſos; *lues* autem *venerea* tonſillas potius, vuulam, infundibulum, nares, oſſa palati, vlceroſo ardore, adroſione, eroſione, promte & potenter corripit.

3) *Scorbutus* vlcera ſanguinolenta, ichoroſa, leniter manantia, *lues* autem *venerea* cruſtoſa, glutinoſa, ſiccam eſcharam formantia, gignit; *illa* quidem fœtida, *hæc* vero nauſeoſa, & ſitulentum nidorem ſpirantia.

4) *Scorbutus* maculas, *lues venerea* collectiones nodoſas producit.

5) *Scorbutus* dolores habet acutiores, æſtuoſos, tranſitorios & remittentes, *lues* autem *venerea* rodentes, morſicantes, terebrantes, ſtatarios, & licet per diem miteſcant, noctu tanto magis exacerbantur.

6) *Scorbutici*, in lecto decumbentes, ſat bene ſe habent, *lue* autem *venerea* correpti incrementum dolorum inde perſentiſcunt.

7) *Scorbutus* conſpirat plurimum cum pathematibus viſcerum, præcipue abdominalium, *lues* autem *venerea* exteriores corporis partes magis infeſtat, circa interiores autem vix effatu dignas moleſtias producit.

8) *Scor-*

8) *Scorbutici*, in ſtatu mediocri adhuc conſtituti, motum corporis poſſunt perferre, *lue venerea* correpti, incommoda inde ſentiunt.

9) Vrina *ſcorbuticorum*, ſiue tenuis, ſiue craſſa exſiſtat, eſt colorata, in *lue* autem *venerea* minus colorata, ſubturbida, ſedimento tenace, mucido & grandinoſo quaſi, conſpicua.

3. *Maculæ* ſcorbuticæ differunt a maculis illis latis & diffuſis flauo-fuſcis, quas vulgo Leber-Flecken adpellant: hæ enim in partibus magis ſolidis hærent, & per fluidas non oberrant, & licet propenſionem ad ſcorbutum deſignare videantur, verus tamen ſcorbutus haſce maculas non exhibet.

4. Sic & ſcorbuticæ maculæ a *lentiginibus*, Sommer-Flecken facile diſcerni poſſunt.

5. Ad differentiam etiam referri poteſt *ſcelotyrbe*, tamquam ſpecies ſcorbuti, vbi ægri de dolore medullæ oſſium conqueruntur, & ſenſim conſumuntur.

III. *SIGNA.*

1. Cum aliis morbis *communia*:

1) Inſolita, inſignis plane *laſſitudo*, & virium defectio.

2) *Dolores* modo grauatiui & obtuſi, modo acutiores, ſubtiles, æſtuoſi, tranſitorii tamen, vagi, volatici, per paroxyſmos quaſi recurrentes, & in artubus præcipue ſeſe exſerentes.

3) Nonnumquam plane arthriticæ indolis hi dolores reperiuntur, & frictioni per excutiam ad tempus cedunt.

2. *Specialia* & magis *propria*:

1) Magna propenſio ad vertigines ſyncopticas, atque ipſas lipothymias, & hoc quidem, quando erigere ſeſe in lecto, aut locum mutare volunt, parum autem ſentientes, ſi decubitum tranquillum ſeruent.

2) Proximum pathema, & eſſentiale quaſi, conſtituunt *maculæ*, quæ ingraueſcente morbo, in artubus præcipue, erumpunt: in cholericis roſei, in melancholicis autem liuido-fuſci coloris.

3) Hæ

3) Hæ maculæ in *tibiis* non ſolum maiores, verum etiam cum duris tumoribus, diu tamen ſine ſpontanea corruptione permanentibus, adparent.

4) Coniunctis ordinarie anxietatibus præcordiorum, flatulentia, adpetitus imminutione.

2. *Specialiſſima.*

1) *Stomacace*, ſeu gingiuarum eximia laxitas, promtiſſima illarum cruentatio, & lenta vlceroſo-ſanioſa colliquatio, quæ vicinas etiam, præcipue oris interni partes, tamquam proximas, tentat, ſed tantum anteriores; poſteriores autem, nempe fauces, tonſillæ, vuula, infundibulum in lue venerea, non autem in ſcorbuto infeſtantur.

2) *Stomacace* autem eſt partim *comitans* ſcorbuti ſymptoma, partim *antecedens*, & ſic diſpoſitio proxima ad eumdem.

3) Qui ſtomacace laborant, ieiuni ſputatores obſeruantur, & intus labiorum vlcuſcula ipſis erumpunt.

4) Dentes denudantur, liueſcunt, carioſi redduntur, cui ſtatui vacillatio & caſus dentium accedit; immo ipſa ſæpe maxilla carie infeſtatur.

5) *Lingua* & *fauces* anginode æſtu obſidentur.

6) Graueolet *anhelitus* & fœtet *ſaliua*.

7) *Vlcera* aliquando format ſcorbutus, præcipue circa os externum, fœtida, ſanguinolenta, ichoroſa, liueſcentia, nigricantia, tenuiter manantia.

8) *Vrina* eſt tenuis, ſimulque colorata, vel, ſi craſſa adpareat, fuſca magis nigricans, fortiorem odorem ſpirans.

9) *Excrementa alui* ſunt tenuia, tincta, nigricantia, fœtida, interdum autem aluus plane adſtricta eſt.

10) Quidquid interdum *euomunt*, ad modum tenax obſervatur.

11) Exſpuunt aliquando materiam, interueniente tuſſi, viſcoſam, nigricantem, ſubcruentam.

12) *Sanguis*, per venæ ſectionem emiſſus, de dyſcraſia humorum teſtatur: ſerum enim ſuperſtans, loturæ carnium

um ſimile eſt, & rubicunda portio in fundo coagulata ac viſcida adparet.

13) Concurrunt interdum hypochondriaca pathemata, qui ſtatus mixtus medicationem notabiliter reddit difficiliorem.

14) Ira & terrore facile ſcorbutici percelluntur, immo tam mirificas *animi* & *corporis* commotiones ſubinde incurrunt, vt faſcinationis ſuſpicio apud imperitos foveatur.

15) *Arthritici dolores*, quando concurrunt, ambulant per partem in partem.

16) *Motus febriles*, ſi accedant, nullum ſeruant typum.

17) *Paralyſes* etiam *particulares*, *ſpuriæ* contracturæ, ariduræ, tumores œdematoſi, hydropici, adfectibus ſcorbuticis nonnumquam ſe iungunt.

18) Aliquando narium *hæmorrhagias* experiuntur, quibus per adſtringentia ſedatis vehementes ſpaſtici dolores ſuccedunt.

## IV. *SVBIECTA.*

1. Scorbutus poſterioribus demum ſeculis ad nos peruenit, ab illo nempe tempore, quo aromata in Germaniam transportata, & abundantius vſurpata ſunt.
2. Occupat ſæpius ætatem *iuuenilem* & *ſenilem*, non æque iuniorem, niſi a cauſſis externis manifeſtis.
3. *Deſides*, torpidos, & vitæ ſedentariæ deditos.
4. Præcipue populos ſeptentrionales in *maritimis* locis, immo etiam meridionales iſtos, qui maribus, vel ipſi oceano vicini ſunt.
5. Aliquando etiam *hypochondriacos*, in primis quando ſudationibus intempeſtiuis tractantur, item *quartanarios*.

## V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa materialis *proxima* eſt grumoſa coagulatio ſanguinis ſtricte dicti, cum reliquis humoribus non decenter mixti & ſubagitati.
2. Vnde motus ſanguinis progreſſiuus per ſubtiles meatus impeditur; id quod anſam præbet ſtagnationibus, ſtaſibus, corruptionibus ſanguinearum grumoſarum particularum.

3. Cauſſa *efficiens* eſt conamen naturæ, per motus varios ſpaſticos, tenſorios, preſſorios, hanc corruptionem præoccupare: dolores enim illi, qui aliquo modo etiam phyſice ab acribus humoribus fouentur, tantæ conſiderationis non ſunt, vt hinc ad ætiologiam vulgarem, nempe acrimoniam ſalinam, ſcorbuticam, ſtimulantem, vellicantem, rodentem, vrentem, excurrere neceſſe habeamus; cum primis quia acrimonia & ſpiſſitudo humorum non æque in vno ſubiecto conueniunt: acria enim ſunt incidentia, & hinc ſcorbutici coaguli remedia obſeruantur.

4. Cauſſæ *occaſionales*, quæ humores ad hanc coagulationem & ſpiſſitudinem diſponunt, ſunt ſequentes:
   1) Aër frigido-humidus, rarius calido-humidus, & ſalſis inquinationibus refertus.
   2) Habitatio humido-frigida.
   3) Diæta craſſa, ſalſa, e. g. caſeus, piſces, caro fumo indurata; ſic etiam diæta acida, humoribus inſpiſſandis & coagulandis apta, præcipue quando accedit abuſus aromatum, & ſpirituoſorum, per quem nimia commotio in ſpiſſo tali ſanguine excitatur.
   4) Defectus motus voluntarii, & inde exſiſtens plethora, prima ſcorbuti fundamenta ponunt: vnde ipſi nautæ longe rarius a ſcorbuto infeſtantur, quam reliqui in nauibus otioſi.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Scorbutus, quo magis recens eſt, eo facilius tollitur; &, licet natura ſubinde ſatis trepidet, facile tamen iterum ſe colligit, præcipue ſi iuſta methodo incedatur.
2. Præualeſcens autem & inueteratus ſcorbutus, eſt malum ad modum contumax & diuturnum.
3. Scorbutus per contagium communicatus, ſi mature illi occurratur, facilius cedit, quam ſi ex corrupta ſanguinis maſſa pullulet.
4. Quo magis vitæ genus laborioſum eſt, eo felicius & citius hoc malum ſuperatur.

5. Vbi

5. Vbi viſcerum obſtipationes occurrunt, ibi reſtitutio in integrum non ita facile exſpectanda eſt.
6. Scorbutus, ſi cum malo hypochondriaco conſpirat, hoc ſublato, tollitur.
7. Quando malum ab aëre impuro, humido-frigido, exortum eſt & fouetur, tum non ita promte exſtirpatur: facile enim a fermentali quaſi inquinamento, quod in humoribus remanet, recrudeſcit. Hinc, niſi per longinquam therapiam correctoriam, & diætæ mutationem, tota ſanguinis maſſa in meliorem craſin redeat, malum difficulter eradicatur.
8. Symptomata tamen ita ſæpe tolerabilia ſunt, vt, excepta dentium & gingiuarum læſione, reliqua vitæ munia ſatis integra perſiſtant.
9. Scorbutici iuuenes, quibus maculæ rubenres paſſim in corpore erumpunt, pulmonum eroſionibus facile obnoxii obſeruantur, & ita vix vmquam ſenium attingunt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. In *diſpoſitione* tantum ſcorbutica, ſeu *incipiente* adhuc ſcorbuto.

1. *Reſolutio* ſanguinis per generaliora catarrhalia, quæ humores ſpiſſos & viſcidos incidunt, intendatur, ac illorum vſus per aliquod tempus continuetur. Talia ſunt: rad. pimpinell. alb. helen. ari, dictam. alb. valerian. vincetox. petaſitid. imperator. herb. abſinth. abrotan. centaur. min. fumar. in forma eſſentiæ, extracti, infuſi.
2. Coniungatur potus ſufficiens, & adſiduus corporis motus.
3. In caſu *mixto*, vel adhuc dubio, nempe in concurſu luis venereæ, tincturæ alcalinæ, item temperata illa radix ſarſaparillæ, eſſent. pimpinell. alb. ſuccini, in vſum trahantur, & omni cautela adfectus talis mixtus tractetur, abſtrahendo a fortioribus commotionibus & remediis vehementibus.

B. *In vero ſcorbuto.*

1. Hic præmittantur generaliora, modo commendata, & lenis tranſpiratio ſemper conſeruetur.
2. Deinde ſpecialia antiſcorbutica, quæ ſanguinem grumo-

ſum attenuant & corrigunt, adhibeantur; progrediendo a mitioribus ad acriora, niſi forſan neceſſitas cunctari interdicat, v. g.

1) In *ſanguineo-cholericis* temperatiora & acidula conducunt, nempe acetoſa, acetoſella, ſuccus citri, ribium, berberum, &c.

2) In *phlegmaticis* magis proſunt acriora & penetrantiora: cochlear. naſturtiorum genera, raphanacea, raphanus niger, hortenſis, armoracia, ſinapi, cepæ, allium, quod fortius eſt.

3) *Melaucholicis*, vt & phlegmaticis, conueniunt magis amara, ſcilicet beccabunga, fumaria, trifolium fibrinum, chelidon. min. flores acaciæ recentes, ſedum minus, rad. cichor. herb. chærefol.

4) Ex his omnibus ſuccus recens efficaciſſimus eſt, deinde infuſa cum recentibus herbis parata, & amara etiam in extractis.

3. Continuentur hæc remedia per aliquod tempus, immo ordinarium cibum ingrediantur, e. g. lactucarum, embammatum, ſuccorum, iuſculorum forma.

4. Aluus per *laxantium* leniorum interpoſitionem aperta ſeruetur. Hic conueniunt laxantia cum epicraſi, nempe cum antiſcorbuticis conuenienter maritata. *Paracelſus* commendat ſaniculam, pyrolam, centaurium minus. Magis autem vſum habent laxationes in ſcorbuto cum malo hypochondriaco complicato.

5. Lenia etiam *diuretica*, quæ humores corrigunt, & ſerum per vrinarias vias eliminant, antiſcorbuticis coniungantur; quo nomine laudantur ſalia media, tartar. vitriolat. arcan. duplicat. arcan. tartari, tartarus tartariſatus, qui ſimul aluum leniter abſtergit, nitrum antimoniatum, immo nitrum ipſum egregie conducit, inſpiſſando nempe ſerum ichoroſum, & euacuando illud per vrinam.

6. Vbi *æſtus* febriles concurrunt, ibi nitrum cum præcipitantibus marinis, ocul. cancr. conch. præparat. matr. perlar. exhibeatur.

7. In

7. In *ſtomacace* conducunt:

1) *Interne* ſupra dicta, præcipue ſucci recenter expreſſi, cochlear. cum beccabunga, vel naſturt. cum acetoſ. item lapathum paluſtre, quod pro veterum *herba Britannica* habetur, manſa, immo deglutita. De hac herba Britannica legi meretur curioſus *Muntingii* tractatus.

2) *Externe*: balſamica, mundificantia, ſubadſtringentia & tonica, eſſent. ſuccin. myrrh. item myrrha in ſubſtantia, ſang. dracon. cum tinct. gummi laccæ, ſpirit. ſalis dulcis, mel roſatum, rad. biſtort. tormentill. herb. auricul. muris, plantag. ceruicar. acidum citri; alumen vſtum & crudum cum gargariſmatibus, item aqua prunellæ, ſaluiæ, pyrolæ, e.g.

Recip. eſſent. myrrh. drach. III.
ſuccin. drach. II.
tinct. gummi laccæ.
ſang. dracon ana drach. I.
ſpirit. cochlear. vnc. ſemis M. pro collutione & abſterſione gingiuarum.

8. *Maculæ*, ſi præſto ſint, non reprimantur, ſed discutiantur:

1) *Interne* per lenem tranſpirationem, eſſent. alexipharm. catarrhalia lignoſa, maxime per eſſent. ligni ſaſſafras, item per nitroſa.

2) *Externe* per ſpiritum vini camphoratum, ſpiritum formicarum volatilem.

9. *Hæmorrhagiæ* narium, quando accidunt, moderantur

1) per temperantia, nitroſa, & lumbricantia ex decocto auenaceo cum nitro, item per emulſiua.

2) per tonica coralliata, gemmata, lenia anodyna, e.g. corall. præparat. ſpec. de hyacintho, M.P. de cynogloſ.

3) per externa reuellentia, nempe clyſteres, frictiones.

10. Tandem, correctione ſatis peracta, & conſumto maximo morbi impetu, tonus partium roboretur; in quem finem laudantur

1) *Martialia*: tinct. vitriol. martis *Ludouici*, tinct. martis cydoniata *Zwelferi* &c.

2) *Salia volatilia* cum alcalibus fixis coniuncta, e.g. mixtura tonico-neruina *Stahlii*, quæ ſimul reſolutorium ſpiſſorum humorum edit effectum, & etiam in aliis cacochymicis vlceroſis adfectibus vſum habet. Miſceantur autem part. II. tinctur. alcalinæ cum part. I. ſpiritus C.C.

11. Et quoniam ſcorbutus natales ſuos plurimum debet plethoræ, neceſſarium eſt, vt præcauendi ſcopo venæ ſectiones circa æquinoctia inſtituantur.

12. De reliquo autem *aër* humido-frigidus, fuliginoſus, vbi fieri poteſt, in calidum, ſiccum & purum mutetur: vitando diætam craſſam & ſalſam, & adhibendo condimenta reſoluentia, nempe ſinap. armorac. cepas, zingib. pip. allium, ſed moderate.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Antiquorum *cacochymia*, & hodiernorum *ſcorbutus* æqualia habent fata, nam nomen ſuum omnibus illis morbis dare debent, vbi cauſſæ morborum & ſymptomatum nullo alio vocabulo exprimi poſſunt, & ſic tamquam aſylum ignorantiæ hæc nomina conſideranda veniunt.

2. Vandalorum quidem *ſcoorboyck* habet adhuc demoninationem alicuius morbi, nempe abdominis, ſed nomen latinum, inde mutuatum, *ſcorbutus* ſcilicet, nihil aliud quam ſtatum morboſum ſignificat, & idem eſt, ac ſi diceres: der Patient iſt kranck. Hoc veriſſimum eſt, ſcorbutum apud nos quidem ſæpiſſime falſo accuſari.

3. Confuſio *ſcorbuti* & *luis venereæ* quouis modo caueatur: nam error hic ingentia damna inducere valet, e.g.

1) *Antiſcorbutica acriora* magis adhuc exagitant & corrumpunt ſalinas ſeri corruptiones, in malo venereo præſentes.

2) Scorbutus non admittit fortiora abſtergentia & colliquantia, ſed temperantia, & leniter refrigerantia expoſcit; quorum omnium contrarium in malo gallico obſeruatur: in hoc enim temperantia & refrigerantia nocent, & ſine acrioribus abſtergentibus & colliquantibus nil obtinetur.

3. *Mer-*

3) *Mercurialia*, ſi in ſcorbuto ad *ſaliuationem* adhibentur, emergunt inde ſtaſes, inflationes, inflammationes, putridæ corroſiuæ plane anomalæ vlcerationes; quibus noxiis effectibus vix tempeſtiuum auxilium adhiberi poteſt, quin os aut reliquum vultum deformatum relinquant, vel penitus ægrum iugulent.

4) Immo mercurialia, quæ tantum ad laxandi ſcopum in ſcorbuto propinantur, dentium lapſum tanto citius promouent, & quia totum corporis ſyſtema penetrant, nullam autem directam efficaciam in ſanguinem congrumatum exſerunt, in ſcorbuto, tamquam noxia, prorſus reiiciuntur.

4. Vbi autem *lues venerea* complicata eſt cum ſcorbuto, *hic*, niſi ſummo gradu conſtitutus, quaſi prætermitti, & *illa* magis in tractatione reſpici debet; ſubleuant autem *vtrumque* malum remedia ſub methodo litt. A num. 3. commendata.

5. *Correctio* ſanguinis congrumati omnino præmitti debet *euacuationi*, & ſane in ſcorbuto methodus placida, ac continua, quæ magis ad exitum humores *diſponit* quam *ſtimulat*, maxime neceſſaria eſt: vnde fugiantur in paroxyſmo *purgantia*, *vomitoria*, quæ hyperemeſes facile inducunt, *ſudationes*, *venæſectiones*, quæ vagas translationes & plurimas turbas excitant.

6. Speciatim *regimen* ſudoriferum coactum in ſcorbuto creat anxietates, palpitationes, cephalalgias exæſtuoſiſſimas: ſudor enim in quibusdam ſcorbuticis difficulter ſuccedit, & licet in aliis promte & affatim ſuccedere ſoleat, aquoſa tamen hæc excretio nihil vtilitatis adfert: vtiliores ſunt *fomentationes*, balnea ex aqua dulci, ad ſummum autem rei nihil faciunt.

7. *Vomitus* ſponte interdum euenit ſcorbuticis, qua euacuatione fruſta quaſi ſemi-ſicci glutinis, quæ vix pedibus conteri poſſunt, ſubinde reiiciuntur, *arte* autem hunc vomitum promouere non æque integrum eſt, præſtat potius, viſcidam illam materiam per ſalina præparare, & euacuationem naturæ commendare.

8. Spon-

8. Spontaneæ *diarrhœæ* cauto moderamine indigent: quando enim per adſtringentia improuide cohibentur, cardialgia, anxietas, infarctus lienis, tormina, inflatio abdominis, colica conuulſiua, ſuccedunt.

9. Sic etiam *hæmorrhagiæ* narium, per talia remedia cohibitæ, varia incommoda inferunt.

10. Idem ſentiendum eſt de *macularum* repulſione; quæ vehementes anxietates tam præſentius inducit, quam eruptio illarum easdem ſoluere obſeruatur.

11. Calida acria ſulphurea non ita efficaciter corrigunt, ſed, ſulphuream ſolum ſanguinis partem adgrediendo, maculas augent, & hæmorrhagias narium enormes, dolores capitis arthriticos, febres, anxietates, inflationes lienis &c. producunt.

12. *Anodyna* vires & adpetitum magis exſtinguunt, vertiginem cient, excretiones ſupprimunt, & poſt exiguum tantum leuamen dolores grauiores inuitant.

13. *Lipothymiæ* ſcorbuticæ per aquas cephalicas ſpirituoſas, hitzige Schlag-Waſſer, ſtatim occurrere, & hac ratione ſanguinem concitare, tanto magis improbatur, quo minus periculum adfectus tales lypothymici inuoluunt.

14. Vti breuis medicatio ſcorbutum non facile ſuperat, ſic etiam a continuo remediorum vſu abſtinendum eſt: facile enim medicamentis ita adſueſcunt ſcorbutici, vt nullas amplius ab illis ſubleuationes, ſed grauia potius ſymptomata experiantur.

15. Inter antiſcorbutica *ſedum vermiculare* ſpecificum emeticum prædicatur, de quo notatu digna obſeruatio actis N.C. inſerta eſt, quod ſcilicet in expeditione Danica multi per illud, in forma decocti exhibitum, a *paralyſi ſcorbutica* reſtituti ſint, euacuato per vomitum muco ad modum viſcido.

16. *Cochlearia*, in tota ſubſtantia adſumta, præſentaneum ſcorbuti leuamen adfert; *Spiritus* autem cochleariæ, cum regimine ſudorifero vſurpatus, concitat facile ſanguinem, infert anxietatem, æſtuoſam cephalalgiam, & macu-

maculas nimium expellit: vnde ſane *ſyrupus ſcelotyrbicus Foreſti* ex cochlear. & beccabung. paratus, longe tutior & efficacior eſt, quam talia ſpirituoſa. In ſtomacace autem externe locum habet ſpiritus cochleariæ.

17. *Trifolium fibrinum*, quod *Simon Pauli* in ſcorbuto magnopere commendat, licet in forma decocti multas ſanguinis commotiones, & pathemata hypochondriaca torminoſa concitet, laude tamen ſua non prorſus priuandum eſt, modo prouide, moderate, in ſubſtantia, ſucco, aut infuſo, adhibeatur.

18) *Aromata*, modice vſurpata, plurimum valent ad ſcorbuti energiam præoccupandam & reſoluendam; quo nomine zingiber & piper pro condimento in cibis bene ſe gerunt, licet enim acria ſint, ſanguinem tamen non ita commouere obſeruantur: ab vſu autem reliquorum aromatum acriorum, orgaſmum facile inducentium, cauendum eſt.

19. *Armoraciæ* radix recens, aceto imbuta, coctæ præferenda eſt: hæc enim omnem fere acrimoniam amittit. Idem contingit in *cepis*, aqua feruida imbutis, aut cum butyro frixis: vnde exiguum poſt ea præſtant effectum.

20. *Nitrum*, moderate exhibitum, in ſcorbuto, præcipue recentiore, eximium habet vſum, minuit enim acrimoniam humorum.

21. Si vitioſa ſcorbutica humorum craſis a prægreſſis morbis reſidua fuerit, præſtat materiæ malignæ percurationem abſoluere, e.g. vbi reliquiæ a variolis reſtant, ibi eſſentia pimpinellæ albæ magni facienda eſt, quæ etiam grauia incommoda, ab eius modi decubitibus iam inducta, profligat.

22. In aliis autem febrilibus reliquiis eſſent. alexiph. *Stahlii*, per octo circiter dies continuata, certiſſimum ad plenariam reſtitutionem edere ſolet effectum.

23. In *ſtomacace* reliquis mundificantibus commode, non tamen perpetuo, admiſcetur *aluminis vſti* momentum, ſi nempe vlceratio quædam fungoſa ſubſit; quo caſu *ole-*

*um* etiam *philoſophorum*, & *cera* non inefficax eſt, modo recte tractetur.

24. *Alumen* autem *crudum*, adſtringendi ſcopo, gargariſmatibus additur.

25. *Spiritus vitrioli* non prorſus quidem reiicitur, quia dentibus non adeo infeſtus eſt, quam *ſpiritus nitri* & *ſalis*, tutior tamen eſt *ſuccus citri*, moderate vſurpatus.

26. *Tabaci* ſuccus, decoctum, immo, quibus non aduerſatur, commanſio traumaticum exhibet effectum.

27. Robuſtiores in nauigationibus, quamdiu cepis, & in primis allio potiuntur, ac laborem perferunt, vel prorſus liberi manent a ſcorbuto, vel ſub ipſo a talibus ingens ſolatium experiuntur.

28. Et ſane prudens moderamen & continuatio motuum voluntariorum longe efficacius corrigunt, quam quælibet optima medicamenta, excepto illo caſu, vbi gingiuarum & aliarum partium vlceratio concurrit. *Conf. diſſertat. D.D. Stahlii de motus voluntarii vſu medico*

## TABVLA XCIII.

## DE

# FLVORE ALBO.

I. D*EFINITIO.*

Fluor albus eſt excretio materiæ mucidæ, plus vel minus corruptæ, in ſexu feminino per vaginam vteri contingens, & non raro certas periodos obſeruans.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Fluor albus diuiditur in *benignum* & *malignum* ſeu *venereum*; quam differentiam *ſigna* ſubſequentia accuratius indicabunt.

2. Differt fluor albus a malo illo refractario, nempe *vlceratione* vteri interna, vbi ichor & ſemi purulenta materia excernitur, & quidem perpetuo, ſine periodo, concurrenti-

rentibus profundis in inguine ardoribus, totum ſæpius crus eiusdem lateris in conſenſum trahentibus, accedente etiam febre hectica cum corporis extenuatione; quale quid in fluore albo non obſeruatur: & licet in *venereo* etiam aliquid vlceroſi ſine dubio occurrat, hoc tamen non in ipſo vtero, ſed illius vagina circa glandulas proſtatas, ſeu collum veſicæ quærendum eſt.

III. *SIGNA.*

A. *Benigni.*

1. Excernitur per vaginam vteri materia ſimpliciter albuginea & quaſi limpida.
2. Quæ materia per ſe nequaquam lædit vel adrodit; quando autem ſub labore corporis genitalia atteruntur, fluxus non ſolum copioſius ſuccedere ſolet, ſed etiam aliquando ſub hoc attritu partes læduntur.
3. Adfligit hæc excretio vel continuo, vel plerumque ſtatis magis temporibus, idque menſium præcipue periodo, ita vt paullo ante vel poſt illos erumpat, vel, ceſſantibus menſibus, eorum tempora occupet.
4. Patiuntur ægrotæ, inſtantibus menſibus, modo circa lumbos & os ſacrum, modo circa ſinum, dolores vrentes, tendentes, & quaſi rumpentes, de reliquo autem laſſitudinem artuum accuſant.
5. Durat ſub his circumſtantiis menſium fluxus plerumque per pauciores dies, cui ſtatim ſuccedit hic fluor albus, prioribus diebus copioſius, poſterioribus autem paullo remiſſius, donec ſenſim iterum ceſſet.

B. *Maligni* ſeu *venerei.*

1. Materia, quæ excernitur, eſt diſcolor, flaueſcens, virideſcens, ſanioſa, acris, adrodens, excorians, inflammans & exulcerans: tum orificium & labia pudendorum, tum contiguas interdum femoris regiones.
2. Quo diutius iam durauit, eo magis diſcolor & ſqualidus faciei adſpectus, cum liuido oculorum circuitu adparet.
3. Concurrit perpetua quaſi lasſitudo, & fatigatio totius corporis,

poris, præcipue regionis lumbaris, cum inſignibus, ſimul doloribus.

4. Cardialgiæ frequentes, quaſi ſuffocatiuæ.
5. Difficilis reſpiratio cum palpitatione cordis.
6. Vniuerſi habitus corporis leucophlegmaticus ſtatus, aliquando etiam œdemata pedum.
7. Febres lentæ, & plerumque anomalæ.
8. Fluor non periodicus, ſed magis continuus, aut valde vagus ac inconſtans, iuſtam contagii ſuſpicionem iniicit, & hinc pro maligno magis, quam benigno, reputandus eſt.

IV. *SVBIECTA.*

A. *Benigni.*

1. Euenit hic fluor illis ſæpius feminis, quarum menſes non legitime & ſatis ordinate fluunt maxime autem, vbi prorſus iam ceſſarunt.
2. Accidit præcipue viduis, menſium facile turbas incurrentibus.
3. Rarius euenit *virginibus*, niſi temperamentum eminenter ſit phlegmaticum, vel vbi vehementes pruritus venerei in illis obſeruantur.
4. In puerperis ſub finem fluxus lochialis eadem quidem materia excernitur, quæ autem pro negotio vteri repurgatorio merito habetur.

B. *Maligni.*

Hic euenit illis, quæ vel ipſæ malo venereo infectæ ſunt, vel per commertium cum maritis ſuſpectis inquinantur.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *proxima benigni* eſt ſpecialis congeſtio humorum mucido-ſeroſorum ad partes glanduloſas vteri: vnde tonus in hiſce partibus nimium relaxatur.
2. Cauſſæ magis *remotæ* & *occaſionales* ſunt:
   1) Temperamentum phlegmaticum.
   2) Status cacochymicus vniuerſi ſanguinis.
   3) Diæta craſſa, cruda & adpetitus incongruens, ad frigidos cibos magis intentus.
   4) Diuturna habitatio in loco & aëre humido-frigido.

5) Vi-

5) Vita ſedentaria.
6) Frequens abortus.

3. Cauſſa *maligni* fluoris eſt inquinamentum ſeu infectio venerea & ſic cum gonorrhœa virulenta multum habet conuenientiæ.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. Fluor albus *benignus*, reſpectu ad medelam minime *benignus* eſt, ſed curatu difficillimus, & quo diutius inualuit, eo difficilius profligatur; id quod adeo verum eſt, vt, niſi vitæ genus mutetur, medicationi vulgo receptæ vix vmquam conſtanter cedat.

2. Quod ad reliquam autem ſui indolem attinet, ſatis *benigne* ſe gerit: ſunt enim feminæ multæ, quæ per plures annos ad ſenectutem vsque, fluore hoc ſine notabili incommodo laborant; rarius etiam ita inualeſcit, vt inſigne corpori detrimentum inferat, præter adſpectum pallidum & tumidum, quem phlegmaticis inducit, ac artuum grauitatem.

3. Quando autem fluxus, ita adſuetus, vel ſponte ſubſidet, vel arte imperita cohibetur, grauia ordinarie pathemata ſuccedunt, præcipue dolores arthritici vehementes, anomali.

4. Fluor *malignus* aliquando citius adhuc, quam alter *benignus*, per antiuenerea, mundificantia, & denique ſiſtentia ſuperatur; id quod probe notandum eſt.

5. *Malignus* tamen totam facile ſanguinis maſſam inquinamento ſuo occupat, & ſi ex contagio mariti natus ſit, prius non tollitur, quam hic reſtitutus eſt.

6. Quando per inepta remedia cohibetur, grauiora adhuc ſymptomata, quam poſt *benigni* ſuppreſſionem, inducuntur: eueniunt enim varii decubitus helcodes, vlceroſi, ſcabioſi.

7. *Vterque* fluxus, præcipue autem *malignus*, vbi inualuit, feminas plerumque reddit ſteriles.

8. *Vterque* fluor, refractarius, ita, licet debita medicatione tollatur, ſæpe tamen per paroxyſmos quaſi redit, vt ter

vel quater medela repetenda veniat, eoque magis, quo diutius fluxit, & quo ſeniora ſubiecta occupauit.

9. *Benignus* ille, qui cum negotio menſium conſpirat, non adeo magni momenti eſt, periculoſior autem, ſi menſes iam ceſſent, vbi adfluxus & effluxus materiæ viſcoſæ, acris, increbeſcere obſeruatur.

10. *Habitualis* eius modi decubitus impuritatum ſeroſarum anſam etiam ſubinde præbet, vt vterus, ob nimiam relaxationem, prolabatur.

11. De reliquo in gracilioribus hecticam cum tabe corporis, in habitioribus autem cachexiam, œdemata & hydropem, temporis ſucceſſu inducit.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMDIA.*

Vtrique fluori eamdem methodum & remedia adhibere velle, abſonum eſt: diuerſæ enim cauſſæ diuerſas expoſcunt medicationes.

1. *Methodus benigni.*

1) Vbi notabilis plethora concurrit, ibi corpus ad curam diſponatur venæ ſectione in pede, ne natura anſam arripiat ſanguinem in ſerum conuertendi & per hæc loca euacuandi.

2) Deinde abſterſio materiæ & euacuatio ſenſim inſtituatur per remedia vterina temperata, lenia emmenagoga & vterum repurgantia; qualia ſunt:

a) *Succinum*, cuius eſſentia omnibus aliis præfertur.

b) *Myrrha*, quæ moderatius exhibenda eſt.

c) *Terebinthina*, ſiue cocta ſiue cum maſtiche ſociata.

d) *Salina* digeſtiua, cum ipſo adeo *nitro*, cuius energia hic non reiicienda eſt.

e) *Radices*: pimpinell. alb. vincetox. helen. ari, imperat. leuiſtici.

f) Ex *herbis*: meliſſa & abrotan. vtpote notabiliter repurgans ac roborans.

g) *Gummi-reſinæ*: ammoniac. ſagapen. galban.

3) His abſtergentibus & præparantibus præmittantur & interponantur lenia laxantia, vbi conueniunt:

a) Pi-

a) Pilulæ *Stahlii* vel *Beccheri*, quibus cum eſſentia ſuccini coniunctis omne illud præſtatur, quod vix ab alio medicamento exſpectandum eſt.

b) Radix *bryoniæ* præ aliis ſimplicibus hic vſum habet, quando laxationes cum epicraſi inſtituuntur, vbi cum radicibus rhabarb. hellebor. nigr. & abſtergentibus modo commendatis, pro vino medicato commode præſcribitur.

4) Denique ſubiungantur *tonica*, quæ partes laxas & eneruatas roborent; in hunc finem laudantur:

a) Martialia probatiora, nempe tinct. mart. aperit. *Ludouici*, crocus martis antimoniat. *Stahlii*.

b) Neruina & aromatica, e.g. puleg. ſerpill. rosmarin. thym. origan. rad. cyper. rotund. coſt. ver. zedoar. lign. aloës, cort. citri, aurant. ex quibus infuſa vel decocta ad internum vſum, externe autem balnea præparari poſſunt.

2. *Methodus maligni.*

1) Primæ viæ repurgentur per mercur. dulc. cnm ialapp. vel extract. panchymag. *Crollii* coniunctum.

2) Virus ſpecificum contagioſum inuertatur & expellatur per balſamica, abſtergentia, diuretica mitiora, e. g. fiat mixtura ex eſſent. ſuccin. myrrh. pimpinell. alb. tinct. antimonii tartariſat.

3) Moderatum regimen, ad debitam humorum craſin faciens, imponatur.

4) Tandem, correcta probe materia, *os ſepiæ*, ad remanentem fluxum coërcendum, in vſum vocetur; *conf. methodus tabulæ de gonorrhœa maligna*, cum qua fluor malignus, vti in cauſſa vlcerationis, ſic etiam medica tractatione prorſus conuenit.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Bagliuius* libr. II. praxeos medicæ cap. VIII. iudicat, quod fluor albus habendus ſit *venereus*, ſi fluentibus menſibus proueniat, ſimplicem autem fluorem eſſe, qui tempore menſium pereat, & his deſinentibus reuertatur.

2. Morbus hic pertinax, etſi plane ſuperatus videatur, pro genio

genio tamen ſuo nonnumquam recrudeſcit; hoc autem Medicum non deterreat, qui potius omni animo eamdem medicationis viam iterum ingrediatur, &, profligato malo, etiam ad prophylaxin interdum medicamenta exhibeat.

3. Illud autem certum eſt, quod ſub optima etiam methodo nihil ſtabile obtineatur, niſi vita per matrimonium & impraegnationem, vel etiam neglectis libidinoſis cogitationibus, in integrum mutetur, aut recens ad modum malum ſit, aut denique venerei quidquam ſub initium implicitum fuerit, vtpote a quo fluore facilius, quam a benigno, liberantnr.

4. *Cantharidum* vſus longe hic nocentior eſt, quam in gonorrhœa: vnde *prouida* etiam illarum adplicatio vix non ſemper grauia mala inducit.

5. *Vrtica mortua* ſeu *galeopſis*, flore albo, a quibusdam pro ſpecifico laudatur, ſed ante, quam commendetur, vlterioribus experimentis ſubiicienda eſt, quia ab aliis fruſtra adhibita fuit. Vxor fide digna enarrauit mihi, quod ſe & duas ſorores a fluore albo liberaſſet per vſum *florum galeopſeos*, cum pauca portione florum alborum *ononydis*. Adſeuerauit intra quatuordecim dies vniuerſum malum fuiſſe ſublatum, licet in ſe per 5. annos & in ſororibus non minore tempore durauerit. Flores autem hoſce modo cum pane butyro illito largiter comediſſe, modo ſpiritu frumenti extraxiſſe, edixit.

6. Nec *abrotanum*, licet notabiliter ad repurgationem & roborationem faciat, pro ſpecifico, cui fidere liceat, habendum eſt.

7. Ab *adſtringentibus*, niſi præmiſſis præmittendis, & tandem maxime opportune, immo moderate adhibendis, plane abſtinendum, & exoneratio potius adiuuanda eſt.

8. *Suffitus* ad partem adfectam adhibiti, effectum aliquem diſcuſſorium præſtare ſubinde obſeruantur. Inſeruiunt huic ſcopo gummata, e. g. maſtich. oliban. tacamahac. item aromata; ſpeciatim autem a quibusdam fumus antimo-

timonii, interueniente tubulo ad genitalia admiſſus, laudatur.

9. Quod ad diætam attinet, euitare debent cibos nimium aromatiſatos, acidos, craſſos, aërem humido-frigidum, & animi mœrores.

10. Præ omnibus *motum* corporis placidum & contiuuum commendatum ſibi habeant: licet enim fluxus ſub initium motionis augeſcere ſoleat, in progreſſione tamen notabiliter minuitur.

11. *Venæſectio* adſuefacta numquam prætermittenda eſt; quo autem in loco inſtituenda ſit, pro ætatis differentia decernitur: quæ enim intra fluxus menſtrui periodum adhuc conſtitutæ ſunt, illæ venæ ſectionem in pede admittunt; quibus vero menſes iam ceſſarunt, illis vena in brachio commodius ſecatur.

12. Quæ de *regimine diaphoretico* tabula ſequente caut. 32. diximus, illa etiam hoc loco poſt materiæ correctionem poſſunt adplicari. Certe ſi in vlla methodo ſpes, in hac erit quærenda, quia adfluxum, conſuetudine confirmatum optime auertit.

# TABVLA XCIV.

## DE
## GONORRHOEA.

I. D*EFINITIO.*

Gonorrhœa eſt inuoluntarius & perpetuus fere ſpermatis per genitalia effluxus, modo ab atonia partium, ſemen continentium, modo a pruriginoſa fermenti venerei ſtimulatione, & ſubſequente eroſione glandularum, originem ducens. Deriuatur a γόνη, genitura, & ῥέω, fluo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Gonorrhœa eſt vel *benigna* vel *maligna* ſeu *virulenta*.

2. *Benigna* caret exulceratione, *virulenta* autem hanc ſemper inuoluit.

3. *Benigna* non confundenda eſt cum illa excretionis rariore ſpecie, vbi ſperma quidem prorumpit, ſed numquam niſi ſub membri erectione aut valida fæcum alui renitentium preſſione.

4. Sic etiam *benigna* diſcrepat a *pollutione nocturna*, de qua paucis ſequente tabula dicemus.

5. Dantur caſus, vbi per multos menſes, immo, totum annum, hæc excretio leniter procedit, ſine ardore vrinæ aut alio incommodo ſenſu, vbi etiam materia colore inſigniter non mutata, neque aduerſo odore prædita eſt. Hæc quam diu talis indolis exſiſtit, medium quaſi locum inter benignam & malignam occupat.

6. Vbi autem mox vehementes ardores & roſiones ſentiuntur, & materia copioſo profluxu excernitur, ibi *virulenta* accuſanda eſt, quamquam materia nondum adeo corrupta adpareat.

7. *Virulenta* differt quoad gradus, vti ſubſequentia *ſigna* docent, & reliquam ſimul differentiam oſtendunt.

III. *SIGNA.*

1. *Benignæ.*

1) Hæc excretio, quæ tamen admodum rara eſt, conſpirat ſæpe cum excretione vrinæ, vbi interdum ſub initium emiſſionis, interdum ſub vltima compreſſione, vel fæcum aluinarum reiectione, materia ſpiſſa, mucido-alba, ſpermatica, expers tamen alieni coloris & ardoris, excernitur.

2) Sæpius etiam extra mingendi tempus perpetuus veluti, & exiguus mador, ſeu ſubſtantia ſubmucida, intra & iuxta præputium reperiunda, concurrit, quæ preſſione aliqua ex vrethra tanto magis erumpere ſolet.

2. *Maligna* ſeu *virulenta.*

1) Hæc, quando *leuioris* adhuc gradus eſt, profert materiam mucidam, ab albo colore iam notabiliter recedentem.

2) Concurrit ardor, vel prorſus inflammatio præputii.

3) Qui

3) Qui ardor præcipue etiam circa radicem penis ſub emiſſione vrinæ ſeſe exſerit.
4) Semper autem contagium venereum præceſſit.
5) In *grauiore* malo materia magis magisque corrupta adparet, tetri, flauo-virideſcentis coloris, & putridi fœtoris.
6) Quo magis in præputio & ſcroto craſſus tumor, ardor, fiſſuræ, acre ſerum plorantes, ſuperueniunt, eo peioris indolis eſt gonorrhœa.
7) Interdum acris illa materia ipſam glandem corrodit, inflammat, & poſt fiſſuras in membro vlcera apoſtematodea inducit.
8) Non raro ſuperueniunt bubones glandularum inguinalium, maxime ſi arte incondita malum tractetur.
9) Conqueruntur de laſſitudine artuum & virium decremento infecti.
10) Adſpectus faciei pallidus, & ambitus oculorum liuido colore conſpicuus eſt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Gonorrhœæ *virulentæ* ſubiecta vix alia ſunt, quam quæ cum venereis inquinamentis turpe commercium habuerunt.
2. *Benigna* plurimum etiam illos homines occupat, qui venere abutuntur, inter ea tamen innocentius etiam aliquando euenit, vbi atonia & relaxatio partium aliunde inducta eſt.

V. *CAVSSAE.*

1. *Benignæ.*
   1) Cauſſa *proxima* eſt atonia partium, ſemen continentium.
   2) Cauſſæ *antecedentes*, quæ talem atoniam inducere ſolent, ſunt vel veneris abuſus, vel adfectus chronici, partium tonum relaxantes.
2. *malignæ* ſeu *virulentæ.*
   1) Cauſſa *antecedens* eſt fermentum venereum.
   2) Cauſſa *propior* eſt ſtaſis inflammatoria humoris lymphatici in glandulis, præcipue proſtatis.

3) Cauſſa *proxima* eſt eroſio & exulceratio harum glandularum, vnde materia perpetuo quaſi effluit, quæ ſub initium tenuiorem, progrediente autem tempore craſſiorem & purulentam faciem exhibet.

4) Cauſſa *occaſionalis* tantum non vnica eſt coitus impurus: nam infectio per veſtimenta, lectos &c. alias potius inquinationes ſcabioſas, vlceroſas, verrucoſas prurigenoſas, ad modum vrentes, & cruſtaceam excoriationem formantes, in membro virili, præcipue præputio, item in perinæo & circa femora concitat.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. Gonorrhœa *benigna* magnæ non eſt conſiderationis & facile medicamentis auſcultat: hinc minime conuenit cum fluore albo *benigno*, vti ex contrario *maligna* gonorrhœa cum fluore *maligno* easdem cauſſas & medicationes inuoluit.
2. *Virulenta* ſub initium leuioris periculi exſiſtit, & quando mature illi occurritur, æger etiam ab impuris rebus venereis abſtinet, facile adhuc perſanatur.
3. Quando autem diutius hoc malum durauit & ætatem præcipue ſenilem occupauit, contumaciſſimum eſt.
4. Gonorrhœa *virulenta*, licet primus & leniſſimus gradus luis venereæ dici mereatur, in hanc tamen *per ſe* raro tranſit.
5. Quando autem per *adſtringentia* hic fluxus præmature cohibetur, tum non ſolum dolor premens in pectine, æſtus & lancinatio profundior circa perinæum, vlcera glandis, ſcroti, verrucæ ani, bubones & alia grauia mala ſubſequuntur, ſed etiam corruptela illa per totam ſanguinis maſſam facile diffunditur, & formalem luem veneream, in primis ſi regimen ſudoriferum accedat, introducit.
6. *Bubones* quando ſuperueniunt, adfectus maiore difficultate & periculo ſtipatus eſt.
7. Exſtirpatur quidem vniuerſum hoc malum, ſub iuſta & conueniente methodo & medicamentis, ob glandularum

rum tamen proſtatarum vlcerationem exiguo tempore non abſoluitur ſanatio.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Methodus benignæ.*

1) Ad lympham repurgandam præmittantur anticatarrhalia, e.g. eſſent. ſuccin. alexipharm. pimpinell. alb. &c.

2) Interponantur lenes laxationes per pilulas *Beccheri, Stahlii.*

3) Subiungantur lenia tonica, & præcipue temperantia nitroſa.

4) Commendetur parcior diæta, & placidus corporis motus.

2. *Virulentæ.*

1) Præmittatur, & ſub reliqua medicatione aliquoties adhuc repetatur, euacuatio cathartica per mercurium dulcem, ialappam, extract. panchymagog. *Crollii,*

2) deinde ad materiæ virulentæ correctionem & mundificationem reſpiciatur. Commendantur in hunc finem balſamica temperatiora, pro temperamentorum diuerſitate ſeligenda, nempe eſſent. ſuccin. myrrhæ, alexipharm. pimpinell. alb. lignorum decocta & eſſentiæ, terebinth. coct. ſpiritus terebinth. balſam. ſulphur. terebinthinat. balſam. peruuian. de copaiua, gummi iuniperi, maſtich. item tinct. antimonii acris, ſalis tartari. e.g.

Recip. eſſent. ſuccin.
pimpinell. alb. ana. vnc. ſemis.
tinct. antimon. taratariſat. drach. II.
balſam. de copaiu. drach. ſemis. M. doſ. 40. gutt. ſingulis diebus bis vel ter ſumenda, & per quatuordecim circiter dies, ſed ſine regimine ſudorifero continuanda. Conf. cautelæ, num. 7. vbi ſpecialiſſima methodus commendatur.

Vel pro magis *phlegmaticis.*

Recip. eſſent. myrrh.
ſuccin.
tinctur. ſalis tartari, ana vnc. ſemis.
ſpirit. terebinth. drach. ſemis. M.

3) His ad ardoris inflammatorii mitigationem interponantur nitroſa cum ſale digeſtiuo & ſolutione conchar. maritata.

4) Quando ſub hac medicatione fluxus inſigniter minuitur, materia etiam effluens longe purior & ſeminali proxima obſeruatur, tum denique ſpecifica reprimentia locum habent, inter quæ caput effert *os ſepiæ*, e. g.

Recip. oſſis ſepiæ ſcrup. II.
balſam. de copaiu. ſcrup. I. miſc cum aliquot granis corticis aurantiorum, & diuidatur in duas partes.

5) Sub vſu huius ſpecifici, immo poſt totius mali ſublationem, per aliquod tempus adhuc continuentur eſſentiæ balſamicæ, ſuperius deſcriptæ.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Eſt quidem gonorrhœa virulenta, vti ſub *prognoſi* paucis iam diximus, primus tantum gradus ad luem veneream, interim tamen tantæ ſæpius pertinaciæ, vt medicationem, luis venereæ grauioribus ſymptomatibus parem, in primis ſaliuationem, contemnat, & hoc quidem ob loci, quem occupat, nempe glandularum, conditionem.
2. Sane qui ſimplicis vlceris indolem & tractationem perſpectam habet, ille facile conſentiet, quod abſonum ſit, repentinas medicationes polliceri, multo magis in illas incumbere.
3. Licet autem perfecta reſtitutio aliquot hebdomadum tempus expoſcat, poteſt tamen æger conſueta ſua negotia commode expedire; modo tranquille & placide omnia inſtituantur, alias ſegnius curatio procedit.
4. Irritum eſt cœptum illorum, qui *balſamica externe* adhibere commendant: ſi enim ſegnia ſint, parum efficiunt, quando autem penetrantiora, e.g. balſam. ſulphuris, ol.

tere-

terebinth. ſuccin. iunip. in meatum vrinæ inſtillantur, aut per ſyringam aliquot tantum guttulæ immittuntur, æger in ardorem, & anxiam dolorum exacerbationem conijcitur, vehementes etiam inflammationes & tumores penis, brachii infantilis inſtar. contingunt.

5. Immo balſamica *interne* non promiſcue, ſed cum reſpectu ad temperamentum & tempus adhibenda ſunt: quando enim terebinth. balſam. Peruuian. de Copaiua, eſſent. myrrh. in malo adhuc recentiore, acriore & ardentiore propinantur, incrementum potius, quam leuamen, ardoris reportatur; immo, ſub optima etiam methodo adhibita, *peculiaris* efficacia hiſce per experientiam adſignari non poteſt.

6. Hinc balſamum *Indicum album,* ſeu de *Copaiua,* licet tamquam ſpecificum ad ſiſtendam gonorrhœam laudetur, & etiam methodice exhibeatur, effectui tamen non reſpondet: *mundificandi* intentione aliquid præſtat.

7. *Tinctura antimonii* acris, vel etiam *ſalis tartari,* eximiæ hic ſunt efficaciæ, bis vel ter ad 30. 40. guttas exhibendæ. Miſceatur, vel quod melius, interponatur eſſentiæ pimpinellæ albæ, & intra aliquot dies eſſentia ſuccini cum eſſentia pimpinellæ coniungatur, vbi etiam vſus eſſentiæ ſuccini ſenſim augeri, immo illa ſola exhiberi poteſt, ita vt mane & hora tertia poſt meridiem tinctura quædam alcalina, verſus meridiem vero & veſperam eſſentia ſuccini, primis diebus cum eſſentia pimpinellæ remixta, deinde vero ſola, exhibeatur.

8. Si vrens & ardens dolor ægrum vehementer adficit, melius eſt initium facere ab vſu eſſent. pimpinellæ, ſequente die tincturam alcalinam, & tertio eſſentiam ſuccini coniungere.

9. In vrgente tali ardore *nitrum* præſentiſſimæ efficaciæ deprehenditur.

10. *Bartholinus* & *Ammanus* vſum eſſentiæ cantharidum magnis encomiis ornant, & in pertinaci ac inueterata gonorrhœa vno impetu virus expellere dicunt; ſed monent, vt abunde diluatur, e.g. cum eſſent. cantharidum

drach.

drach. I. miſceri debent vini Rhenani vnc. III. propinando quotidie mane cochlear I.

11. Sed præſtat ab his, minus tutis, prorſus abſtinere, quam ſemel infeliciter adplicare, maxime vbi præſidia, nempe lac & nitroſa, aduerſus malos effectus per illa inductos ignorantur: niſi enim ad modum circumſpecte, & prudente plane ſubordinatione adhibeantur, cantharides vehementer, præcipue in feminis, ſtimulant, & inſignes dolores, immo inflammationes renum, vel mictum cruentum inducunt.

12. Methodus *Sydenhamii* per diuturnas *purgantium* continuationes gonorrhœam expugnare docet; ſed, licet fluxus interceptio per talia frequentia & valida purgantia obtineri poſſit, ſpeciatim tamen hic non conuenit: vnde generali huic medicationi ſpecialis præferatur.

13. Eodem intuitu *venæſectio* ad hoc malum, *in ſe* conſideratum, non neceſſaria, immo ne vtilis quidem eſt, ſed ſoli plethoræ, vbi concurrit, & inſuper gonorrhoæ magis *benignæ* & ſimpliciori, quam *virulentæ*, conuenit; immo venæ ſectio *largior* miaſma venereum in humores transfundere poteſt, maxime ſi ſubſtiterit, vel cohibitus ſit fluxus.

14. *Antiuenerea calida*, quando cum regimine ſudorifero exhibentur, noxium illud virus per vniuerſam ſanguinis maſſam diffunditur, præcipue vbi in fluxu nude ſuppreſſo propinantur: ſufficit lenior diaphoreſis per diluta decocta lignorum.

15. Damna, quæ per intempeſtiuam huius fluxus ſuppreſſionem inducuntur, ſub *prognoſi* num. 5. indicauimus: hinc maxime cauendum eſt, ne ante ſufficientem ſpecificæ corruptelæ correctionem & mundificationem methodus talis cohibitoria eligatur.

16. Ad hunc errorem euitandum notetur, quod, quamdiu fluxus cum vllo, quantumuis leuiſſimo, ſenſu & conſiderabili quantitate perennat, correctio & repurgatio ſatis nondum facta ſit, ſed tum demum, vbi materia benignioris coloris, leui quantitate, & leni ſolum madore adparet:

paret: quo caſu *os ſepiæ* ad grana X-XX. per aliquot dies, coniunctis & ſubiunctis leniter abſterſiuis, ſecure propinatur.

17. Quando autem per os ſepiæ fluxus, vti interdum contingit, non poteſt profligari, tum pilulæ *Blancardi* vſui eſſe poſſunt.

Recip. gummi elemi
maſtich. ana drach. II.
terræ catechu ſcrup. I. f. l. a. cum balſamo Indico pilulæ doſ. ſcrup. ſemis.

18. Raro autem cohibitio talis directa neceſſaria eſt, & quando per adſtringentia mineralia & vegetabilia ſegniora illa tentatur, debitæ ſecretiones & excretiones impediuntur, & damna, ſuperius adlegata, infliguntur.

19. Fluxus *recenter* ſuppreſſus, & grauioribus ſymptomatibus ſtipatus, commode reuocatur per eſſentiam alexipharm. *Stahlii* ſaturatam, cum eſſentia pimpinellæ albæ ſeorſim iunctam & per 8-14. dies continuatam: præmiſſa vel interpoſita alteratione, aut, ſi mauis, laxatione, per mercurium dulcem.

20. Vbi autem, contingente tali ſuppreſſione, fermentum venereum per totam humorum maſſam iam diffuſum fuit, ibi catarrhalia & lignoſa cum regimine æque ac in ipſa lue venerea requiruntur.

21. De *oſſe ſæpiæ*, tamquam ſpecifico cohibente, adhuc notamus, quod a quibusdam, *abſorbendi* ſcopo, aduerſus ardorem ventriculi adhibeatur: hoc, ſi præſente gonorrhœa aut fluore albo contingat, grauia ſymptomata inducit.

22. Admiranda eſt indoles vlcerationis in gonorrhœa præſentis: per duos enim vel tres annos durare, & tamen curari poteſt; cum ex contrario ſimiles vlcerationes, venereæ nempe indolis, alias partes glanduloſas, e.g. oris interni, vuulæ, ſatis promte erodant & depaſcant; cuius rei nulla alia ratio ſuppetit, quam liber in illis locis effluxus, qui impedit, quo minus in *profundum* glandulæ erodantur.

23. Experientia teſtatur, quod inquinamenta hæc venerea variis ſchematibus per tacita & nihil ſuſpecta commercia & contagia ſæpius, latiusque diſſeminentur, quam in ſuſpicionem veniant.

24. Proſtant exempla, vbi poſt annornm etiam decurſum non ſolum ægri notabilia iterum incomoda ſentiunt, verum etiam, contracto matrimonio, cum vxoribus ſimile quiddam, nempe fluorem album, communicant. Hinc quæuis intemperantia, in primis autem venus, ad quam inſignes ſtimulos, durante gonorrhœa virulenta, ſentivnt, vitentur alias facile malum recrudeſcit.

25. *Botalli* conſilium, vrinam intra præputium aliquamdiu retinere, & hac ratione partem læſam abſtergere, in recentibus adhuc inquinationibus & leuioribus glandis eroſionibus locum habet.

26. Glandis *adroſio* vſum etiam capit ex adplicatione olei ouorum, tanto magis ſi gutt. I. cum olei philoſophorum gutt. I. miſceatur, quod leniſſimum ſepticum eſt, & fungoſas excreſcentias, conſolidationem impedientes, egregie aufert.

27. *Inflammatio* & inflatio præputii, quando leuior adhuc eſt, præſentiſſime diſcutitur per ſpiritum vini camphoratum, ope penicilli pictoritii parce adhibitum: cauendo, ne in partem eroſam guttula forte incidat.

28. Si vero tumor magis inualuerit, refrigeratio aliqua locum habet; in quem finem vnguentum album largiter camphoratum, item oleum ouorum cum myrrha, in ouo ad duritiem cocto colliquata, commendantur.

29. *Carunculæ* in vrethra tolluntur remediis venereis abſumentibus, quibus, ſi plurima portio ſublata ſit, ad fundum exſtirpandum, aliquid mercurii præcipitati additur; ſed aptum requiritur inſtrumentum, per quod adplicari poſſit. Recip. dracon. mitigati. i. e. mercurii. dulc. drachm. I. antim. crud. drach. ij. tut. præparat. drach. ſemis. M. f. pulu. ſubtiliſſ. temperetur cum oleo amygdal. dulc. illinatur candelæ cereæ & adplicetur carunculæ.

30. *Bu-*

30. *Bubones* vlceraſcentes, niſi & internis antiuenereis, & externo prouido mercurialium vſu, tractentur, inſignes corruptiones & fiſtuloſas eroſiones formant. *Conf. tabula de lue venerea.*

31. Hi, aliquamdiu tolerati, ſi poſt ea diſcutiantur, vel introrſum repellantur, intimæ humoris infectionis periculum certiſſimum adeſt, niſi gonorrhœa largiter inter ea ſuccedat.

32. Nota ſunt exempla, in quibus non tantum materia affatim correcta fuit, ſed & quæcumque ſiſtentia irrita fuerunt. *Regimen* autem *diaphoreticum* breui malum ſuſtulit. Hoc enim, vti ante materiæ correctionem noxium eſt, ita poſt eamdem adfluxum mera motuum conſuetudine ſubnixum auertit.

## TABVLA XCV.

# DE POLLVTIONE NOCTVRNA.

I. D*EFINITIO.*

Pollutio nocturna eſt inuoluntaria ſeminis excretio, ſomni tempore contingens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Pollutio nocturna a *gonorrhœa* temporis, qualitatis & ſymptomatum ratione facile poteſt dignoſci.

2. Ipſa autem pollutio nocturna ſuos habet *gradus:* in aliis enim ſingulis fere noctibus hæc excretio contingit; in aliis autem poſt vnius vel alterius hebdomadis interuallum tantum occurrere obſeruatur.

III. *SIGNA.*

Iuuenes ſanguinei, plethorici, otioſi & lauta diæta vtentes præ aliis huic ſunt expoſiti.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Hæc pollutio quando *raro* contingit, œconomiæ animali

 ſine

ſine damno eſt, atque ad naturales excretiones poteſt referri. Morali autem reſpectu multum negotii faceſſit iis, qui altius conſiderant, quod & illa peccata, quæ *præter voluntatem* noſtram fiunt, non niſi *per mortem ſummi ſacerdotis* veniam impetrare poſſint. Ioſ. cap. XX, 6.

2. Quando autem ſingulis fere noctibus hæ pollutiones contingunt, tum ipſum etiam corpus per illas debilitatur, homines euadunt diſcolores, nonnullis oculi rubent, aut aliis catharrhalibus malis infeſtantur, ad minimum liuore cincti ſunt, & tandem in gonorrhœam degenerant hæ excretiones.

## V. *METHODVS MEDENDI ET REMDIA.*

1. Immoderatus progreſſus huius excretionis non medicamentis ſed labore, eoque placido & ſufficiente coniuncto victu parciore, retardatur.
2. Qundo autem indiuidui quædam circumſtantiæ remedia omnino efflagitant, largior *nitri* vſus, ad ſcrup. I. verſus ſomnum ſine multo vehiculo exhibendus, optime ſe commendat.
3. Venæ ſectiones in plethoricis circa æquinoctia numquam ſunt prætermittendæ.

## VI. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quamquam motus corporis in iis, qui illi non ſunt adſueti, pollutionem nocturnam primum magis augere quam eamdem imminuere ſoleat, certum tamen eſt, quod illius placida continuatio aliam rerum faciem ſit monſtratura.
2. *Saturnina* externe adplicanda mirum quidem in modum a nonnullis extolluntur, ſed quis non videt, hæc fontem mali non attingere, nedum exhaurire.
3. Sic & reliqua, quæ vulgo commendantur, remedia, ſuſpecta ſunt: vel enim non iuuant, e. g. rad. nymphææ, ſemen agni caſti; vel, nimium vſurpata œconomiam animalem offendunt.
4. *Stimulantia* tam phyſica quam moralia quouis modo ſunt euitanda.

TAB.

# TABVLA XCVI.
## DE
# LVE VENEREA,
## SEV
# MALO NEAPOLITANO.

I. D*EFINITIO.*

Lues venerea eſt humorum lymphatico-ſaliualium viſcoſa corruptio, quæ primo ſtaſes, & tandem eroſiones partium, maxime exſanguium & glanduloſarum inducit, & per contagium communicatur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Lues venerea differt a *lepra.*
   1) Lepra non ita prompte eſt contagioſa.
   2) Defluuium *capillorum* & gonorrhœa vtrique quidem morbo ſunt communia, illud autem in lue gallica longe copioſius contingit, & hæc magis virulenta eſt.
   3) *Vlcera* in leproſis ſunt tantum ſuperficialia, & non æque circa genitalia eueniunt; in lue autem venerea nodoſæ & profundæ vlcerationes, immo oſſium adroſiones obſeruantur.
   4) Leproſi, licet acu pungantur, inſenſibiles tamen exſiſtunt.
2. Differentiam luis venereæ a *ſcorbuto* tabula XCII. fuſius indicauimus.
3. Lues venerea *in ſe* differt *gradu.*
   1) In aliis fermentale inquinamentum adhuc in humoribus ſolis oberrat, & ſymptomatibus aliquo modo tolerabilibus ſtipatum eſt. In hoc gradu ſanus eſſe adſpectus, & alios fallere poteſt.
   2) In aliis autem partes *ſolidas* iam occupauit, cum atrocioribus pathematibus; quæ differentia ex *ſignis* illuceſcet. *Conf. tabul. chirurgica de vlceribus venereis.*

III. *SIGNA.*

1. Gonorrhœa adeſt virulenta aut vlcuſcula circa genitalia, plerumque poſt impurum congreſſum, rarius per veſtimenta, lectos, &c. in ſexu feminino loco gonorrhœæ virulentæ fluor albus malignus occurrit.
2. Hæc labes per longum tempus has partes priuatim quaſi obſidere ſolet, ſine vlteriore per reliquum corpus progresſione.
3. Quam primum autem gonorrhœa vel fluor albus inconditе tractantur, & hac ratione humores impetuoſius commouentur, inquinamentum illud ſatis prompte per reliquum corpus disſipatur.
4. Quando autem gonorrhœa, citra talem humorum exagitationem, ſimplicius tantum ſupprimitur, tum ſtatim accedunt bubones venerei, nempe oppletiones & tumores duri, *inguinalium* glandularum, fungi & excreſcentiæ verrucoſæ, neque raro fiſtulæ veſicæ.
5. Vbi vero fermentale inquinamentum in humorum maſſam altius diffunditur, ibi varia pesſima ſymptomata & effectus oriuntur.
6. Adficit nempe noxia talis materia partes exſangues, glanduloſas membranaceas, immo ipſa oſſa.
7. Vnde corruptelas gignit non purulentas, nec proinde inſigniter inflammatorias, ſed vlceroſas, non tam corrodente, quam ardente moleſtia, in primis nocturna, ſtipatas.
8. Quo intuitu hæc vlcera oſſibus etiam adroſionem ſeu cariem inducunt.
9. Concurrunt dolores ſpaſtici, tenſiui, vibratiles. rodentes, terebrantes, ſalſi, qui nocturno tempore exacerbantur, & in cranio, occipite, femore, lumbis, perinæo, inguinibus, præcipue ſeſe manifeſtant.
10. Quamdiu inquinamentum ſolidas partes nondum corripuit, ſed per humorum maſſam adhuc oberrat, conqueruntur ſolum de generalioribus incomodis, lasſitudine grauatiua, torpore, dolore obtuſo, valde tamen moleſto & in meditullio quaſi partium reſidente.

11. Oſten-

11. Oſtendunt colorem liuido-pallidum, in primis per oculorum orbitam, & ita conſpectum referunt quaſi ſqualidum ac pallidum.
12. Manus habent calentes & ſomnum inquietum.
13. Eueniunt magis magisque pathemata, acrius inſiſtentia, aut ad certum aliquem locum tendentia, cum doloribus conſtantioribus & acrioribus, donec tandem languidiſſimo ſucceſſu, niſi ars intercedat, tranſitus fiat in vlcerationem, eamque lentam, viſcoſam, valde ardentem & rodentem.
14. Hinc eroſio, præcipue in collo, vuula, naribus, faucibus, cuius rei prodromus eſt raucedo, contingit.
15. Collectiones etiam vlceroſæ, lentiſſimæ hic illic adparent, quæ variis nominibus veniunt, nempe ſteatomata, atheromata, melicerites, gummata gallica, Speck-Beulen, adpellantur, prout materiam vel ſebi, vel pulticulæ, vel mellis inſtar &c. continent.
16. De quibus anomalis collectionibus vlceroſis, in primis ſteatomate & atheromate, notabile eſt, quod ab exigua magnitudine ad nucis auellanæ molem excreſcant, & peculiari tunica incluſæ deprehendantur. *Conf. tabul. chirurg. de tumoribus tunicatis.*
17. Accedit vlceroſis hiſce corruptelis *fœtor* valde nauſeoſus, qui in malo, profundius radicato, etiam per halitum diffunditur.
18. *Vrina* minus colorata, ſubturbida, ſedimento mucido, tenace, & grandinoſo quaſi, conſpicua eſt.
19. Tandem tabidam, phthiſicam ſeu hecticam extenuationem hoc malum format, & infectum poſt longos cruciatus exſtinguit.
20. Mares hæmorrhoides verrucoſas, fiſſiles, manantes, vlceraſcentes, ſæpe incurrunt, rarius feminæ, quibus autem interdum cancroſa vteri adroſio miſeram denique mortem arceſſit.
21. Sanguis, quando grauius infectis emittitur, refrigeſcens, manifeſtos lentores, immo grandinoſas, albidas, glutinoſas concretiones oſtendit.

IV. *SVB-*

IV. *SVBIECTA.*

1. Probabiliſſimum eſt, quod lues venerea, *Americanorum* morbus endemius, per nauigationem ad *Europæos* transportata ſit; abunde enim conſtat, hoc malum bello Hiſpanico cum Gallis *Neapolim* primum perueniſſe.
2. Omnis quidem ætas & ſexus hoc malum, accedentibus cauſſis occaſionalibus, incurrere poteſt, plurimum tamen iuuenes libidinoſi, vtriusque ſexus, iuſtiſſimam hanc ſalacitatis ſuæ pœnam luere coguntur.
3. Dantur autem & alii, qui innocente modo ab hac lue corripiuntur, nempe contagio per lectos, pocula, halitus inſpirationem, ſellas, ephippia, &c.
4. Cum infantibus nonnumquam hæreditate, vel a nutricibus infectis communicatur; quod tamen rarius contingit.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *proxima interna* eſt ſubtile fermentum venereum, cum corpore communicatum, quod tenacem humorum inſpiſſationem & corruptionem inducere ſolet, teſtante ſanguine, per venæ ſectionem emiſſo.
2. Cauſſæ *externæ* & *occaſionales.*
   1) Nulli homini euenit, niſi abſolute per contagium.
   2) Sæpiſſime per impurum congreſſum, a quo primum gonorrhœa, aut vlcuſcula in genitalibus oriuntur, & deinde, poſt peruerſam præcipue tractationem, hoc inquinamentum in totam ſanguinis maſſam diffunditur.
   3) Infectio quidem per veſtimenta, lectos, cucurbitulas, nouaculas, &c. etiam contingit, ſed benignior & fere ſuperficialis obſeruatur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Lues venerea eſt morbus lentæ & diuturnæ indolis, hinc ad plenam eius eradicationem tempus requiritur.
2. Quando malum humores tantum occupauit, citius adhuc profligatur; vbi autem oſſium & glandularum profundæ adroſiones iam præſto ſunt, ibi tardius & difficilius ſuccedit medicatio.

3. Qui

3. Qui mercurialem ſaliuationem ſine ſucceſſu adhibuerunt, vel ex alia cauſſa in idem malum relapſi ſunt, illi in repetendo curationis tentamine maiori periculo exponuntur.
4. Corpora ſucculenta, perſpirabilia, minore periculo & moleſtia ptyalismum tolerant, quam ſicca, tenera, denſiora.
5. Quando alii morbi cum lue venerea complicantur, e.g. ſcorbutus, tum difficilior redditur reſtitutio.
6. Viſcerum autem læſio vbi concurrit, ibi ſtatus eſt conclamatus.
7. Quo profundius oſſa iam eroſa ſunt, eo magis poſt medicationem recidiua metuenda eſt, vel malum plane inſuperabile obſeruatur.
8. Infectio per veſtimenta, lectos &c. vti benignior eſt illa, quæ per impurum congreſſum inducitur, ita etiam multo facilius exſtirpatur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Methodus generalis.*

1. Fermentum noxium venereum eſt *expellendum.*
2. Effectus ab hoc fermento inducti, nempe lympha tenax, viſcoſa, mucida ſunt *corrigendi.*
3. Reliqua ſymptomata, nempe vlcera, bubones, excreſcentiæ, ſcabies &c. ſunt *auferenda.*
4. Ad hos ſcopos obtinendos duo proſtant ſubſidia, therapia ſcilicet *ſudatoria* & *ſaliuatio*, illa in malo adhuc leuiore, hæc in prouectiore adhibetur.

### B. *Methodus ſpecialis.*

1. Corpus ante omnia in vtraque cura *præparandum*, & ſordes primarum viarum expurgandæ ſunt; in quem finem mercurius dulcis, cum extracto quodam purgante in pilulas redactus, optime conuenit.
2. In *recentiore* malo, & primo leuiore gradu ad inquinamentum expellendum ſufficiunt lenia catarrhalia alexipharmaca, e.g. propinetur mane ad 30 - 40. gutt. eſſentiæ pimpinellæ albæ, bene ſaturatæ, & regimen ſudoriferum coniungatur.

3. Quando contagioſum fermentum *diutius* cum ſanguine iam remixtum fuit, partes autem ſolidæ nondum adroſæ ſunt, tum reſoluentia fortiora, diuretico, diaphoretica adhibeantur. Conducunt hic tinctura antimonii acris, decocta ex lignis guaiac. ſaſſafras, iuniperi, pini, fraxin. rad. ſarſaparill. chin. pimpinell. min. bardan. vincetox. petaſitid. herb. ſaponar. e.g.

Recip. raſur. lign. ſaſſafras vnc. II.
quaiaci.
rad. chin.
ſarſaparill. ana vnc. I.
cinnamom.
ſem. fœnicul. ana drachm. I.
inciſ. contuſ. f. ſpecies ad decoctum ſaturatum.

Vel pro pauperibus.

Recip. lign. pini
iuniperi ana vnc. II.
rad. pimpinell. alb.
bardan. ana vnc. I.
herp. ſaponar. man. I.
ſem. aniſi drach. II.

Hæc decocta, coniuncta per duas vel tres quotidie horas ſudatione in ſtuphis, mane exhibeantur, & pro re nata ad 2-4. hebdomades continuentur.

4. In *ſummo* huius luis gradu, nempe in ſtatu inueteraro ſymptomatibus fixis, oſteocopis, tumoribus duris & vlcerationibus ad oſſium adroſionem progredientibus, cura ſudatoria non ſufficit: hinc ad *ſaliuationem* per mercurialia confugiendum eſt, vt lympha ſpecifico quaſi fermento coagulata, & partibus ſolidis infixa, reſoluatur & eliminetur. Inſtituitur autem ſaliuatio vel per interna mercurialia, nempe mercurium dulcem, vel per vnguentum aliquod mercuriale, externe adhibitum.

5. Præmittatur autem ſaliuationi laxatio ſuperius commendata, & deinde, vt corpus reddatur perſpirabile, decoctum lignorum per 4-8. dies exhibeatur.

6. Poſt

6. Poſt ea ſucceſſiue mercurius adplicetur, e.g. vnguentum quoddam mercuriale, primo die carpis, ſecundo tarſis, tertio his & ſimul ſuris, pro diuerſis mali gradibus & robore ægri (quod tamen non ex laſſitudine, ſed ipſius individui tota conſtitutione metiendum eſt) tam diu illinatur, donec oris interni & glandularum ſalivalium intumeſcentia, dentium vacillatio, tamquam prodromi ſaliuationis, ſubſequantur.

7. Succedente ſaliuatione non ſtatim ab inunctione abſtineatur, ſed leniter & circumſpecte illa paullulum continuetur.

8. Si *internis* mercurialibus ſaliuationem ſuſcitare libet, poſt corporis per laxans & decoctum lignoſum factam præparationem, exhibeatur mercurius dulcis, incipiendo a gran. 4-6. & ſenſim vſque ad ſcrup. ſemis adſcendendo. Veſperi hæc commode propinantur, ſubiunctis mane diaphoreticis lignoſis.

9. *Durante* ſaliuatione ori & faucibus ſollicite ſuccurratur per frequentem vſum gargariſmatis, ex rad. pimpinell. alb. bardan. helen. vincetox. irid. Florentin. ari, herb. ſaluiæ, hyſſop. flor. chamomill. ſem. fœnugræci; quibus, ſi opus ſit, addatur pro emollitione *ficus*, pro ardore temperando *nitr.* & *album græcum.*

10. Adroſæ *fauces* ſubleuantur etiam eſſentia ſuccini, pauca eſſent. myrrhæ, & vna vel altera gutta eſſent. ligni quaiac. cum aqua deſtill. roſarum: in malo prouectiore adduntur olea deſtillata caryophyll. cinnam. cum oleo ovorum vel ol. amygdal. dulc. temperanda.

11. *Vlcerum* venereorum tractatio ad chirurgiam ſpectat, mundificantur autem vel per eſſentiam balſamicam, modo dictam, vel per decoctum lignorum, cum exigua portione tincturæ antimonii remixtum.

12. *Nodi* gallici reſoluuntur: *externe* emplaſtr. *Vigonis*, aucta mercurii doſi in duplo vel triplo, vnguento mercuriali, item lamina ſaturni mercurio illita: *interne* mercurio dulci &c.

13. *Excreſcentias* fungoſas abſumit *externe* mercurius præcipitatus, *interne* illas reſoluit mercurius dulcis. Puluis ſtypticus, quem *Carolus Muſitanus* commendat, conſtat ex alumine vſto & puluere ſabin. ana, qui puluis excreſcentiæ bis per diem adſpergitur.

14. *Scabies* venerea, vbi coniuncta eſt, paret etiam vnguento mercuriali, & mundificationibus internis. *Conf. tabula de ſcabie.*

15. In *bubonibus* venereis, ſi gonorrhœa ſuppreſſa ſit, hæc reuocanda & corrigenda per catarrhalia diuretica, e.g. eſſent. alexipharm. pimpinell. alb. ſuccini, pyrolæ, decocta antiuenerea, mercur. dulc. *Externe* diſcutit emplaſtr. diachylon cum gumm. vnguent. mercuriale. *Maturatio* autem promouetur per emplaſtr. de meliloto. *Dolores* ſopit. emplaſtr. *Vigonis*, amalgama iouis; & denique *apoſtema* mundificatur per eſſentiam balſamicam lignorum. *Conf. tabul. de gonorrhœa.*

16. Finita denique medicatione *aluus* laxante quodam repurgetur.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Breui tempore in hoc morbo nihil obtinetur, ſed diuturnior medicationis continuatio neceſſario requiritur, quod adeo verum eſt, vt etiam malum adhuc leuius, neglecta iuſta medicamentorum continuatione, facile recrudeſcat.

2. Hæc *continua* medicatio commode fieri poteſt cum omnibus remediis, quæ huic malo opponuntur, excepto ſolo mercurio, nullam enim inſignem mutationem, nedum detrimentum, corpori adferunt, ſi proportio exhibitionis gradui & decremento morbi reſpondeat; vbi autem proportio illa non obſeruatur, ibi calidiora, e.g. lign. guaiaci, ſaſſafras, nimis diu continuata, incommoda, immo damna, inferre poſſunt.

3. Temperamentorum diſtinctio hic omnino vſum habet: ſubiectis enim frigidis decocta, ex peregrinis *calidioribus* parata, iuncta etiam *eſſentia* lignorum, egregie conueni-

veniunt; ſiccioribus autem & cholericis hæc diſſuadentur,& temperata magis,e.g.rad. ſarſaparillæ,chinæ,cum noſtratibus etiam temperatis, quæ virtutes ſuas tacite quidem, ſed ſatis efficaciter,præſtant,commendantur.

4. Diuerſa tractatio diuerſo luis gradui debetur: quamuis enim fortior methodus, quæ grauius malum ſuperat, cenſeri videatur, ac ſi leuiorem morbum tanto facilius profligatura ſit: hic tamen regula illa: *quod poteſt maius, poteſt etiam minus*, non abſolute vera obſeruatur: neque etiam conſultum eſt, leuiori malo operoſius, immo non omni periculo carens, remedium opponere.

5. Quem ad modum enim validiora remedia mercurialia cauſſam morbi, teneriorem adhuc & ſubtiliorem, non ſatis adſequi & ſubigere poſſunt, ſed potius vltimis ipſius corrupti corruptelis & morbi productis magis quadrant: ita leniora e lignoſis præſidia, quæ ſubtilioribus huius indolis corruptelis efficaciter opponuntur,grauiori atque craſſiori materiæ minus ſufficere, non ſolum experientia, ſed & ſanæ rationis dictamen, confirmat.

6. *Lignoſa*, in malo iam magis effero, abſolute neceſſaria ſunt, cum moderata, ſed adſidua, commotione ſudatoria; quæ tamen in mitiore morbo ſub medicamentis huius claſſis penetrantioribus, quibus rad. pimpinell. alb. optimo iure accenſetur, non æque requiritur.

7. *Sudatio* ſub multis tegumentis non eſt conſulta, cui illa præferenda, quæ fit in lecto libero, mit Spriegeln, ſpiritu vini accenſo.

8. *Diureſis* ſub diaphoreſi non negligenda eſt: materia enim craſſa,mucido-ſalina per ſudorem non eliminatur. Vnde tincturæ alcalinæ, e.g. tinct. antimonii. bene acris, huic ſcopo egregie ſatis faciunt.

9. *Amara*, in primis *fumaria*, inquinamentum humoribus penitius inſinuant, & corruptelas reddunt feruidiores.

10. *Acria antiſcorbutica* maiorem acrimoniam corruptelæ venereæ ſuperaddunt. Hinc in complicatione luis venereæ cum ſcorbuto caute & placide omni gerantur: in ſtatu dubio proſunt decocta temperata lignoſa cum tinctu-

ſturis alcalinis, item catarrhalibus, eſſent. ſuccini &c. donec alterutrius maior vis & corruptela innoteſcat.

11. Quando ſub ſaliuatione corporis & animi debita continentia prætermittitur, tota laborioſa operatio non ſolum irrita, ſed & periculoſa, immo ſæpe funeſta, obſervatur.

12. *Venæſectio*, ad præcautionem inſtituta, moleſtias in ptyaliſmo ſubeundas, quodam modo ſubleuat, præcipue in plethoricis.

13. *Vires* præ omnibus conſiderandæ, num ad ſaliuationem, quæ grauia ſymptomata. v.g. tumores faucium, vacillationem, immo adroſionem & caſum dentium, ardores pruriginoſos, dolores capitis, agrypniam &c. infert, ſufficiant.

14. Differentia autem habeatur inter illum virium defectum, qui ab indiuidui ſtatu, & inter eum, qui a morbi crudiore coagulo, profundius & longius iam inhabitante, dependet. Hic ſi cuneus mitior adhibeatur, & curatio ob virium defectum iuſto maturius abrumpatur, irritum eſt negotium vniuerſum: præſtat potius ibi analepſi gelatinoſa vires reficere, & medicationem legitime continuare.

15. *Diarrhœa ſanguinolenta*, ſub ptyaliſmo cooriens, non eſt melioris notæ, & æger ad medicationem talem moleſtam perferendam vix ſufficiet. Expoſcit autem diarrhœa clyſteres lenientes, e decocto hordei & lacte cum oleo amygdal. dulc. & vitellis ouorum paratos.

16. Omnia illa ſubiecta ad ſaliuationem perferendam inepta ſunt, quæ vitio aliquo viſcerum, in primis pectoris, laborant.

17. Quando autem dolores ſub ſaliuatione miteſcunt, immo evaneſcunt, vlcera exſiccantur, & bubones pereunt, cum de felici curæ ſucceſſu non dubitandum eſt.

18. Saliuatio per externa mercurialia præferenda eſt illi, quæ per interna excitatur, niſi forte hæc illis ſuccurrere debeant.

19. *Vn-*

19. *Vnguenta* mercurialia præſtant emplaſtris ſegnioribus, ex mercurio & gummi-reſinis præparatis.

20. *Suffimigium* per mercurium, vel cinnabarim, prunis iniectam, penetrans quidem eſt, ſed incertæ efficaciæ; caput etiam, & pectus a fumo tali, niſi in ſtupha adhibeatur, facile offenduntur: vnde præſtat inunctio partium exſanguium, tendinoſarum; vbi ſpinæ dorſi parcendum, ne ſtupores & paralyſes introducantur.

21. *Aqua mercuriali* extrinſecus vti, periculoſum eſt.

22. Vſus *mercurii corroſiui*, quem *Blancardus* loco mercurii dulcis commendat, turpethi mineralis, arcani corallini, non ſuadetur, cum tutiora & meliora nobis ſuppetant.

23. In *gargariſmatibus*, ſi adſtringentia adhibeantur, ſaliuatio impeditur. Sic etiam acida & refrigerantia eamdem præpediunt.

24. *Saliuatio* ad minimum ſufficiens ſit, ne repetitio cum maiore periculo neceſſaria euadat; ſatis autem eſt, quando poſt materiam fluidiorem, muco ſimilem, ſpiſſa fœtida ſaburra magis magisque eiicitur: deſiſtendum, ſi tormina, vomitus, diarrhœa, ſpaſmi, ſtupores ſuperuenerint, & diapnoicis inſiſtendum: in primis autem ab vſu mercurii interno tum deſiſtere conuenit, quia hæc accidentia hunc magis, quam externum vſum comitantur.

25. Saliuatio *ſpuria*, ſeu *ſputatio* per medicamenta ærea, ab *Heluetio* commendata, ſatis quidem efficax, ſed periculo ſtipata eſt: graues enim ventriculi & inteſtinorum perturbationes, nauſeam diuturnam & flatulentias generat, immo multi inde in hydropem coniiciuntur. Proprie enim non eſt ſaliuatio, ſed tantum ſputatio ex ventriculo & faucibus ſcaturiens, a conſtrictis partibus externis, & repulſione humorum verſus ſtomachum proueniens. Vnde nauſea continua. *Glandulæ* autem *ſaliuales* nullo modo adficiuntur.

26. *Vlcerum* externorum venereorum tractatio ſine præmiſſa interna & iuſta medicatione intuta eſt, & nullius etiam effectus; ſpeciatim adſtringentia materiam gummatum

tum Gallicorum repellunt, vt deinde oſſa adrodere ſoleat.

27. Si vna ſaliuatione malum non penitus exſtirpetur, tum repeti illa poteſt, maxime ſi prior libere ſucceſſerit, & æger ſit robuſtus.

28. Quando autem malum quibuscumque methodis non cedit, tum iuſta ſuſpicio ſubeſt, quod in illo loco, vbi profundiores ardores ſentiuntur, oſſis adroſi corruptio hæreat, & chirurgicam manum exſpectet, v.g. cranium adroſum dolores capitis continuos per aliquot ſæpe annos excitat, & omnem medicationem internam adſpernatur.

29. Vbi vires præſto ſunt, ibi ſaliuationi laxatio ex mercurio dulci, vel clyſtere, interponatur, prætermiſſa illo die inunctione.

30. In *ſaliuatione nimia* ſulphur adhibere, aut regimen ſudoriferum, minus conuenit, aluus potius leniter laxetur, & inunctio, vti modo dictum, illo die omittatur, ac, quod reliquum eſt, naturæ commendetur.

31. *Eſſentia pimpinellæ* albæ optime ſe gerit in turbis & moleſtiis, a mercurio ſubnatis; eiicit quoque, ſi quid forte mercurii in corpore adhuc latitet, deglutiendo gutt. 12-15. ſine vehiculo, quæ ardorem quidem fremebundum, mox autem ſine noxa euaneſcentem, excitat.

32. *Radicem chinæ Thonerus* tamquam ſpecificum commendat, id quod vſus docebit.

33. Lenis *diaphoreſis* ſub ipſa ſaliuatione non ſolum conuenit, ſed etiam quodam modo neceſſaria eſt, neque facile timendum, vti auctores quidam, alii ex aliis, mutuo transſcribunt, ne ipſa ſaliuatio per eamdem ſufflaminetur, vtpote quod non, niſi *confertim* inſtituta & continuata, efficere ſolet.

34. Itaque regimen directe ſudatorium, (non autem lenior diaphoreſis) vti ſaliuantem mercurii effectum impedit, ita, quamdiu mercurius in humoribus oberrat, nudæ euacuationes diaphoreticæ metum faciunt, ne *partibus* altius ſeſe impacturus ſit: vnde grauiſſima pathemata, nem-

nempe paralyſes, tremores, dolores ſpaſtici, ariduræ, inducuntur.

35. Maiore adhuc circumſpectione indiget enchireſis illa, hodie circumgeſtata, quæ mercurium *non ſaliuantem* præparare & exhibere docet: falſiſſimum enim eſt, illum non mouere ſaliuationem, ſed in eo tantum enchireſis conſiſtit, vt cum regimine ſudorifero exhibeatur; quo intuitu *quilibet* mercurius, niſi enormibus plane doſibus ingeſtus, ſaliuatorium effectum amittit.

36. In malo grauiore, maxime ſub ſaliuatione, *diæta* ſit tenuis, euchyma, non autem aromatica, liquidorum præcipue ciborum, quos dentium, ad mandendum ineptorum, conditio etiam expoſcit, cum potu hordeato, diluto lignorum decocto, aut cereuiſia optime defæcata: ſalſa ſane & acida adſumta mercurium deteriorem reddunt, cruda vero & craſſiora vias & ipſas excretiones temerant.

37. In primis æger iuſtam *caloris* conſeruationem cordi habeat: abſtinendo a motu inquieto, in grauiore malo certiſſime noxio, item a liberi aëris, maxime frigidi, admiſſione, quæ ſaliuationem reprimit, & damna fere irreparabilia adfert.

38. Chirurgorum *ſeptica metallica* nocent, & ad malos in oſſibus euentus ſæpe contribuunt.

39. *Bubones* venerei non ſponte tendunt ad ſuppurationem, & hinc ad gonorrhœæ reuocationem ſufficiens tempus concedunt. Empl. de galban. matricale cum ſuccino, per terebinthinam ſoluto, mixtum mirifice *bubones* reſoluit, & materiam hanc per gonorrhœam, vel fluorem album eliminat. Dicitur alias *vnguentum Paracelſi*, quod in vulneribus venenatis commendat.

40. *Mercurii dulcis* doſes ad grana 20. immo 30. augere, vti vulgo commendatur, neque neceſſarium, neque conſultum ducitur.

# TABVLA XCVII.

## DE VITIIS SVDORIS.

I. D*EFINITIO.*

Vitia ſudoris *triplici* reſpectu conſideranda veniunt:

1. Vel enim ſudores ſunt *nimii,* qui matutino præcipue tempore poſt horam tertiam, in aliis periodice, in aliis fere quotidie, erumpere ſolent.
2. Vel adſueti ſudores ſunt *ſuppreſſi*, vnde varia pathemata ſuccedunt.
3. Vel dantur ſubiecta, in quibus ſingularis plane ad ſudandum *difficultas* obſeruatur.

II. *SVBIECTA.*

1. *Nimii ſudoris.*
   1) Homines plethorici, temperamenti ſanguineo-phlegmatici, ſpongioſi, qui, quando leuiter ſolum corpus mouent, ſudorem copioſum ſtatim experiuntur.
   2) Talia ſubiecta ad ſudores etiam nocturnos, præcipue circa æquinoctia inclinant.
   3) Hectici, quando ad mortem properant, copioſos tales ſudores incurrunt.
2. *Suppreſſi ſudoris.*
   1) *Infantes,* quando, ſudore madentes, per imprudentiam matrum vel aliarum aëri exponuntur.
   1) *Adultiores,* qui conſueta huius excretionis tempora negligunt, vel corpus in ſudore conſtitutum immodeſtius refrigerant.
3. *Difficilis ſudoris.*
   1) Difficultas ſudandi in illis præcipue corporibus deprehenditur, quæ dyſcraſia humorum lenta, mucida, ſpiſſa, laborant.
   2) Non minus etiam in ſubiectis teneris, ſenſibilibus, macilentis, ebullitioni ſanguinis obnoxiis.

III. *CAVS-*

III. *CAVSSAE.*

1. *Nimii ſudoris.*

Hecticos ſudores, in quibus *paſſiuus magis* fluxus occurrit, ſi excipiamus, reliquæ ſudoris copioſi excretiones pro cauſſa *efficiente* agnoſcunt principium *actiuum* vitale, quod plethoram, tamquam cauſſam *materialem*, facta ſanguinis in ſerum reſolutione, imminuere intendit.

2. Cauſſæ ſudoris *ſuppreſſi* & *difficilis* ex iis eluceſcunt, quæ præcedente membro de ſubiectis dicta ſunt.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Sudor *nimius*, ſibi relictus, licet vires aliquo modo exhauriat, tanti tamen non eſt periculi, quam ſi vere cohibeatur.

2. Quando autem talis ſudor copioſus, cum hectica coniunctus eſt, ſtatum conclamatum deſignat.

3. Sudores *ſuppreſſi* pro ætatis & ſubiectorum diuerſitate modo adfectus cutaneos, ſcabiem, cruſtam lacteam; modo catarrhales, coryzam, grauedinem; modo congeſtiones, febres, inflammationes, immo conuulſiones, inducucunt.

V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quam diu ſudores tolerabiliter adhuc procedunt, licet *nimii* videantur, leniter potius promouendi quam ſupprimendi ſunt: hinc tranquilla corporis continentia, moderatus calor, & ſufficiens dilutus potus, ne ſanguis multa ſudatione ſpiſſeſcat, commendantur.

2. Quando autem ſub hiſce ſudoribus vires nimium concidunt, temperantia nitroſa per diem, & gemmata cum leni anodyno verſus ſomnum locum habent, e. g. exhibeatur ter vel quater puluis antiſpaſmodicus, cum abſorbente quodam citrato remixtus, & verſus noctem huic puluerl grana IV. ſpecierum de hyacintho cum gran. I. M. P. de cynogloſſa adiiciantur.

3. Sudores *hectici* tractentur ſecundum methodum, quæ tabula de febre hectica indicata eſt.

4. In ſudoribus *ſuppreſſis*, & pathematibus anxietatis, immo

febrilium commotiouum, ſuccedentibus, ſequens medicatio inſtituatur:

1) Ante omnia nitrum cum abſorbente quodam & antimonio diaphoretico ſingulis ternis horis exhibeatur, in primis ſi Medicus mature vocatus ſit, ad ſummum poſt duodecim horas: hac enim ratione deterior ſucceſſus ſæpius præoccupatur.

2) Quieta corporis continentia iniungatur; quæ quantum ad ſudoris reuocationem contribuat, experientia confirmabitur.

3) Potus calidus thée, coffée, vel infuſum herb. ſcordii, præcipue illis, qui huic rei adſueti ſunt, propinetur, interpoſita ſubinde refracta, ſed repetita doſi eſſentiæ alexipharmacæ *Stahlii.*

4) Aluus, ſi nulla adſit febris maligna, exanthematica, vel leni clyſtere, vel alio laxante balſamico remedio aperiatur.

5) Vbi autem per eius modi ſuppreſſionem ſudoris verus iam morbus inductus eſt, ibi ad hunc potiſſimum in medicatione reſpiciatur.

5. Qui *difficulter* vel *plane non* ſudant, iis *radix ari* cum vino, vel etiam cochlear. I. aceti exhibeatur, & calidus hauſtus ei ſuperingeratur; ſub quo remedio, ſi modo in lecto vel alias quietam continentiam ſeruent, eximio ſæpius ſudore adficiuntur. Reliqua cum ſudorum ſuppreſſorum tractatione conueniunt.

VI. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Sudores *copioſi*, licet per aliquot menſes continuent, numquam tamen Medicum eo perducant, vt per adſtringentia hanc excretionem cohibeat: grauia enim ſymptomata, quæ preſſo pede ſequuntur, longe maioris ſunt conſiderationis, quam virium aliqua debilitatio, per illos ſudores inducta.

2. Ad ſudores ſuppreſſos *reuocandos* remedia calida, ſanguinem exagitantia, & regimen calidum, minime conueniunt, e.g. alexipharmaca acria, olea deſtillata ſiue volatilia, ſiue empyreumatica.

3. Tan-

3. Tanto magis autem excalefactoria diaphoretica eius modi ſubiectis nocent, quæ ad ſudandum difficilia ſunt: ſudor enim non procedit, hinc orgasmus ſanguinis augetur.

4. Ad hoc incommodum euitandum eximie inſeruit, remedia talia refracta & repetita doſi exhibere, e.g. eſſent. alexipharm. ad gutt. XX. poſt 4-6. horas repetendo: interpoſito puluere ex antimon. diaphoret. cum abſorbente, &, ſi lentor humorum præſto ſit, ſale digeſtiuo; præſente autem ſanguinis orgasmo nitrum coniungendum eſt.

5. *Venæ ſectio* tempeſtiua & opportuna multum prodeſt ad promouendos ſudores, de qua re videatur diſſertatio D. D. *Stahlii de vena ſectione in acutis.*

6. In chronicis malis *balnea* egregie conducunt ad ſudorem eliciendum: humidus enim illorum vapor, corpori adlabens, aperit poros; quando autem caput a calore in balneis adfligitur, & hinc maiores verſus caput congeſtiones & ſanguinis ebullitiones oriuntur, *ſtupha ſicca* ſeu *balneum Laconicum* locum habet, ſed neque ibi nimio ſicco calore corpus calefaciendum eſt, effectus enim non ſemper obtinetur, & ſic, commotis humoribus, pathemata exacerbantur.

7. Præſtat autem puram aquam dulcem ad balnea adhibere, quam vinum, quod tonico potius ſcopo inſeruit; ab aceti vero adſtringentibus caloribus & vaporibus cauendum eſt.

8. *Frictiones*, tum in balneis, tum in ſtupha ſicca, ſiue manibus ſiue pannis mollioribus peractæ, poros relaxant, & hinc ſudorem egregie promouent; quæ frictiones in ipſis etiam lectis, adparente aliquo madore, locum habent, quando exanthemata non bene procedunt; cauendum tamen, ne ſub hoc actu frigore corpus percellatur.

9. Sic etiam in promouenda ſudatione ab omnibus *adſtringentibus* abſtinendum eſt, e.g. a rad. biſtortæ, tormentillæ, immo in ſenſibilioribus ab ipſis coralliis, multo

 magis

magis a terris ſigillatis in febribus, quo nomine etiam puluis *pannonicus ruber* ſuſpectus eſt.

10. In talibus caſibus, inprimis febribus, *theriaca* a gran. XX-XXX. verſus noctem dari poteſt, niſi paroxyſmus in illud tempus incidat; quo caſu aliquot horas ante vel poſt præcipuum eius impetum exhibenda erit; *extractum* autem *theriacale* moderatiſſime ſumendum eſt, plurimum enim de *opio* participat.

11. Ad promouendam ſudationem multum etiam conferunt *veſicæ*, aqua calida repletæ, & pedibus, axillis, ſcrobiculo cordis, inguinibus, adligatæ. Sic etiam propior pedum calefactio admota lagena vſum ſuum præſtat.

12. Si ſudores in *infantibus* repellantur, mox male ſe habent, & æſtu febrili, immo conuulſionibus ſubinde funeſtis, corripiuntur; quo caſu in moderato calore ſeruentur, abſorbentia fixa ipſis propinentur, nutrici vero eſſentia alexipharm. ad gutt. 30-35. exhibeatur. Conducit quoque fruſtulum camphoræ collo adpendere.

## TABVLA XCVIII.

### DE STRANGVRIA, DYSVRIA, ET ISCHVRIA.

I. DEFINITIO.

1. *Stranguria* eſt difficilis vrinæ excretio, guttatim tantum contingens, & dolore ſpaſmodico circa ſphincterem & collum veſicæ ſtipata. Deriuatur a στράγξ, gutta, & οὖρον, vrina.

2. *Dyſuria* eſt difficultas mingendi, cum ingente niſu & preſſione coniuncta, aliquando a renum, aliquando a veſicæ vitiis originem ducens. Deriuatur a δὺς, ægre, & οὖρον, vrina.

3. *Iſchu-*

3. *Iſchuria* eſt vrinæ per aliquot ſubinde dies ſuppreſſio, ita vt ne quidem ſtimulus ad eam excernendam ab ægro ſentiatur. Deriuatur ab ἰσχὺς, validus, & οὖρον, vrina.

## II. *DIFFERENTIA.*

1. Hæc vrinæ vitia non niſi *gradu* differunt:
   1) In *ſtranguria* mingendi difficultas tolerabilior eſt, & ſenſum magis frigoris, quam ardoris inuoluit, & licet guttatim tantum procedat, ratione tamen temporis & quantitatis celerius ac copioſius excernitur, quam in *dyſuria*.
   2) *Stranguria* eſt quaſi medium quid, & morbus ex *iſchuria* & *dyſuria* compoſitus. De reliquo eſt vel tranſitoria, vel durabilis; Item vel idiopathica, vel ſymptomatica nephriticorum.
   3) *Iſchuriæ* diuiſio in *propriam*, in qua vrina ob veſicam nimium repletam & accedentem ſpaſmodicam tenſionem ſuppreſſa dicitur, & *impropriam*, vbi nulla talis vrinæ abundantia, ſed alia impedimenta ſubeſſe putantur, in praxi habet vtilitatem.
2. Cum hiſce malis non debet confundi *ſimplex* vrinæ imminutio, quæ vel poſt largos ſudores, vel diarrhœas, vel exiguum potum contingit, & ſine doloribus ordinarie manifeſta eſt.

## III. *SIGNA.*

1. *Strangurie.*
   1) Frequens irritatio ad mingendum.
   2) Excretio vrinæ modo guttatim, modo paullulum notabilius procedit.
   3) *Inter* mingendum ſenſus magis frigeſcens, *poſt* mictum vero ardor ſentitur.
   4) Succedunt reliqui corporis frequentes horripilationes.
2. *Dyſuriæ.*
   1) Difficultas mingendi, ita vt æger cum ingente niſu & preſſione vrinam exprimere cogatur.
   2) Dolores ſumme æſtuantes, non ſolum *ſub* vrinæ excretione

tione adfligentes, ſed etiam poſt eamdem aliquamdiu perſeuerantes.

3. *Iſchuriæ.*

1) Vrinæ excretio per aliquot dies plane ceſſans, vix accedente aliqua ad eamdem inclinatione.

2) Vbi a vitio veſicæ malum dependet, ibi æger de ſenſu preſſionis & tenſionis in regione pubis conqueritur.

3) Quando autem renes vel vreteres in culpa ſunt, tum dolores lumbares, iſchiadici, interdum cardialgici, immo ipſe vomitus, iunguntur.

4) Si tumori inflamatorio originem debet, dolores ſunt lancinantes, æſtuoſi, & calor corporis præternaturalis.

## IV. *SVBIECTA.*

1. *Stranguriæ.*

1) Hanc plerumque incurrunt homines, qui uno eodemque tempore potum variant, vel talem fæculentum & fermenteſcentem bibunt; quo etiam muſtum referendum eſt.

2) *De potu verſus ſomnum vid. cautel.*

3) Qui abdominis refrigerationem immodeſtam admittunt.

2. *Dyſuriæ.*

1) Hæc corripit ordinarie nephriticos vel calculoſos, nonnumquam etiam illos, qui ſub ſtranguria nominati ſunt, vel cantharides adhibuerunt, vnde eroſio colli veſicæ exorta fuit.

2) Conſpirat etiam ſubinde cum motibus ſpaſticis, in ſtatu hyſterico occurrentibus.

3. *Iſchuriæ.*

1) Huic obnoxii ſunt homines potiſſimum plethorici, ſanguinei, ætatis maxime iuuenilis & virilis.

2) Qui calidis, ſpirituoſis & diureticis abutuntur.

3) Qui ſubſequentibus cauſſis aduentitiis obnoxii fiunt.

## V. *CAVSSAE.*

1. *Stranguriæ.*

1) Cauſſa *proxima* eſt ſpasmodica colli & ſphincteris veſi-

cæ

cæ conſtrictio, ad excutiendum aliquid circa hæc loca moleſtum.

2) Hinc fermenteſcens vrinæ acrimonia, quæ vulgo hic adlegatur, hoc negotium non exhaurit.

3) Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* in deſcriptione ſubiectorum iam indicatæ ſunt; quibus in ſymptomatica ſtranguria adhuc accedunt nephritica pathemata.

2. *Dyſuria.*

1) Dyſuria interdum a renum, interdum a veſicæ vitiis dependet, & pariter pro cauſſa *proxima* ſpasmodicam colli & ſphincteris veſicæ conſtrictionem agnoſcit.

2) Cauſſæ vero occaſionales & procatarcticæ in *ſubiectis* denominatæ ſunt, quibus adnumeranda eſt diæta ſalſa, acris, cruda, aromatica.

3. *Iſchuria.*

1) *Hippocrates* iam obſeruauit, iſchuriam ſeu vrinæ ſuppreſſionem ſæpius a plethora prouenire; cuius rei *Riuerius* duo habet exempla.

2) Facta ſcilicet vndecumque ebullitione ſanguinis, congeſtio fit ad renes, hinc oppletio meatuum exoritur, cui facile accedit ſpaſtica ſphincteris veſicæ contractio.

3) Cauſſæ *procatarctica* & aduentitiæ ſunt:

a) Calculus, ſabulum, vermis, grumus ſanguinis, vel purulenta quædam materia, collum veſicæ obſtruens.

b) Caruncula venerea, tumor inflammatorius.

c) Grauiditas, tempori partus adpropinquans.

d) Teneſmus ob connexionem inteſtini recti.

e) Copioſus potus, neglecta dehinc mictione.

f) Violentiæ externæ.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. *Stranguria* ſimplex & idiopathica plus incommodi, quam periculi, inuoluit.

2. Quo ſæpius autem recurrit, eo certius nephritidem calculoſam prænunciat.

3. Senibus periculoſior eſt, quam iunioribus. Conferatur *Hippocrat. aphor. 44. ſect. VI.*

4. *Dyſuria* eiusdem fere cum ſtranguria eſt prognoſeos.
5. Quo diutius dolores infeſtant, eo magis febris vel conuulſio pertimeſcenda eſt.
6. *Iſchuria* autem longe periculoſior exſiſtit, maxime ſi iam per aliquot dies durauerit; ante ſeptimum enim diem niſi tollatur, febris inflammatoria ſuccedit, quam præceps ſæpe ſphacelus & mors cum ſingultu & conuulſionibus excipiunt.
7. Diſponit etiam iſchuria ad hydropem, ſicut viciſſim hydropici hoc ſymptomate anguntur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Stranguria* & *dyſuria* vna eademque methodo tractantur, nempe
   1) *Acrimonia* materiæ fermentatitiæ in ſanguine oberrans, & nouos ardores, facta circa renes congeſtione, inducere valens, eſt obtundenda.
   2) Motus *ſpaſtici* ſunt demulcendi.
   3) Vtræque hæ indicationes nullo remedio præſentius & tutius expediri poſſunt, quam nitro, ſiue ſolo, ſiue cum ſale abſterſiuo, vel abſorbente acido ſemiſaturato, & portiuncula cinnabaris, remixto, ac ſæpius per diem ad ſcrup. I. exhibito.
   4) Conducunt etiam emulſiones ex ſemin. card. Mariæ, bardan. papau. alb. ol. amygdal. dulc. cum ſaccharo cand. Item pilulæ ex terebinth. coct. gummi Arabico, decoct. hordei cum rad. glycyrrhizæ, ſcrup. althææ, potus calidus dilutus: ſubiunctis tandem roborantibus ex cortice aurant. nuc. moſchat, gemmat.
   5) *Externe* conducunt.
      a) Seuum hircinum, vmbilico calide illitum.
      b) Cepæ toſtæ, cum butyro frixæ, & regioni pubis adplicatæ.
2. *Iſchuria*, pro diuerſitate cauſſarum, diuerſas requirit medicationes.
   1) Ante omnia aluus aperiatur per clyſterem emollientem, ex veronica paratum: hac enim ſoluta, ſpes maior eſt ad vrinæ prouocationem.

2) De-

2) Deinde, ad ſtaſin inflammatoriam in abdomine præoccupandam, & materiam peccantem temperandam, exhibeantur nitroſa, abſorbentia, & cinnabarina.

3) His præmiſſis reſpiciantur cauſſæ ſpecialiores.

4) Vbi plethora, orgaſmus ſanguinis, & illius ad renes congeſtio peccat, ibi, niſi prædicta ſufficiant, venæ ſectio in pede inſtituatur, externe autem vnguentum *Comitiſſæ* camphoratum adplicetur.

5) Quando ſpaſtica renum & vreterum conſtrictio hoc malum fouet, relaxantia in vſum veniant, e.g.

a) *Interne* puluis antiſpaſticus ſæpe repetitus, laxantia ſennata, paſſulata, cum ſemin. carminat.

b) *Externe* balnea, linimenta oleoſa paregorica ex vnguento *Comitiſſæ,* refrigerante *Galeni,* cataplaſmat. emollient. fotu carminatiuo lumborum.

6) Si *calculus*, mucus tenax, grumus ſanguinis, vermis, vrinæ prouentum impediat, præter clyſterem & pulverem antiſpaſmodicum, cateter adhibeatur; vel, calculo vrethræ impacto, iniectione oleorum in eamdem aliquid tentetur.

7) *Nephritis* quando in cauſſis eſt, hæc primario reſpiciatur, & ſecundum methodum, tabula de nephritide commendatam, tractetur.

8) *Caruncula* venerea, ſi obſiſtat, methodo chirurgica ſepticis abſumatur, & in grauiore malo cura venerea coniungatur.

9) Tumor inflammatorius, ſi collum veſicæ obſideat, diſcutientibus & reſoluentibus internis ac externis ſoluatur.

10) Eroſione aut vlceratione præſente, balſamica vſui ſunt, præcipue pilulæ, ex terebinthina cocta paratæ.

11) In *infantibus* iſchuriam expediunt: lapis percar. præparat. ſolutio conchar. & catarrhalia, nutricibus propinanda.

12) Deinde quando vrina aliquo modo iterum ſuccedit, lenia diuretica ſubiungantur, e.g. ſem. dauci, bardanæ,

næ, violarum, bacc. alkermes, ſucc. raphani; inter poſitis ſubinde laxantibus.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. In omnibus vrinæ vitiis *cauſſæ antecedentes* probe explorentur, quia peritæ prognoſi & tutæ tractationi inſeruiunt.

2. Si vſquam alibi, certe in hoc lumborum & renum malo ab *opio* abſtinendum eſt. Calculo autem in veſica hærente & grauius vrgente, M.P. de cynogloſſa locum habet, coniuncto vſu clyſterum & pulueris antiſpaſmodici.

3. *Diuretica*, vere ſtimulantia, præcipue ante materialis cauſſæ & ſpaſmorum remotionem vſurpata, augent adfluxum humorum, dolores & anxietates.

4. *Emulſiones* ex aquis diapnoicis, diſcutientibus, amygdal. & ſem. card. Mariæ, lappæ maior. vſum habent, quando per ipſa initia malum pertinacius ſe gerit, & aliis medicamentis non ſtatim obſequitur.

5. *Clyſteres* emollientes, ex herbis & radicibus leniter lubricantibus & carminatiuis, cum multo ſale & oleo anethi, chamomill. parati, ad vrinam leniter expediendam non contemnendi ſunt. Pro vno clyſtere ſalis communis vncia ſemis ſumatur; ſi vero ſal gemmæ magis placeat, drachmæ II. ſufficiunt.

6. *Nitrum* tantum hic præſtat, quantum ab vllo alio medicamento exſpectari poteſt, modo in ſubſtantia exhibeatur: acidum enim illius ſpiritum intra corpus ſumere, non adeo conſultum eſt, ſiquidem in maiore copia corroſiuus, in minore vero inefficax deprehenditur. Sic etiam *dulcis nitri ſpiritus* eſt ſatis potens diureticum, & ad vrinam excernendam multum ſtimulat.

7. In viarum vrinariarum, vti & pectoris chronicis pathematibus, *vrina* tempore exacerbationis eſt tenuis, clara & ſanis ſæpe ſimillima, extra paroxyſmum autem turbida adparet.

8. *Virga aurea Gesneri*, & *hedera terreſtris*, tamquam ſpecifica paſſim quidem commendantur, ſed conſpicuam efficaciam non exhibent; quod ſi tamen ex herbarum talium

um traumaticarum cenſu aliquid tentare placeat, viæ prius & excretiones expediantur, alias, ſi ſperatum ſpecialem effectum non exhibeant, generalem adſtrictorium tanto certius exſerunt, & hac ratione incommoda augent.

9. Semen *violarum Crato* & *Hoffmannus* ſingulari encomio efferunt.

10. Syrupus *althææ*, cum cochlear. vini ſumtus, præſentem opem ferre laudatur: id quod remedium *Argentorati* vſitatiſſimum eſt.

11. *Tali leporum*, forma pulueris adhibiti, in ſpaſmodica renum conſtrictione ſpecifice laudantur.

12. *Teſtæ ouorum* calcinatæ in vino Rhenano exhibitæ, eximiæ virtutis prædicantur, *vid. praxis Barbette*, aluus autem ſemper prius ſoluatur.

13. *Stranguria* auſcultat ſæpiſſime ſolis diluentibus calidis, e. g. thée, coffée, tanta copia adhibitis, donec lenis diaphoreſis ſuccedat, coniunctis, ſi neceſſarium videatur, temperantibus, nitroſis.

14. In *dyſuria*, a cantharidum vſu inducta, lac calidum copioſum bibatur. Illuſtris *Boyle* ſaponem Venetum in hoc caſu maxime extollit.

15. *Venæ ſectiones* tempeſtiuæ frequentes commotiones præoccupant.

16. Notus eſt vir quidam 30. circiter annorum, qui per integrum annum frequente *ſtranguria* vexabatur. Adhibebantur multa remedia, ſed ſine effectu. Tandem interdicebatur ei potus, qui verſus ſomnum illi familiaris erat, a quo tempore omnis ſtranguria euanuit, licet per diem eadem cereuiſia ſemper vſus fuerit.

## TABVLA XCIX.

### DE

# INCONTINENTIA VRINAE.

I. DEFINITIO.

Incontinentia vrinæ eſt inuoluntaria huius liquoris excretio, vel continenter vel per interualla contingens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Incontinentia vrinæ duplici modo conſideranda eſt:
   1) Alia enim in dormientibus tantum ex peruerſa conſuetudine contingit.
   2) Alia vero a paralytica ſphincteris veſicæ læſione dependet: hæc continuo quidem, ſed guttatim ſolum procedit, & hinc *ſtillicidium* vocatur.
2. Diuiditur etiam in
   1) *Idiopathicam*, a modo dictis cauſſis dependentem, &
   2) *Symptomaticam*, moribundis aut prægnantibus, ſub tuſſi, ſternutatione aut cachinno, euenientem.

III. *SIGNA.*

1. Hæc per ſe ſatis ſunt manifeſta, & ex iis, quæ ſub *differentia* dicta ſunt, magis eluceſcunt, nempe
2. In aliis vrina nocturno tempore præter voluntatem notabili quantitate excernitur.
3. In aliis autem, qui paralyſi ſphincteris veſicæ laborant, vrina dies noctesque per ſtillicidium procedit.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Infantes* quando dormiendo vrinam emittunt, pro morbo non reputatur.
2. Vbi autem hæc actio ex immorigera conſuetudine in ætatem puerilem & vlterius tranſit, grauiore momento æſtimanda eſt.
3. *Stillicidio* vrinæ laborare obſeruantur:
   1) Puerperæ, ruditer in partu tractatæ, in primis primiparæ *ſeniores* poſt dyſtociam.
   2) Paralytici annoſiores.
   3) Calculoſi, præcipue poſt imperitam lithotomiam.
   4) Hæmorrhoidarii, vel a ſuppreſſione fluxus huius conſueti, vel ex fiſtulis hæmorrhoidalibus, ad veſicæ collum vſque ſerpentibus.
   5) In apoſtemata veſicæ, lapſus, contuſiones externas circa hæc loca deuoluti.

V. *CAVSSÆ.*

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa mictionis ſub ſomno in mala conſuetudine ſæpius quærenda eſt, accedente dormientibus iſtis phantaſtico mingendi deſiderio. Interdum autem vitium aliquod veſicæ, e.g. concretio, reperitur,
2. Cauſſa vero *ſtillicidii* vrinæ eſt vel paralyſis ſphincteris veſicæ, vel violenta partium continentium læſio, diſſectio, laceratio, ruptura.
3. Cauſſæ *occaſionales* & *violentæ externæ*, in deſcriptione ſubiectorum denominatæ ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Mictio nocturna, quæ dormientibus ex peruerſa tantum conſuetudine euenit, nec adeo inueterata eſt, ſæpius admittit curationem.
2. In febre *acuta* inuoluntaria talis mictio ſignum eſt agonizantium; facta autem in ſtatu deliro exceptionem admittit.
3. Stillicidium vrinæ, a paralytica ſphincteris veſicæ deſertione, ſiue ſpontanea, ſiue violenta, dependens, quo diutius durauit, eo inſanabilius iudicatur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Mictio *inuoluntaria nocturna* iuniorum optime tractatur.
   1) Minis & virgis, ad negligentiam coërcendam. Vbi autem vitium veſicæ ſuſpectum merito eſt, his remediis nihil efficitur.
   2) Prouida diæta, denegando eis poſt meridiem potum copioſum, iniungendo verſus ingreſſum lecti vrinæ miſſionem, & detinendo illos a diureticis.
   3) Vbi autem *atonia* tandem in culpa eſſe deprehenditur, roborantia & ſpecifica, inferius denominata, adhibeantur.
2. Stillicidium vrinæ, a paralytica ſphincteris veſicæ deſertione dependens, expoſcit.
   1) *Roborantia neruina.*
      a) *Interna*, qualia ſunt ſic dicta antepileptica, cinnabarina, coralliata, gemmata, item gummi iuniperi maſtich. ſuccin. eſſent. cortic. aurant. nucis moſchat.

b) *Ex-*

b) *Externa*, e.g. herb. ſerpill. roriſmarin. ſalu. puleg. maioran. betonic. origan. item caſtor. lumbric. terreſtr. in ſacculo cum vino cocta & calide adplicata. *Balſam.* ex oleo nucis moſchat. expreſſ. cum oleis deſtillatis ſerpilli & ſuccini mixt. & perinæo adplicat. item *therma*, *fomenta* e ſuccino, thure, maſtiche, accenſis.

2) *Specifica* prædicantur:

a) Guttur galli, caponis, toſtum & in vino rubro propinatum: tunicæ interiores ventriculi gallinarum combuſtæ.

b) Teſticuli leporis combuſti.

c) Cinis murium.

d) Veſica apri cum lotio combuſta: vulua ſuis quocumque modo vſurpata.

e) Piſcis a lucio piſce deglutitus.

f) Erinacei vſti drach. ij. in 4. part. de quibus verſus ſomnum vna doſis ſumitur.

g) Hæc omnia, vel per ſe, vel cum nuce moſchata remixta exhibeantur.

3. Quando malum ab *apoſtemate* vel vlcere colli veſicæ dependet, balſamica locum habent, e.g. maſtix, terebinth. coct. gummi iuniperi.

4. Vbi vero incontinentia vrinæ oborta eſt a violenta partium continentium *læſione*, ruptura, diſſectione, &c. ibi congrua chirurgorum inſtrumenta plus valent, quam pharmaceutica curatio; commendatur tamen amuletice *bufo* exſiccatus, ſub axillis geſtatus, *conf. Henrici ab Heer obſeruat. medicas.*

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Adſtringentia* vbique cautiſſime in vſum vocari debent, præcipue in ſenibus calculoſis & puerperis, quibus lochiorum fluxus facile inde ſupprimitur.

2. *Diuretica* pharmaceutica & diætetica prudentem ſubordinationem poſtulant.

3. *Laxantia* maiorem vſum præſtant.

4. In puerperio, ſi vterus prolabatur, relaxato ſimul ſphinctere

ctere veſicæ globulus cereus, croco martis vel terra vitrioli dulci leuiter conſperſus, immittatur.

5. Ad prophylaxin puerpera a præmaturo parturiendi labore, item rudi partus per obſtetricem promotione, & refrigeratione muniatur, calor autem, ligatura abdominis, & neruina externe impoſita, adhibeantur.

6. Infantibus calculoſis & ſtillicidio vrinæ laborantibus, abſorbentia, lapis percarum, & externe cataplaſmata ſolatium præbent.

# TABVLA C.

## DE DIABETE.

I. D*EFINITIO.*

Diabetes eſt copioſa, cruda, & velox vrinæ excretio, potulentorum adſumtorum proportionem longe ſuperans. Deriuatur a διαβαίνω, peruado.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differt *gradu:* in aliis enim per annum fere hæc copioſa excretio contingit, & tamen notabilis hectica accedere non obſeruatur: in aliis autem cum intenſa ſiti, febre hectica & corporis extenuatione manifeſta eſt.

2. Non confundendus eſt hic morbus cum larga illa excretione vrinæ, quæ in morbis quibusdam cum leuamine critice quaſi contingit.

III. *SIGNA.*

1. Vrina tenuis & cruda, nullo ſedimento, ſed ſubdulci ſapore prædita.

2. Quantitate extraordinaria proueniens.

3. Hanc ſi retinere velint ægri, lumbi intumeſcunt, & hypochondria intus grauantur.

4. Ægri de ſiti immodica, & interno calore æſtuante, conqueruntur; febris autem acuta typica non concurrit.

IV. *SVBIECTA.*

1. Diabetes eſt rariſſimus morbus, quem bis tantum ſe vidiſſe *Galenus* ſcriptis ſuis teſtatur.
2. Reperitur autem præcipue in eius modi ſubiectis, quibus reliqua viſcera colatoria læſione aliqua occupata ſunt.
3. Hinc ſpeciatim talibus euenit hominibus, qui in morbis, præſertim acutis, præpoſtere tractati ſunt, & ſic plerumque ſymptomaticus eſt adfectus.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſæ *antecedentes* ex modo dictis diluceſcunt.
2. Cauſſa *proxima* eſt ingens excretorii motus vrinæ perturbatio, quæ non ſolum ſerum, verum etiam lympham, ex colliquata pinguedine reductam, ad vias vrinarias cum impetu protrudit.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Diabetes viſcerum læſionibus ſæpiſſime innititur, & ſic eiusdem cum illis eſt prognoſeos.
2. Quo magis inualuit, eo minor ſpes eſt reſtitutionis.
3. Ægroti tamen per aliquod tempus hoc morbo ſubſiſtere poſſunt.
4. Tandem tabe moriuntur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Ad *infarctus viſcerum* expediendos propinentur aperientia, non adeo diuretica, e.g.
   1) *Radic.* cichorii, tarax. polypod. caryophyllat. rub. tinctorum, liquirit.
   2) *Herbæ* capillares, epithym. &c.
   3) Pilulæ, e gummatibus reſoluentibus & extractis amaris paratæ, e. g. *Beckeri.*
   4) Salia digeſtiua media, tartar. vitriolat. arcan. duplicat.
2. Ad *ardores* temperandos hiſce iungantur ex acidis vegetabilibus: acetoſa, plantag. portulac. it. tinctur. roſar. tinct. flor. bellid. puluis antiſpaſmodicus, cum præcipitante quodam terreo mixtus, vtrique ſcopo inſeruit; vbi ſpecialius commendari ſolent cancri fluuiatiles, in clibano exſiccati, toſti, pulueriſati & ad drach. I. pro doſi exhibiti.

3. Ad

3. Ad impetum diureticum quodam modo reuellendum laxantia ſubinde interponantur; quo nomine ſennata, rhabarbarina, cum paſſulis minoribus laudantur. Fortiora fugiantur.

4. Denique ſi malum quodam modo remitteret, ad viſcerum roborationem tonica ſubiungi poſſent, e.g. tinct. vitrioli martis *Ludouici*, cum eſſent. adianth. alb. item herbæ hepaticæ & ſpleneticæ ſubadſtringentes, v.g. hepatica nobilis, agrimon. ſcolopend.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Adſtringentia*, ſi in diabete ad fluxum cohibendum adhibentur, viſcera vehementius conſtringunt, tumores lumborum, immo aſcitem & mortem accelerant.

2. *Opiatorum* abuſus eadem damna certiſſime iniungit.

3. Diabetici a calida diæta, motu corporis vehemente & animi pathematibus ſibi temperent; diæta autem gelatinoſa, emulſiua conſumtionem corporis, & virium defectum, paullulum reſarciant.

## TABVLA CI.

## DE ADPETITVS EXCESSV.

I. D*IFFERENTIA.*

Intemperantia in cibis adſumendis differt ſecundum ſpecies.

1. *Addephagia* dicitur, quando cibi
   1) vel nimia quantitate & menſura,
   2) vel nimis præcipiti ingluuie ingeruntur, quo etiam pertinet
   3) *Orexis canina*, der heiß oder Hunds-Hunger, vbi anxie cibos adpetunt ægri, his autem non ſtatim præſentibus, lipothymicis pathematibus corripiuntur; quibus ſuperatis de adpetitu tali nihil magis perſentiſcunt.

2. *Pica* ſeu *citta* vocatur, quando abſurda peculiari deſiderio adpetunt, e.g. cretam, calcem, carbones &c.
3. *Malacia* adpellatur, vbi peculiaria, ſed gratiora, eſculenta ſingulariter deſiderant.

II. *SIGNA.*

Immoderatam ingluuiem cibi ordinarie comitantur:

1. Anguſtiæ cardialgicæ & anxietates.
2. Nauſea, ructus, & non raro vomitus, vel diarrhœa.
3. Temulenta & vertiginoſa capitis adflictio, immo nonnumquam dolores ſatis vehementes.
4. Grauitas artuum, & languor corporis vniuerſi.
5. In abdomine tormina, borborygmi, preſſiones oriuntur, vt ægri conquerantur, es liege ihnen wie ein Stein im Magen.
6. Interdum accedunt febres, interdum ſuffocationes, interdum plane conuulſiones.

III. *SVBIECTA.*

1. Addephagiæ præ aliis indulgent puſiones, ſaporem iam diſtinguere compotes.
2. Feminæ ad *ſenſum* quidem ſatis acutæ, ad *iudicandum* vero hebetiores.
3. Sanguinei & ſanguineo-phlegmatici *quantitate* edendi præ aliis peccant; cholerici autem in *modo* cibi adſumendi ſibi nocent, nimio & præcipiti impetu ingurgitando; melancholici præ aliis mediocritatem ſeruant, niſi inuidia feſtinationem perſuadeat, vel dapes *aliorum* ſumtibus offerantur.
4. Qui ab inedia ad plenam & lautam diætam transferuntur.
5. Qui a vermibus, hypochondriacis adfectibus, febribus quartanis, immo ipſa epilepſia, diu obſidentur.
6. *Malacia* euenit grauidis.
7. Pica autem non ſolum grauidas, verum etiam virgines, inordinato fluxu menſium laborantes, vel epilepſiæ aut vermibus obnoxias occupat; item febre quartana decumbentes.

IV. *CAVSSAE.*

1. Primaria cauſſa inordinati adpetitus & edacitatis dependet

det a male fundata æſtimatione & opinione ſaporis grati ac deinde a conſuetudinis incitamento.

2. Hinc ens rationis, perperam ratiocinantis, iuſtius accuſatur, quam figura particularum, aut partium textura: quidquid de brutis, ad ſubruendam hanc ſententiam, obiiciatur: hæc enim in tali caſu melius ſæpe vtuntur ratione, quam hominum plerique.

3. Et ſicut nuda mentis fictio legitimum adpetitum ſubuertere, & nauſeam inducere poteſt, ita etiam vorandi cupiditas a nulla alia cauſſa dependet, quam a voluntate, non ſufficienter penſitata, ſed primos ſenſuum motus ſequente.

4. In infantibus, quibus cibi ab aliis obtruduntur, ſubeſt cauſſa magis paſſiua; quæ tamen ſucceſſu temporis fit actiua.

5. Cauſſæ illius addephagiæ, quæ in *modo* edendi excedit, ſunt magis occaſionales, nempe fames diu tolerata, feſtinatio, ſaporis delectamentum &c.

## V. *PROGNOSIS.*

1. *Addephagia* toti generi humano ineffabile damnum adfert, & ſi in defectu ciborum adſumendorum ſemel, in exceſſu ſane decem millies, peccatur.

2. Iuſtiſſimo itaque titulo potitur *abſtinentia*, quando multorum & magnorum morborum remedium a D. D. *Stahlio* diſſertatione quadam peculiari prædicatur.

3. Quando poſt grauiores morbos protinus & immodice cibus capitur, periculum nuper ſuperatum, de nouo, & quidem grauius ægri incurrunt.

4. In ipſis ſonticis morbis qualiscumque intemperantia in peſſimum ſtatum deuoluit ægrotos.

5. Hiſtoriæ abunde confirmant, quod, qui poſt diuturnam famem ad ſatietatem cibum ſumſerint, repentina morte frequenter fuerint ſublati.

6. E pluribus incommodis, quæ addephagia de reliquo ſanis hominibus adferre ſolet, aliqua, *ſub ſignis* memorata, videantur. Tandem obſtructiones viſcerum, cachexia & atrophia, in infantibus præcipue, inducuntur.

7. De *pica Hildanus* bene obſeruauit, quod quidam a febre quartana prius reſtituti non fuerint, quam poſt peruerſi illius adpetitus expletionem.

8. Quæ puellæ ante pubertatem *pica* laborant, illæ ſuccedente menſium fluxu ſæpius ab illa liberantur; quæ vero menſes iam expertæ ſunt, vel cum inordinato fluxu talem adfectum incurrunt, in iis difficulter ſuperatur.

9. Idem ſentiendum eſt, ſi hoc malum hæreditate tranſmiſſum ſit.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Poſt cibum auide & intemperanter ingeſtum mox ſufficiens & tenuis potus ad nauſeam vsque exhibeatur, vt vomitus ſuſcitetur.

2. Vomitus autem ſi ſponte ſuccedere recuſet, & tamen noxa magnopere vrgeat, per conuenientia emetica prouocetur, e.g.

Recip. tartar. emetic. gr. II-III.
arcan. duplicat. gr. X. M. pro doſi.

3. Aluus quando clauſa eſt, leniſſime ſoluatur, nulla autem ratione ſtimuletur, ne dolores colico-ſpaſtici inducantur.

4. Ad præcautionem temperantia in cibis, & placidus corporis motus plus poſſunt, quam omnia ſtomachica & digeſtiua.

5. *Pica* interdum ſuperatur, quando locus ille, vbi calcem, cretam &c. abradunt, rebus amaris & aduerſis illinitur.

6. Quicumque ſani in certum aliquem cibum impetuoſo adpetitu rapiuntur, vti in *orexi canina* ſeu *bulimo*, Ochſen-Hunger, contingit, illis nauſea, & quaſi vomituritio excitetur; cui ſcopo inſeruit extractum tabaci, cibo tali parcius remixtum, & ſaccharo edulcoratum.

VII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Cum grano ſalis accipiendum eſt prouerbium illud: Spey-Kinder, gedeyh Kinder: licet enim infantes largiter edentes, & interdum per vomitum cruditates ventriculi reiicientes, augmentum corporis ſumere obſeruentur, certiſſi-

tiſſimum tamen eſt, quod talis vomitus, niſi nimio ciborum infarctu onerarentur, minime ita ſucceſſurus eſſet.

2. Hinc nullo modò imitandum eſt ſtolidum illud conſilium, qnod infantes ad nauſeam & vomitum cibo ſubinde explere commendat; tanto minus, quia vomitus ille, antequam prouenit, multas anguſtias, cardialgias, clamores & languores excitat.

3. Principium vitale quando, prægreſſa voracitate, vel per vomitum vel per diarrhœam ab onere ſuo liberare ſeſe intendit, quam maxime cauendum eſt, ne excretiones tales, quantumcumque notabiles, inepta arte ſupprimantur.

## TABVLA CII.

## DE ADPETITVS DEFECTV, SEV ANOREXIA ET NAVSEA.

I. D*EFINITIO.*

1. *Anorexia* eſt nimia a cibis abſtinentia, modo a ventriculi deprauatione, modo ab altioribus cauſſis orta. Derivatur ab *α* priuat. & *ὀρέγω*, cupio.

2. *Nauſea* eſt plenaria a cibis abſtinentia, anorexiam gradu quidem ſuperans, eiusdem autem cum hac originis.

II. *DIFFERENTIA.*

Anorexia & nauſea contingunt:

1. vel *idiopathice*, ubi ipſe ventriculus eſt deprauatus;

2. vel *ſymptomatice*, quo caſu vel *diuturniores* ſunt hi adfectus, & morbos chronicos, e.g. tabem, hecticam, aſcitem, pectoris vel hypochondriorum conſtantia pathemata, pro fundamento habent; vel *tranſitorii* magis ſunt,

ſunt, e.g. in febribus, præcipue acutis, quibus feliciter ſuperatis, mox adpetitus redit.

3. De nauſea *grauidarum* ſuo loco dicetur.

III. *SIGNA.*

Signa horum malorum per ſe ſatis quidem clara ſunt, notari tamen meretur, quod in *anorexia* ſæpe adhuc aliquid, ſed ſine adpetitu, ægri edant, & mox ab ingeſtis grauitatem in ventriculo experiantur, in *nauſea* vero conatus vomendi facilius accedere ſoleat.

IV. *SVBIECTA.*

1. Adpetitus defectum *idiopathicum* incurrunt homines minus temperantes, & inſuper otioſi.
2. *Symptomaticam* autem adpetitus deiectionem omnes illi experiuntur, qui morbis, ſuperius nominatis, ſuccumbunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Anorexiæ & nauſeæ *idiopathica.*
   1) Cruditates ventriculi mucidæ, acidæ, nidoroſæ.
   2) Regurgitatio bilis verſus ventriculum poſt animi excandeſcentiam tacitam, paſtu præcipue mox ſuperveniente.
2. Anorexiæ & nauſeæ *ſymptomatica.*

Huius cauſſa eſt occupatio principii vitalis circa laborem quemdam extraordinarinm, ad hunc vel illum morbum profligandum: vnde laborem ordinarium concoctionis, & chyli diſtributionis, ad tempus prætermittere cogitur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Defectio adpetitus *idiopathica*, conueniente methodo tractata, tanto facilius ſuperatur, quanto propius ad locum adfectum medicamentis hic conceſſus eſt aditus.
2. *Symptomatica* autem adpetitus deiectio prius non tollitur, quam ſi morbus primarius fuerit ſublatus: hinc quo magis ille pertinax, eo pertinacius etiam eſt vitium adpetitus.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Idiopathica* adpetitus defectionis

1) In

1) In cauſſa cruditatum mucoſarum primo loco exhibeantur digeſtiua ſalina, e.g. tartarus vitriolatus, nitrum antimoniat. nitrum vitriolicum *Ludouici*, &c.

2) Deinde, ſi nihil contra indicet, vomitorium præſcribatur, præſertim in ſubiecto euemeto, & huic excretioni adſueto; coniuncto laxandi ſtimulo, vt ſurſum & deorſum reiiciantur cruditates; vbi autem vomitus locum non habet, per purgantia negotium expediendum eſt.

3) Poſt digeſtiua, &, ſi e re fuerit, euacuationem emeticocatharticam, in vſum veniant tonica, amarulenta, ſtomachica. Hic præ aliis laudantur:

   a) *Radices* ari, gentian. rubr. pimpinell. alb. helen. imperator. caryophyll.

   b) *Herbæ* centaur. min. card. benedict. abſinth.

   c) Ex *aromaticis* zedoar. galang. piper.

   d) E *martialibus* tinct. vitrioli martis *Ludouici*, crocus martis antimoniatus *Stahlii*.

4) In cauſſa bilioſa ad materiæ præparationem exhibeantur nitroſa & præcipitantia, quibus, in caſu adhuc recente, emeticum aliquod ſubiungere conuenit.

5) Quoad diætam in ſuſpecta tenaci mucida cruditate prudens vſus piperis pro condiendis cibis non leuem locum occupat, in ſubiectis autem ſeroſis vſus ſinap. & zingib. magis conducit.

2. *Symptomaticæ* adpetitus amiſſionis.

1) Seorſim huic adfectui ſubuenire velle fruſtraneum eſt: hinc primarius potius morbus reſpiciatur, quo ſublato, ſponte plurimum redit adpetitus.

2) Quod ſi tamen, ſuperato licet morbo, adpetitus langueret, optimo cum ſucceſſu tinctura vitrioli martis *Ludouici* verſus paſtum exhibetur.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Dolenda ſunt ventriculi fata in *ſymptomatico* appetitus defectu: in hoc enim caſu non ſolum ab imperitis plebeiis cibi contra intentionem principii vitalis ægro ob-

truduntur, ſed etiam a vulgo Medicorum varia peruerſa, & primario morbo repugnantia calida medicamina, ad adpetitum concitandum, exhibentur.

2. *Centaurium minus* in *idiopathica* adpetitus deiectione præ aliis, ad tonum reſtituendum, laudatur, e.g. eſſentia illius verſus paſtum exhibenda. Extractum parua etiam doſi laxat: hinc ſi grana illius 4-8. cum granis 8-12. extracti panchymagog. *Croll.* remiſceantur, pro conſtitutione languentis ſatis bene purgant.

3. Eſſentia illa *centaurii minoris*, facta per ſpiritum vitrioli, vel ſulphuris per campanam, acidula, commode quoque per vnam vel alteram hebdomadem adhibetur, ſi adpetitus per febres intermittentes, immo etiam acutas, langueat.

4. *Bagliuius* in omnibus ventriculi malis *hieram picram* ad modum commendat.

5. Inter gratiora primarium locum habet *vinum* generoſum, & remedia ex eo parata, e.g. infuſum cum herbis amaris, non quibusuis, ſed ſuperius commendatis: non omnia enim amara adpetitum prouocant.

6. *Sanguineis* puris acida magis conueniunt, e.g. mala citri, acetoſella, fructus berberum: ſanguineo-phlegmaticis ſeu melancholicis conducit elixir proprietatis, circa tempus prandii exhibitum; phlegmaticis martialia, ſed moderatis doſibus, proſunt.

7. Puluis ſtomachicus *Birckmanni* ſeu *Quercetani*, & alia vſitata nullo modo contemnenda ſunt, caueatur modo, ne adfectus ſymptomaticus cum idiopathico confundatur.

8. De remediis *externis*, ventriculo adplicandis, paucis dicere reſtat, quod raro neceſſaria ſint; vbi tamen omnino deſiderantur, emplaſtrum de cruſta panis, de tacamahaca cum oleo maſtichis emollitum, locum habent. Conf. quæ *tabula de vomitu*, item *de cardialgia adlegata ſunt.*

TAB.

# TABVLA CIII.
## DE
# FOETORE ORIS.

I. C*AVSSÆ.*

Fœtor oris a diuerſis exoritur cauſſis, quarum præcipuæ ſunt:

1. Scorbutus, in ſpecie ſtomacace.
2. Lues venerea.
3. Vlcus, ſiue ſimplex, ſiue fiſtuloſum, in pulmonibus; quod in phthiſi contingit.
4. Item vlcus oris interni.
5. Caries dentium, vel quæcumque illorum impuritas.
6. Cruditates ventriculi nidoroſæ, a vitio concoctionis dependentes.
7. In ſpecie *atonia* circa orificium ventriculi ſiniſtrum, vnde vapores eius modi fœtidi libere emergere poſſunt.

II. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Pro diuerſitate cauſſarum, medicatio quoque diuerſo modo inſtituenda eſt: hinc

1. In ſcorbuto reſpiciatur *primarius* adfectus, quo ſuperato ſymptoma fœtoris ex ore euaneſcit.
2. Sic etiam res ſe habet cum fœtore a lue venerea dependente: ſingula ſuo loco quærantur.
3. In cauſſa vlceris pulmonum, fœtor oris eamdem cum phthiſi & methodum & prognoſin deſignat.
4. Vlceroſo-fiſtuloſus in ore ſtatus expoſcit:
   1) *Interne* antiuenerea & balſamica temperatiora.
   2) *Externe* ſubſidia chirurgica. *Conf. tabul. chirurgic.*
5. Dentes, carie infecti, expoſcunt euulſionem; conſpurcati per puluerem dentifricium & alia ſubſidia ſunt repurgandi, e. g.

Rec. Myrrh. elect.
cıner. rorismar. ana vnc. ſemis.
pulu. rad. irid. Florent. drachm. III.

 alum.

alum. vſt.
nuc. moſchat. ana drach. vnam & ſemis.
ol. lign. rhod. gutt. X. M. F. puluis.

6. Quando *ventriculus* deprauatus fœtorem oris exſpirat, eadem methodus locum habet, quæ tabula de adpetitus defectu commendata eſt.
7. Vbi in ſpecie ſub finem medicationis tonica tanto magis adhibenda ſunt, quo magis atonia orificii ſiniſtri ſuſpecta eſt: laudantur in hunc finem grana maſtichis, 4-6. ſubinde deglutienda.

III. *OBSERVATIO PRACTICA.*

Interdum fœtor e naribus prouenit, quo caſu ozæna ſeu vlcus narium ſubeſt, quod eamdem cum vlcere oris expoſcit medicationem. *Conf. tabul. chirurg. de ozana.*

## TABVLA CIV. DE SODA.

I. *DEFINITIO.*

Soda eſt ardor ventriculi moleſtus, circa œſophagum præcipue ſenſibilis: modo a cauſſis internis, modo ab externis inductus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Soda, vti hodie accipitur, diſtinguenda venit a ſoda antiquorum, qui per hanc vocem ſpecialem dolentem ardorem capitis denotare ſolent.
2. Soda differt ſecundum cauſſas, quæ differentia in praxi confert vtilitatem.

III. *SIGNA.*

1. Conqueruntur ægri de moleſto ſenſu in ventriculo, præcipue circa œſophagum.
2. Quem ſenſum, num verius per ardoris, an vero per frigoris

ris denominationem exprimere debeant, neſciunt: alii enim dicunt: *es brennt*, alii: *es fälte*; ſed nota eſt antiqua loquendi ratio, *quod frigus adurat*, & re vera frigus ardorem quemdam inducit.

3. Cum hoc ſenſu concurrit dolor quidam ventriculi moleſtus, preſſorius, tenſiuus.

4. Vti & leuis conſtrictio per œſophagum vſque ad fauces adſcendens.

5. Cum intercurrente momentanea nauſea, ſaliuæ in os effuſione, & tentamine vomibundo.

IV. *SVBIECTA*.

1. Euenit hic morbus ſanguineis, ſanguineo-melancholicis, ſanguineo-cholericis.

2. Quæ cauſſis occaſionalibus, inferius nominatis, exponuntur.

3. Quæ commotionibus ſanguinis ſæpius expoſita ſunt.

V. *CAVSSAE*.

Producitur hoc malum a cauſſis:

1. Modo *internis*; quales ſunt

1) congeſtiones ſanguinis verſus ventriculum & inteſtina.

2) Bilioſa ſaburra in primis viis.

3) Motus fibrillarum ſubtiliſſime tremulus, qui multum etiam ad ſenſum talem contribuit.

2. Modo *externis*; hæ ſunt:

1. Pinguia adſumta, præcipue ſi potus frigidus mox ingeratur.

2) Calida aromata, quæ ſanguinem exagitant, irritationis ſenſum inducunt, & cum fæculentis nimiam fermentationem ſubeunt; quæ fermentatio tanto acrior emergit, quo magis bilioſa ſaburra conſpirat.

3) Refrigeratio ventriculi.

4) Elixiria calida, ſub prætextu ſtomachi debilitati propinata.

5) Potus fæculenti, acida edulia.

3. *Recentiores* ab acrimonia acida volatili hunc morbum deducunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Magnæ quidem conſiderationis non eſt hic morbus, in conſuetudinem tamen abiens, multas moleſtias parit.
2. Quando autem incongruentibus remediis tractatur, peiora incommoda ſuccedunt. *Conf. cautela.*

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Si aliquid exhibendum eſſe videatur, in vſum veniant

1. *Alcalica fixa*, cum ſale quodam volatili, e.g. mixtura tonico-neruina *Stahlii* e tinctura antimonii vel tartari & ſpiritu volatili C.C. ana remixta, quæ tinctura ardorem ventriculi egregie corrigit.
2. Vel alcalica fixa ſola, e.g. oleum tartari per deliquium, ad guttas X-XV-XX, item tincturæ modo dictæ alcalicæ, de quibus, quo minus vel magis cauſticæ ſunt, eo plures vel pauciores guttæ propinentur.
3. Qui malum hoc acceptum ferunt ſanguinis commotioni, iis lenia acida & nitroſa conueniunt, immo etiam ſpiritus vitrioli, ſalis &c.
4. *Biliosa ſaburra* potiſſimum peccante nitroſa cum abſorbentibus marinis locum habent.
5. Omnibus egregie conducit potus calidus, e.g, thée, coffée.
6. Qui pertinaciter & frequenter hoc incommodo laborant, & manifeſto ſunt plethorici, his venæ ſectiones & vomitoria, verno & autumnali tempore dextre exhibenda, proderunt.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Recentiores, quoniam in ſola acrimonia acida cauſſam huius mali collocant, ad abſorbentia terrea vnice confugiunt.
2. Præcipue autem *creta* in ſcenam vocatur, quæ, quando cum acido fermenteſcente in ventriculo remiſcetur, inſigniter adſtringit, & comprimit craſſiores ventriculi fibrillas: vnde ægri cardialgias grauiores, obſtipationes viſcerum, anorexiam, & feminæ vitium menſium incurrunt.
3. Sunt, qui loco cretæ *farinam laterum* vſurpant, quæ tamen, quia

quia per ſe iam adſtringens eſt, multo magis hac efficacia prædita erit, ſi cum acido concurrat.

4. Idem detrimentum adferunt alia *adſtringentia*, e.g. folia quercus, puluis gallarum &c.

5. Qui neglecta debita diæta, ſolis medicamentis hunc morbum adgrediuntur, nihil obtinent, ſed potius ex abuſu medicamentorum hypochondriaco - ſpleneticos ſpasmos incurrunt.

6. Sunt quibus prodeſt hauſtus ſpiritus vini, nempe iis, qui a pinguibus adſumtis hoc malum inuitarunt.

7. Amygdalas excortic. num. 6-8. contuſas & comeſtas præſentaneum ſæpius attuliſſe ſolamen, certum eſt.

## TABVLA CV.

### DE

# CARDIALGIA.

I. DEFINITIO.

Cardialgia eſt dolor ventriculi ſpaſmodicus, circa ſuperius eiusdem orificium præcipue ſenſibilis: qua conſtrictione principium agens mucida in illo contenta eliminare, flatulenta diſſipare, vel ſanguinem circa eumdem congeſtum diſcutere aut exprimere intendit. Deriuatur a καρδία, cor, & ἀλγέω, doleo, quia circa ſcrobiculum cordis dolor in primis ſentitur.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differt cardialgia ab *anorexia* ſeu *inadpetentia*, quæ magis chronicum malum, quod ſenſu dolorifico non ita manifeſtum eſt.

2. Cardialgia eſt vel

1) *Idiopathica*, quæ etiam *nauſeoſa* dicitur, & a primarum viarum cruditatibus, ad quas etiam vermes referendi ſunt, dependet; vel

2) *Sym-*

2) *Symptomatica*, quæ a tranſlatione ſanguinis menſtrui vel hæmorrhoidalis originem ducit.

3. Cardialgia differt etiam *gradu*, quo ſymptomatica idiopathicam facile ſuperat, in illa enim viſcera cum vena portæ adnexa ſimul adficiuntur: ſummus gradus eſt cardialgia *ſyncoptica*, quæ a totius meſenterii ſpaſmodica conſtrictione dependet.

4. Hæc diſtinguenda venit a *ſuffocatione* illa, in cardialgia *idiopathica* magis obueniente, da die Patienten ohne reſpiration hinliegen: hæc enim a conſenſuali diaphragmatis & pericardii adfectione producitur.

III. *SIGNA.*

1. Preſſiones & tenſiones circa ſcrobiculum cordis.
2. Anguſtiæ, immo anxietates præcordiorum.
3. Plurimum accedit nauſea, & non raro vomitus.
4. Quo magis ſtatus verminoſus concurrit, eo copioſius ſaliua in os effunditur, in profundis faucibus mucus ita ſentitur, ac ſi fruſtum aliquod frigidum ibi hæreat.
5. *Calor* & *frigus* ſæpius alternant, cum ſudoribus anxiis, frigidis.
6. *Ieiuno* ventriculo hæc pathemata augentur, poſt paſtum autem notabiliter miteſcunt.
7. *Ructus*, quando erumpunt, leuamen ægro adferre obſervantur.
8. Commotiones ſanguinis circa venam portæ, vbi in cauſſis ſunt, ibi febricula aliqua accedere ſolet.

IV. *SVBIECTA.*

1. Cardialgia occurrit in valetudinariis ſubiectis, quæ ſaburra primarum viarum laborant.
2. Specialiter in *hypochondriacis*, qui plerumque ſunt flatulenti.
3. Maxime omnium in *feminis hyſtericis*, vitio menſium obnoxiis.
4. Infantes etiam, præſentibus vermibus, ab hoc malo infeſtantur.

V. *CAVSSÆ.*

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* cardialgiæ *idiopathica* eſt:
   1) Vel flatulentia, hypochondriacis & hyſtericis præ aliis familiaris.
   2) Vel viſcoſus mucus aut alia ſaburra in primis viis, quo etiam vermes referendi ſunt.
2. Cauſſa *materialis* cardialgiæ *ſymptomatica* eſt motus ſanguinis, ſiue menſtrui ſiue hæmorrhoidalis recenti, cuius cauſſa *antecedens* nonnumquam eſt neglectio euacuationum ſanguinis artificialium adſuetarum.
3. Cauſſa *formalis* eſt reciproca laxatio & ſtrictura toni in ventriculo, inteſtinis, & reliquis partibus, quæ in conſenſum trahuntur: tonus enim quando relaxatur, flatus expanduntur, & ſic partes relaxatæ ab iis diſtenduntur; ſtrictura autem toni, ſi deinde his partibus diſtenſis inducatur, tam ſenſibilem, ob conſenſum præcipue ſyſtematis neruornm, excitat dolorem, vt ægroti ſæpe ſuffocatiuis vel ſyncopticis adfectibus corripiantur, es drehet ſich alles bey ihnen um, wird grün und ſchwartz vor ihren Augen, bis ſie gar dahin ſincken.
4. Cauſſæ *procatarctica* & *occaſionales* ſunt:
   1) Obſtructiones alui, & flatuum retentiones.
   2) Ventriculi refrigerationes, præcipue in ſenſibilibus ſubiectis.
   3) Cibi craſſi, dyſpepti, non bene commanſi, vel nimia quantitate adſumti, aut mutatio in molliorem, delicatam diætam.
   4) Animi tacita excandeſcentia inter paſtum.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Cardialgia in principio non adeo ſonticus eſt morbus, ſucceſſu autem temporis lipothymiam, præcipue in feminis, ſolet adferre, vnde metuendum, ne congeſtio ſanguinis, ibi facta, in ſtaſin inflammatoriam tranſeat.
2. Cardialgia *ſymptomatica*, ſeu a motibus ſanguinis excitata, difficilioris eſt reſtitutionis, quam idiopathica: facile enim in habitum degenerat; vel adfectus plane conuul-

 ſiuos

ſiuos inducit, præſertim quando calida remedia, ſub prætextu ventriculi roborandi, offeruntur.

3. Immo proſtant exempla, quod vomitoria, hypochondriacis cardialgicis propinata, deliria & maniam illico produxerint.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Cardialgiæ *idiopathicæ*:

1) Ad materiam *corrigendam* & præparandam exhibeantur digeſtiua, reſoluentia, abſtergentia & incidentia, e. g.

a) *Salina:* tartarus tartariſatus, vitriolatus, arcanum duplicatum &c. verſus paſtum præcipue exhibenda.

b) *Aromatica* acriuſcula, inter quæ primas tenet piper, vtpote cruditates viſcoſas egregie reſoluens.

c) *Radices* acriuſculæ: ari, pimpinellæ albæ, &c.

d) *Vinum* calefactum aromatiſatum, quod & roborat ventriculum & flatus diſcutit, & promtam fermentationem creat.

e) *Sinapi*, commendante *Paracelſo*, fermentationem cito promouet, & omne viſcidum in ventriculo reſoluit.

f) Ad præparantia interdum etiam pertinent *abſorbentia*, vt materiam nimis tenacem reddant pulpoſam & volubilem.

2) His præmiſſis, ſi æger melius non habet, & nihil contra indicet, ad materiæ præparatæ euacuationem *tartarus emeticus* ad grana II. III. cum tartaro tartariſato exhibeatur.

3) Vbi autem *vermes* in cauſſis ſunt, ibi, præmiſſis digeſtiuis amaris, vermes enecantibus, mercurius dulcis cum ſtimulo colocynthiaco ad euacuationem propinetur.

4) Poſt vomitorium ſubiungatur lene quoddam *anodynum*, quod viſcus adfectum quietum iterum reddat; pro quo ſcopo *Sydenham* aliquid theriacæ verſus noctem propinare commendat.

5) Denique ad *tonum* ventriculi roborandum ſubſequentibus diebus exhibeantur *martialia*, e.g. crocus mar-

tis

tis aperitiuus ſub initium gran. II, deinde gran. III, item tinct. martis aperitiua *Ludouici*, quæ meliorem adhuc habet effectum,& ob gratum ſaporem præ aliis laudari meretur.

6)His martialibus interponantur,aut coniungantur *ſtomachica* amara, e.g. eſſent. abſinth. centaur. min. gentianæ rubræ, quæ ad tonum reſtituendum efficaciſſima, item eſſent. pimpinell. alb. helen. zedoar.galang.caſſ. caryophyll. conſeruando vbique alui legitimum ſucceſſum.

2. Cardialgiæ *ſymptomaticæ*, & *ſyncopticæ*.

1) In hac,loco calidorum,exhibeantur temperantia *nitroſa*, cinnabarina,cum ſale quodam digeſtiuo & guttula olei cinnamomi vel caryophyllorum: tales enim pulueres in anguſtiis præcordiorum vtrique ſexui efficaciſſime ſubueniunt.

2) His ſubinde interponantur lenia laxantia, e.g. pilulæ *Stablianæ*, flatus egregie diſcutientes & effectum ſimul roborantem exſerentes, item *Becherianæ*, *Syluianæ*, tartareæ *Quercetani*, infuſa e reſoluentibus,abſtergentibus & laxantibus parata.

3) Ad *tonum* roborandum propinentur vel ſuperius laudata, vel mixtura tonico-neruina e tinctura alcalica & ſpiritu quodam volatili parata, ſpecifice eſſentia millefolii cum eſſent. alexipharm. remixta.

4) Ad præcautionem venæ ſectiones æquinoctiales commendentur, & euacuationes ſanguinis naturales reſpiciantur.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Digeſtiua ſalina* pure magis ſuccurrunt *materiæ*, in ventriculo hærenti, minus autem ipſi ventriculo.

2. *Aromatica* vero non ſolum materiam reddunt fluidiorem, ſed& tonum ventriculi roborant: hinc abſente æſtu febrili optime conueniunt; quando autem in commotionibus febrilibus offeruntur, quæ in cardialgia ſymptomatica non raro accedunt, malum exaſperant.

3. Vulgare illud remedium, dextre adhibitum, in cardialgia

idiopathica non reiiciendum eſt,quando nempe plebeii grana 15-20. piperis,vel ſola, vel cum ſpiritu vini,deglutiunt & quietam continentiam ſeruant: ventriculus enim per illud ſimplex non ſolum corrigitur, ſed & leuis ſudor excitatur.

4. *Eſſentiæ* aromatum longe vtiliores hic ſunt,quam *olea* illorum: hæc ènim ventriculum ſaltem ſtimulant,fermentationem autem minime promouent.

5. *Sal vitrioli* illud habet incommodum,vt diu in ventriculo hæreat, & hinc omnis ſpaſmus ex aliis partibus eo conuocetur; in hoc autem malo talia emetica eligere præſtat, quæ ſatis cito vomitum excitant, qualia ſunt ſeptica,ventriculum corrodentia,quæ ſubſtantia latius in ſale vitrioli extenſa eſt, & hinc non ſtatim effectum exſerit.

6. E vegetabilibus *aſarum*, vel illius extractum, adhiberi poteſt. Conf. *Coberus*, qui in obſeruationibus ſuis,lectu dignis, illud commendat.

7. Ad *vomitoria* minime feſtinandum eſt,conuenit potius,ſalia digeſtiua verſus paſtum exhibere,& exſpectare, an illa ſola non ſufficiant ad totum negotium expediendum, & vomitum ſpontaneum excitandum.

8. Maxime omnium euitandus eſt error ille grauiſſimus,vbi in cardialgia ſymptomatica, nempe paſſionibus hypochondriacis & hyſtericis vomitoria præſcribuntur: hac enim ratione delirium, immo maniam induci obſeruatum eſt.

9. Sic etiam *carminatiua*, olea deſtillata & alia calida ſtomachica in ſanguinis hiſce commotionibus euitanda ſunt.

10. Caueant ſibi ægroti cardialgici in poſterum a cauſſis occaſionalibus, ſuperius deſcriptis.

## TABVLA CVI.
## DE
## FLATVLENTIA.

I. D*EFINITIO.*

Flatu-

Flatulentia eſt promta, inſolentior & copioſa generatio flatuum, tamquam ſubſtantiæ halituoſo-elaſticæ, ad aëream indolem accedentis, e reſolutis humoribus in abdomine originem ducentis, & variis diris ſymptomatibus ſtipatæ.

## II. *DIFFERENTIA.*

1. Non agimus hic de flatibus *veſicæ* & *vteri*, qui, licet rarius, vere tamen interdum contingunt, ſed de iis, qui in inteſtinis generantur.
2. Neque de illis flatibus, qui ex hisce, in rarioribus exemplis, ipſam *abdominis cauitatem occupant*, & in ingentem molem illud diſtendunt, dicemus, nam de illa *flataria* flatulentia *tabula de hydrope* actum eſt, ſed de ſimplice illa flatulentia, quæ, vti in inteſtinis gignitur, ita & in illis retinetur.
3. Hæc flatulentia eſt:
   1) vel *torpida* & *ſtupida*, quæ exiguum, immo ſubinde plane nullum ſenſum moleſtum infert, & phlegmaticis eſt familiaris.
   2) Vel *impetuoſa*, quæ, ob leues etiam occaſiones, vehementes contentiones, & ſenſibiles dolores excitat; cui ſanguinei, de cholerico vel melancholico temperamento participantes, obnoxii ſunt.
4. Porro flatulentia differt ratione *cauſſarum*:
   1) Alia enim dependet a ſimplice inteſtinorum *atonia*, ſeu languido torpore, vbi flatus, citra inſignem torminoſum ſenſum, progrediuntur, ſiue *ſurſum*, & tum *ructus* vocantur, ſiue *deorſum*, quo caſu *flatuum* nomen retinent.
   2) Alia originem ducit a *lentore tenaci*, motus periſtaltici finem fruſtrante: hic modo ſpaſticæ ſtricturæ, modo reciprocæ flaccidæ toni remiſſiones occurrunt.
   3) Alia a turbulenta *ſanguinis* circa venam portæ *commotione* oritur, ob connexionem, quam huius venæ rami cum inteſtinis habent.

III. *SIGNA.*

1. Strepitus volutatorii & borborygmi per inteſtina ſentiuntur.
2. Interdum autem, loco huius volutationis, pertinaces quaſi ſtaſes adfligunt.
3. Vtrimque tenſiones & contentiones ſeſe manifeſtant.
4. Ex harum contumacia oriuntur dolores, modo volutatorii & tortiles, modo tenſiui ac rupturam veluti minantes.
5. Quo manifeſtius commotiones ſanguinis conſpirant, eo magis depreſſione in ſiniſtro latere, ventriculo, & præcipue cardialgia, immo vniuerſis mali hypochondriaci ſymptomatibus conqueruntur.
6. Obſtructio alui vbique hoc malum ſæpius comitatur & fouet.
7. Anguſtiæ circa pectus & anxietates concurrunt.
8. Quo magis cruditates primarum viarum ad flatus occaſionem dederunt, eo magis vertiginoſa & ſtupido-grauativa capitis pathemata ſentiuntur; in cauſſa vero commotionis ſanguinis circa venam portæ dolores veri & acuti obſeruantur.
9. Tandem expanſi illi vapores vel iterum ſubſident, & condenſantur, ſeu in corpus arctius, fluidum tamen, coaleſcunt; quod in malo mitiore, in primis a refrigeratione exorto, item vbi flatus in ſuperioribus inteſtinis adhuc oberrant, crebrius contingit: vel, potisſimum in grauiore malo, ſurſum aut deorſum erumpunt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Flatulentiæ non omnes promiſcue homines ita obnoxii ſunt, vt auxilium medicum requiratur, ſed potiſſimum *phlegmatici*, quorum corporis habitus mollior ad toni relaxationem maxime diſpoſitus eſt; qui vero craſſioris & robuſtæ ſunt texturæ, ab incommodo flatulentiæ, licet non ab omnibus flatibus, ſatis ſunt liberi.
2. Phlegmaticos ſequuntur *ſanguinei.*
3. Cholerici quidem & melancholici coniici etiam poſſunt

in

in flatulentiam, ſed non directe, verum per accidentales cauſſas, e.g. quando a morbo quodam debilitati ſunt.

4. Qui ad mutationem frigoris & caloris ad modum ſenſibiles ſunt.

5. Hinc feminæ præ viris huic malo ſubiacent, non promiscue tamen, ſed præcipue quæ menſium vel lochiorum ataxias experiuntur, item viduæ, minus caſtæ, & puerperæ, male tractatæ.

6. In virili ſexu eminent *hypochondriaci:* omnes enim tales ſunt flatulenti: deinde ſequentibus annis hæmorrhoidarii, nephritici, iſchiadici, podagrici, hernioſi.

V. *CAVSSAE.*

1. *Primaria* cauſſa generationis flatuum eſt *relaxatio* motus periſtaltici, non tam per vniuerſum inteſtinorum tractum, quam paſſim, modo in hac, modo in alia regione.

2. Hæc relaxata, flaccida inteſtini portio ſpatium concedit ſubſtantiæ halituoſæ, vt pro indole ſua elaſtica ſeſe expandere & flaccidam illam portionem diſtendere queat; quod ſine tali relaxatione fieri non poſſet.

3. Has flatulentas diſtenſiones, a relaxatione dependentes, natura *actiue* iterum propulſare adgreditur, quod facit tum expulſione, tum contentionibus tonico-ſpaſticis.

4. Et ſic in vna parte *relaxatio* ceu defectus motus tonici, & diſtenſionis auctor, occurrit; ab hac autem diſtenſione maiore in altera parte intenſio tonico-ſpaſtica, tamquam motus periſtaltici antipraxia aduerſus defectum excitatur, ad partem diſtentam in ordinem naturalem reducendam.

5. In commotione ſanguinis circa venam portæ eadem remiſſio & conſtrictio contingit.

6. Pro *materiali* cauſſa flatulentiæ accuſantur:

1) Res, quæ mucida & tenaci textura, inteſtinis adhæreſcendo, moleſtiam faceſſant, e.g.

a) Oleracea ſucci craſſioris.

b) Leguminoſa: piſa, fabæ.

c) Piſces marini ſiccati.

d) Pin-

d) Pinguia, præcipue caro ouilla, item pultacea, accedente vtrimque mox frigido potu.

2) Materiæ ad fermentationem promtæ, quæ ipſo fermentationis actu elaſticos tales vapores efformant. Tales ſunt:

a) Potus fæculentus, e.g. cereuiſia ſiue nimis recens, ſiue dolio fere euacuato hauriatur.

b) Farinacea triticea, his fæcibus fermentata, in ſenſibilibus præcipue ſubiectis.

c) Dulcia e fructibus ſucculentis & ipſo in primis melle; quæ quidem non immediate flatus generant, ſed fermentatione ſua prius producunt acrimoniam, inteſtina ſtimulantem, a quo ſtimulo vno loco conſtrictio excitatur, altero autem flaccida toni remiſſio inducitur.

3) Ad hunc cauſſæ *materialis* cenſum etiam referuntur corporis refrigerationes, alui ſiccitas, cui niſus tonicus accedit.

4) Conferantur etiam, quæ de *cauſſis* ſub differentia dicta ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Flatulentia ſonticum ſane eſt malum, & in otioſis, præcipue feminis, bonam partem vitæ facit moleſtam.

2. Quo magis in habitum deducta eſt flatulentia, eo certius accedunt dolores colici, cardialgici, anxietates, ſuffocationes.

3. Et hoc malum *conſuetudinale,* quia nullum, neque materiæ, neque effectus, neque cauſſarum, habet proportionem, ſed a ſolis erroneis motibus fouetur, per nudam directam medicationem ſpem ſui tollendi non admittit.

4. Flatuum *voluntaria cohibitio* maiora adhuc mala, præcipue in ſanguineis, iisque plethoricis, inducit, nempe tormina non ſolum ſpaſtica, ſed etiam ſyncopes vel vibrationes conuulſiuas; & hoc in non rarioribus exemplis contingit: quæ phænomena ſæpe deludunt cauſſarum ſpeculatores, qui ab acutiſſimis ſalibus ſcorbuticis, & inſigni

ni ſanguinis dyſcraſia originem eorum deducere conantur.

5. Libera autem flatuum emiſſio conſuetudinem, facile inſoleſcentem, inducit.

6. *Ructus* ſeu *anoterici flatus*, quando ſupprimuntur, non ſolum cardialgias, verum etiam incommoda vertiginoſa, apoplexiæ metum incutientia, producunt.

7. Tandem *ſuppreſſio* flatuum habitualium tumores, indurationes abdominis, tympanitem, hecticam inducit.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Ante omnia conſideretur, num flatulentia ſimpliciter & magis directe in ipſis inteſtinis ſedem ſuam habeat, an vero conſenſualiter ſaltem oboriatur; vti hoc in motibus hypochondriacis, hyſtericis, hæmorrhoidalibus, nephriticis, item in reliquis abortuum & puerperiorum vitiis, ſæpe contingit.

2. Poſterioribus caſibus primarii morbi reſpiciantur, & ſecundum methodum, ſuo loco comendatam, tractentur.

3. *Directa* autem & magis ſimplex flatulentia ſequente methodo tractetur:

1) Alui legitimus ſucceſſus vbique conſeruetur, hac enim clauſa, flatulentia facile inualeſcit. Ad hunc finem obtinendum commendantur

a) *Clyſteres* lenitiui, tonici, ſtimulantes, ſubinde repetendi; quibus, præter ſal commune, etiam centaur. min. pro ſtimulo addi poteſt.

b) *Laxantia* leniora, non tam laxandi, quam primario tonum ventriculi roborandi ſcopo exhibenda: quo nomine pilulæ *Stahlii* egregie ſe gerunt, virtute enim balſamica ventriculum roborant, & tam ad vniuerſum flatulentiæ negotium, quam ad exacerbationes, optimo effectu adhibentur.

2) His interponantur & ſubiungantur ſalia digeſtiua media cum nitro & pauca cinnabari; qui pulueres ad cruditates mucidas & ipſius ventriculi incommodas ſenſationes plus ſane præſtant, quam ingens farrago calidorum carminatiuorum & neruinorum.

 3) Tan-

3) Tandem *tonica* exhibeantur, e.g.

a) Eſſent. gentianæ rubræ & pimpinellæ albæ, vel illius extractum.

b) Compoſita ex aromatibus, e.g. eſſent. carminatiua *Wedelii.*

c) Eſſent. corticum aurantiorum, millefolii, abſinthii compoſita.

d) Spiritus nitri dulcis, item ſpiritus ſalis tartari, & ſalia volatilia vrinoſa aromatiſata.

e) *Externe* emplaſtra ſtomachica circa ſcrobiculum cordis, e.g. emplaſtr. matricale ceratum, item balſama ſtomachica ex oleis nucis moſchatæ, anethi, carui, fœniculi, chamomillæ, *deſtillatis*, cum oleis *expreſſis* lauri irini, nam ſola deſtillata nimis volatilia ſunt, & acredine ſua cutim facile lædunt.

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Carminatiua*, in hoc malo ſatis decantata, prudentiſſime adhibenda ſunt: quando enim commotiones ſanguinis circa venam portæ flatulentiam fouent, calida illa inſigne damnum adferunt.

2. Ante omnia fugiatur infauſtum illud conamen, in hypochondriaco-hyſterico-cardialgicis flatulentis pathematibus *vomitorium* propinare: anoterica enim flatulentia inde prouocatur, quæ tormina exquiſita, tenſiones colicoiliacas, reſpirationis anguſtiam, vertiginem ad ſcotomiam vſque, tinnitum & ſuſurrum aurium, inſeparabiles habet comites, donec tandem ructuum nomine erumpentes leuamen aliquod adferant.

3. Ad flatuum *anotericorum* felicem exſtirpationem non ſufficit prouocatio & deriuatio ad inferiora, ſed neceſſe eſt, vt tonus inteſtinorum reſtituatur.

4. Hinc *laxantia*, quatenus tonum magis relaxant, plus ad flatus fouendos, quam illos tollendos conferunt, quidquid etiam de rhabarbari efficacia aduerſus flatulentiam dicatur.

5. Aliter ſe res habet cum pilulis balſamicis *Stahlii*, quæ inteſtina

ſtina magis roborant, quam relaxant, & hinc in flatulentia optime conueniunt.

6. De *aloë* notandum eſt, quod illius grana 2-3. ſpeciali prompto & facili ſucceſſu alui excretiones prouocent: hinc ſi extractum imperator. vel helen. vel, vbi præſto eſt, pimpinell. alb. cum paucioribus illis granis iungatur, flatulentiæ plurimum ſuccurrunt. In phlegmaticis pilulæ tales vna vel altera gutta olei carui, aut quibus non eſt nauſea, aniſi imbui poſſunt.

7. Præter ea etiam hoc habet *aloë*, vt circa inferiora magis exſerat laxationem ſtimulatoriam: vnde hæmorrhoides diuturno illius vſu ſæpius prouocantur.

8. In qualibet ventriculi & inteſtinorum flatulentia vſus *corticum aurantiorum* bene ſe commendat, e.g. eſſentia ex illis parata, quæ blandam tonicam efficaciam præſtat, & amaritie ſua ventriculi cruditatibus, tamquam laudabile digeſtiuum & carminatiuum, ſuccurrit, & præter ea in doloribus poſt partum, Nachwehen, cum ſyrupo cort. aurant. & de citro mixta, & cum aqua carminatiua meliſſæ exhibita, momentaneum auxilium adfert.

9. Flatulentia ſurſum & deorſum ſimul non facile datur, ad minimum non ita continua: motus enim periſtalticus inuerſus eodem tempore non poteſt eſſe naturalis & ordinatus.

10. Tandem in *contumace* flatulentia motus corporis ſufficiens omnia carminatiua & tonica longo interuallo poſt ſe relinquit.

## TABVLA CVII.
## DE
# COLICA.

I. D*EFINITIO.*

Colica eſt dolor acutus exquiſitiſſimus in abdomine, a ſpasmo-

modica inteſtinorum laxatorum, præcipue inteſtini *coli*, contractione exſiſtens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Colica differt ſecundum *ſpecies:*

1) *Flatulenta* ſeu *pituitoſa* dignoſcitur e maiori diſtenſione & inflatione abdominis, ructibus, flatulentia, borborygmis, cauſſis antecedentibus.

2) *Billioſa* ex torſione acri ſæuiſſima & ſcindente quaſi fit manifeſta, concurrente, poſt iracundiam, capitis dolore, & non raro diarrhœa.

3) *Hæmorrhoidalis*, & *nephritica*, diiudicatur ex ſpaſtica contentione & compreſſione abdominis, aluo ſæpius adſtricta, ad minimum in principio, cephalalgia, laſſitudine, intercurrentibus horrore, æſtu &c. *Conf. tabula de malo hypochondriaco - hyſterico & tab. de ileo hæmatite.*

4) *Hyſterica* dicitur, vbi dolores tenſiui, aluus pertinaciter ſtricta, retractio vmbilici, volutationes in abdomine &c. occurrunt, & circa inteſtina magis tenuiora ac ventriculum ſentiuntur, ſicut ordinaria colica inteſtina craſſa potiſſimum infeſtat.

5) *Conuulſiua* nihil aliud eſt, quam inſignis gradus hyſtericæ paſſionis, vbi pathemata, a torſione inteſtini coli excitata, vſque ad ſcrobiculum cordis extenduntur. Quando in infantibus occurrit, vocatur die innerliche Noth oder Jammer.

6) De colica *iliaca* ſequente tabula agemus.

2. Non omnia tamen tormina pro colica, ſtrictiore ſenſu ſumta, haberi debent; quamuis illa quoque interdum ſatis ægros adfligant: ſunt enim aliqui ita ſenſibiles, vt etiam e leuibus diætæ vitiis ſenſibilia tormina incurrant, e.g. ex ingeſtione flatulentorum, cereuiſia nondum bene defæcata, inſueta, ex vſu carnis pinguioris, ſi mox frigidum hauſtum ſumant.

III. *SIGNA.*

1. Tormina ſatis vehementia & durabilia: non raro enim vltra vnum diem perſiſtunt & paroxyzant.

2. Oc-

2. Occupant locum circa & ſupra vmbilicum.
3. Senſum referunt modo torſionis, modo grauiſſimæ tenſionis, rupturam veluti minantis, modo fremitus cuiusdam & tremoris.
4. Accedunt ſymptomata maximæ anxietatis, anguſtiæ internæ, borborygmorum.
5. Intercurrit exterioris corporis vaga refrigeratio cum ſudoribus frigeſcentibus, interdum ſimul conatibus vomendi.
6. Coniuncta eſt plerumque flatulentia & obſtructio alui, rarisſime diarrhoea, niſi in colica bilioſa & hæmorrhoidali cum fæcibus in hac ſanguinolentis & teneſmo.
7. Specialia ſigna ſub *differentia* iam indicata ſunt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Colica vtrique quidem ſexui, feminino tamen & frequentius & vehementius, euenire ſolet: in feminis enim longo ſucceſſu durat, ſub initium quidem oſtendit leuiorem indolem, deinde vero ad conuulſiuas plane ſuccuſſationes excedit, in viris autem ſæpius intra ſpaſticos tenſiuos motus ſubſiſtere obſeruatur.
2. Feminæ, quæ hac pasſione corripiuntur, ſunt vel phlegmaticæ, vel ſanguineæ, aut ſanguineo-cholericæ, impedito menſium ſucceſſu laborantes. Item puerperæ, quibus abdomen poſt partum non decenter ligatur; hæ non ſolum in puerperio, ſed etiam futuro tempore colica cum magna flatulentia adficiuntur.
3. In ſexu virili ætas conſiſtentior potisſimum a colica infeſtatur, præcipue talia ſubiecta, quæ motibus hæmorrhoidalibus & nephritide infeſtata ſunt; ſæpius etiam illa, quæ adſuetas ſanguinis euacuationes artificiales ſubito intermiſerunt.
4. Colica *bilioſa* facile corripiuntur perſonæ cholerici temperamenti, quando poſt animi excandeſcentiam mox cibum adſumunt, vel bibunt.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis* in colica eſt
 1) vel induratio & impactio ſcybalorum.

2) Vel bilioſa *ſaburra*, aut alia acrimonia in primis viis hærens.

3) Vel ſanguis menſtruus aut hæmorrhoidalis retentus.

2. Cauſſa *formalis* eſt ſpaſmodica contractio inteſtinorum relaxatorum & a flatibus expanſorum, quibus motibus ſpaſticis principium vitale tamquam *cauſſa efficiens* horum ſpaſmorum materiam, circa illa loca moleſtam exprimere & diſſipare intendit; de qua re teſtantur borborygmi, qui nihil aliud ſunt quam flatuum ex vno clauſtro in aliud ſpatium propulſio.

3. *Erroneus* autem motus eſt: nam neque ad flatuum diſſipationem, neque ad materiæ acris bilioſæ eliminationem tantus impetus requiritur. Multo magis in colica hæmorrhoidali motus talis erroneus cenſendus eſt, dum ſumma illa conſtrictio in inteſtinis inferioribus incipit, & ſanguinem verſus ſuperiora potius *reſtringit*, quam quod hac ratione eum exprimere valeat.

4. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarcticæ*, præter illas, quas in *ſubiectis* iam denominauimus, ſunt:

1) Senſibilitas ſubiectorum, quæ colicam facile *habitualem* introducere ſolet.

2) Obſtructiones alui.

3) Refrigerationes abdominis vel pedum immodeſtæ.

4) Cibi lenti, viſcidi, craſſiores, e.g. cucumeres, melones, cucurbitæ, vel pingues, potu frigido mox ſuperueniente.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Quo *ſæpius* colica recurrit, eo citius a leui cauſſa reuocatur, & in habitum transmigrat.

2. Quæ colica cum *horrore* inuadit, illa non ſolum grauius adfligit, verum etiam inflammationem vel iam præſentem indicat, vel ſucceſſuram minatur.

3. Sic etiam vehementior eſt colica, quæ alui obſtructione ſtipata eſt, quam vbi aliqua huius ſolutio obſeruatur.

4. Conatus *vomendi* in colica ſemper ſuſpecti, & *iliacæ* paſſionis metum incutiunt, niſi a cibis, paullo ante largiter inge-

ingeſtis, vel potu largiore frigido, ceu colicæ auctoribus, ſimul oriantur.

5. Præcipue autem in ſexu feminino fortes eius modi contactus, vndecumque ſuborti, vomitus cruenti metum adferunt.

6. Quo exquiſitius colici dolores adfligunt, eo facilius conuulſiuos motus inuitant.

7. Quo diuturnius ſanguis menſtruus, ad exitum non recte promotus, circa viſcera ſtagnat, eo certius febris quartana, cachexia, hydrops &c. inducuntur.

8. Colica *hæmorrhoidalis*, podagræ vel mali iſchiadici repulſione, vel nephritidis præpoſtera ſopitione inducta, præſentioris eſt periculi.

9. Soluitur autem

1) vel ſalutariter, ſuperueniente in paroxyſmo fluxu hæmorrhoidum ſincero, aut ſaltem mucoſo.

2) vel infauſta regurgitatione ad viſcera, præcipue ad hepar, cum inſequentibus obſtructionibus, cachexia, aſcite, hectica, quartana, tympanite.

3) vel macularum ſcorbuticarum prouentu, qui in ſubiectis humidis, non ſecus ac in malo hypochondriaco, ſubinde contingit, & a corruptione ſanguinis, ſub diuturna illius ſpaſtica detentione, dependet.

10. Colica *biliosa*, niſi materia tempeſtiue obtundatur & euacuetur, febres bilioſas, inflammatorias, præcipue cauſum producere poteſt: bilis enim acrimoniam ex fermenteſcentibus adſumtis auctam, pro cauſſa habet, ad quam materiam acrem, ſed paucam, propellendam, inſolentior motus inteſtinorum accedit. Soluitur interim ſpontanea ſubinde alui fluxione, niſi peculiarem plane inteſtinorum adroſionem perpetrauerit, quæ tamen vix alibi, quam in prægreſſa mala medicatione, contingit.

11. Quando autem *impedita* bilis excretio colicæ anſam dedit, icterus inducitur.

12. *Singultus*, vbi colicæ præter conſuetudinem ſuperuenit, diri ominis cenſendus eſt.

13. Co-

13. Colica, *anodynis opiatis* incongruenter tractata, paralyſi ſæpius excipitur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis*, in omni colica locum habens.

1. Spaſmus inteſtinorum dolorificus demulcendus, & ſiqua in illis materia peccans reperiatur educenda eſt. Præſtant hoc

1) Commodisſime *clyſteres*, pro cauſſa diuerſa diuerſis ingredientibus parandi.

2) Laxantia ex mercurio dulci, ſenna, rhabarbar. ſale mirabili.

2. *Materialis* cauſſa eſt discutienda.

1) *Interne*,

a) vel per carminatiua & temperantia ſalia digeſtiua,

b) vel per temperantia nitroſa.

2) *Externe*, vbi conducunt

a) *Sacculi carminatiui* ex ſpeciebus odoratis, e.g. rad. irid. Florentin. cyper. angelic. herb. menth. puleg. flor. chamomill. ſem. aniſi, anethi, petroſelin.

b) *Linimenta* ex oleis *coctis*, e.g. irino, caſtorin. chamomill. laurin. *deſtillatis*, v.g. fœnicul. menth. caru. aneth. abſinth. chamomill.

c) *Balſama* ex his oleis & oleo nucis moſchatæ parata.

d) *Emplaſtra ſtomachalia.*

e) *Calor* & *fotus* abdominis, e.g. lapides calefacti & veſicæ, aqua calida ſemi-repletæ.

3. *Tonus* partium labefactatus eſt reſtaurandus; in quem finem conducunt.

1) *Interne*

a) *Salia volatilia* cum tinct. alcal. mixta, e.g. mixtura tonico-neruina *Stahlii.*

b) *Martialia:* eſſent. vitrioli martis *Ludouici.*

c) *Carminatiua* & *aromatica:* eſſent. cort. aurant. citri, gentianæ rubræ, ſpiritus ſalis ammoniaci, cum ſpeciebus carminatiuis abſtractus.

2) *Externe* neruina & roborantia, priore membro memorata, conueniunt.

B. *Me-*

B. *Methodus ſpecialis.*

1. Colicæ *flatulentæ* & *mucoſæ.*

1) Præmittantur *clyſteres carminatiui* & *emollientes* e flor. chamomill. tanacet. matricar. eupator. roſar. ſtœchad. Arab. herb. maluæ, althææ, veronicæ, parati; quibus, præter ſal commune, pro ſtimulo centaur. minus addatur, quod ſenſum morſicantem in inteſtino recto exſerit, & hac ratione flatus e ſuperioribus inteſtinis deriuat. Stimuli loco inſeruit etiam elixir proprietatis, quod mucum reſoluit & ſimul euacuat.

2) Subiungantur pro diuerſitate temperamentorum carminatiua, interpoſitis ſubinde laxantibus ſennatis, e. g.

a) *Radices* imperator. angelic. pimpinell. alb. zedoar. gentian. rubr.

b) *cortex* Winteranus.

c) *Semina* aniſi, fœniculi, carui, petroſelini, &, ad digeſtionem promouendam, ſpecialiſſime ſem. ſinapios, erucæ.

d) *Aromata:* pip. cardamom. galang. caryophyll. quæ omnia in ructibus pariter ſummi vſus ſunt.

e) *Salia digeſtiua:* tartar. vitriolat. arcan. duplicat. cum nitro & cinnabari.

f) *Compoſita:* ſpiritus tartari, nitri dulcis, mixtura ſimplex, eſſent. alexipharm. *Stahlii*, cort. aurant. gentian. rubr. centaur. min. &c.

2. Colicæ *charge bilioſæ* ſeu *cholericæ.*

1) Hic in vſum veniant temperantia, abſorbentia, e.g. nitrum, cryſtallus montana, mater perlar. corall. &c. item oleum amygdalar. dulcium recens, iuſcula pullorum cum ſemine nigell. manna.

2) Quod ſi vero hæc reuomantur, clyſter domeſticus adplicetur cum calore & fotu abdominis.

3. Colicæ *hæmorrhoidalis* & *nephriticæ.*

1) *Præmittantur* & repetantur clyſteres paregorici ex oleo lini, oliuarum, verbaſci, & nitro parati.

 2) De-

2) Deinde porrigantur pulueres nitroſo - temperantes cum cinnabari, e.g. puluis antiſpaſmodicus, item iuſcula calida cum oleo amygdalarum dulcium.

3) His præmiſſis in vehementiore impetu verſus noctem exhibeatur theriaca, vel pulueribus dictis M. P. de cynogloſſ. a gr. 1-2. addatur.

4) *Remittente* paroxyſmo alexipharmaca & temperantia continuentur, ac inſuper mixtura tonico - neruina *Stahlii*, cum eſſent, millefolii ſociata, propinetur.

5) *Externe* in vſum vocentur

a) *Fotus* inteſtini recti.

b) *cataplaſma* e meliloto & verbaſco, cui inſideant patientes.

c) *Calor* abdomini conciliandus:

α) Per aquam, vel lac, ſi veſicæ immittantur & calide adplicentur.

β) Per lateres calefactos.

d) *Sacculi* neruini, ex illis ſpeciebus, quarum ſub methodo generali mentio facta eſt, parati.

e) *Linimenta* ex oleis ante dictis, ſpeciatim laurino & nucis moſchatæ.

f) Spiritus vini *camphoratus*, regioni dolenti adplicandus.

g) Regimen quietum & leniter diapnoicum.

4. Colicæ *hyſtericæ*.

1) Præmittantur & repetantur clyſteres carminatiui, ad quos ſpecifice commendatur herba veronicæ, cum iuſculo carnis cocta, addito oleo anethi & ſale communi.

2) Vbi ægrotæ clyſteres auerſantur, vel malum non adeo vrget, ſubſtituantur pediluuia, vel inſeſſus, & laxans e ſenna, ſemine fœniculi, item eſſent. ialappæ cum vitello oui & aquis vterinis.

3) Deinde ſubiungantur

a) *Interne*.

α) Eſſent. alexipharm. vel tragea e rad. pimpinell. alb. carlin. cum ſemine aniſi, fœniculi.

β) Tem-

β) Temperantia nitroſa, & in effero motu anodyna correcta.

γ) Tandem tonica, e.g. mixtura tonico-neruina *Stahlii*, eſſent. millefol. caſtor.

b) *Externe.*

α) *Regimen* leniter diapnoicum.

β) *Spiritus neruinus* ex eſſent. caſtorei, ſpiritu ſerpilli, camphora & eſſent. anodyna.

γ) *Linimentum e* pinguedine cati ſilueſtris cum oleis carminatiuis.

5. Ad prophylaxin in colica hæmorrhoidali & hyſterica commendantur:

1) Venæ ſectio æquinoctialis in pede.

2) Euacuationum ſanguinis debitarum promotio, e.g. menſium per infuſa laxantia aperitiua, item, ſi ex vſu ſit, hæmorrhoidum per hirudines.

3) Cauſſarum procatarcticarum euitatio.

4) Speciatim alui legitimus vbique ſucceſſus.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Colica *humoroſa* a reliqua pure ſpasmodica omni circumſpectione in cura diſtinguenda eſt: cauſſæ enim vti prorſus diuerſæ ſunt, ita horum malorum confuſio maiora damna importat; vbi autem complicantur, & vnum malum alterum generat, e.g. quando a colica ſpasmodica inducitur biliosa, ibi methodus leniſſima quam maxime commendata eſſe debet.

2. *Carminatiua* numquam concedantur ante, quam viæ per clyſteres vel laxantia ſint reſeratæ. Tunc autem locum habent in colica *flatulenta*, minime vero in *ſpaſmodica*, vbi orgaſmum & dolores eo notabilius augent, quo magis calida exſiſtunt.

3. Si vmquam alibi, certe in colica *clyſteres* maximum vſum habent, hisce enim ſolis vniuerſum ſæpe malum ſoluitur: hinc non leue ſubeſt incommodum, ſi ægri eosdem admittere recuſent; quo tædioſo caſu tanto frequentius temperantia nitroſa cum cinabarinis exhibenda ſunt.

4. Quoniam colica, etiam *hæmorrhoidalis*, in inteſtinis inferioribus, *colo* nempe & *recto*, potiſſimum reſidet, medicamenta, per os exhibita, effectum ſuum ad modum tarde exſerunt, inter ea vires proſternuntur; *clyſteres* autem ad locum adfectum proxime accedunt, inteſtina emolliunt, lentos humores fluxiles reddunt, & acrimoniam illorum abſtergunt.

5. Clyſteres autem aliquoties repetendi, & tres vel quatuor intra 4-6-8. horas iniiciendi ſunt, ſi nempe colica continuet, & præcipue, ſi prioribus fæces ſaltem crasſiores eductæ fuerint.

6. *Priores* magis ſint adſterſiui, acriuſculi, ſalini, *poſteriores* vero magis emollientes.

7. *Vitelli ouorum* commode clyſteribus adduntur, habent enim indolem ſaponariam reſoluendo & abſtergendo pinguia, ſubmucida.

8. De *ſemine* autem *lini* exigua ſaltem portio addatur, nam valde mucidam reddit conſiſtentiam humorum.

9. Si *clyſter* ſubſtiterit, ſimplex aqua calida, cum manipulo ſalis iniecta, priorem educit.

10. In colica pure hæmorrhoidali *aluus* ita ſubinde adſtricta eſt, vt inteſtinum inſtrumento clyſterico tenaciter reſiſtat.

11. Ex aduerſo teſtantur hiſtoriæ, quod iniecti clyſteres, ob motum periſtalticum inuerſum, ſæpe per os egresſi ſint, aut intolerabilibus cardialgiis ac moleſtis ructibus ægrum exerceant; quo caſu ſimplex aquoſus clyſter cum multo ſale, vti iam ſuperius dictum, vſum præſtat.

12. *Aluo* per clyſteres ſoluta, viribus conſtantibus, & præſente in primis viis ſaburra, ex habitu corporis vel prægresſa mala diæta iudicanda, *purgans* aliquod mediocre bono cum ſucceſſu poteſt propinari.

13. In colica *hæmorrhoidali*, irritis omnibus, auxilio tandem fuit *venæſectio* in pede, vel ſi & hæc ſpem fruſtrata ſit, *hirudinum* adplicatio ad loca hæmorrhoidalia in paroxyſmo operæ pretium fecit; quæ tamen alias meliori effectu ad prophylaxin vſurpantur.

14. Immo vti feminis torminoſi tales morbi vehementiores

& fre-

& frequentiores, quam viris, contingunt, ob manifeſtum excretionis menſtruæ cum motu hæmorrhoidum conſenſum, ita & in illis *venæ ſectiones*, in pedibus inſtitutæ, maximum profecto & præſentisſimum, immo mirificum habent vſum, quæ proinde magnopere commendantur, tanto magis ſi inſignis plethora, ructus, vel metus vomitus cruenti adſint: coniunctis nitroſis & ſpecificis e millefolio &c.

15. Ad ipſarum autem hæmorrhoidum prouocationem in colica tali hæmorrhoidali nullus adeo in præſens habeatur reſpectus, motus enim ſunt erronei, ad finem non pertingentes; in futurum autem, ne colica illa recrudeſcat, illis conſulatur. Conferantur quæ *num.* 13. de *hirudinum adplicatione* diximus.

16. *Pulueres nitroſi*, ſi vomitus ſuperuenerint, efficaciam exſerunt præſentiſſimam; ſuccurrit etiam *nitrum* alui expeditioni, ſi ad drachmas totas detur, per ſe tamen non producit diarrhœas, ſed tum demum, ſi natura onerata ſit, & talia profluuia vtiliter intendat: hinc diarrhœæ tales, ſi materia moleſta excreta fuerit, per ſe deſinunt, licet nitri doſes repetantur,

17. Hodierni in colica vulgo feſtinant ad *opiata*, ſed re vera intuta ſunt: ſi enim, aluo nondum liberata, neque cauſſa continente educta, adhibeantur, vires magis debilitantur, materia ſpisſior redditur, dolores, quos breuisſime ſuſpendunt, maiore atrocia recurrunt, colica in primis ſpaſmodica in habitum transmigrat, vel *pareſis* aut ſpaſmus fixus, immo præceps mors ſuccedit. Pareſis talis tractatur ad methodum malorum paralyticorum, & ſpaſmus fixus, vti arthritici morbi.

18. Vix etiam *opiatorum* vſus, dextre adhibitus, eſt neceſſarius, aluo enim ſoluta & cauſſa continente educta, dolores plurimum ſponte ceſſant. Si vero, euacuatione, ante omnia bilis, prius inſtituta, vſus illorum e re videatur, doſes parcisſimæ exhibeantur.

19. Præcipue autem ab *opio* abſtinendum, ſi veſtigia febrilia

præſto ſint cum doloribus,& ita impendentis ſtaſeos inflammatoriæ iuſta ſuſpicio fouenda videatur,alias partes narcoſi tali ſtupefactæ ad motus naturæ vtiles ineptæ redduntur.

20. *Caſtoreum* vſu interno anguſtias præcordiorum & nauſeam producit, externe autem pro odore vtilius adhibetur, vti & *aſſa fœtida*, item *corium incenſum*, quibus feminæ excitantur, ſi ſuffocationes hyſtericæ ſuperueniant.

21. *Regimen* diaphoreticum ſine alui ſolutione, & materiæ craſſæ ſubductione in colica ſpaſmodica inducit pareſin, in biliosa bilem in artus diffundit, in ceteris ſpeciebus auget anxietates; lenis autem diaphoreſis vſum ſuum præſtat.

22. *Specifica* multa quidem laudantur, ſed optandum, vt effectum præſtent tutum & ſalutarem.

23. In feminis operæ pretium ſubinde fecit euporiſton illud, nempe *folia betulæ* quatuor vel quinque puluериſata, & cum calido vehiculo propinata: ſubadſtringente & ſimul nonnihil aromatica, & tonum roborandi efficacia proſunt.

24. *Chamomilla*, ſpecifice laudata, non quidem reiicienda,pro abſoluto tamen ſpecifico non extollenda eſt. *Vid. Simon Pauli.*

25. Tamquam *ſpecifica* porro laudantur:
1) Cortices aurantiorum in ſubſtantia, vel melius in esſentia.
2) Mentha.
3) Tanacetum, cuius odor ſolus nonnullos reſtituit.
4) Caro lupi in colica hyſterica.
5) Millefolium certiſſimum motuum hypochondriacorum ſedatiuum.
6) Tubuli tabacophilorum, oleo tincti, quid valeant, experiendum.
7) Radix cynogloſſæ intra horam vndecimam & duodecimam meridianam effoſſa, & in ſubſtantia per ſpiritum ardentem exhibita, ſpecifica virtute etiam pollere dicitur.

26. Ra-

26. Radix *gentianæ veræ* hic non contemnenda eſt, diarrhœas etiam contumaces, in primis inſignibus torminibus non adeo ſtipatas, efficaciter tollit.

27) Dolores feminarum torminoſi, ex inordinato adſumtorum vſu interdum ſatis acriter excitati, per aliquot cochlearia vini Hiſpanici ſeu Canarienſis generoſi egregie tolluntur.

28. *Potus*, quantum tolerari poteſt, *calidus* inſignis ſubinde in paroxyſmo eſt efficaciæ; *frigidus* autem malum exaſperat, & facile ſpaſmos verſus ſuperiora inuitare ſolet, cum vehemente vomitus conatu.

29. Colica *nephritica*, vti ad hæmorrhoidalem etiam referri debet, ita easdem cum hac expoſcit cautelas & obſeruationes.

30. Ad ſpaſticam *ſtricturam* in inteſtinis relaxandam, *pediluuia* & *manuluuia* efficaciter inſeruiunt.

## TABVLA CVIII.

# DE PASSIONE ILIACA, SEV MISERERE MEI.

I. DEFINITIO.

Paſſio iliaca eſt acutiſſima ſpecies colicæ, variis diris ſymptomatibus ſtipata. Deriuatur ab inteſtino *ileo*, quia hoc potiſſimum occupat.

II. *DIFFERENTIA.*

1. In hoc malo *tres* obſeruantur ſpecies, ſecundum cauſſas differentes.

1) Paſſio iliaca *conuolutionis*, in qua ſitus inteſtini intra ſe ipſum mutatus eſt, cum duplicatura ſui, quam *Sylvius* & *Peyerus*, tractatu de glandulis inteſtinalibus, deſcri-

ſcribunt. Hæc ſpecies dicitur *voluulus*, conuoluulus, die Verſchlenckung der Gedärme.

2) Paſſio iliaca *hernioſa*, in qua inteſtina, fæcibus vel flatulentia repleta, ita detinentur, vt ægre in naturalem ſui ordinem reponi poſſint.

3) Paſſio iliaca *obſtructionis*, vbi ſaltem pertinax alui conſtrictio hoc malum fouet. De ſingulis ſub causſis plura.

2. Pasſio iliaca differt a *colica*

1) vt ſpecies a genere.

2) *Gradu* dolorum, quo colicam longe ſuperat.

3) *Loco* adfecto: hic enim inteſtinum *ileon*, ſed non ſolum, verum etiam reliqua tenuia, in colica autem inteſtina *craſſa* potisſimum infeſtantur.

4) *Prognoſi*: longe enim periculoſius eſt hoc malum, quam ſimplex colica.

III. *SIGNA.*

1. Dolores atrocisſimi, lancinantes, & per transuerſum vmbilici ſcindentes.

2. Inſignes anxietates & cardialgiæ cum ructuum frequente emisſione.

3. Internæ phlogoſes & febriles anxiæ commotiones.

4. Occluſio alui diuturna, nec clyſteribus facile reſeranda.

5. Quo magis hoc malum præualeſcit, eo magis conatus vomendi, immo ipſe vomitus accedit, per quem poſtea ipſæ fæces aluinæ proiiciuntur, cum variis motibus anxiis, lipothymicis, conuulſiuis.

6. Tandem niſi ocyus auxilium concurrat, inflammationem inteſtini ilei excipit *ſphacelus*, qui quidem dolores repente ſoluit, ſudores autem frigidos & mortem præſentem adfert.

IV. *SVBIECTA.*

Pasſio iliaca eſt rarus ad modum morbus, & ſine diſcrimine ſexus atque ætatis in illa ſubiecta cadit, quæ causſis ſubſequentibus obnoxia euadunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa pasſionis iliacæ *interna* eſt

1) vel

1) vel inteſtinorum conuolutio, cum ſuccedente ſtaſi inflammatoria
2) Vel hernia incarcerata, vbi inteſtinum, fæcibus vel flatibus refertum, lapſum, nec facile reponi poteſt, ob tumorem, qui accedere ſolet, inflammatorium: vnde contumax alui obſtructio exoritur.
3. Vel pertinaciſſima alui conſtrictio, ex abuſu præcipue adſtringentium inducta.

2. Cauſſæ *externæ* & *occaſionales* obſeruantur:
1) Vehementes corporis concusſiones, currendo, ſaltando, equitando, tusſiendo, ſternutando.
2) Geſtationes onerum grauiorum cum reniſu fortiore.
3) Cibi crudi, fumo indurati, flatulenti, & potus fermenteſcentes.
4) *Vermes*, præcipue necati & non ſtatim expulſi.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Pasſio iliaca eſt malum ad modum periculoſum & calamitoſum, quod vel per ipſius denominationem, *miſerere mei*, auctores exprimere voluerunt.
2. In caſu, vbi ex inteſtinorum conuolutione & diſtorſione malum exortum eſt, minima ſpes vitæ adfulget.
3. Sic etiam pasſio iliaca ex hernia incarcerata ſæpe fit lethalis, præcipue ſi qualiscumque plethora concurrat.
4. *Melioris* ſpei illa eſt pasſio, quæ ab induratis ſcybalis & pertinaci alui obſtructione fouetur; modo tempeſtiue artis auxilium accedat.

VII *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1: In *conuolutione* & *diſtorſione* indicantur:
1) *Explicatio inteſtinorum* & reductio in ſitum ſuum naturalem; quod autem negotium facilius mente concipitur, quam actu obtinetur. Commendantur in hunc finem varia artificia, e.g.
a) Deglutitio *globulorum* aliquot plumbeorum, antimoniatorum, &c. vt pondere penetrent, inteſtina explicent, & aluum ita aperiant.
b) Hauſtus *mercurii viui* ad integram libram, præmisſis

 ali-

aliquot vnciis olei amygdalarum dulcium, & ſubiuncta celeriore corporis motu, ſiue curſitando, ſiue equitando, ſiue curru vehementius vehendo.

c) Adplicatio *follis* ad orificium ani; ſed quia inteſtinum rectum ita conſtrictum obſeruatur, vt fiſtulam clyſteris ægre admittat, multo difficilius craſſius hoc inſtrumentum poterit adplicari.

d) Nouum illud inuentum, nempe clyſma e fumo tabaci, quid hic præſtet, experientiæ relinquitur.

2) *Diſcuſſio inflammationis:* in hunc finem commendantur

a) *Interne* nitroſa, cinnabarina.

b) *Externe.*

α) Spiritus vini camphoratus, crocatus, linteis duplicatis abdomini adplicandus.

β) Sacculi e diſcutientibus & carminatiuis cum camphora parati.

γ) Venæ ſectio, ſi inſignis plethora adſit, tempeſtiua.

2. In *hernia incarcerata* indicantur:

1) *Repoſitio inteſtini* prolapſi: in quem finem laudantur:

a) Supinus corporis ſitus.

b) Fotus e carminatiuis & emollientibus, e. g. herbis maluæ, violar. althææ, ſummitat. origani, ſerpilli, floribus chamomillæ, ſambuci, ſeminibus aniſi, fæniculi, fœnugræci, pſyllii, cum lacte coquendis.

c) Abſente tumore inflammatorio decocta talia in forma cataplaſmatis adplicari, vel per ſpongiam, decocto calido imbutam, hernia foueri poteſt.

2) *Præcluſio inflammationis:* qui ſcopus per nitroſa, item potiones temperantes & diapnoicas obtinetur.

3) *Alui ſolutio*, quæ, facta inteſtini repoſitione, per clyſteres emollientes tentanda eſt.

3. In *ſcybalorum induratione* indicantur:

1) *Interne:* nitroſa, cinnabarina, potiones temperantes & diapnoicæ, ad inflammationem præcauendam, vel iam præſentem diſcutiendam.

2) *Ex-*

2) *Externe* ad eumdem finem & præcipue aluum expediendam commendantur:

a) *Clyſteres* lubricantes cum nitro, & gr. II. III. camphoræ. Species emollientes ſuperius iam deſcripſimus; conf. etiam tabula *præcedens de colica*, vbi plura de clyſteribus legenda ſunt. His pro ſtimulo denique addatur ſapo Venetus, vbique ſufficiens oleum, &, præſente inflammatione, album græcum.

b) *Suppoſitoria* acria.

c) Spiritus vini camphoratus vel emplaſtrum ſaponatum *Barbette*, abdomini adplicanda.

d) *Illinitio* abdominis cum pinguedine anſerina, aut omenti animalis caſtrati, ſed abſente inflammatione.

e) *Sacculi* calidi e carminatiuis & diſcutientibus cum camphora.

f) *Venæ ſectio* in ſtatu plethorico.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. *Clyſteres* vtramque hic faciunt paginam, proſtant enim exempla, in quibus nuda aqua calida, cum drachmis VI-VIII. ſalis iniecta, motum periſtalticum deorſum reuocauit.
2. Cauendum autem, ne mel ipſis adiiciatur; præſente enim inflammatione promouet ſuppurationem.
3. Præter ea faciunt clyſteres in hoc pertinaci malo, quod poſſunt, rarius autem, quod deſideratur.
4. In caſu *herniæ* incarceratæ caueatur ab audace illo conamine chirurgorum imperitorum, qui, præſente licet tumore inflammatorio, ad operationem inciſoriam audacter feſtinant.
5. Caueant ſibi eiusmodi ægri in poſterum a cauſſis occaſionalibus, ſuperius memoratis, potus ſemper ſit ſufficiens, motus corporis placidus.
6. Ad præcauendam talem pertinacem obſtructionem ſequens pilularum formula, ad grana 3-5. ſubinde ſumenda, a D. D. *Stahlio* commendatur;

Recip. aloës roſat. part. II.
extract. panchymagog. *Crollii* part. I.
limatur. martis præparat. part. ſemis M. f. M. P.

7. *Sydenhami* methodus, quid in illo malo quod ab obſtructione alui poſt abuſum præcipue adſtringentium in febribus &c. fouetur, valeat, experiendum eſt. Trademus illam ſequentibus:

1) Præſcribebat mane & veſperi ſcrupulum I. ſalis abſinthii.

2) Per diem autem ſingulis horis, immo ſæpius, aliquot cochlearia de aqua menthæ criſpæ exhibebat.

3) Externe canem iuniorem abdomini imponebat.

4) Sedatis doloribus & motibus vomendi, pilul. Coch. cum vehiculo dictæ aquæ propinabat.

5) Sub ipſo pilularum purgante effectu, immo per plures adhuc dies, eamdem aquam vſurpandam commendabat.

6) Tenuem admodum, durante morbo, diætam, vix iusculum ad ſatietatem patienti concedens, vbique calorem, applicato panno duplicato conſeruandum, iniungebat.

# TABVLA CIX.

## DE VERMIBVS

I. DEFINITIO.

Vermes ſunt animalcula in corpore humano producta, & in primis viis maxime reperiunda.

II. *DIFFERENTIA*.

1. Vermes differunt ſecundum ſpecies, quarum auctores alii quinque, alii quatuor, alii plures, alii pauciores recenſent; ſatis commode tamen in *tres* claſſes diuiduntur:

1) Sunt

1) Sunt alii *teretes longi*, qui ob ſimilitudinem, quam cum lumbricis terreſtribus habent, *lumbrici* vocantur.

2) Alii ſunt *lati*, & vel ſolitarii ſeſe volutant, ad quorum claſſem *cucurbitini*, ſemini cucurbitæ ſimiles, referuntur, vel catenatim ſubinde cohærent, & e latitudine ſua in longitudinem decem, immo plurium, vlnarum diducuntur.

3) Alii ſunt *teretes breues*, qui *aſcarides* vocantur, & vermiculis caſei ſimiles ſunt, qui ſaltum facere ſolent, ſed talis motus in hiſce aſcaridibus non ita deprehenditur, licet denominationem inde, nempe ab ἀσκέω moveo, accepiſſe videantur. Hi in inteſtino recto plurimum ſtabulantur, vbi ſenſibilem moleſtiam, titillationem, pruritum & teneſmum inferunt.

2. Occurrunt interdum vermes inſolitæ, aculeatæ, immo plane monſtroſæ figuræ, præcipue in infantibus, qui ab illis plane conſumuntur. Hic incantatio ſæpe accuſatur, germ. das Kind iſt beruffen: vnde etiam ſimilia faſcinatoria medicamenta accerſere ſolent. Sed & hic, vti in aliis incantationis ſuſpicionibus, ſæpius errare contingit.

III. *SIGNA*.

1. Frequens *ſputatio*, vel ad minimum ſaliuæ in os effuſio, & nauſeabunda adfectio, tempore præſertim matutino.
2. Narium pruritus, frictio, immo ſcalptio.
3. Liveſcens color albuminis, & concauitas vniuerſi, oculorum.
4. Abdominis inflatio & induratio cum doloribus torminoſis.
5. Aluus modo obſtructa, modo laxans eſt.
6. Adpetitus vagus, modo nimius, modo imminutus.
7. Sitis, præcipue ieiuna, immo ſubinde nocturna.
8. Capitis temulenta adflictio.
9. Genæ modo rubent, modo pallent.
10. Alii pauores ſub ſomno cum dentium ſtridore incurrunt.
11. Alii deliriis euigilant.

12. Alii conuulſionibus epilepticis, vel plane ſingularibus ſymptomatibus corripiuntur, vt pro incantatis ab imperitis habeantur.

IV. *SVBIECTA.*

1. Infantes & pueri ob addephagiam vermibus potiſſimum ſunt obnoxii, adeo, vt in illis nonnumquam globi conglomerati, tunica incluſi, excernantur, germ. Wurm-Stöcke.

2. Adultiores temperamenti corporis cachectici, mucoſi, flatulenti, item feminæ menſium obſtructione laborantes.

V. *CAVSSAE.*

1. De cauſſis vermium inter auctores nondum conuenit, probabilisſimum tamen eſt, quod a *putredine* quadam, in corpore humano, præcipue primis viis, contingente, originem ducant; experientia enim docet, animalcula talia e rebus putrefactis prouenire, e.g. caſeo, carne &c.

2. Huic ſententiæ lucem adfundit vitium digeſtionis, quod in ſubiectis, vermibus obſesſis, ordinarie obſeruatur: vnde cibi, non legitime cocti, in putredinem abeunt, & natiuitati vermium anſam præbent.

3. Cauſſæ *externæ* ſunt:

   1) Cibi crudi, mucidi, dyſpepti, quantitate deglutiti: hinc in pueris edacibus vermes adeo familiares ſunt.

   2) Dulcia ſaccharata, nimium vſurpata.

4. Recentiorum opinionem, quaſi e ſeminio inſectorum in corpore vermes producantur, multæ premunt difficultates; præcipue vero quod vermes figura ſua prorſus non conueniant cum inſectis illis, quorum ſeminio productio illorum adſcribitur.

5. Vermium in infantibus prouentum ab ipſo lactis vitio aliqui arceſſunt, vero autem magis ſimile videtur, ſemina ex vno corpore in alterum transmitti, e.g. quando nutrices vel vetulæ, dentium impuritate vel alia oris labe adfectæ, cibos infantum præmandunt, aut per anhelitum fœdum turpia ſeminia illis ingerunt.

VI. *PRO-*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Non leue malum eſt verminoſa colluuies, & grauia ſæpius ſymptomata, tam in iunioribus quam adultis, inducit.

2. Et licet vermes per ſe alia damna inferre nequeant, quam hirudinum more, inteſtina ſugendo lædere, &, in globum complicati, ipſa ſui mole obſtructiones inteſtinorum efficere, ad ingentes tamen motuum ſpaſticorum, immo conuulſiuorum exacerbationes naturam ſtimulant.

3. Extra complicationem cum aliis morbis introducunt vitia adpetitus, concoctionis, diarrhœas, vomitus, cardialgias, dolores colicos: non parum etiam ad flatus & menſium obſtructionem contribuunt.

4. Cum *chronicis* morbis coniuncti, e.g. malo hypochondriaco-hyſterico, motibus hæmorrhoidalibus &c. his non leue pondus addunt, & motus pertinaciſſimos ad exprimendum & excutiendum concitant.

5. *Acutis* morbis vermes ſociati maximorum damnorum auctores ſunt, e.g. ſi in acutis anorexia occurrat, & vermes, nutrimento deſtituti, moriantur, atque in inteſtinis putreſcant, lethales ſæpe motus & irritationes ſuccedunt, nempe conuulſiui adfectus, deliria, diarrhœæ, quæ omnia in acutis periculum augent.

6. Idem damnum inducitur, ſi vermes per remedia amara, e. g. myrrham, enecati in inteſtinis putreſcant: febres ſæpius malignæ inde producuntur.

7. In acutis pro malo omine & ſigno malignitatis habetur, ſi in ſtatu, vel etiam incremento morbi vermes excernantur; quo caſu antiqui putabant, tantam adfuiſſe putredinem, vt etiam ſtatim vermes ex illa producti ſint.

8. Vermes *rubri*, ſanguine per ſuctionem repleti, febres facile acutas inducunt.

9. *Aſcarides*, præter pruritum in inteſtino recto & teneſmum, nullas quidem adeo moleſtias inferunt, multo difficilius tamen lumbricis expelluntur.

10. Sic etiam *lati* illi cucurbitini, quia vniuerſum inteſtinorum

rum ſyſtema ſæpe occupant, expulſioni pertinaciſſime reſiſtunt.

11. *Lumbrici* quando in ventriculum transferuntur, plus negotii faceſſunt, quam ſi in inteſtinis hæreant: peſſimorum enim tunc ſymptomatum auctores obſeruantur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Ad vermes *enecandos* exhibeantur ſpecifica amara, interpoſitis ſalibus abſtergentibus & digeſtiuis: in hunc finem laudantur:
   1) *Radices* graminis, zedoariæ, gentianæ vtriusque & ariſtolochiæ rotundæ, quæ amaritie nullis facile ſimplicibus cedit.
   2) *Herba* abſinth. centaur. min. card. bened. hyperici, tanaceti. abrotan. marrub. alb. ſuccus ſcordii, millefolii.
   3) *Flores* perſicorum.
   4) *Semen* ſantonici, &, quæ illius ſpecies eſt, tanaceti, e.g. decoctum ſeminis ſantonici cum lacte paratum.
   5) Myrrha, corallina, elixir proprietatis, vitriolum martis, amygdalæ amaræ, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum.
2. His per aliquot dies exhibitis, vermes enecati, aut ad minimum commoti & proturbati, e corpore mature *excernantur*. Præſtat hoc, præter reliqua purgantia aloëtica, colocynthiaca, ſpeciatim mercurius dulcis, qui etiam vermes, adhuc viuos, enecat; de quo legatur exiguus tractatus *Boyle* de ſpecificis.
3. *Externe* abdomini adplicare ſolent amara, aut bilem tauri vmbilico illinunt, item vnguent. de arthanita ſeu cyclamine, quod externa vnctione non tantum pueros, ſed etiam adultiores laxat.
4. Ad dolores colicos mitigandos clyſteres dulces conducunt, qui parantur ex lacte, oleo quodam, melle vel ſaccharo.
5. In cibis fugiantur lacticinia, dulcia ſaccharata, & dyſpepta.

VIII. *CAV-*

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quæ inſolita plane ſymptomata a vermibus inducantur, in *Moronii directorio medico* ſub titulo vermium & febrium euolui poſſunt,
2. *Eraſmus* epiſtol. in laud. medicinæ exemplum refert cuiusdam pueri, qui in delirio a vermibus lingua germanica, ab illo numquam intellecta, locutus fuerit.
3. Et ſane non ſolum in infantum, ſed etiam adultiorum chronicis morbis præcipue abdominis pathematibus, vermes ſemper ſuſpecti eſſe debent, e.g. in adpetitu vago, nauſea, cardialgia, ſaliua, ieiuno ventriculo, in os effluente, teneſmo, conuulſionibus.
4. Notatu digna eſt obſeruatio D. D. *Stahlii* diſſertatione de adfectibus oculorum pag. 20. quod in *canibus*, præ aliis animalibus, ſæpius in ipſo fundo ventriculi, vnus aut alter nodus, (addo: ſiue introrſum ſiue extrorſum in tunica exporrectus) fabæ quantitatem circiter referens, reperiatur, cum foramine in cauitatem ventriculi exeunte, & capace intus cauitate, quam interdum vnus maior, ſæpius vero numero plures mediocres lumbrici inhabitent.
5. Quæ cardialgiæ & conatus vomendi perennes inde manare debeant, & quam difficillimum ſit lumbricos, tali domicilio peculiari circumuallatos, expugnare, ipſa ſana ratio dictitat; & licet in corpore humano hæc vermivm munimenta nondum adeo detecta ſint, plures tamen circumſtantiæ eadem reddunt ſuſpecta.
6. In exercitationibus *Franciſci Rubei* de febre tertiana continua memoratur, quod quidam diu & grauiter illa adflictus fuerit, & multa remedia fruſtra ſint adhibita, donec vermes quosdam maiores per vices excerneret.
7. Non quæuis amara vermes enecare, nec alimentum eorum amaritie inficere, ex bile ſatis manifeſtum eſt: hæc enim amarore non caret, & tamen vermibus aduerſari non obſeruatur: hic ſpecifica amara ad id negotium requiruntur.
8. *Myrrhæ rubræ* efficacia in vermibus enecandis ſatis quidem

probata, in eo tamen ridicula eſt, quod vermes, in toto corpore luxuriantes, interimere fingatur.

9. *Species diaturbith* cum rhabarbaro vermes quidem expellunt, ſed ad modum vehementer & incommode, vomitum enim plerumque cient.

10. *Amygdalæ amaræ* non reiiciendæ ſunt: de illis enim notum eſt, quod animalia quadrupedia (nonnulli addunt: quæ cæca naſcuntur) interficiant, & volatilia conuulſionibus inde moriantur: hinc probabile, illas etiam vermibus eſſe aduerſas.

11. Sic etiam *nux vomica* pari effectu, animalia necandi, nota eſt, licet hoc remedium infantibus minus, bene vero adultis, experientia teſte, conueniat.

12. *Cornu cerui* vſtum a multis laudatur, id quod experientiæ relinquendum eſt: de ſpiritu autem illius notum eſt, quod, niſi notabilibus doſibus a ſcrup. I. ad drach. ſemis exhibeatur, nihil magnopere præſtet.

13. De *muſco corallino* vna vel altera obſeruatio apud *Schenckium* legi meretur.

14. Herba *ſaluiæ* ſpecialiter a quibuſdam laudatur: quid efficiat, experiendum eſt.

15. Sic etiam laudatur *ſalſugo* illa, in qua haleces conſeruantur, doſ. 1-2. cochlearia.

## TABVLA CX.

### DE

# OBSTRVCTIONE ALVI.

I. D*EFINITIO.*

Obſtructio alui eſt fæcum aluinarum vltra tempus conſuetum retentio, a cauſſa modo actiua, modo paſſiua originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Obſtructio alui eſt

1) vel

1) vel *idiopathica*, vbi nulli alii morbi concurrunt;
2) vel *ſymptomatica*, quando alui obſtructio aliis morbis accedit, e.g. febribus, congeſtionibus.

2. Obſtructio alui, quæ a cauſſa *actiua* dependet, bene diſtinguenda venit ab illa, quæ magis *paſſiue* contingit; illa enim adſtrictio potius, quam obſtructio dicenda eſt. *Vid. cauſſæ.*

III. *SIGNA.*

1. Retentio fæcum aluinarum vltra 24. horas.
2. Temulenta & vertiginoſa capitis adflictio.
3. Congeſtiones circa caput dolentes.
4. Flatuum incommoda.
5. Preſſiones circa ventriculum.
6. Anguſtiæ & anxietates circa præcordia.

IV. *SVBIECTA.*

Ad obſtructionem alui præ aliis procliues ſunt homines

1. Otioſi, ſedentarii, ſpeculabundi.
2. Qui ebullitionibus ſanguinis obnoxii ſunt.
3. Sicciores, temperamenti cholerici & melancholici.
4. Specialiter hypochondriaci, nephritici, podagrici, & alii arthritici.
5. Plurimi eorum, qui febribus acutis corripiuntur.
6. Κακοςόμαχοι.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa obſtructionis alui generatim duplex eſt, nempe vel *actiua* vel *paſſiua*.
2. *Actiuam* cauſſam vocamus ſtricturam illam, quæ in quam plurimis morbis inteſtino recto a natura inducitur, e.g. in malo hypochondriaco, nephritide, calculo, & in omnibus fere congeſtionibus ſanguinis verſus partes corporis ſuperiores.
3. *Paſſiuam* autem cauſſam dicimus, quando obſtructio alui a ſegnitie quadam naturæ, & defectu motus periſtaltici dependet: vnde ſcybala facile indurantur.
4. Cauſſæ *occaſionales*, quæ ad hanc ſcybalorum indurationem contribuunt, ſunt ſequentes:

1) Neglectus illius temporis & leuioris ſtimuli, quo natura aluum deponere conſueuit.
2) Exæſtuatio corporis & largi ſudores.
3) Potus nimium parcus, fæculentus & vita otioſa.
4) Cibi crudi, dyſpepti, ſicciores.

VI *PROGNOSIS.*

1. Obſtructio alui multa parit incommoda, immo ſubinde pericula: præter enim ſymptomata, quæ ſub *ſignis* adlegata ſunt, ſequentia adhuc pathemata conſpirant.
2. In cholericis, bilioſis, ob bilioſæ ſaburræ retentionem facile accedunt colica, ardores, phlogoſes.
3. Scybala indurata, quando venulas inteſtinorum comprimunt, & hac ratione liberum ſanguinis in illis profluxum ſufflaminant, inflammationem circa hæc loca exſuſcitant periculoſam.
4. Obſtructio alui cum aliis morbis complicata, hos vix non omnes exacerbat.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. In obſtructione alui *idiopathica.*
   1) Hæc, præcipue in habitum deducta, quam difficulter in ordinem naturalem redigi ſoleat, certiſſime tamen *motu* & *potu* ſuperatur;
   2) *Motu* quidem non violento, qui potius obſtructionem auget, ſed placido & continuo: hoc enim remedio tonus inteſtinorum naturalis reſtituitur.
   3) *Potu* autem ſufficiente, diluto, bene defæcato; qua ratione ſcybalorum induratio impeditur.
   4) Non exiguum etiam ad aluum expediendam confert momemtum, certo & determinato quotidie tempore huic excretioni indulgere & paullulum ei inſiſtere: hoc enim incommodo per aliquot hebdomadas ſuperato, natura obſequentior fiet & temporis iactura largiter reſarcietur, teſtantibus pluribus exemplis, quorum habitualis obſtructio hoc modo feliciter ſublata eſt.
   5) Sic etiam vſum aliquem præſtat, panem exiguum, butyro

tyro *largiter* illitum, prandio & cœnæ paullulum præmittere.

6) Tempore vernali & autumnali in vſum veniant congruæ purgationes.

7) *Vrgente* autem *adfectu* clyſteres magis conducunt, quam interna laxantia, niſi ſint benigniſſima & tamen ſatis efficacia; ad quorum cenſum pertinent pilulæ *Stahlianæ, Beccherianæ*, item martiales, e.g.

Recip. aloës roſat. drachm. II.
extract. panchymagog. *Crollii* drachm. I.
limatur. martis drachm. ſemis M.f.l.a. pilul.
doſ. gr. 4 - 6.

2. In adſtrictione alui *ſymptomatica*.

1) In hac primarius quidem morbus reſpiciendus eſt, quoniam tamen aluus adſtricta illum ſæpe exacerbat, expedita autem eumdem notabiliter conſolatur, excretio illa dextre promouenda eſt.

2) Hinc in morbis *chronicis*, e. g. malo hypochondriaco, congeſtionibus circa caput &c. eadem valeant conſilia, quæ ad idiopathicam obſtructionem dedimus, habito tamen vbique reſpectu ad primarium malum.

3) In *acutis* autem ſufficiens ſaltem potus, clyſteres, &, ſine hæſitatione, pilulæ *Stahlianæ* locum habeant. *Vid. cautelæ.*

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Segnities alui *habitualis* quando occurrit, ſemper inquirendum eſt, num incommoda, ſub *ſignis* & *prognoſi* deſcripta, ſint conſtipata: his enim abſentibus, non opus eſt medicatione.

2. Occurrunt enim eius modi exempla, licet ſatis rara, vbi aluus per 3 - 6. dies ordinarie clauſa eſt, nec tamen incommoda inde ſentiunt: immo notum eſt, quod indiuidua quædam, licet ordinarium & ſufficientem cibum adſumſerint, aluum tamen intra duas, tres vel quatuor hebdomadas ſemel tantum habuerint apertam, bona de reliquo ſanitate gaudentia.



3. Duo

3. Duo illa remedia, nempe *motus* & *potus*, non debent ſeparari; ſolus enim *potus* periſtalticum motum in primis viis adhuc magis relaxat, & ſic in cauſſa ſaltem actiua, nec in hac vbique, ſufficit; ſolus autem *motus* humidum in inteſtinis magis diſſipat, vnde ſcybala indurantur.

4. A *motu* nemo deterreatur, qui, minus illi adſuetus, ſub initium maiorem potius adſtrictionem, quam alui ſolutionem ab illo experitur: placida enim illius continuatio meliora oſtendet.

5. *Aqua calida,* ſiue coffée, ſiue thée, ſiue alio conueniente herba aut radicula imbuta, eximium hic habet vſum; cauendo ſolum, ne nimis ſit ſaturata, alias coffée, præſertim deficiente motu, tremorem artuum inducit, thée autem nimis adſtringente efficacia operatur.

6. Siccitatem alui, præcipue vero veram illius adſtrictionem acrioribus *purgantibus* oppugnare, plurima mala producit.

7. Immo *laxantia* leniora improbantur; & hæc enim & acriora purgantia maiorem ſæpe adſtrictionem inducunt; ad minimum, dum cauſſa per illa non tollitur, malum inde non miteſcit.

8. Tanto magis autem laxantia, *nimis frequenter* exhibita, damnum inferunt: ſuccedit enim tanta naturæ ſegnities, vt ſua ſponte tandem aluum plane non ſoluat, vnde adfectus facile colici, immo iliaci, vel, quo magis aloëtica adhibita ſunt, ſplenetico-hypochondriaci, melancholici, arthritico-ſpaſtici inducuntur.

9. In *ſymptomatica* obſtipatione ſollicite inquirendum eſt, num morbus primarius alui ſolutionem artificialem toleret: ſunt enim febres quædam acutæ, in quibus huius excretionis promotio non ſine vitæ periculo ſuſcipitur, e. g. variolæ, morbilli, purpura, rubra & alba.

TAB. CXI.

# TABVLA CXI.

## DE
## TENESMO
## ET
## PROCIDENTIA ANI.

I. D*EFINITIO.*

Teneſmus eſt continuus, plurimum vacuus, deſidendi conatus, interdum cum aliquo interdum cum inſigni tumore ani coniunctus. Deriuatur a *τείνω* tendo, hinc *τεινεσμὸς* niſus.

II. *DIFFERENTIA.*

Teneſmus eſt adfectus mere *ſymptomaticus*, & non aliter differt, quam ſecundum diuerſas cauſſas & morbos primarios, cum quibus complicatus eſt.

III. *SIGNA.*

1. Titillatio, pruritus moleſtus, ſerpiginoſus, in orificio ani.
2. Vrens ſenſatio ad comprimendum & exprimendum.
3. Continuus ad deſidendum quidem conatus, nulla autem, niſi pulpoſo-mucoſa, pauca excretio.
4. Inteſtini recti ſæpe procidentia, cui ſuſpectus nonnumquam tumor accedit.

IV. *SVBIECTA.*

*Teneſmus* familiaris eſt

1. *Hæmorrhoidariis*, quando ſcilicet hæmorrhoides non legitime ſuccedunt, motus tamen adſunt ad easdem promouendas.
2. Qui materiam valde acrem, bilioſam, per aluum diu reiiciunt.
3. Non raro calculo veſicæ laborantibus.
4. Feminis grauidis, quando vterus inteſtino recto fortiter incumbit, vnde irritatio ad deſidendum, & compreſſio venarum hæmorrhoidalium, in hoc inteſtino currentium, cum tumore exoritur.

*Proci-*

*Procidentia* autem *ani* euenit

1. Omnibus modo dictis ſubiectis.
2. Infantibus ob acres diarrhœas & inconditos clamores.
3. Illis perſonis, quæ magna difficultate fæces aluinas ſiccas deponunt; vel diuturnas diarrhœas & dyſenterias perpeſſæ ſunt.
4. Quæ paralyſi ſpincteris ani laborant, etiam hanc moleſtiam, licet non ſtatim, ſed ſucceſſu temporis incurrunt.

V. *CAVSSAE.*

1. *Teneſmi.*
   1) Cauſſæ *internæ.*
      a) Fluxus alui bilioſus vel alius acris materiæ.
      b) Negotium hæmorrhoidale, non legitime ſuccedens.
      c) Aſcarides, inteſtinum rectum obſidentes, & ſtimulantes.
      d) Calculus veſicæ non raro teneſmum ciet: vnde partium connexio adparet.
      e) Pondus vteri in grauidis, inteſtinum rectum comprimens.
   2. Cauſſæ *externæ.*
      a) Reſinæ purgantium adſumtorum, præcipue pars reſinoſa aloës & hellebori nigri.
      b) Equitatio diuturna.
      c) Charta ad abſterſionem ani vſurpata, cui piper, zingiber, vel alia acria cauſtica, e.g. alumen, vitriolum, interfuerunt.
2. *Procidentiæ ani.*
   1) Hæc dependet ab iisdem generatim cauſſis, quæ teneſmum inducunt.
   2) Speciatim vero a relaxatione tunicæ nerueæ & glanduloſæ inteſtini recti, per crebriores alui fluxiones &c. producta: nam tota tunica fibroſa externa non prolabitur, vtpote tenacibus plane ligamentis ſpinæ dorſi vndique firmiſſime adnexa, ſed tantum interna neruea & glanduloſa.
   3) Cui rei ſpecialiſſime adnumeranda eſt *paralytica ſphincteris*

*cteris ani* relaxatio, quamquam paralyſin huius muſculi non ſtatim, ſed ſucceſſu demum temporis procidentia ani ſequatur.

VI. *PROGNOSIS.*

1. *Singultus*, teneſmo ſuperueniens, periculoſus eſt.
2. *Hippocrates* aphoriſm. 27. ſect. VII. dicit: mulieri in vtero gerenti teneſmus ſuperueniens, abortire facit.
3. Procidentia ani eſt adfectus re vera moleſtiſſimus, in primis ſi diutius continuet, quod per totos interdum dies contingit.
4. Immo ſi inteſtinum infletur, & refrigeſcat, metus eſt inflammationis, gangrænæ, ſphaceli, mortis.
5. Si vero recte tractetur, & non nimis crebro iam facta ſit, procidentia talis facile adhuc reſtituitur.
6. Concurrente cauſſa paralytica ſphincteris veſicæ, plus difficultatis ſubeſt.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Teneſmi.*
   1) Quoniam *teneſmus* pure ſymptomaticus eſt adfectus, ante omnia morbus primarius reſpiciatur.
   2) Hinc in cauſſa *aſcaridum* anthelmintica & externe clyſteres, ex herba tanaceti, radice graminis, ſummit. abſinthii, myrrha, parati, exhibeantur: his enim enecatis & expulſis, ſymptoma ſponte ceſſat. *Conf. tab. de vermibus.*
   3) Præſente *calculo veſicæ* hic tractetur ſecundum methodum, tabula de calculo commendatam.
   4) In fluxu bilioſo, acri, dyſenterico, motibus hæmorrhoidalibus & ſtatu grauiditatis, ſequente modo medicatio inſtituatur, nempe ad materiam acrem obtundendam & euacuandam, atque motus ſpaſticos demulcendos exhibeantur:
      a) *Interne* nitroſa, abſorbentia, cinnabarina; item emulſiones, gelatinæ, cremor hordei excorticati, gummi arabic. tragacanth.
      b) *Externe.*

α) *Clyſteres* e lacte pingui, herbis emollientibus, ſeminibus carminatiuis, oleo quodam, e.g. amygdal. dulc. lilior. alb. papau. flor. verbaſci, cum vitello oui ſubacto, pauco ſaccharo, parati.

β) *Vapor* terebinthinæ, ſeminum carminatiuorum, e.g. anethi, parti adfectæ admiſſus.

γ) *Fotus* calidi e floribus & herbis carminatiuis, flor. chamomillæ, verbaſci, immo e ſolius auenæ excorticatæ decocto, cataplaſmatis inſtar adplicato; cui exterius inſtilletur oleum chamomillæ, lini, lilior. alborum.

δ) Ante omnia *externus calor*, tanto magis ſi cum torminibus & deiectione acri coniunctus ſit teneſmus, commendetur.

ε) Quo etiam caſu non leue præſtat leuamen, vas aqua calida repletum ſupponere.

ζ) Vnguentum e mucilagine cydoniorum, oleo verbaſci & vitello ouorum paratum.

2. *Procidentiæ ani.*

1) Repoſitio inteſtini recti quantocyus promoueatur per

a) ſitum, vt æger antrorſum pronus ponatur.

b) Modeſtam repreſſionem digitis, oleo prius inunctis, e.g. ol. verbaſci.

c) Spongiam ſeu linteum oleis decoctis adſtringent. & carminatiuo-neruinis imbutum, & ægro iacenti ſuppoſitum.

d) Adſperſionem pollinis maſtichis & momenti aluminis.

e) Sacculum, v.g. ex auena excorticata in aqua foliorum quercus ad molliculam conſiſtentiam cocta, cui parum aluminis inſpergitur, vt tali ſacculo calido inſideat ægrotus.

f) Aquam tenellorum foliorum quercus calefactam, & aqua roſarum remixtam.

2) Quam diu inteſtinum prolapſum adhuc hæret, blando calore diligentiſſime foueatur, ne cum frigore periculum accedat.

3) In-

3) *Inſlammatio* ſi concurrere videatur, huius legitima diſcuſſio prius tentetur, e.g. per epithema ex herbis ſcordii, ſaluiæ, flor. chamomill. roſar. ſambuci, vino coctis, & deinde procidentiæ cura ſubiungatur.

4) Quando *ſphincter* paralyſi eneruatus eſt, poſt repoſitionem morbus ad methodum *tabula de paralyſi* commendatam tractetur, & inteſtini detentio per ſubligacula promoueatur. Eſt autem fere ſemper inſanabilis.

5) Alui ſucceſſus placidus, ſi neceſſarium ſit, promoueatur per lenientia, nitroſa, relaxantia, vel per clyſteres.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. In teneſmo *hæmorrhoidali* & bilioſo caueant ſibi ægri ab *aloëticis*, e.g. pilulis *Francofurtenſibus*, elixire proprietatis.
2. Teneſmum grauidarum nil niſi partus excluſio tollit, mitigatur tamen per medicationem ſub methodo commendatam.
3. *Lac* ad clyſteres ſit recens, non aceſcens,
4. Abſterſio ani per folia *verbaſci* bonam potius opinionem fouet, quam aliquem effectum producit.
5. Si *colica*, non tamen bilioſa, cum teneſmo concurrat, clyſteri aliquid ſalis, ad mucum abſtergendum, adiiciatur.
6. In actis N. C. dec. II. ann. I. mentio fit exempli, quod inteſtinum rectum ad integræ vlnæ longitudinem prolapſum fuerit; ſed hoc fidem fere ſuperat; tota enim huius inteſtini longitudo vix ad dimidiam vlnam accedit.
7. Pulueres leniter *adſtringentes*, quando ad promouendam inteſtini repoſitionem adhibentur, debent eſſe tenerrimi, ne tunicis adhærendo teneſmum magis augeant, aut de nouo inuitent, e.g. puluis gallar. tormentill. biſtortæ.
8. Sic etiam cauendum, ne *adſtringentes* pulueres, e.g. aluminis, nimis conſtringant, & hac ratione ad excretionem magis ſtimulent.
9. *Flores verbaſci*, ſi æſtui ſolis in vitro exponantur, aut maſſæ panariæ illud vitrum inuolutum in clibanum reponatur, fatiſcunt in fuſcum liquamen, quod, leuiſſime euaporan-

porando, in conſiſtentiam vnguenti redactum, egregium eſt neruinum traumaticum, balſamicum, conſolidatiuum & hinc in cauſſa huius mali paralytica egregie conducit.

10. *Hartmannus* puluerem de *ſcarabæis equinis* ad procidentiam inteſtini recti mirum in modum extollit. De *ligaculis* vid. *Sculteti* armamentarium, & *Paræus* in ſcriptis medicis.

# TABVLA CXII.
## DE
## V O M I T V.

I. D*EFINITIO.*

Vomitus eſt inuerſus motus periſtalticus ventriculi & inteſtinorum, per quem natura noxiam aliquam materiam, ſiue vere exſiſtentem, ſiue imaginariam, proxima hacce via eliminare intendit.

II. *DIFFERENTIA.*

Differt vomitus ſecundum varias ſuas ſpecies, quarum ſequentes adnotamus:

1. Vomitus *ſimplex* cruditatum primarum viarum, ſiue mucoſarum, ſiue bilioſarum. Huc etiam ſpectat vomitus in febre tertiana ſub paroxyſmo frigoris contingens.
2. Vomitus *periodicus*, qui certo anni tempore, mane vel circa prandium, quibusdam ſanis familiaris eſt.
3. Vomitus *nephriticorum* & *calculoſorum*, ante noui paroxyſmi recurſum eueniens.
4. Vomitus *hypochondriacorum* & *hyſtericarum* ſub commotione ſanguinis in vena portæ contingens.
5. Vomitus *vermium*, non tantum in infantili, ſed etiam adultiore ætate reperiundus.
6. Vomitus *vulneratorum* profundius in cerebrum, ob conſenſum paris octaui neruorum.

7. Vo-

7. Vomitus *grauidarum*, ſatis frequens.
8. Vomitus vel *criticus* in acutis, vel *ſymptomaticus* in iisdem a rebus externis, e.g. potu frigidulo, excitatus.
9. Vomitus *niger*, inſtar roob ſambuci, in chronicis & acutis.
10. Vomitus *iliacus*, vbi excrementa, immo clyſteres ἄνω excerni ſolent.
11. Vomitus *imaginarius*, quando ſenſibilia ſubiecta ob viſum tantum vel auditum rerum nauſeoſarum ſeu aduerſarum vomitu corripiuntur; quo etiam ſpectat, quod quidam homines ſine vomitu non poſſint audire cantilenas de morte agentes, item nec naui nec curru vehi, præcipue retrorſum ſedendo. Huc referendus eſt vomitus nauigantium die See-Kranckheit.
12. Vomitus *cruentus* ad hæmorrhagias ſpectat.

III. *SIGNA.*

Signa, quæ vomitum partim præcedunt, partim eumdem comitantur, ſunt ſequentia:

1. Nauſeabunda ad vomitum conamina.
2. Cardialgia, & anguſtia præcordiorum.
3. Crebræ horripilationes.
4. Saliuæ in os effuſio.
5. Adflictio capitis vertiginoſa & temulenta.
6. Laſſitudo per corpus vniuerſum.
7. Hæc ſigna omnibus vomitibus ſunt communia, peculiaria autem & certis ſpeciebus, e.g. iliaco vomitui, propria, per ſe ſatis ſunt manifeſta.

IV. *SVBIECTA.*

1. Vomitus *mucoſus* temperamento ſanguineo-phlegmatico eſt familiaris.
2. Vomitus *bilioſus* cholericis præ aliis proprius eſt.
3. Vomitus *grauidarum* ordinarie in eius modi ſanguineis obſeruatur, quæ reliquo tempore cupedias ſolent amare.
4. Reliquarum ſpecierum ſubiecta ſub *differentia* iam denominata ſunt.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſæ vomitus *mucoſi* ſunt:
   1) Cibi dyſpepti & ab his relictæ in primis viis ſordes mucoſæ tenaces.
   2) Cibi cum nauſea adſumti.
   3) Vermes.
   4) Refrigerationes ventriculi.
   5) Mutatio diætæ & vitæ reliqui generis.
2. Cauſſæ vomitus *bilioſi* ſunt:
   1) Iracundia, maxime tacita & ſuppreſſa.
   2) Senſibilitas ſubiecti.
3. Cauſſa vomitus *nephriticorum*, calculoſorum, item hypochondriacorum & hyſtericarum eſt ſaburra in primis viis, quam natura, ceu rudiora impedimenta, ante nouum paroxyſmum remouere intendit.
4. Cauſſa vomitus *vulneratorum* in caput eſt conſenſus paris octaui neruorum cum ventriculo.
5. Cauſſa vomitus *iliaci* videatur tabula de *paſſione iliaca.*

VI. *PROGNOSIS.*

1. Vomitus *ſimplex*, in primis *periodicus*, & qui in febribus intermittentibus ſub frigore, & in acutis critice contingit, ſalutaris eſt, licet optandum ſit, vt violentus & inuerſus talis motus periſtalticus iuſto ordine adminiſtretur, & ita materia peccans per inferiora educatur.
2. Vomitus *hypochondriacorum* & hyſtericarum metum incutit vomitus cruenti ſucceſſuri; tanto magis, ſi a ſuppreſſis hæmorrhagiis foueatur.
3. Vomitus *grauidarum* nimis violentus & perennans, abortum minatur.
4. Vomitus *niger* in acutis ſignum eſt lethale, in chronicis vero poſt quartanas, aut paſſiones hypochondriacas, diutius toleratas, melioris eſt euentus. *Conf. tabula de febre quartana intermittente.*

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Materia ad euacuationem *præparanda*, &, ſi opus ſit, eliminanda eſt.

1) Ma-

1) Materiam *mucoſam*, viſcidam & tenacem incidunt & abſtergunt

a) *Salia* digeſtiua: tartarus vitriolatus, tartarus tartariſatus, arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, cremor tartari, ſal tartari, liquor terræ foliatæ tartari, item ſalia fixa: abſinthii, card. benedict. centaur. min. ſal digeſtiuum *Syluii*, ſal ammoniacum depuratum.

b) *Radices:* ari, gentian. rubr. helenii, pimpinel. alb. &c.

c) *Gummi-reſinæ:* ammoniac. galban. ſagapen.

2) Materiam nimis *tenacem* & *viſcidam* reddunt pulpoſam & volubilem omnia præcipitantia: conch. præparat. oculi cancri, mater perlarum, cryſtallus montana.

3) Materiam *bilioſam*, *acidam* & *nidoroſam* obtundunt & incraſſant modo dicta præcipitantia, item limatura martis, gummi arab. tragacanth.

2. Materia ſubacta & eliminata *motus*, ſi ſponte non ceſſet, ſopiendus eſt.

1) *Interne* conducunt anodyna correcta, gemmata, cinnabarina, e.g.

Recip. ſpec. de hyacinth.
conch. præparat. ana gr. VI.
coralliorum gr. IV.
cinnabar. antimon.
M. P. de cynogloſſa ana gr. II. M. pro doſi.

Conducunt etiam in hunc finem: theriaca a ſcrup. I. ad drach. I. in vino calido exhibita, item theriaca cæleſtis, tinct. anodyna *Langelotti* ex opio, cum ſucco cydoniorum fermentato.

2) *Externe* locum habent.

a) *Emplaſtra*, e.g. recip. emplaſtr. de cruſta panis & tacamahacæ ana vnc. ſemis, camphoræ gran. V. olei cuiusdam carminatiui, anethi, cumini, q. ſ. ad malaxationem.

b) *Epithemata* e caryophyllis, maſtiche, ligno aloës & herbis aromaticis.

c) *Bal-*

c) *Balſama* ſtomachica ſcrobiculo cordis calide illinenda.

d) Immerſio manuum in aquam calidam reuulſorio ſcopo laudatur.

3. *Tonus* denique ventriculi roborandus eſt. Huc pertinent

1) *Interne* neruina, tonica, martialia teneriora, & ſtomachica, e.g. mixtura tonico-neruina *Stahlii,* eſſent. abſinth. compoſ. citri, aurant. gentian. rubr. centaur. min. galang. zedoar. tinct. martis aperitiua *Ludouici*, &c.

2) *Externe* locum habent ſtomachica emplaſtr. balſama & epithemata, ſuperius iam indicata; quo nomine vulgare illud remedium ſane non contemnendum eſt, quando cruſta panis toſta, aromatibus & vino generoſo imbuta, calide adplicatur.

4. Vomitus *grauidarum* ſequente methodo tractetur:

1) Aromatica carminatiua aliquoties per diem exhibeantur, e.g. eſſent. galang. zedoar. citri, aurant. Egregie etiam conducunt rad. cyperi, irid. Florentin. helen. rosmarinum, ladanum vino immiſſa, & verſus prandium ac cœnam adhibita. Confert etiam hic & alibi eſſent. millefol. & tinct. coralliorum.

2) Nonnumquam lene aliquod laxans interponatur, e.g. pilul. *Stahlii, Becheri,* vel clyſteres.

3) Ad prophylaxin ante conceptionem venæ ſectio inſtituatur, quæ vomitus grauidarum impedit *Conf. tabula de adfectibus grauidarum.*

5. Vomitus *nephriticorum* expoſcit:

1) alui ſolutionem per clyſteres temperantes & acrimoniam infringentes.

2) Nitroſa cum ſale quodam digeſtiuo, pauca portione cinnabaris, &, in primis, ſi etiam circa vmbilicum incommoda ſentiantur, gutta I. olei vel cinnamomi, vel cardamomi, vel caryophyllorum.

3) His præmiſſis eſſentia millefolii in vſum veniat.

4) Ardor febrilis ſi non adeſt, ſalia volatilia vrinoſa, cum tinctura alcalina remixta, in temperamento præcipue

pue phlegmatico, locum habent. Confer. tabula de *nephritide.*

6. Vomitus *hypochondriacorum* & *hyſtericarum* eadem methodo ac nephriticorum, in primis autem per nitroſa & eſſentiam millefolii, tractatur.

7. Vomitus *cholericus*, ſeu cholera ſimplex, tractatur abſorbentibus nitroſis &c. *Conſ. tabula de febribus bilioſis.*

8. Vomitus *propter vermes*, his exſtirpatis, ceſſat. *Vid. tab. de vermibus.*

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Cum grano ſalis accipiendum eſt axioma illud: *vomitus per vomitum curatur*, error enim grauiſſimus committi poteſt in ſubiectis, quæ ad vomitum cruentum vel hæmoptyſin procliuia ſunt.

2. Non minore periculo *hypochondriacis* & *hyſtericis* nauſeoſis, vomituribundis, & de ventriculi debilitate conquerentibus, vomitus prouocatur: proſtant enim exempla quam plurima, quæ inter vomendum vel ſanguinem reiecerunt, vel delira, immo maniaca facta ſunt. Vbi vermes ſuſpecti ſunt, vomitus etiam vitandus eſt.

3. Quando autem vomitus a cibis apeptis, pinguibus, ira vel nauſea adſumtis, exortus eſt, tum emeticum aliquod, e. g. tartarus emeticus, præmiſſo, ſi opus ſit, digeſtiuo, locum habet.

4. Radix *ipecacoanhæ* præ ceteris emeticis hoc præcipuum habet, quod, præter virtutem emeticam, ventriculum etiam roboret: vnde in hoc caſu tanto magis commendatur, e.g. recip. rad. ipeçacoan. gr. XV. ſalis abſinthii gr. V. miſce pro doſi.

5. Vomitus quando in *febribus* contingit, bene obſeruandum eſt, num verus ille ſit, an vero laborioſum tantum vomendi conamen, ein bloſſes Würgen: hoc enim fruſtraneum, ae proinde vel ſedandum vel promouendum eſt; illud obtinetur per remedia ſub *methodo* commendata, hoc autem per materiæ præparationem ope pulueris digeſtiui, ſingulis horis ad ſcrup. I. propinandi.

6. Vomitus in *acutis* ſymptomaticus, quia ſæpius a cibo vel potu frigido dependet, præcauetur, ſi ſub initium parum, ſæpe, & calide bibatur, & deficiente adpetitu, nihil cibi adſumatur. Præter ea tali vomitui & ſimul cauſſæ generali optime per pulueres bezoardicos occurritur.
7. *Mentha* in vomitu ſimplice ſpecificum pro feminis habetur.
8. Ad *analepſin* externe commendatur acetum rutaceum, roſatum, flor. calendulæ, pro feminis autem acetum caſtoreo ſimul imbutum.
9. Pro *diæta* nihil melius conducit, quam quies & calor.
10. *Filum*, quod farcimini fumato adligatum fuit, vetula quædam collo ægri circumdare, & hac ratione vomitum ſedare ſolet. Sed talia artificia credulitati hominum potiſſimum ſuperſtructa ſunt.
11. *Flores calcatrippæ* a recentioribus quibusdam laudantur in vomitu, præcipue infantum, ſiſtendo, & quidem in forma decocti cereuiſiarii, vinoſi, aquoſi vel lactis: efficaces fuiſſe hos flores, vbi alia remedia interne & externe fruſtra adhibita fuerint, teſtantur.

# TABVLA CXIII.
## DE
# DIARRHOEA.

I. D*EFINITIO.*

Diarrhœa eſt intenſior motus periſtalticus inteſtinorum, per quem principium vitale materiam aliquam ſiue mucoſam, ſiue bilioſam e primis viis eliminare intendit. Deriuatur a διὰ, per, & ῥέω, fluo.

II. *DIFFERENTIA.*

Diarrhœæ differunt ſecundum *ſpecies.*

1. Di-

1. Diarrhœa *ſimplex* dicitur, quando materia ſeroſo-mucoſa deiicitur.
2. Diarrhœa *cholerica*, in qua bilioſa ſaburra eliminatur.
3. Diarrhœa *lienterica*, vbi cibi ita crudi excernuntur, vt ne exiguum quidem coctionis ſignum adpareat.
4. Diarrhœa *cœliaca*, in qua excrementa per coctionem paullulum in chymum mutata reiiciuntur.
5. Diarrhœæ *dyſentericæ* & *hepaticæ* peculiaribus tabulis exhibitæ ſunt.
6. Diarrhœæ *criticæ* ſunt, quæ die critico, e.g. in febribus quotidianis continuis, item, quod paullulo rarius euenit, in tertianis ſub paroxyſmo, proueniunt.
7. *Semi criticæ* ſunt, quæ in febribus catarrhalibus, petechizantibus, contingunt.
8. *Symptomaticæ* ſunt, quæ e.g. in variolis, morbillis, purpura accedunt.
9. *Ictericæ* ſunt, quando alba excrementa deiiciuntur.
10. *Periodicæ* ſunt, quæ certis anni temporibus, & præcipue circa æquinoctia, obſeruantur.
11. *Colliquatiuæ* dicuntur, quæ in hectica conſummata, ſub excretione materiæ ſeroſo-lymphalis, eueniunt; de quibus autem, tamquam *paſſiuis* magis fluxionibus, non prorſus valet definitio.

III. *SIGNA.*

Diarrhœarum ſigna ſatis quidem ſunt manifeſta, ſymptomata autem, quæ easdem plerumque vel præcedunt vel comitantur, ſunt ſequentia:

1. Præcedunt *motus tenſiui* & borborygmi in abdomiue, cum *doloribus* lancinantibus & pungentibus, præcipue in regione vmbilici.
2. *Adpetitus* plurimum ſtatim ſub initium eſt deiectus.
3. *Vires* autem tum demum valde minuuntur, quando excretio illa per aliquot dies largiter procedit.
4. Quo diutius continuat, eo facilius *teneſmus* accedit, *caput* debilitatur, & *calor* internus, maiora incommoda minitans, augetur.

 IV. *SVB-*

IV. *SVBIECTA.*

1. Diarrhœis *ſimplicibus,* mucoſo-ſeroſis, temperamentum maxime phlegmaticum ſubiacet: in talibus enim ſubiectis excrementa ſemper fere ſunt tenuia.
2. Quo magis autem ſimplices hæ diarrhœæ certam *periodum* obſeruant,eo magis temperamento ſanguineo ſunt propriæ.
3. Diarrhœis *bilioſis* cholerici potiſſimum expoſiti ſunt.
4. Diarrhœæ *criticæ,* quæ in febribus aliquando proueniunt. in ſanguineis ſæpius obſeruantur.
5. Homines ſenſibiles & delicatuli, ſi, corpore calente,nudis pedibus incedant, facile diarrhœas ſimplices incurrunt.

V. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſa *materialis* in diarrhœis ſimplicibus eſt ordinarie materia lenta, tenax, viſcida, in primis viis.
2. Aliquando præſto eſt materia ſemi-corrupta, cum vermibus, non ſolum in ætate infantili & puerili, ſed etiam annoſiore: proſtant enim exempla, in quibus aſcarides ſingulis menſibus per diarrhœam excernuntur, concurrente in inteſtino recto pruritu, valde moleſto.
3. Cauſſa *efficiens* eſt principium vitale, quod motum periſtalticum intendit, & ſimul copioſos humores e maſſa ſanguinea adpellit, ad materiam talem reſoluendam & abſtergendam.
4. Cauſſæ *externæ* & *occaſionales* ſunt:
   1) Sudores, in primis matutini, cohibiti.
   2) Cibi crudi & dyſpepti, immo etiam pingues, ſi ſubiecta ſenſibilia ſtatim bibant; præcipue autem intemperans fructuum fermenteſcentium ingeſtio,maxime ſi mox etiam potus accedat.
   3) *Refrigeratio* abdominis poſt prægreſſam ſeri colliquationem per corporis exagitationem. Vnde natura cogitur ſerum illud acre orgaſticum repulſum per aliam viam expellere.
   4) Potus fæculentus, & vere fermenteſcens, e.g. muſtum, frigidus etiam potus, vel ipſum refrigerium; quo ve-

ro

ro caſu ſenſibilitas ſubiecti magis, quam materia, peccat.

5. Cauſſa diarrhœæ *lientericæ* eſt frequenter cicatriſatio inteſtinorum, antea eroſorum, e prægreſſa dyſenteria, qua orificia vaſorum lacteorum ſimul læſa ſunt. Interdum autem vel ventriculi imbecillitas, vel motus periſtaltici exacerbatio peccat.

6. pro cauſſa diarrhœæ *cœliacæ* non tam imbecillitas ventriculi, quam vaſorum lacteorum obſtructio accuſanda eſt.

7. Diarrhœæ *cholericæ* cauſſam eſſe effuſionem bilis in inteſtinum rectum, ſub animi excandeſcentia contingentem, per vulgus conſtat. *Conf. tabul. de febribus bilioſis.*

8. Cauſſæ reliquarum ſpecierum ſuo loco adlegatæ ſunt.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Omnes diarrhœæ, maximæ etiam malignitatis, ſi per *adſtringentia* vel *opiata* cito ſiſtantur, grauiora damna inducunt, quam ſi ſui iuris maneant: tota enim familia ſimplicium diarrhœarum nihil periculoſi minatur.

2. Hinc *ſimplex* tantum diarrhœa, imprudente tali ratione tractata, ſucceſſores habet dolores colicos acutiſſimos, translationes materiæ, præcipue in ſenioribus, ad caput vel pectus: vnde adfectus vertiginoſi, catarrhales, catarrhi ſuffocatiui &c. oriuntur.

3. Maiora autem & præſentiora damna ſuccedunt, ſi diarrhœæ *bilioſæ* ſupprimantur: facile enim febris cauſodea inde oritur.

4. Omnium maxima pericula inducuntur per diarrhœarum *criticarum* ſuppresſionem.

5. Diarrhœæ *ſemi-criticæ* ita ſalutariter quidem non procedunt, nullum tamen conſpicuum detrimentum morbo adferre obſeruantur.

6. Diarrhœæ *ſymptomaticæ* in variolis, morbillis, purpura, &c. infeliciter quidem ſæpius exeunt, negandum autem non eſt, quod interdum nihil periculi adferant.

7. *Periodicæ*, niſi turbentur, ſunt ſalutares.

8. Simplices *lientericæ* & *cœliacæ* diarrhœæ etiam ſatis ſunt benignæ, & medicamentis facile cedunt.

9. *Cholericæ*, niſi febris accedat, mediocriter ſe habent.
10. Denique quæuis diarrhœa, copioſe & diu procedens, vires exhaurit, & ægrum denique in febrem lentam aut atrophiam conîicere obſeruatur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. In diarrhœa *ſimplice*, ad materiam mucoſam & tenacem incidendam & abſtergendam exhibeantur remedia digeſtiua, reſoluentia, colliquantia, e.g.
   1) *Vegetabilia* amara, reſoluentia, acriuſcula, aromatica. rad. gent. rubr. ari, helen. zedoar. herb. abſinth. centaur. min. herbæ capillares, piper, zingiber, galang. acor. & coſtus verus. Item ſemina aromatica: aniſi, fœniculi, cumini, dauci, ammeos, amomi, quæ ſingula & compoſita ſaburram illam tenaciorem reſoluere, abſtergere & fluxilem reddere poſſunt.
   2) *Salia media:* arcan. duplicat. nitrum antimoniat. tartarus vitriolat. it. ſal tartari, cremor tartari, liquor terræ foliat. tartari, ſal digeſtiuum *Syluii*, ſal ammoniac. depurat.
   3) *Salia fixa:* abſinth. centaur. min. card. benedict. &c.
   4) *Gummi-reſinæ:* ammoniac. galban. ſagapen.
   5) Conuenit etiam aliquando materiam nimis tenacem & viscidam in pulpoſam & volubilem conſiſtentiam redigere per præcipitantia, e.g. matr. perlar. conch. præparat. ocul. cancr. cryſtall. montan.
   6) Quo magis autem *bilioſa* ſubeſt materia, eo magis nitroſa cum dictis præcipitantibus neceſſaria. Huc pertinet methodus tabula de febribus bilioſis commendata.
2. Præparata materia per lenia laxantia *euacuetur*, & ſic labori naturæ ſuccurratur: id quod commodiſſime peragitur pilulis *Becherianis* veris, vel *Stahlianis*, quarum aliquot doſes, etiam ſine præmiſſis præparantibus, ſolæ ſæpius ſufficiunt, ad diarrhœam ſimplicem feliciter tollendam. Conducit etiam rhabarb. item vſum habent clyſteres carminatiui, abſtergentes.

3. De-

3. Deinde motus pertinax, ſi, eliminata materia, ſponte non ceſſet, ſopiatur per
   1) Tonica ſubadſtringentia: pira exſiccata, cydonia, & ex illis parata, nempe diacydonium tabulatum cum & ſine aromatibus.
   2) Gemmata, lapides quinque pretioſos, ſpec. de hyacinth. coralliata.
   3) Lenia anodyna, M.P. de cynogloſſa, theriac. eſſent. opii *Langelotti*, item nucem moſchatam, quæ ſimplex magis ſopiens eſt, quam adſtringens.
   4) Sequentia compoſita: ſyrupum de agreſta, trageam granorum actes, myrtillos exſiccatos, electuar. diaphœniconis, ſpec. dia-moſch. in ſenibus electuar. diaſcord. *Fracaſtorii*.
   5) *Externa* etiam non prorſus reiicienda ſunt, ſed vix, niſi in pertinaci diarrhœa, locum habent, e.g. inunctiones vmbilici & ſcrobiculi cordis, ſpeciatim per oleum carvi: effectum etiam aliquem præſtant lapides ſerpentini, calide impoſiti. emplaſtr. de cruſta panis vel ſtomachale *Cratonis*, cum emplaſtro de tacamahac. remixtum, additis oleis deſtillat. neruinis.
4. Denique ad *tonum* inteſtinorum in naturalem ordinem reſtituendum reſpiciatur. Præſtant hoc:
   1) plurima eorum, quæ ad motum ſopiendum iam modo commendata ſunt.
   2) Martialia: v.g. tinct. mart. aperit. *Ludouici*, cum eſſent. lign. aloës, vel ſpiritu ſalis dulci, remixta, tinct. tonico-neruina *Stahlii*, conſeru. viſceralis & elixir viſcerale *Bœcleri*, tinctur. aurant. eſſent. cinnamom.
5. Diarrhœæ *lientericæ* & *cœliacæ* eamdem expoſcunt methodum, niſi quod in *lienteria*, ſi nihil contraindicet, vomitorium propinari poſſit; *cœliaca* autem paſſio, quia obſtructione vaſorum lacteorum fouetur, a vomitu nullum vſum habet, ſed reſoluentia, aperientia & laxantia, ſuperius nominata, poſtulat.
6. Sic etiam diarrhœæ *periodicæ*, vti ſimplices, tractantur, &, quando emanent, potius promouendæ, quam alienis

cohi-

cohibendæ ſunt, e. g. f. l. a. vinum medicatum e rad. helen. gentian. rubr. ari, zedoar. galang. gramin. herb. centaur. min. abſinth. rorismarin. tanacet. rhabarb. fibr. hellebor. nigr. fol. ſennæ.

7. Quando *vermes* in ſuſpicionem veniunt, anthelmintica ſuperius commendatis iungantur.

8. Diarrhœæ *criticæ*, *ſemicriticæ* & *ſymptomaticæ* in febribus quo modo tractandæ ſint, videatur tabulis de febre catarrhali benigna, maligna, variolis, intermittente tertiana.

9. *Ictericæ* tractantur ſecundum methodum, tabula de ictero commendatam.

10. Diarrhœæ *hepaticæ* & *dyſentericæ* medicationes quærantur tab. de fluxu hepatico & dyſenteria.

11. Diarrhœæ *colliquatiuæ* hecticorum quo modo tractandæ ſint, tabulæ de phthiſi & febre hectica docent.

VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Vti in genere cauendum eſt, ne diarrhœæ qualescumque ſimpliciter cohibeantur, ita minime omnium conuenit, illas diarrhœas ſupprimere, quæ iam adſuefactæ ſunt, per vices recurrunt, & cum euphoria ægri decurrere obſeruantur: materia enim hac ratione ſuppreſſa viſcerum obſtructiones, hydropem, vel ad minimum adfectus flatulentos & colicos inducit.

2. Ad præoccupandum autem hoc euacuationis genus, vel potius tanto commodius expediendum, lenes *laxationes* vere & autumno eximium vſum præſtant.

3. *Digeſtiua*, præparantia, melius & conuenientius laxantibus præmittuntur, quam iisdem coniunguntur.

4. Diarrhœa ſi, præmiſſis reſoluentibus, abſtergentibus & laxantibus, nihilo minus contumax eſſe adpareat, tum *nux moſchata* egregie ſe gerit: excretiones enim tales non ſolum temperat, immo auctiore doſi ſiſtit, ſed etiam tonum inteſtinorum reſtaurat.

5. Sic etiam *gentiana rubra*, moderate adhibita, diarrhœas ſenſim iterum in ordinem redigit, & tonum egregie roborat.

6. Ad

6. Ad tonum naturalem in hoc genere in ordinem reuocandum, in diuturnis etiam diarrhœis non contemnendæ efficaciæ ſunt eſculenta quædam placida, & leni adſtringendi virtute prædita.

7. Inter hæc primo loco numerari poteſt fructus *ſorbi piriformis*, germ. Spör-Aepffel: tam peculiarem enim in alvo nimis laxa hæc pirula habent efficaciam, vt plura eorum ſine alui ſubſequente obſtipatione edere liceat, in ipſis vero diarrhœis & dyſenteria, facta iam ſufficiente & diuturna exoneratione, 2-3. notabiliter ſiſtant. De ſorbis *exſiccatis* & *meſpilis exſiccatis* per vulgus notum eſt, quod in talibus circumſtantiis egregie ſe gerant; modo præmittenda præmittantur.

8. *Boyle* vbique fere in diarrhœis commendat gummi *arabicum* & *tragacantham*; *Helmontius* autem *vitellum oui*, ad duritiem coctum, &, ſi opus ſit, repetendum.

9. Licet quilibet *potus* copioſus diarrhœas magis foueat, *calidus* tamen magis prodeſt, quam nocet, & hinc audacter porrigendus. Conducit panis bis coctus, vino rubro immerſus, nux moſchata in cibis, iuſcula, quies corporis & animi, calor moderatus.

## TABVLA CXIV.

### DE
# MOTVVM VITALIVM DEFECTV GENERATIM.

I. D*EFINITIO.*

Defectus motuum vitalium eſt motus tonici & progreſſiui ſiue totalis ſiue partialis neglectio, quæ vel a cauſſis moralibus vel a phyſicis originem ducit, & œconomiæ animali grauiſſima pericula minatur.

 II. *DIF-*

## II. *DIFFERENTIA.*

1. Motuum vitalium defectus obſeruantur
   1) modo, & primario quidem, in *tono*: vnde morbi apoplectici, hemiplectici, paralytici, palpitatorii &c. oriuntur.
   2) Modo in *pulſu*: vnde mala lipothymica introducuntur.
2. Ita autem coniuncti ſunt hi motuum defectus, vt alter alteri qualecumque impedimentum & damnum adferat. Sic v.g. defectus motus tonici languorem inducit motui ſanguinis progreſſiuo.
3. Motuum deficientium ſpecies ſunt:
   1) Debilitas ſeu verus virium defectus.
   2) Tremula partium impotentia.
   3) Paralyſis & hemiplexia.
   4) Apoplexia.
   5) Catarrhus ſuffocatiuus.
   6) Adfectus ſoporoſi & obliuioſi.
   7) Adfectus lipothymici.
   8) Maraſmus ſenilis.
4. Omnes hi defectus reſpectu *partium adfectarum* ſuos habent gradus:
   1) *Tonus* enim modo per vniuerſum corpus, modo in dimidia illius parte, modo in particulari quodam membro, vel prorſus omittitur, vel notabiliſſime imminuitur, de qua re tabulis ſequentibus ſpeciatim dicemus.
   2) Sic & *pulſus cordis* neglectio *gradu* differt; id quod in lipothymia & ſyncope obſeruamus.
5. Hæc autem graduum differentia reſpectu *ſpecierum*, & *ſuccedendi* illarum habilitatis non æque locum habet; e.g. virium deiectio in malignis, licet ſumma ſit, tranſit tamen potius in conuulſiones quam in paralyſin. Sic & paralyſis longe frequentius ſuccedit conuulſionibus, quam vlli *leuiori* gradui defectus motuum.
6. Et licet tremores paralytodei in veram aliquando paralyſin, & paralyſis in apoplexiam non numquam deſinat,

hoc

hoc tamen non ſolum raro contingit, ſed & in pleriſque exemplis poſt multos demum annos & amplas ætatum periodos fieri ſolet. Vnde mutuus talis ſucceſſus a ſpecie inferiore ad ſuperiorem a generica magis occaſione, quam a ſpecifica paritate & confinitate dependet.

7. Digniſſima eſt diſtinctio inter vires conſumtas, exhauſtas, *amiſſas* a poſteriori, & inter vires *omiſſas* a priori.

8. Sic & a vero virium defectu diſcerni debet rigida partium contentio, & oppreſſio grauatiua, tenſiua, plethorica.

III. *SIGNA.*

1. Defectus *tonicos* deſignant
   1) Relaxatio & mollities partium ſolidarum.
   2) Impotentia fibrarum ad motum, cum virium inſigni languore.
2. Defectus *pulſorios* certiſſime cognoſcimus, quando pulſus vel paruus & debilis eſt, vel tactu deprehendi non poteſt.
3. Vtrimque conſpirant:
   1) Reliquarum actionum tam vitalium quam animalium & naturalium vel imminutiones vel ceſſationes.
   2) Partium externarum refrigerationes cum pallido colore.

IV. *SVBIECTA.*

1. Veri motuum defectus præ omnibus aliis malis rariſſime eueniunt.
2. Occupant autem ætatem præcipue ſenilem, in qua anima a vigore actionum ſuarum in & per corpus remittere vel abſtrahi obſeruatur.
3. Temperamentum *phlegmaticum* videtur quidem præ aliis motuum tonicorum omiſſionibus fauere, quando autem cauſſas occaſionales, inferius indicatas, ex æquo conſideramus, accuſatio huius temperamenti multum mitigatur.
4. Et quando ſexus *femininus* ad hos defectus ſubeundos habilior dicitur, id a ſenſibilitate potius & meticuloſo animo quam a phlegmatico illarum temperamento derivandum eſſe cenſemus.
5. Reliqua tabulis ſpecialibus reſeruamus.

 V. *CAVS-*

V. *CAVSSAE.*

1. Pro cauſſa propiore defectus motuum vitalium accuſant quidem vulgo obſtructionem neruorum & interceptum fluxum ſpirituum, quoniam autem hi adfectus raro obtingunt, adſertum illud vel hoc ſolo phænomeno ad modum implicatum redditur. Præter ea ſatis notum eſt, quid trepida, immo falſa æſtimatio naturæ valeat, e. g. hæmophobi, quando de venæ ſectione inſtituenda commemorant, in lipothymiam incidunt.
2. Hinc dicimus, quod *periculoſa* in corpore coorta *conſtitutio*, ſiue vere ſiue falſo iudicata, naturam ita turbet & trepidam reddat, vt inops conſilii & auxilii actiones ſuas deſperabunda tergiuerſatione omittat.
3. Cauſſæ *antecedentes* & *occaſionales*, quæ hanc virium deiectionem inducere poſſunt, ſunt præcipue ſequentes.
   1) *Oppreſſio plethorica*, variis & diuturnis ſpaſticis adflictionibus complicata. Quando enim natura ſub hiſce incommodis motibus vires ſuas fruſtra adplicauit, tandem pertæſa deſiſtit.
   2) Morbi *chronici*, qui debitam corpori nutritionem peruertunt, vel diuturnis doloribus, vigiliis, inedia, vires exhauriunt.
   3) Morbi *acuti*, infeliciter ſuccedentes.
   4) Grauis *læſio* corporis.
   5) Iracundia tacita & ſuppreſſa.
   6) Terror repentinus.
   7) Ebrioſa intemperantia & abuſus veneris.
   8) Prægreſſæ eneruationes animi per multas ſpeculationes ſub vita otioſa.

VI. *PROGNOSIS.*

1. *Defectus* motuum vitalium maiora ſemper pericula inuoluit, quam illorum *exceſſus*. Euentus enim motuum talium deficientium eſt, vt atoniam flaccidam preſſis veſtigiis ſequatur imminutio motus progreſſiui. Vnde reſtagnatio ſanguinis in partibus, infarctus, ſtaſes, veræ obſtructiones & tandem corruptiones eueniunt. Et ſic defe-

defectus motuum vitalium eſt proxima via ad interitum.

2. Vires *amiſſæ* per labores, dolores, agrypniam, euacuationes prodigas &c. minoris ſunt periculi & facilioris reſtitutionis, quam illæ, quæ citra cauſſas manifeſtas *omittuntur*.

3. Impedit virium defectus *ſecretiones* & *excretiones*, atque ob moralem illam peruerſam, immo deſperabundam, trepidationem natura motus vitales decenter non adgreditur & proſequitur.

4. *Vniuerſalis* motuum defectus periculoſior eſt *particulari*.

5. Defectus *pulſus* facilius reſtituitur, quam *toni*.

6. Pulſus & toni defectus in *malignis* quo modo conſiderandi ſint, tabula de febribus malignis indicauimus.

7. Deficiente tono deficit ſenſus.

8. Senſuum internorum imminutio & vniuerſalis corporis laſſitudo quando ſenes repente corripit, apoplexia metuenda eſt.

9. Senſibiles facilius reſtituuntur a motuum defectibus, quam minus tales.

10. Animi pathemata vti motibus deficientibus occaſionem dare poſſunt, ita & eorumdem reſtaurationi non numquam anſam præbent; de qua re duo exempla notatu digniſſima in *theoria Stahlii* pag. 913. ex *Valleriola* & *Act. Natur. curios.* referuntur.

11. Motus autem deficientes illi, qui ab animi turbis oriuntur, ſemper ſunt contumaciores, quam qui cauſſis materialibus innituntur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. De *methodo*, qua motus deficientes tractandi ſunt, hic non dicemus; quem ad modum enim pauciores ſunt horum adfectuum ſpecies, ita in tabulis ſpecialibus, quæ ſequuntur, facili negotio omnia ſunt perſpicienda.

2. Sic & *cautelæ* atque *obſeruationes* practicæ in iisdem continentur.

3. De *maraſmo ſenili* hic ſpeciatim tantum notamus, quod ratione tractationis cum malis atrophicis & hecticodeis

prorſus conueniat. Licet enim virium abiectio, quæ in hoc ſenum morbo obſeruatur, ſolis cauſſis materialibus & læſionibus internis non ſemper innitatur, ſed naturæ tædium, quo poſt varia exercitia & incommoda, tam moralia quam vitalia, vitam ſuam, quouis reſpectu iam ærumnoſam, proſequitur, multum ſane hic valeat: hæc tamen conſideratio plus habet vtilitatis ad prognoſin therapiæ difficilioris formandam, quam ad principii vitalis tædium auferendum. Notum enim eſt, quam parum remedia valeant ad errores naturæ corrigendos.

# TABVLA CXV.

## DE

# TREMORE ARTVVM.

I. D*EFINITIO.*

Tremor artuum eſt membrorum perpetua viciſſitudine in contrarium agitatio, a deficiende tono & niſu partium originem ducens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Tremor artuum contingit:
   1) Vel *actiue*, e.g. in terrore, ira, gaudio, febribus intermittentibus &c. quales artuum tremores ad motus ſemi-conuulſiuos referendi ſunt.
   2) Vel *paſſiue*, qui tremores a cauſſa priuatiua dependent, & ad adfectus ſemi-paralyticos pertinent; de qualibus hic agimus, quique *tremores paralytodei* vocantur.
2. Hi *paſſiui* tremores diſtinguendi etiam veniunt a motibus illis tremulis, qui a cauſſis mere externis oriuntur, e.g. humida partium exteriorum refrigeratione, copioſo potu calido, thée, coffée, in conclauibus frigidis ad ſudorem vſque adſumto.

III. *SIGNA.*

Hæc per ſe ſatis ſunt manifeſta.

IV. *SVB-*

IV. *SVBIECTA.*

Tremor artuum, a *priuatiua* cauſſa dependens, euenit annoſioribus, in quibus principium vitale a vigore ſuo notabiliter remittit.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *interna* eſt neruorum flaccida debilitas & toni remiſſio.
2. Cauſſæ *externæ* ſunt:
   1) Euacuationum artificialium, tam ſanguinis quam reliquorum humorum, neglectio.
   2) Regimina acrius diaphoretica.
   3) Abuſus ſpirituoſorum.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Tremor artuum in ſenibus eſt morbus valde pertinax.
2. Quo magis in habitum deductus eſt, eo difficilius curatur.
3. In recentiore tamen caſu ſpes eſt reſtitutionis.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Primæ viæ* ante omnia expurgentur per rhabarbarina & helleborata, e.g. eſſentiam hellebori nigri, methodo *Stahliana* paratam.
2. Adſuetæ *venæ ſectiones* & ſcarificationes repetantur.
3. Tonus partium reſtituatur:
   1) *Interne* per
      a) Mixturam tonico-neruinam *Stahlii.*
      b) Vinum medicatum e neruinis paratum, e.g. herb. ſerpill. chamæpit. rorismarin. flor. lauendul. ſpicæ, lign. iuniper. ſantal. citr. ſaſſafr. guaiac. aloës bacc. lauri, iuniperi.
   2) *Externe* per
      a) Spiritum abſtractitium ſerpilli &c.
      b) Caſtorina.
      c) Fotus ex herb. matricar. tanacet. ſabin. aliisque coronariis paratos.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quæ cautelæ tabula de *paralyſi* traditæ ſunt, illæ etiam hoc loco obſeruentur.

2. Præ-

2. Præcipue a *nimis calidis* abſtinendum eſt, alias atrophia facile inducitur.

## TABVLA CXVI.
### DE
# PARALYSI ET HEMIPLEXIA.

I. DEFINITIO.

1. *Paralyſis* eſt repentina motus tonici vitalis in certa aliqua parte remisſio, ſenſum & motum ſiue in totum, ſiue plurimum tantum, in illa auferens. Deriuatur a *παραλύω*, diſſoluo.

2. *Hemiplexia* eſt abolitio ſenſus atque motus in toto corporis latere. Deriuatur ab *ἡμὶ*, ſemis, & *πλήσσω*, percutio.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Differentiam *paralyſeos* & *hemiplexiæ* monſtrant definitiones, nempe paralyſis eſt adfectus magis partialis, hemiplexia autem dimidium latus occupat.

2. Paralyſis differt *gradu:*

1) *Leuior* paralyſis eſt, quæ lenta inuaſione contingit. Hic obſcurus adhuc ſenſus ſupereſt, & pars ſenſim inflatur.

2) Abſoluta & plenaria paralyſis omnem motum & ſenſum in parte adfecta vno impetu tollit: vnde ingens ſtatim illius inflatio, ob ſanguinis irruptionem, ſequitur; qui ſupremus gradus *paraplexia*, vel apoplexia partialis, a nonnullis vocatur. Hanc conſtitutionem ſæpe excipit ſphacelus, vti leuiorem gradum aridura.

3. Paralyſis *vera* diſcernenda eſt a *ſpuria* illa *ſcorbutica*, vbi adfectum membrum potentia quidem mouendi deſtitutum eſt, reſtat tamen ſenſus exquiſitus: adſunt videlicet dolores tenſorii, tractorii, grauisſimi. Noſtro tempore poſſemus addere paralyſin *ſpuriam purpuream*. Non

raro

raro enim eius modi adfectus paralytodei & hemiple-ctodei iis obueniunt, qui purpura laborant.

4. Sic etiam diſtinguenda venit ab illa ſpecie, vbi membrum quidem mouere poſſunt debiles, ſed nullus ſenſus adeſt, torpor potius & ſtupor: das Glied iſt eingeſchlaffen.

5. Alia adhuc datur ſpecies paralyſeos, quæ colicæ accedere obſeruatur, & ad differentiam *pareſis ex colica* dicitur.

• In hac, poſt grauem adflictionem colicam, repentina toni remisſio in exterioribus artubus occurrit; præcipue quando colica narcoticis, vel regimine ſudorifero coacto, tractata fuit.

6. *Hemiplexia* ſuos etiam habet gradus, vti ſub ſignis dicetur.

III. *SIGNA.*

1. *Paralyſeos,*

1. Abolitio ſenſus & motus in parte quadam.

a) Siue in *exigua*, e.g.

α) Sphinctere ani: vnde excrementa aluina ſatis retineri non poſſunt.

β) Sphinctere veſicæ: quo caſu ſtillicidium vrinæ eſt continuum.

γ) Muſculo linguæ: hinc balbuties, impotentia loquendi.

δ) Muſculo laryngis: vnde impotentia degluciendi, modo ſolida, modo ipſa adeo liquida.

b) Siue in *diffuſa* parte, e.g. pede, brachio &c.

2) *Plenaria* paralyſis, ſeu *paraplexia*, omnem ſenſum & motum aufert, vti ſub *differentia* iam dictum, adeoque partem inſigniter flaccidam & turgidam reddit, *lenior* vero paralyſis nonnulla motus indicia relinquit.

2. *Hemiplexia.*

1) Hic alterum totum latus, nempe brachium, crus, pes, immo viſcera circa illud latus interna, motus & ſenſus defectu occupantur.

2) Loquela vel tota, vel ſaltem diſtincta, euaneſcit.

3) In latere *ſano* ſæpius accedunt motus conuulſiui, ſpaſmus cynicus, tortura faciei.

4) Totum latus *adfectum* colore liuido occupatum eſt, & ante, quam plane emoriantur, ſphacelus interdum accelerat.

IV. *SVBIECTA.*

1. Paralyſis obtingit:

1) Vel ipſi aliquando *infantili* ætati, ſed non niſi debilitatæ, idque ab exanthematum, ſcabiei aut variolarum malo ſucceſſu & reliquis, maxime omnium a contuſionibus ac diſtorſionibus, per incuriam & ſilentium famularum: rarius ab epilepticis exagitationibus.

2) Mediæ ætati obtingit maxime a ſpaſticis dolorificis exagitationibus, quando membrum illud ab iisdem diu vexatum fuit; item poſt vehementes conuulſiones epilepticas. Hæc ſpecies ſæpe coniuncta eſt cum *aridura* partis, ſeu *atrophia*, aliæ autem ſpecies, ſenioribus euenientes, turgeſcentiam magis & ruborem exhibent.

3) Seneſcenti ætati obtingit magis tacite & idiopathice, e cauſſis corporeis prægreſſis, e.g. neglectu euacuationum ſanguinis, concurrentibus animi perturbationibus.

2. De reliquo paralyſis occupat homines debiles, otioſos, ſomnolentos, vinoſos, iracundos.

3. Hinc præcipue corripit ſanguineos & ſanguineo-phlegmaticos.

4. *Hemiplexiam* incurrunt vel apoplectici, vel cum ſpaſtico-arthriticis motibus & doloribus diu colluctati.

V. *CAVSSAE.*

1. Hæ multum conueniunt cum cauſſis apoplexiæ. Cauſſa enim *formalis* hic itidem deſtitutionem energiæ motoriæ inuoluit. Eſt tamen hic motuum defectus tantum particularis.

2. Quid vero cauſſæ hanc motus tonici deſertionem efficiat, id multum multos fatigat. Quando enim res *materialis*, quarum ingentem numerum adferunt, paſſim accuſant, pertinent tamen illæ omnes ad cauſſas tantum *occaſionales* & *procatarcticas.*

3. Ita-

3. Itaque pro *cauſſa efficiente* merito accuſamus *tædium* & *faſtidioſam auerſionem* ipſius naturæ in hac vel illa corporis parte motus vitales exerendi.

4. Hoc naturæ tædium innititur quidem cauſſis plerumque *materialibus*, e. g. plethoræ, euacuationum ſanguinis conſuetarum omisſioni, incongruis medicationibus, præcipue per anodyna mercurialia & adſtringentia, ſudoris per refrigerationem oppresſioni, diætæ vinoſæ ad frequentem vſque ebrietatem & denique externis violentiis: poſſunt tamen & ſolent hi morbi non raro ſine materialibus hisce cauſſis per ſola *animi pathemata* introduci.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Cura difficilis eſt, quia non tam cum materia, quam agente interno militandum eſt; quæ difficultas in omnibus talibus morbis, quibus principium vitale concurrere & motus perficere recuſat, obſeruatur.

2. Hinc veræ paralyſes, quam infrequentes ſunt, tam contumaciter artis auxilium adſpernantur.

3. Sponte etiam ſua numquam ſoluuntur, niſi animi commotiones & acres intentiones, intercedant, e.g. incendium, inuaſio bellica. Sic vir quidam illuſtris, ſcala decidens, a paralyſi, ſecunda vice iam repullulante, liberabatur.

4 Quantumcumque etiam paralyſis curetur, certius tamen recidiua, eaque grauior, exſpectanda eſt, ita vt raro tertius recurſus obſeruandus ſit.

5. Grauior recurſus, qui in iunioribus præcipue contingit, vel in hemiplexiam, vel apoplexiam lethalem terminatur.

6. *Leuior* paralyſis vti lentam partis ariduram inducit, ſic *vehementiorem* & *plenariam*, tumida & flacceſcente parte conſpicuam, ſphacelus intra 3-4 dies facile excipit.

7. *Ebrioſi*, quando in paralyſin prolabuntur, omnem ſimul memoriam & ingenium perdere obſeruantur.

8. Præcipue etiam *linguæ* paralyſin talem memoriæ labem & puerilem quaſi inſipientiam inducit; in quo ſtatu, quando

do iuuenes ſunt, diu ſuperſtites manere, ſeniores autem, recurrente nouo inſultu, paraplexia ſeu plenaria & perfecta paralyſi citius exſpirare obſeruantur.

9. *Pareſis* e colica longe quidem rarior eſt, quam alia paralyſis, eamdem tamen difficultatem therapiæ, præcipue in annoſis, inuoluit.

10. *Hemiplexia* vitæ quidem periculum in vnum vel alterum diem, immo aliquot ſubinde menſes, differt, frequentius tamen, ſi totum latus, & ita capitis etiam medietatem occupauerit, in plenariam apoplexiam, quam in nudam paralyſin, transmigrat.

11. Hæc, quo magis exquiſite omnem motum ſuſtulit, eo breviore tempore eſt lethalis, in primis ob reſpirationis grauisſimam læſionem, ab immobilitate thoracis in adflicto latere dependentem.

12. Verbo: paralytici & hemiplectici morbi in iunioribus raro in ſenioribus rarisſime tolluntur.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

### A. *Curatoria.*

#### 1. *Generalis paralyſeos & hemiplexiæ.*

1) Præſente plethora, aut conſuetudine euacuationum ſanguinis, larga ſtatim *venæ ſectio* locum habet *Conf. cautelæ.*

2) Præmittatur clyſter neruino carminatiuus, cum electuar. diacolocynth, vnc. ſemis, & ſal. gemmæ drach. II. acuatus.

3) Subiungatur purgans aliquod ex eſſentia hellebori nigri, methodo *Stahliana* parata, vel ſi nihil contra indicet, vomitorium e tartaro emetico præſcribatur.

4) In progreſſu medicationis lenia *laxantia* helleborina ſubinde interponantur.

5) Ad partem paralyticam *roborandam* exhibeantur

a) *Interne*:

α) *Generalius* alexipharmaca, coniuncto moderato regimine, e.g. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, immo ipſa theriaca.

β) Sa-

β) Salia volatilia cum tincturis alcalinis remixta, v.g. tinctur. tonico-neruina *Stahlii.*

γ) Succinata, e.g. eſſent. ſuccin. liquor. C.C. ſuccinatus, interpoſitis vbique antiſpaſmodicis, cinnabarinis.

δ) Infuſa e neruinis, e.g. herb. meliſſ. betonic. chamæp. chamædr. rorismarin. flor. lauendul. ſpic. nard. ſalu. puleg. lilior. conuall. ſtœchad. Arab. calendul. cort. aurantior. Winteran. cinnamon.

ε) *Speciatim* puluis *lumbricorum terreſtrium* & oleum cinnamomi laudari ſolent.

ζ) Specificam efficaciam habere dicuntur pilulæ *Wildeganſii* genuinæ.

b) *Externe.*

α) *Radices:* angelic. imperator. pimpinell. alb. valerian. leuiſtic. mei, irid. Florentin. fraxinell. cyper.

β) *Herbæ:* thym. maioran. mar. ver. puleg. betonic. ſerpill. baſilicon. origan. meliſſ. &c.

γ) *Flores:* lilior. conuall. chamomill. calend. melilot. matricar. tanacet.

δ) *Ligna:* ſaſſafr. ſantal. aloës; quæ omnia in forma balneorum, inſeſſuum, fotuum, ſacculorum, adhiberi poſſunt.

ε) *Gummata* odorata: ladan. bdell. ſtyrac. calamit. præcipue galban.

ζ) *Spiritus* aromatiſati neruini, aquæ ſpirituoſæ, ſalia volatilia oleoſa, præ omnibus autem ſpiritus acidus formicarum & lumbricor. terreſtr.

η) *Olea:* laurin. vulpin. petræ, limacum, vermium maialium.

6) Ad *ſenſationem* reuocandam laudantur:

a) Frictio partis adfectæ modeſta cum linteis calidis, ſiue ſiccis ſiue ſpiritu ſerpilli aut formicarum humectatis.

b) Agitatio membri moderata.

c) Embrocationes.

d) Vrticationes.

e) Sinapismi e ſemin. ſinap. eruc. rad. pyrethr cum acet. deſtillat. parat.

f) Cæſio cum virgis; cauendo tamen, ne in calidis ſubiectis, per vltima tria remedia inflammatio excitetur.

7) Ad *ariduram*, per paralyſin inductam, conueniunt pinguedines animalium, e.g. canis rubri, vulpis, taxi, vrſi, ardeæ &c.

2. *Specialis.*

1) Paralyſeos *linguæ.*

a) Ad adfluxum *auocandum* in vſum veniant:

α) Clyſteres ſtimulantes, ſupra deſcripti.

β) Venæ ſectio larga in pede, ſi plethora adſit.

γ) Purgantia.

b) Ad *diſcutiendum* præſcribantur neruina, ſuperius commemorata, e.g.

α) Recip. rad. cyper. vnc. I.
irid. Florent. vnc. ſemis.
herb. maioran.
ſaluiæ.
ſerpilli ana man. II.
flor. lauendul.
ſpic. ana man. I.
M. infund. cum vino, coq. add.
ſpiritus formicar. vnc. I.
ſal. volat. oleoſ. vnc. ſemis.
Cum hoc decocto os ſæpius calide eluatur.

β) Item conducunt linimenta e ſpiritu formicar. ſerpilli, oleis neruinis, pingued. caſtor. emplaſtr. de galban. caranna. v.g.
Recip. ſpirit. formicar.
ſerpill. ana drach. II.
eſſent. caſtor.
ambræ ana drach. I.
ol. lauendul.
maioran. ana ſcrup. ſemis M.

γ) *Interne*, ad diſcutiendum, ſimul adhibeantur, quæ ſub

ſub methodo generali dicta ſunt, vbi ſigillatim in aphonia, a crapula exorta, tinct. antimon. tartariſat. laudatur.

2) Paralyſeos *ſphincteris ani* & *veſicæ.*

Hic externe adplicetur caſtoreum cum herbis aromaticis, in primis ſerpill.

3) *Hemiplexiæ.*

Valet hic medicatio apoplexiæ, ſpecialiter etiam ſectio raninarum, & in latere oppoſito irritantia varia & excitantia.

B) *Præſeruatoria.*

1. Tempeſtiuæ *venæ ſectiones*, præcipue in adſuetis, plus præſtabunt, quam reliqua fere in vniuerſum.
2. Sic etiam præcipue *reuocationes* fluxuum naturalium efficaces deprehenduntur, ſiue ſanguineorum, e.g. menſium, hæmorrhoidum, ſiue ſeroſorum, v.g. fonticulorum.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Venæſectio* non ita raro nullum vſum, immo ſiniſtrum effectum, exhibet: hinc bene conſiderandum eſt, an vel ætas, vel habitus corporis plethorici, vel ſuppreſſæ hæmorrhagiæ &c. eamdem expoſcant: quo caſu tanta quantitate, quanta fere tolerari poteſt, inſtituatur, & quidem in parte magis adfecta, vel ad minimum directe circa partem in illo, quam oppoſito latere. Ad præcautionem autem adminiſtrata, quouis modo commendari meretur.
2. Caueatur, ne pars adfecta nimio calore foueatur, facile enim intumeſcit, vt, cum ita motus tonicus deſit, ſpacelus inducatur.
3. *Neruina*, vti optime in hoc malo conueniunt, ita tamen a nimis acribus, calido-humidis cauendum eſt: acria enim reſinoſa, ſulphurea, exæſtuatione nimia poros obſtruunt & malum exaſperant, præcipue quando ſanguis nondum ventilatus & temperatus eſt.
4. Obſtruunt etiam poros *vnguinoſa*, nempe pingued. animal.

mal. e.g. caſtor. canis, vulpis, vnguent. de cane rubro: quæ, ſub forti frictione adplicata, in rigore & aridura, ab externa vi obortis, magis conueniunt, quam in vera paralyſi, tacite & repente inducta. *Vid. diſſertat. de motus voluntarii vſu medico.*

5. Maxima cautione opus eſt, ne inflammatio in parte adfecta exoriatur, ſphacelus enim metuendus venit: vnde *olea deſtillata calida*, immediate & nude adhiberi, diſſuadentur; *temperata vero*, e.g. ol. terebinth. cum ſpirituoſis dilutum, facilius tolerantur: hisce autem externis oppido parum obtinetur.

6. *Salia volatilia*, ſeorſim exhibita, fidem non merentur: vti enim in rheumaticis & podagricis ſtuporem moleſtum inferunt, ita ſtupentibus iam membris maiorem ſtuporem inducere obſeruantur. Si vero vſus illorum placeat, cum duplo, immo triplo tincturæ alcalinæ remiſceantur, & aluo bene reſpondente, ac corpore perſpirabili, mixtura talis, non tamen largiter nec diu, propinetur.

7. Sic etiam experientia confirmat, quod vſus *lumbricorum terreſtrium* crudorum, oleorum, pinguedinum, medullarum e ciconiis, vulpibus &c. vanis ſpeculationibus ſuperſtructus ſit.

8. Liquamen, pinguedo, vel oleum e vermibus nigris maialibus, *ſcarabeis*, quid efficiat, vlteriori experientiæ relinquitur.

9. Sic etiam *limacum* pinguedo ſeu oleum non quidem contemnitur, præſtat autem, quod poteſt, raro, quod deſideratur.

10. Veteres ſpecifice laudant *confectionem anacardinam*, & ſane optandum, vt experientiæ ſatis faceret.

11. *Radix*, *herba* & *flores arnicæ* in cauſſa grumoſi ſanguinis ex lapſu a *Borello* maxime commendantur. Et ſane a paucis abhinc annis hæc planta mirificas virtutes exſeruit, tam in lapſu ex alto, quam in paralyticis & pluribus aliis ſonticis adfectibus. *Legatur diſſertatio inauguralis D. de la Marche de arnicæ veræ vſu.* Interponere ſolemus pilu-

las

las balſamicas, ita quidem, vt per tres dies iam pilulas iam decoctum arnicæ adhibeamus, atque hoc ordine diu continuemus.

12. Omnes fere ſcriptores laudant *caſtoreum;* quod de *externo* illius vſu quadantenus valeat; *interne* autem exhibitum varia potius incommoda parit.

13. Herba *ſideritis*, *tetrahit*, ſeu *iudaica* a *Borello* obſeruat 99. cent. 4. in paralyſi æque ac pleuritide laudatur, dicente: balneo adhibita, medetur paralyſi, fotu vero pleuritidi; nec negandum, quod ab eius vſu inſperata pleuritidis reſolutio, & in paralyſi aliqua, licet exigua, efficacia obſeruata ſit, modus autem adhibendi non placet, ſed loco balnei, tonum adhuc magis relaxantis, in paralyſi forma ſacculi ſiue cataplasmatis commendatur.

14. Maiorem efficaciam, frequente vſu firmatam, adſcribimus præcellenti antiparalytico *ſpiritui acido formicarum*, bene ſaturato & per ſpiritum vini rectificatiſſ. præparato, quo ſacculi & epithemata imbuantur.

15. Neque *neruina* odorem gratum ſpirantia, & hinc principio vitali accepta, laude ſua priuanda ſunt. *Conf. num.* 3. item *fotus* cum ſpeciebus aromaticis in vino decoctis, *ſacculi* e neruinis cum vino & pauca camphora, *ſpiritus* neruini, aromatiſati, præcipue ſpiritus *ſerpilli*, citrini odoris, non hirſuti, male olentis, aliquoties abſtractus, & cum tantillo camphoræ exaltatus. Fotus autem vaporoſi humidi non adeo commode adplicari poſſunt.

16. Paralytici ab aliis ſibi artus moueri patiantur, ne ſanguis temere otioſus hæreat: *frictiones* etiam non ſunt contemnendæ.

17. *Antiſcorbutica*, in primis calidiora, in vera paralyſi cautiſſime exhibeantur.

18. Paralytici ſæpe etiam fiunt *hectici:* vnde tanto magis ab acrioribus & calidis abſtinendum eſt, ne ianua hecticæ aperiatur. Conf. num. 3, 5, 6.

19. Refrigerantia & humectantia maxime nocent: *mitiorem* enim in *plenariam* paralyſin & ſphacelum deuoluunt.

20. *Pareſis* e colica tractatur

1) *Interne:* lenibus abſtergentibus, carminatiuis, laxantibus, clyſmaticis.

2) *Externe:* aperta aluo, fomentationibus, balneis vaporoſis neruinis, & denique, non ab initio, humidis inſeſſibus neruinis penetrantioribus.

21. *Opiata* vti arthriticos motus facile in paralyticam contracturam præcipitant, ita *alexipharmaca* ſine regimine iterato data, huic inducto malo ſuccurrunt, ad tollendum autem illud non ſufficiunt: vehementes *ſudationes* nocent.

22. *Emplaſtica* non ſint nimis mucoſa, nec reſinoſa calida, ſed odore leni penetrantia; inter quæ eminet ceratum de galbano camphoratum, ſeu, vt vulgo dicitur, matricale.

23. *Alui* legitimus ſucceſſus vti ſemper reſpiciendus eſt, ita interpoſitis ſpatiis aliquando laxatio conducit; cauendo tamen a ſtimulantibus, ne ani paralyſis inducatur.

24. *Nitri* vſus, præcipue ſub initium adfectuum paralyticorum calidorum, mitigationem adfert.

25. Laudatur etiam *cinnabaris* ad gran. II. adiicienda.

26. Coagulationi ſanguinis, a caſu violento ſubuenitur per aperitiuo-diuretica; vbi *radix rubiæ tinctorum* non contemnenda eſt: habent etiam vſum diuretico colliquatiuum abſorbentia marina, acido ſoluta, & ad drachmam ſemis exhibita, adiecto ſale digeſtiuo & nitro; externe *camphora*.

27. Exhibent vulgo *ſanguinem hirci* vel *corallia*, acido ſoluta, ad ſcrup. II. alii ſpiritum *fuliginis*, de quo notandum, quod in rebus anguſtis temere non ſit exhibendus. Conf. num. 11.

28. Tandem adhuc notandum eſt, quod duo motuum extrema, nempe paralytici & conuulſiui adfectus, in vno indiuiduo coniuncta, non raro occurrant, & quando vnum membrum paralyſi adfectum, alterum oppoſitum conuulſionibus exerceatur; ſed vti ad *exceſſus* motuum ſpecifica remedia detecta ſunt, ita ad *defectus* talia adhuc deſiderantur, quod, ad inutiles ſpeculationes euitandas, probe obſeruandum.

TAB.

# TABVLA CXVII.

## DE

# A P O P L E X I A.

I. D*EFINITIO.*

Apoplexia eſt præceps & repentina ſenſus ac motus per vniverſum corpus talis abolitio, vt ægri vel ſubito & vno quaſi ictu omnem harum rerum vſum amittant, vel, ſi auditus & viſus adhuc aliqua ſigna adſint, motuum tamen voluntariorum plena impotentia laborent; quæ motuum plenaria remiſſio a tædio principii vitalis a motibus, antea fruſtra inſtitutis, originem ducit. Deriuatur ab ἀποπλήττω, percutio.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Apoplexia diuiditur in *ſanguineam* & *ſeroſam*; quam differentiam temperamentum, diæta & reliqua antecedentia, facile docent.
2. Apoplexia differt *gradu:*
   1) Alia enim *lenior* eſt, quæ de pulſu cordis & arteriarum paullulum adhuc relinquit, ſub qua conſtitutione rubor aliquis genarum conſpicuus manet: interdum etiam aliqua mouendi facultas relicta eſt, quæ tamen mature euaneſcit.
   2) Alia *vehementior*, in quo ſupremo gradu omnis motus vitalis & ſenſus plane ſublatus eſt: vnde repentina mors inducitur.
3. Apoplexia a *ſyncope* quo modo dignoſcenda ſit, ſequentia docent:
   1) Syncope iuniori & ſeniori ætati promiſcue conuenit, apoplexia autem non æque, ſed ſaltem ſeniori.
   2) In *apoplexia* oculi ſunt aperti & rigidi, in ſyncope autem clauſi vel ſaltem torpidi.
   3) In ſyncope pulſus quidem ſatis debilis eſt, plane tamen non ceſſat, vti in apoplexia vehementiore; immo licet

cet in *leniore* apoplexia pulſus paullulum adhuc ſentitur, ita tamen non deprehenditur, ſicut in ſyncope.

4) In ſyncope pallor faciei morti ſimilis, in apoplexia autem, præcipue ſanguinea, rubor genarum conſpicuus eſt.

5) In ſyncope ſtertor e pectore ſeu ſibilus non obſeruatur, vti in apoplexia.

4. Apoplexia a *catarrho ſuffocatiuo* & *aſthmate conuulſiuo* diſtinguitur per ſigna horum adfectuum, inter ſe collata. *Vid. differentiam & ſigna tabul. de catarrho ſuffocatiuo & tabul. de aſthmate conuulſiuo.*

III. *SIGNA.*

1. *Imminentis.*

1) Torpor & laſſitudo, cum tremore artuum.

2) Adflictio capitis vertiginoſa, ſtupido grauatiua, ſoporoſa.

3) Immo dolores profundiores, prementes, perennantes, in occipite.

4) Tinnitus aurium & ſuſurri repentini.

5) Splendores oculorum tranſitorii, & ſubitæ viſus obfuſcationes.

6) Mentis obnubilationes.

2. *Præſentis.*

1) Poſt vertiginem in momento in terram coniiciuntur, & ſine motu iacent.

2) Stertor ſeu ſibilus e pectore occurrit, tamquam infarctus, liberæ reſpirationi obſiſtens.

3) Oculi ſemi-aperti, & vitrei cernuntur, cum pupilla dilatata.

4) In *ſanguineis* vaſa circa tempora inflantur, & rubor quidam genarum adparet; in *phlegmaticis* autem adſpectus magis eſt pallidus, & totum corpus tepet.

5) In malo *leniore* aliquis adhuc pulſus obſeruatur; in adfectu autem *vehementiore* omnis ſenſus & motus interne ac externe ceſſat.

6) Poſt mortem, cranio aperto, in valuulis cerebri ſanguineorum aliquot cochlearia extrauaſati ſanguinis reperi-

periuntur; qui ſanguis alias, omiſſa ſectione, per nares & os excernitur.

7) In *phlegmaticis* autem, loco ſanguinis, totidem ſeri mucoſi inuenitur, quod, ſibi relictum, per fauces & os erumpere obſeruatur.

## IV. *SVBIECTA.*

Apoplexia plerumque corripiuntur homines

1. Ætatis virilis, & potiſſimum ſenilis.
2. Dantur tamen iuuenes apoplectici, plethorici, ſanguinei, poſt vini abuſum, vel immodicam animi indignationem.
3. Sanguinei circa annum 45. ad 50. &c. Phlegmatici autem, lautæ diætæ, annis prouectioribus.
4. Qui euacuationes ſanguinis naturales, e.g. hæmorrhoides, inconditis artificiis ſuppreſſerunt. vel artificiales adſuetas neglexerunt.
5. Quibus excretiones ſeroſæ vel cohibitæ ſunt, vel ſponte ceſſarunt, e.g. fonticuli, vlcera manantia, coryza, tuſſis humida, pedum ſudores.
6. Sub his omnibus anni *climacterici* in conſiderationem veniunt, quibus natura nouas plerumque reuolutiones ſuſcipit. Ceterum apoplexia, licet rarus ſit morbus, frequentior tamen eſt paralyſi.

## V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſam apoplexiæ ſeroſæ & etiam ſanguineæ in materia mucoſa quærere, irritum eſt; tot enim millia hominum muco abundant, & grauedine, coryza, tuſſi, ſæpius vexantur, quibus tamen apoplexia non euenit, & ſic motuum vitia a communibus talibus cauſſis deducere non poſſumus.
2. Facilius autem agnoſci poteſt plenaria deſtitutio ipſius energiæ motoriæ, quam durabilis & contumax auerſio mouendi, ac faſtidioſa tergiuerſatio, qualis in paralyſi reperitur.
3. Cauſſa *antecedens remota* eſt neglectus euacuationum con-

 ſueta-

ſuetarum, & hinc inducta plethora, concurrente, in ſtatu pituitoſo, ſpisſitudine lymphæ.

4. Cauſſa *antecedens propinquior* eſt repentina congeſtio ſanguinis abundantis, & ſatis expanſi ad cerebrum & tenerrima vaſa plexus choroidei, immediate neruorum medullæ incumbentis.

5. Cauſſa *proxima* & *continens* eſt ſanguinis, vel tantum ſeri, circa plexum choroideum extrauaſatio per *arterias* carotidum: fieri etiam poteſt, vt *venarum* infarctus & obſtructio ibi in cauſſa ſit.

6. Cauſſæ *occaſionales* & *procatarctica* ſunt:

1) Ventriculi mala diſpoſitio, quæ multum ad vertiginem & demum apoplexiam inducendam valet.

2) Ætas ad ſenectutem vergens.

3) Diſpoſitio hæreditaria.

4) Vitæ genus perpetuis crapulis deditum.

5) Violenta capitis læſio per contuſionem, luxationem &c.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Apoplexia *vehementior* ſæpisſime eſt lethalis, & quidem intra paucas plerumque horas.

2. Moriuntur ſæpe apoplectici conuulſionibus, ſed vix alibi, quam circa caput.

3. In apoplecticis *ſanguineis*, vti ſub *ſignis* iam dictum, ſanguis per nares vel infundibulum poſt mortem erumpit, ſub manifeſta oculorum protuberantia, faciei, & maxime vaſorum iugularium, inflatione.

4. In *ſeroſis* autem ſubiectis ſpuma mucoſa per os excernitur.

5. *Leuior* autem apoplexia vel in paralyſin certi alicuius membri transmutatur, vel ſi, accedente in primis febre, ſolui videatur, ſerius ocyus maiore energia recurrere ſolet.

6. Sæpius etiam leuior apoplexia ſenſuum internorum debilitatem, & artuum tremorem, immo interdum ſpaſmum oris *cynicum* relinquit.

7. Qui apoplexia ſemel tacti ſunt, rarisſime alio morbo, quam hoc, vehementius recurrente, moriuntur.

8. Oculi

8. Oculi, nebula infecti, peſſimum & lethale ſignum exhibent.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Curatiua.*

1) Congeſtio ſanguinis incompleta verſus caput eſt *deriuanda:* Laudantur in hunc finem

a) Venæ ſectio largior ad vncias VIII-X. in brachio inſtituenda; cui vniverſali venæ ſectioni, ſi operæ pretium & ſpes adſit, ſectio raninarum, aut in fronte, ſubiungenda, vel inciſio narium per ſcalpellum ſcarificatorium, more Ægyptiorum, & hæc omnia in ſanguinea præcipue apoplexia.

b) In apoplexia magis *phlegmatica* clyſteres acres ſtimulantes e fol. ſennæ, colocynth. electuar. hier. picr. ſalibus, ſapone; qui clyſteres, etiam in ſtatu ſanguineo, ſubiungi poſſunt, ad ſanguinis extrauaſati in vaſa reſorptionem promouendam.

c) In caſu phlegmatico, minus autem ſanguineo, vomitorium locum habet, e.g. ſalis vitrioli drach. ſemis cum vehiculo largiore.

2) *Natura* quaſi aufugiens & abhorrens eſt *inuitanda*; quod faciunt & ſimul congeſtionem diuertunt:

a) Spiritus neruini, e.g. ſerpilli, item ſpiritus vini camphorat. temporibus, vertici & fronti, adplicandi.

b) Spiritus oleoſi, in primis ſuccinati, ori etiam guttatim inſtillandi.

c) Salia volatilia vrinoſa, naribus admouenda.

d) Frictiones partium inferiorum.

e) Complanatio capitis, abraſis capillis admoto inſtrumento illo lotricum calefacto, mit einem warmen Bügel-Eiſen.

f) Cataplaſmata rubefacientia e radic. pyrethri, raphan. nigr. it. ſinapi, pipere indico & murario, plantis pedum adplicata.

g) Veſicatoria.

h) Ligaturæ partium oppoſitarum.

i) Er-

i ) Errhina fortiora cum euphorbio, in apoplexia feroſa.

3) His coniungantur remedia, quæ congeſtionem *repellere* dicuntur, e.g. bufo exſiccatus, vertici impoſitus, ſabina, oleum vulpium, caſtorinum.

4) Præſente ſanguinis orgaſmo temperantia, nitroſa, cinnabarina, numquam omittantur.

2. *Præſeruatoria.*

1) *Venæ ſectiones* in pede largiores circa æquinoctia inſtituantur: & in plethoricis ad annum 60 - 70. & vltra continuentur, ſpernendo anilem metum, ratione theſauri vitalis conſeruandi.

2) *Hirudines* tam circa aures, quam inteſtinum rectum, adplicentur.

3) Singulis circiter menſibus congrua laxantia exhibeantur, e.g. in cholericis & ſanguineis ſennata, rhabarbarina, in mucoſis & magis frigidis ialappina, helleborata, aloëtica: omnibus prodeſt extract. panchymag. *Crollii.*

4) Ad *caput* roborandum propinentur tonica, e.g. mixtura tonico-neruina *Stahlii*, [illegible] volatile oleoſum *Sylvii*, liquor C.C. ſuccinatus: interpoſitis temperantibus & antiſpasmodicis.

5) *Diæta* ſit parca & exquiſita, vitando ebrietatem, præcipue ſpiritum vini, inſignes refrigerationes, carbonum fœtorem & præ omnibus, animi commotiones iracundas, ac profundas ſpeculationes.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Quam neceſſaria eſt *venæ ſectio* in ſanguinea apoplexia, tam noxia illa euadit, ſi nimis parce inſtituatur: hac enim ratione motus ſanguinis magis inuitatur.

2. *Vomitorium*, vti in apoplexia ſanguinea locum non habet, ita etiam in phlegmatica illud vix conſultum eſt, ſi deglutiendi facultas iam penitus ſublata ſit: facile enim acris illa *fluida* materia (in forma *ſicca* plane adhiberi non poteſt) in aſperam arteriam & pulmones defluere atque damnum inferre poteſt.

3. *Sal*

3. *Sal vitrioli*, quod a *Langio* tantopere laudatur, vbi opem tulit, magis cardialgico-ſuffocatiuum, quam ſimpliciter apoplecticum fuiſſe adfectum, exiſtimandum eſt.
4. *Balſamorum apoplecticorum* ſteriliſſimus hic eſt vſus.
5. Paullo magis conueniunt *ſpiritus oleoſi*, in primis ſuccinati, ſi, quod methodus docet, non ſolum externe adhibeantur, ſed etiam ori guttatim immittantur.
6. Temperantia cum antiſpaſmodicis plurimis profuerunt, maxime in nimio ſanguinis orgaſmo & climate calidiore; qui etiam pulueres tum præcipuum locum habent, ſi apoplexia in paralyſin terminetur, coniunctis moderatis alexipharmacis & regimine modeſto.
7. *Externa* illa ſub *methodo* quidem commemorata ſunt, ordinarie tamen ſine effectu adhibentur, ita vt *veſicatoria* ne veſiculam quidem excitent.
8. Caueant ſibi ſeniores plethorici, mobilem vitam in otioſam & lautam inſuper diætam, commutare.
9. In *Finlandia* apoplexia omnis ætatis homines promiſcue infeſtare dicitur, & hoc quidem potiſſimum ex ſubitanea frigoris cum calore permutatione, quando, poſt capitis in templo refrigerationem, calida hypocauſta ingrediuntur.
10. E quibus cauſſis iunioribus naſcitur epilepſia, ex iisdem ſeneſcentibus prouenit apoplexia.
11. Licet in quibusdam apoplecticis *polypus* in vaſis cordis ſit inuentus, vero tamen magis ſimile eſt, polypum talem iam diu ante huius adfectus inuaſionem adfuiſſe: nam & in illis, qui palpitationibus cordis & anxietatibus laborarunt, poſt mortem polypi ſunt deprehenſi. Nequaquam etiam polypus totam cauitatem arteriæ explere poteſt, & ſic fruſtraneæ de illo ſunt ſpeculationes.
12. *Specifica* in pertinaci hoc malo magis optanda, quam exſpectanda ſunt: hinc primarius labor eo tendat, vt congeſtio humorum verſus caput præoccupetur & deriuetur; ſiue ſint ſanguinei, ſiue ſeroſi.
13. Ceterum notatu digniſſimum eſt, quod, licet apoplexia

valde raro occurrat, & leuiſſima exitus lethalis via ſit, plerique tamen mortalium hunc morbum mirifice timeant, & multis potius ac diuturnis cruciatibus e vita migrare exoptent.

## TABVLA CXVIII.
### DE
# CATARRHO SVFFOCATIVO.

I. D*EFINITIO.*

Catarrhus ſuffocatiuus eſt copioſa materiæ ſeroſo-mucoſæ intra veſiculas pulmonales irruptio, a repentina congeſtione humorum verſus pectus & paralytode pulmonum ac thoracis debilitatione exſiſtens.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Catarrhus ſuffocatiuus non confundendus eſt cum
   1) tuſſi humida, medicamentis alibi expectorantibus, alibi narcoticis in anomalias coniecta.
   2) præcipiti illa pectoris oppreſſione, quæ a retropulſione malorum rheumaticorum, exanthematicorum, tumorum ſtatariorum, fluxuum vlceroſorum diuturnorum; quæ omnia a catarrho ſuffocatiuo longe diſtant.
   3) Sic etiam differt ab illis anxietatibus aſthmaticis, quæ per paroxyſmos eueniunt ſubiectis, ſcirrho pulmonum vel occulta vomica laborantibus, iisque fere iunioribus ſanguineis.
2. Bene etiam diſtinguendus eſt catarrhus ſuffocatiuus ab *aſthmate conuulſiuo:*
   1) E diuerſitate ſubiectorum: ſinceriores enim ſanguinei raro huic catarrho obnoxii ſunt, bene vero aſthmati conuulſiuo. *Conf. ſubiecta.*
   2) Ex adfluxu materiæ perpetuo in catarrho ſuffocatiuo præſente, aſthmate autem conuulſiuo abſente.

3) In

3) In catarrho ſuffocatiuo eſt remiſſio toni circa pectus, in aſthmate autem conuulſiuo occurrit motus tonici exacerbatio.

4) Hinc actiua & fortis cohibitio compreſſoria magis, quam ſola impotentia ad reſpirandum præſto eſt.

5) Nec etiam tanta virium iactura, ſed potius maior anxietas & cordis palpitatio in aſthmate conuulſiuo obſervanda occurrit.

3. Differentiam catarrhi ſuffocatiui ab *apoplexia ſeroſa* anxie quærere, fruſtraneum, nec vllius vſus eſt: ſæpe enim concurrunt; hanc autem ſinceram arguunt prægreſſa ſolum capitis mala, rubor & lippitudo oculorum, cephalæa obtuſa, ſpumeſcentia ex ore.

III. *SIGNA.*

1. Occupat hic catarrhus ægrum repentino inſultu.
2. Reſpiratio euadit valde difficilis.
3. Plenitudo pectoris ſpumido quaſi ſono inter reſpirandum colligenda.
4. Præſto eſt præſentiſſima virium remiſſio & debilitas, ſeu defatigatio, & hæc quidem ſecundum ſenſum & denominationem ægri, re ipſa autem adeſt ſpaſmodica tenſio ſeu reniſus, vbi ſub illa ſubtili tractione partium & rigore laſſitudo talis interna & ſenſus tenſionis grauatiuus exoritur.
5. Exſerit ſeſe notabilis *inquietudo*, ita vt membra in vno eodemque ſitu diu ſeruari nequeant.
6. Concurrit ipſius animi deſponſio obliuioſa, de vita diffidens.
7. *Tuſſis* ordinarie nulla vel tamen non ad proportionem adeſt, ſed ſub coctione pectoris conſpicua impotentia, & verus virium defectus ad tuſſim, & excretionem per eamdem ſeſe manifeſtant.
8. Vrget potiſſimum hic morbus in pectore, non ſolum interiore, pulmonibus, ſed etiam exteriore, motu ſcilicet ipſarum coſtarum.
9. Facies eſt turgida & oculi fulgent.

IV. *SVBIECTA.*

1. Vix vnquam alii homines catarrho ſuffocatiuo corripiuntur, quam qui, vulgari loquendi ſenſu, *catarrhoſi*, vel, vti dicunt, delapſui catarrhorum a capite ad fauces & pectus per longum tempus obnoxii fuerunt.
2. Præ aliis *ſenioribus* phlegmatici, vel phlegmatico-ſanguinei, ſucculenti.
3. Immo vniuerſa illa corporis conſtitutio, quæ alibi paralyſi, alibi apoplexiæ obnoxia eſt.
4. *Graciliores* rariſſime hic morbus occupat, niſi tuſſi diuturniore vexati ſint, aut plane phthiſica vlceratione iam laborent.
5. *Iuniores* non facile ab hoc morbo infeſtantur, exceptis ad modum phlegmaticis & corpulentis, iisque catarrhalibus congeſtionibus & excretionibus debilitatis.
6. *Infantes* quidem obeſi, ab achoribus retropulſis, & diaphoreſi repente ſuppreſſa, ſuffocationis periculum quoque incurrunt, ſed non adeo præcipiti & ſubitaneo effectu.

V. *CAVSSAE.*

1. Ex iis, quæ in deſcriptione *ſubiectorum* dicta ſunt, verior cauſſarum ſedes magis in *capite*, quam pectore, quærenda videtur.
2. Origo repentinæ huius & copioſæ congeſtionis & irruptionis inuoluit quidem materiam ad talem decubitum formandum aptam, quæ in habitu corporis phlegmatico manifeſta eſt, & in ætatis ſenilis minore energia excutiendi, immo temperamento etiam animi ſuſtentatur; manet tamen vbique quæſtio, quo modo præciſe hoc die & hac hora flacceſcentia & marcor pulmonum, tamquam cauſſa *proxima* huius irruptionis & adfluxus feroſo-mucoſæ materiæ, eueniat.
3. Cauſſæ *remotæ* & *occaſionales* obſeruantur:
   1) In infantibus cruſtæ lacteæ vel ſudoris repulſio.
   2) In annoſioribus euacuationum ſanguinis adſuetarum neglectio.
   3) Refrigerationes, & aër frigido-humidus.

4) Ad-

4) Adfectuum cutaneorum & rheumaticorum peruerſa tractatio, ſpeciatim lippitudinis oculorum retropulſio.

5) Ebrioſa lauta diæta.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Catarrhus ſuffocatiuus eſt breuioris euentus: niſi enim repentino & decente auxilio ſuccurratur, ægri intra 24. horas ſyncoptici plurimum moriuntur.

2. Nonnumquam in *febriculam* reſoluitur, quo intuitu præſentaneum quidem mortis periculum aufertur, febris tamen mali & vagabundi moris, plerumque hecticodes, ac, durante anxia reſpiratione, non minus lethalis obſeruatur.

3. Vel laxitas pectoris aſthmatica, tuſſiculoſa, diuturna ſuccedit cum multa mucoſæ materiæ eruptione, intercurrentibus etiam quaſi paroxyſmis aſthmaticis, ſpaſticis, maxime ſi externæ cauſſæ accedant.

4. Vel etiam *cachectica* corporis flaccida debilitas inſequitur.

5. Certe, niſi debitis analepticis, tonicis, abſtergentibus mature ſuccurratur, vel dicta iam pericula, vel tantam debilitatem poſt ſe relinquit, vt ægrotus abhinc, velut alivs factus, vacillantem ad modum valetudinem experiatur.

6. Annoſiores citius ab hoc morbo iugulantur, quam infantes, in quibus per 8-14. dies mors ſæpe differtur.

7. Præcipue annoſiores, fortiore huius mali inſultu correpti, tam repente ſolent exſpirare, vt, apoplexia an catarrho interierint, merito dubitetur. Multos interim pro apoplecticis efferri certum eſt, quos ſuffocatio potius eius modi catarrhalis ſpaſtica, vel ſincera paralytica coſtarum motus abolitio exſtinxit.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *In paroxyſmo.*

1. Ad infarctum oppletiuum in pectore *deriuandum*, & adfluxum intercipiendum adplicetur clyſter ſtimulans e centaur. min maioran. colocynth. addito in nonnullis euphorbio ad gr. II.

2. Vbi qualiſcumque *plethora* adparet, ſubiungatur (immo vrgente neceſſitate præmittatur) clyſteri venæ ſectio in brachio ad VI-VIII. vncias. *Conf. cautelæ.*

3. Peracta, aut, ſi non neceſſaria fuerit, prætermiſſa venæ ſectione, ventriculi conſtitutio reſpiciatur, &, ſi vomitus indicetur, in vſum veniat ſal vitrioli ad drach. I. cum largo vehiculo, cui in phlegmaticis laxans, e. g. gummi guttæ, addi poteſt; vel exhibeatur decoctum rad. aſari, immo, feſtinante caſu, tabaci, cuius anxios effectus vinum aromatiſatum tollit. Conf. *cautelæ*, vbi in ſpecie de *ſulphure antimonii aurato* tenerrimo dicetur.

4. Sub his omnibus frictiones, ligaturæ & ſinapiſmi in partibus remotis non negligantur.

5. Denique ad *ſtaſin* mucoſam *diſcutiendam* & reſoluendam exhibeantur alexipharmaca & ſuccinata, e.g. eſſent. alexipharm. *Stahlii*, ſpeciatim eſſentia pimpinell. albæ, porro eſſentia ſuccini, tinct. ſalis tartari, tinct. antimon. tartariſata, cum ſpiritu ſalis armoniaci aniſato, & regimine ſudorifero iuncto. Conueniunt etiam nitroſa, quæ irritationes & illarum cauſſas partim mitigant, partim ad euacuationem præparant. Tandem lenit, ſedat, ſimulque diſcutit cort. caſcarillæ.

B. *Extra paroxyſmum.*

1. Quam primum adfectus remittit, propinentur *tonica*, e.g. mixtura tonico-neruina *Stahlii*, tinct. vitrioli martis *Ludouici.*

2. Ad *vires* reficiendas interponantur analeptica ex emulſionibus cum aquis diapnoicis, item aq. cinnamom. namph. lilior. conuall. flor. tiliæ, ceraſor. nigror. &c. Conducit etiam vinum generoſum peregrinum, maxime in adſuetis & diæta aromatica.

3. *Febris* ſi ſuccedere videatur, dicta alexipharmaca locum habent, cum pulueribus antifebrilibus nitroſo-temperantibus.

4. *Chronicam* autem indolem quando morbus inducit, laudata diſcutientia & reſoluentia cum gummi-reſinis & regimine calido continuentur.

5) Ad

5. Ad *nouum* inſultum præoccupandum venæ ſectio æquinoctialis in pede inſtituatur, ſubiunctis interdum purgantibus phlegmagogis.

6. *Somnus* diuturnus, aër humido frigidus, & commotiones animi fugiantur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Licet ægri de virium defectu conquerantur, *venæ ſectio* tamen non reformidanda eſt, ſi rubicundum in facie colorem exhibeant: hic enim periculum ſuffocationis, vti cito fit, ita etiam cito ſæpe tollitur, vt in futurum vires non adeo requirat. Idem de vomitorio valet iudicium: ſi modo præſens & præceps periculum ſublatum ſit, tum vires facile reſarciuntur.

2. In pure *phlegmaticis* autem venæ ſectio minus conuenit, bene vero *vomitus*, ſi inordinata diæta præceſſerit, per ſal vitrioli, quod non ſolum vomitum, verum etiam adfluxus ad alias partes diſpulſionem promouet.

3. *Chriſtianus Langius* in miſcellan. hoc vomitorium adeo extollit, vt etiam apoplecticos per illud reſtitutos eſſe adſeueret.

4. *Radix aſari* non modo effectu vomitorio, ſed etiam discuſſorio prodeſt.

5. In caſu *neceſſitatis* locum habet herba *tabaci* in cereuiſia vel aqua leuiter cocta, quæ non modo vomitorium, ſed & fere reſoluentem effectum habet; anxietates autem, quas circa pectus mouet, aromatica, carminatiua, hauſtus vini calidi tollere poſſunt.

6. Quando autem infarctus non adeo enormis eſt, ita vt liberum aërem æger haurire queat, fortis commotio in ſenibus debilibus non admittatur, ſed potius reſoluentia cum tinctura tonica paruis & repetitis doſibus exhibeantur.

7. Cautiſſime diſtinguatur catarrhus ſuffocatiuus ab *aſthmate conuulſiuo*, in quo malo ſalia volatilia in habitu corporis ἐνσάρκῳ minime omnium conducunt.

8. *Febris* ſuccedens, vti raro ſalutis ſpem oſtendit; quando nem-

nempe virium defectus, inquietudo, torpor, magna pectoris anguſtia, & reſpirandi difficultas perſeuerant; ita eo cautius tractanda eſt ſolis alexipharmacis diaphoretico-diureticis, & pulueribus, ex antimonio diaphoretico, nitro & abſorbente quodam paratis: abſtinendo a catarrhalibus calidis & ſalibus volatilibus.

9. Nocet *alui* obſtipatio, licet directa, forti, & profuſa exoneratione non reſeranda ſit.

10. In conſiſtente & ſeneſcente ætate omnes tum ordinariæ excretiones, e.g. fluxus menſium, hæmorrhoidum, venæ ſectiones, ſcarificationes, fonticuli, &c. ſollicite conſeruandæ ſunt, ne illarum neglectiones huic malo anſam præbeant.

11. In primis *catarrhoſi* tales circa æquinoctia moderate ſe gerant, tempeſtates frigido humidas euitent, & maxime nimio ſomno ſe opponant.

12. In ſenibus phlegmatico ſanguineis, tuſſi humida & coryza ſæpe laborantibus, totius temperamenti correctio intendatur per motum corporis laborioſum, diætam moderate aromaticam, purgantia phlegmagoga, balſamico-amara, gummi-reſinoſa, muciditatem ſanguinis corrigentia: alias catarrhus ſuffocatiuus, apoplexia, lethargus &c. metuenda ſunt.

13. Præter ea omnia, quæ in apoplexia, illa etiam hic obſervanda veniunt, maxime temperamentorum diuerſitas ſub medicatione: vbique notando, quod tempeſtiuæ *euacuationes* omnes humorum correctiones longiſſime ſuperent.

14. Non opus eſt, multum inquirere, num laſſitudo illa & defatigatio, de qua ægri conqueruntur, dependeat a relaxatione toni vniuerſali, (cuius tamen contrarium multæ circumſtantiæ docent) an vero a ſpasmodica tenſione: tempus enim hic non vacat, tonum roborare, vel ſpasmos demulcere, ſed præſtat, expedire anguſtiam reſpirationis, & viam liberiorem reddere.

15. Adfectus paralytodes, & partium fibroſarum reſolutiui, licet

licet alias facile recrudeſcant, e.g. apoplexia, paralyſis non ita promte tamen catarrhus ſuffocatiuus recurrit.

16. *Cadauera ſecta* docuerunt, quod veſiculæ pulmonales materia mucida repletæ fuerint.

17. *Veſicatoria*, capiti vel nuchæ adplicata, præſentaneum ſubinde effectum exhibuerunt.

18. Sic etiam *epithemata* e fermento panario, ſuccino præparato & aceto ſquillitico, capiti impoſita.

19. *Sulphur antimonii auratum* vltimæ præcipitationis mirifice & puncto fere temporis catarrhum ſuſpendere, obſeruare licuit, & quidem non in vno, ſed plurimis eiusmodi languidis, in quibus pro diuerſarum circumſtantiarum ratione (poſt catarrhi ſuſpenſionem) modo lenem vomitum, modo ſudorem, modo nullam conſpicuam excretionem produxit. Doſis gran. VI. cum ſale quodam digeſtiuo miſcenda. *Conf. D. Ræmpleri diſſert. inauguralis de catarrho ſuffocatiuo.*

## TABVLA CXIX.

## DE ADFECTIBVS SOPOROSIS.

I. D*EFINITIO.*

1. *Lethargus* eſt morbus ſoporoſus, idiopathicus, a congeſtione ſanguinis verſus caput, & ſubſecuta inde ſtaſi originem ducens, ac omnium rerum obliuionem inuoluens. Deriuatur a λήθη, obliuio.

2. *Coma* eſt adfectus ſoporoſus ſymptomaticus, a reſtrictione humorum verſus caput in febribus acutis, minus recte ſuccedentibus, ortus, cum deliriis plurimum complicatus. Deriuatur ab inuſitato κῶ, cubo.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Adpellationes horum malorum a nonnullis inuertuntur,

qui *lethargum* pro ſymptomate febrili, *coma* autem, in primis *ſomnolentum*, pro idiopathico morbo habent.

2. Sic etiam alii *carum* his addunt, & lethargo leuiorem pronunciant, quem contra alii grauiorem eſſe lethargo, & medium inter hunc & *apoplexiam*, ſine ſenſibilitate & ſpe excitationis, credunt.

III. *SIGNA.*

1. *Lethargi.*
   1) *Imminentis.*
      a) In diſpoſitis pigritia & laſſitudo.
      b) Vertigo, tremor capitis vel dolor in poſteriore eius parte grauatiuus, profundus.
      c) Perpetua ad ſomnum inclinatio, ſomnus profundior, ſuſurrus aurium, & ſenſuum hebetudo. *Vid. Foreſti obſeruationes.*
   2) *Præſentis.*
      a) Præceps lapſus in altiſſimum ſomnum vel ſoporem, vt non ſolum ægrius excitari poſſit æger, ſed &, licet excitetur, ſui & quarumcumque rerum immemor ſit, ac magis magisque in ſomnum relabatur.
      b) Pulſus, reſpiratio, color & calor a ſtatu naturali non multum recedunt.
      c) Et licet motus febrilis concurrat, eſt tamen ille ſæpius ad modum lenis, minime autem exquiſitæ & acutæ periodi.
2. *Comatis.*
   1) *Somnolenti.*
      a) Sopor diuturnus & ita profundus, vt immobiles iaceant ægri, more lethargicorum.
      b) Suſcitantur tamen facilius, neque adeo ſenſibiliter aut præfracte delirant, nec plane immemores ſunt.
   2) *Vigilis,* ſeu *inſomnis.*
      a) Maxime quidem in ſomnum propendent, hunc tamen non adſequuntur.
      b) Delirant plerumque.
      c) In audiendo, ſi adlocutus fueris, promtisſimi.
      d) Si tetigeris illos, mox oculos eleuant.

e) In-

e) Interdum malum inferre tentant, lecto repente exſilientes.

IV. *SVBIECTA.*

1. *Lethargi.*

1) Perſonæ phlegmatico-ſanguineæ, craſſæ & obeſæ.
2) Seniores otioſi, lautæ & humidæ diætæ addicti, ac meridiari ſoliti.
3) Catarrhis capitis & pectoris vexati.
4) Qui vſum fonticulorum, vel ſcarificationes adſuetas, ob ætatem prouectiorem, imprudenter negligunt.
5) Qui vſum tabaci, vel fumi forma hauſtum, vel pulueris facie naribus inſpiratum, ſubito omittunt, non raro in ſopores incidunt lethargicos, vel in apoplexiam ſeroſam.
6) Idem periculum imminet, ſenibus maxime, poſt diuturnas vigilias, curas & ægritudines animi, narcoticorum vſum, ebrietatem, graues capitis contuſiones, largiorem moram ſub radiis lunæ.
7) Infantes obeſi ab achoribus retropulſis lethargici quaſi euadunt.

2. *Comatis.*

Comata accedunt ſubiectis, febribus acutis, malignis, decumbentibus, prægresſis inſignibus capitis doloribus, deliriis, vſu opiatorum, ſtupefacientium.

V. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis remota* omnium horum malorum eſt plethora.
2. Cauſſa materialis *proxima* eſt ſtaſis ſanguinis, a congeſtione verſus caput exorta.
3. Cauſſa *efficiens* eſt tædium principii vitalis ad motus illos eluctatorios, euacuationem ſanguinis per nares reſpicientes.
4. Et ſic lethargus ratione cauſſarum magnam conuenientiam habet cum apoplexia.
5. Cauſſas *occaſionales* & *procatarcticas* in deſcriptione *ſubiectorum* iam indicauimus.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Seniores ſomnolenti, niſi diæta lauta & vitæ genus otioſum mature mutetur, in ſomnum denique profundiſſimum & lethalem delabuntur.
2. In plenario *lethargo*, vbi prorſus excitari non poſſunt ægri, intra quartum & ſeptimum diem ſæpe moriuntur; niſi ætas vegetior, aut inſperata eruptio purulenta ex infundibulo, naribus, vel auribus contingat, quod poſt vulnera capitis, aut acutos eiusdem adfectus, interdum obſeruare licet.
3. *Coma* vix non ejusdem diſcriminis eſt, cuius lethalitatem ſudor frigidus denunciat.
4. Satius eſt, lethargo ſuperuenire phrenitidem quam phrenitidi lethargum.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Curatoria.*

1. *In lethargo.*
   1) Ad ſenſus *exſuſcitandos*, & decubitum humorum a capite partim reuellendum, conducunt:
      a) Clyſteres ſtimulantes, vel ſuppoſitoria acria e colocynth ſpec. hieræ, diagrid. agaric. ſal. gemmæ, oleo irino.
      b) Ligaturæ partium oppoſitarum.
      c) Frictiones.
      d) Veſicatoria.
      e) Cataplaſmata rubefacientia, plantis pedum & volis manuum adplicata.
      f) Salia volatilia, naribus admota.
      g) Pilorum euulſio.
      h) Clamores & acu puncturæ.
   2) In *plethoricis*, poſt adplicationem clyſteris, ſtatim venæ ſectio inſtituatur, & deinde, ſi neceſſarium videatur, hirudines adplicentur.
   3) Ad motum ſanguinis translatorium & orgaſticum componendum coniungantur.
      a) *Interne*, pulueres antiſpaſmodici nitroſo-cinnabarini cum lenibus alexipharmacis.

b) *Ex-*

b) *Externe*, camphorata, bufo exſiccatus, pectinatio vel ſcalptio.

4) Et quoniam in nonnullis ſubiectis *primarum viarum* cruditates præſto ſunt, vbi caput per conſenſum adficitur, adhibeantur in his præparantia & euacuantia, nempe vel vomitoria, vel purgantia ialappina, helleborata.

5) Subiunctis iis, quæ materiam mucoſam diſcutiunt, & caput roborant, e.g. radicibus catarrhalibus, eſſent. ſuccini, tinctur. antimon. cum ſpiritu C.C. rectificato.

2. *In comate.*

1) In vtroque comate *febris* decurſus reſpiciatur:

a) *Interne* per antifebrilia, diapnoica, coniunctis cinnabarinis & diſcutientibus.

b) *Externe* per camphorata, bufonem exſiccatum.

2) Adhibitis ſimul excitantibus, e.g. veſicatoriis, odore ſalium volatilium &c.

B. *Prophylactica.*

1. Cauſſarum antecedentium occupatio & ſublatio vbique reſpiciatur.

2. In ſenibus mucoſis temperamentum corrigatur, & humores a capite reuellantur.

3. Præſcribantur in hunc finem phlegmagoga ex agarico, ialappa, colocynthide, vel in ſanguineis, helleboro nigro; quæ ſingulis anni quadrantibus repetantur.

4. Subiungantur amara ſulphurea, e.g. radices & herbæ catarrhales, item gummi-reſinæ; vel pilularum vel infuſi forma, circa æquinoctia vſurpanda.

5. *Diæta* conueniens vbique iniungatur, nempe cibus parcior, aromatiſatus, ſiccior, aſſatus, potus aliquando vinoſus, vinum amarum medicatum, motus corporis conſumtorius, excitantia per ſal quoddam volatile.

## VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Venæ ſectio* ante inſtituenda eſt, quam ſanguinis ſtaſis in ſuppurationem perueniat, alias plus nocet, quam prodeſt.

2. A *ſternutatoriorum* vſu plane abſtinendum quod adfluxum ad caput magis prouocant: quando autem iuſta ſuſpicio adeſt, ſtatin in ſuppurationem & maturitatem iam tranſiiſſe, tum poſſunt adhiberi, ſub ſpe, an forte per illas vias pus eliciatur.

3. *Fonticuli* ſenioribus mucum ſeroſum a cerebro reuellunt, & ſic ſtaſes ſoporoſas occupant.

4. *Cucuphæ* & ſimilia topica neruina muniunt capitis partes ab infarctu ſeroſo, & ita in phlegmaticis locum habent, modo camphora condiantur; in ſanguineis autem congeſtionem accelerant, & obfirmant.

5. *Comati* vti directe nihil adhiberi poteſt, ita, obſeruandum, quod, ſi verſus dies criticos æger obdormiſcat, & libere tranſpirare videatur, exiguus, immo plane nullus metus interueniat.

6. Hinc non turbandi ſunt tales ægroti qui a die quarto ad ſeptimum ſomnolentia tali corripiuntur, &, vigiles facti, alacriter ſeſe habent, ac vel vrinam vel aluum excernunt, vel potum deſiderant & iterum obdormiſcunt; medicamenta ſaltem ipſis euigilantibus propinentur.

7. In *comate camphorata*, vertici & temporibus largiter adplicata, vſum præſtant; quo etiam pertinet emulſio ex aceto, nucleis perſicorum cum camphora.

8. Sic etiam *vnguentum alabaſtrinum* facit, quod poteſt.

9. *Caſtoreum* ſuo loco relinquendum eſt, ſolet enim, externe etiam exhibitum, narcoticum præſtare effectum.

10. *Coma*, ab *opio* inductum, per odorem aceti nihil auxilii exſpectat, & quando negotium eo proceſſit, vt perpetua in ſomnum propenſio iam adpareat, res fere conclamata eſt; niſi forte ſalia volatilia, repetitis vicibus naribus adhibita, aliquid conferant.

11. *Lethargus*, vti in iunioribus & alacrioribus ſubiectis raro euenit; ita ſomnolentia illa, ab externa violenta cerebri concuſſione inducta, vix lethargicæ indolis reputanda eſt: ſæpius enim euigilant, non ita obliuioſi ſunt, & ſpes vitæ adfulget, præcipue quia *pus* per aures & na-

res

res ſponte erumpere in illis obſeruatur,& ſic ſine Medici concurſu, cuius manus in talibus caſibus perbreues ſunt, reſtituitur.

12. *Salia volatilia oleoſa* commouent quidem, ſed non corrigunt, hinc nullo modo adhibeantur.

# TABVLA CXX.

## DE

# LIPOTHYMIA ET SYNCOPE.

I. DEFINITIO.

1. *Lipothymia* eſt notabilis vitalium & animalium actionum, ad minimum quoad ſenſum, abolitio, a defectu motus vitalis pulſorii originem ducens. Deriuatur a λείπω, deficio, & θυμός, animus.

2. *Syncope* eſt plenaria vitalium & animalium actionum, ad minimum quoad ſenſum, abolitio, a defectu motus pulſorii dependens. Deriuatur a συγκόπτω, concido.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Lipothymia & ſyncope diuerſa quidem ſunt nomina, vnus autem idemque eſt morbus, & non niſi *gradu* differens, vti e ſignis patebit.

2. Hic adfectus eſt vel *idiopathicus*, vel *ſymptomaticus*: ille ſine aliis vrgentibus morbis obuenit, hic autem accidit vel chronicis, vel acutis, e.g. ſcorbuto, febribus malignis.

3. Differentiam lypothymiæ & ſyncopes ab apoplexia docent ſigna vtrorumque adfectuum, inter ſe collata. *Vide tabulam de apoplexia & quidem different. num. 2.*

4. Differentia lipothymiæ a conuulſiuis malis innoteſcit ex flaccido corpore in lipothymicis præſente.

5. Quoniam *mors* ipſa non niſi gradu a ſyncope differt, in dubio ſtatu ſciendum eſt, quod, quamdiu ſyncope adſit, flacceſcant artus, morte autem ſubſecuta, corpus rigidum

gidum reddatur, præcipue ſub vltimo conuulſionis molimine.

III. *SIGNA.*

1. Præcedit notabilis circa cor anxietas.
2. Succedit repentina virium & actionum veluti exſtinctio, non ſolum animalium, ſed & ipſarum vitalium;
3. Ita vt ſenſus, motus & pulſus officia ſua amiſiſſe adpareant.
4. In *lipothymia* quidem debiliſſima adhuc pulſatio, vel potius tremor ſolum cordis cum reſpiratione, vix tamen ſentienda, obſeruatur.
5. In *ſyncope* autem plenaria ἀσφυξία, ſeu pulſus & reſpirationis omiſſio adparet, ita vt ſine vllo vitæ indicio ægri conſpiciantur.
6. Pallor faciei morti ſimilis eſt.
7. Nullus in corpore vigor, ſed torpor flaccidus ſeſe manifeſtant.
8. Frigus ad minimum in extremitatibus, ſentitur.
9. Oculi ſunt clauſi, aut ſaltem turbidi.
10. Os etiam clauſum eſt, ſed non conſtrictum, aliquando autem indecore hians.
11. Quamprimum ad ſeſe iterum redeunt, profunda ſuſpiria & reſpiratio in iis obſeruantur.

IV. *SVBIECTA.*

1. Lipothymia *idiopathica* rarior eſt quam ſymptomatica, & euenit generatim
   1) Admodum teneris, ſenſibilibus, animi commotionibus, præcipue terrori, obnoxiis: temperamento melancholico vel phlegmatico melancholico præditis; vel denique e quacumque antea cauſſa lipothymiæ adſuefactis.
   2) Speciatim autem iis, qui indefeſſo ſtudio, poſt dictas occaſiones, ſpeculantur.
   3) Item grauidis, quæ pectus & abdomen nimium conſtringunt.
   4) Sic etiam *virgines* aliquando inter paſtum ſyncope corripi-

ripiuntur, vnde ſuſpicionem, eamque non ſemper iniuſte, incurrunt, quod animi ſint incaſti.

5) Euenit etiam aliis, qui animi pathemata inter cibum admittunt, eaque ſupprimere coguntur.

2. Lipothymia *ſymptomatica* euenit familiariſſime

1) *Feminis,* ſpiſſo & mucido ſanguine præditis, ob fluxum menſium impeditiorem: vbi ſatis frequenter hyſtericarum exempla occurrunt, quæ per plures dies ſyncoptico tali malo corripiuntur.

2) Qui hyperemeſi anxia defatigati ſunt.

3) Profuſionibus ſanguinis, ſudoris, diarrhœæ, lactis, magnis doloribus, inſolitis laboribus exhauſti cum inedia.

4) Voracibus, qui ventriculum inſolita quantitate & perverſa qualitate ciborum onerarunt.

5) Puerperis poſt partum laborioſum, refrigerium, lochia nimia.

6) Qui aduentitia extraordinaria paſſi ſunt, e.g. venena, lapſum in ventriculum, refrigeria &c.

7) Qui febribus *acutis* vel intermittentibus correpti, corpus calidum, vel leni diapnoë tepeſcens, repente refrigerant, vel poſt easdem febres præmature crudis vel nimiis cibis ventriculum replent.

8) Speciatim vbi febres *epidemicæ* malignæ imminent.

9) Denique qui excretiones debitas, e.g. ſolutionem alui, non experiuntur.

## V. *CAVSSAE.*

1. Nexus *cauſſalis* in hisce morbis, præcipue *idiopathicis*, eamdem, quam in apoplexia & paralyſi, inuoluit difficultatem: nulla enim plane connexio & proportio harum mentis fictionum cum craſi & motu ſanguinis adparet.

2. *Materiales* ſane cauſſæ hic non ſufficiunt, ad tantam deſperationem naturæ; quod vel exinde eluceſcit, quia lipothymiæ & ſyncopæ ſine conſpicua materia occurrunt.

3. Hoc autem certum eſt, quod animus meticuloſus & diffi-

dens, cum ſtatu plethorico coniunctus, hiſce motuum defectibus fundamentum generatim ſubminiſtret.

4. Cauſſas *procatarcticas* & *occaſionales* in deſcriptione *ſubiectorum* iam indicauimus. Hiſce accedunt: fama mortis perſonæ alicuius dilectæ, periculum vitæ ex improuiſo cooriens, incendium vel quæcumque alia naturæ adverſa.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Lipothymia *idiopathica*, quæ in ſenſibilibus, ſanis, melancholicis, euenit, & aliquid pathetici, e.g. terroris, timoris, anxietatis coniunctum, ſeu proxime prægreſſum, pro fundamento habet, magnam raro conſiderationem, ad minimum in præſens, meretur.

2. In futurum autem *peioris* ſemper ominis eſt: tum ad morbos vniuerſe, ſi hi aliquando ingruant: tum ſpeciatim, quod tanto facilius in tali conſtitutione exſpectandi ſint.

3. Lipothymia autem *ſymptomatica* maioris eſt momenti: adſuefacta quidem, & quæ morbis chronicis coniungitur lipothymia, minoris eſt periculi, quam quæ acutis & malignis accedit.

4. Morbus *acutus*, qui a lipothymia initium capit, noneſt boni augurii.

5. Quæ lipothymia incremento morbi, vel ſtatus initio ſuperuenit, paullo minus periculoſa eſt, quum ibi omnia ſint laborioſa.

6. Quæ autem morbi ſtatui, ad criſin vel debitas declinationes ſpectanti, accedit, longe peioris eſt præſagii: quamvis & hic adſuefactio periculum minuere poſſit.

7. Quæ ſuppreſſioni debitarum, in certis morbis, excretionum ſuperuenit, tantæ non eſt conſiderationis, quam quæ ſine euidente aliqua cauſſa morbis accedere ſolet.

8. Quæcumque lipothymiæ aliis morbis accedunt, per ſe commode non tractantur: quando enim ipſe morbus per legitimas ſecretiones & excretiones feliciter decurrit, & ſymptomata vrgentia congruo modo mitigantur, tum ſponte ſibi reſtituitur natura.

9. *Syn-*

9. *Syncope* diuturna ſæpe febres poſt ſe relinquit.
10. Syncope ab *hæmorrhagiis* nimiis periculoſa eſt, maxime in ſubiectis trepidis, & minus adſuetis: vnde puerperæ lipothymicæ, quod a ſyncope ad mortem ſæpius tranſeant, ſollicite obſeruari, & a ſommo quauis ratione diſtineri debent.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

A. *Methodus generalis*, lipothymiam magis *idiopathicam* reſpiciens.

1. Principium agens ad motus *exſuſcitetur.* Faciunt hoc
   1) Clyſteres ſtimulantes.
   2) Adſperſio aquæ frigidæ.
   3) Odorifera penetrantiora, e.g. ſalia volatilia, nempe ſpiritus C.C. ſalis armoniaci, item ſpiritus cinnamomi, liliorum conuallium, aqua Hungarica.
   4) Relaxatio veſtium.
   5) Decubitus horizontalis in lecto calido.
   6) Frictiones.
   7) Sternutatoria.
   8) Piper vel ſal volatile, linguæ imponenda.
2. Facta excitatione natura trepidans *refocilletur*, & diſcuſſio ſanguinis intendatur; quod obtinetur
   1) Per analeptica, e. g. fiat potio aromatiſata ex aqua ceraſorum nigrorum, borraginis, flor. tiliæ, acaciæ, lil. conuall. namph. lauend. cinnamom.
   2) Per eſſentiam alexipharmacam *Stahlii.*
   3) Per ſyrupum acidi citri, roſarum, de canell.
   4) Per hauſtum vini generoſi, vel eſſentia croci imbuti.
3. *Febris* præcaueatur. In hunc finem conducunt:
   1) Continuatus modicus vſus dictæ eſſentiæ alexipharmacæ.
   2) Præcipue pulueres nitroſo abſorbentes, cum ſale quodam digeſtiuo, antimonio diaphoretico & momento cinnabaris ſociati; vbi verſus ſomnum lene anodynum, e. g. theriaca, exigua doſi addi poteſt.

B. *Methodus ſpecialis*, pro diuerſis cauſſis lipothymiæ *ſymptomaticæ* varians.

1. Vbi lipothymia a prægrauatione ventriculi poſt paſtum, vel etiam a debilitate primarum viarum, ſine occaſione, cum imminuto adpetitu & ructibus nauſeoſis obtingit, digeſtiua, laxantia, &, ſi nihil contraindicet, matura emetica, conueniunt.

2. In turbato *vteri* ſtatu, & ſanguinis menſtrui impedito ſucceſſu, pilulæ *Becheri* omnibus aliis palmam præripiunt, ſi ſufficiens humectatio & corporis motus ipſis coniungantur.

3. In cauſſis hypochondriaco-hyſterici mali tractandus eſt morbus, vti tabula de malo hypochondriaco-hyſterico indicatum eſt; præcipue autem in tali ſtatu locum habet elixir antihypochondriacum, e mixtura ſimplice & extracto panchymagogo *Crollii* paratum.

4. In febribus *intermittentibus* quando lipothymiæ occurrunt, cruditates per digeſtiua & lenia laxantia eliminentur, ſubiunctis, vt moris eſt, alexipharmacis temperatis. *Conferantur tabulæ de febribus intermittentibus.*

5. In febribus *acutis* ſi lipothymiæ obueniant, nitroſa, digeſtiua, & abſorbentia in principio, alexipharmaca in ſtatu, continentia tranquilla cum regimine, diapnoica in declinatione, adhibenda ſunt: coniunctis vbique analepticis ex aquis fragrantioribus temperatis, ſyrupo acetoſitatis citri, manibus Chriſti perlatis, confect. de hyacinth. alkermes, &c.

6. In cauſſa *hyperemeſeos* præſcribatur vinum aromatiſatum calidum, & verſus noctem theriaca.

7. Quando *terror* lipothymiam induxit, tum proſunt gemmata, ſpecifice hyacinthus præparata, adiecto gran. I. M. P. de cynogloſſa. Vulgus exhibet ſpecificum cephalicum, puluerem Marchionis.

8. Vbi ab *ira* excitatur lipothymia, quo caſu ſæpe prodromus eſt febrium cholericarum, emeſis ſatis matura, vel nitroſo-abſorbentia, proſunt.

9. In lipothymia poſt nimias *hæmorrhagias*, ſudores, diarrhœas, immodicos labores, cum inedia coniunctos, analepſis

cbo-

e bonis alimentis requiritur, e. g. gelatinoſa, reſtaurantia, cum tonicis coralliatis, gemmatis.

10. Homines de reliquo ſani, quando ſub venæ ſectione lipothymia corripiuntur, medicatione non indigent, facies modo aqua frigida adſpergatur, vel acetum deſtillatum aut ſal quoddam volatile naribus admoueatur.

11. In lipothymia cum *apoplexia* coniuncta, vel in ſtatu dubio, ſuſpectis etiam cauſſis antecedentibus, venæ ſectio in ſenioribus, ad hunc morbum alias minus procliuibus, commendatur.

C. *Methodus præſeruatoria.*

1. Cauſſæ *antecedentes*, quantum fieri poteſt, remoueantur.
2. Cruditates primarum viarum, vt fomes ἀσφυξίας, tollantur per digeſtiua & congrua laxantia.
3. Animus a paſſionibus & ſpeculationibus liberior conſeruetur.
4. Excretiones debitæ promoueantur.
5. Excitantia remedia in ſubiectis, ad lipothymiam inclinantibus, ſemper præſto ſint, vt malum ſtatim præoccupari poſſit.
6. *Motus* corporis moderatus numquam negligatur.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. *Clyſteres* ad naturam excitandam prius adhiberi non debent, quam ſi lipothymia ad quadrantem horæ durauerit.
2. Vbi vero aliqua vitæ ſigna adhuc præſto ſunt, illorum vſus plane poteſt prætermitti.
3. Durante lipothymia medicamenta *interna* tuto propinari non poſſunt, quia facile arteriam aſperam ingrediuntur.
4. Methodus vulgaris commendat *ſpirituoſa* fortiora, interne propinanda, ad ſpiritus, vt dicitur, excitandos, ſed ſanguinem fortius exagitant, ac morbo ſæpe incrementum adferunt. Et licet ad ſenſus reuocandos aliquid præſtent, plus tamen vellicationes, frictiones & punctiones in partibus ſenſibilibus ad hunc ſcopum contribuunt.
5. Sic etiam poſt excitationem vitrum generoſi vini plus

analepticæ virtutis præbet, quam omnia balſamica acriora, niſi forte ſpeciali odoris ſuauitate aliquid præſtent.

6. Non vana eſt vulgaris illa commendatio, quod lipothymicis poſt paroxyſmum propinari debeant medicamenta, ſanguinem coagulatum *reſoluentia*: in tali enim ad interiora congeſtione non tantum ſpiſſitudo ſanguinis inducitur, ſed facile etiam ſtaſes circa viſcera, & febres inflammatoriæ exoriuntur.

7. Natura ipſa hanc indicationem ſubminiſtrat: nam profunda illa ſuſpiria poſt excitationem nihil aliud intendunt, quam ſanguinis, præcipue circa pulmones & hypochondria hærentis, diſcuſſionem.

8. *Somnus* poſt paroxyſmum non ſtatim concedatur.

9. Hilaris animus ad vires recuperandas, & anomalias motuum ſanguinis præueniendas, magis hic valet, quam vlla medicamenta.

10. *Febris* ſi ſtatim poſt lipothymiam percipiatur, analeptica illa ſpirituoſa, immo ipſe hauſtus vini prætermittantur, & mox antifebrilia in vſum vocentur.

11. *Vomitorium* commode propinatur in lipothymia, a terrore vel iracundia tacita poſt paſtum exorta: melius enim eſt, cibum reiici quam male digeri; modo vires reſpondeant, & ſubiectum ſit euemetum.

12. Calore tolerabili foueantur ægroti.

13. Quæ ſubiecta ſub venæ ſectione ad lipothymiam inclinant, illis vena non nimium eſt liganda; caueant etiam ſibi, ne pleno ventriculo ſanguinis-ventilatio inſtituatur, neque ſtatim poſt eamdem adſurgant.

14. Deinde conſideratu digniſſimæ ſunt duæ ſequentes obſeruationes:

1) In *lipothymia*, quæ a rebus *præſentibus* excitatur, corpus ægrotorum vehementiſſime conſtringitur, vaſa fortiter detumeſcunt, patientes non prorſus in terram procidunt, ſed aliquem adhuc impetum reſiſtendi ac ſeſe ſaluandi oſtendunt, e.g. ſunt lipothymici, qui ſub venæ ſectione omni vi chirurgi manus, vulnuſculum ligan-

ligantes, detrudere conantur; de qua actione, finito paroxyſmo, vix poſſunt perſuaderi.

2) Quando autem lipothymia ob res adhuc *futuras* exoritur, ægri facile in terram procidunt, & ab omnibus animalibus & vitalibus actionibus deſiſtunt.

# TABVLA CXXI.

## DE MEMORIAE DEBILITATE.

I. D*EFINITIO.*

Debilitas memoriæ eſt ſpecies ſenſuum internorum læſionis, varia phantaſiæ & iudicii vitia ſenſim inducens.

II. *DIFFERENTIA.*

Debilitatio memoriæ, quæ per eiusdem abuſum & fatigationem inducitur, differt a reliqua obliuioſa aut *ſimplice debilitate*, quæ non tam nudum defectum, quam confuſionem memoriæ inuoluit.

III. *CAVSSÆ.*

Memoriæ debilitatem inducunt:

1. Frequens illius vſus ſeu potius abuſus in ediſcendis vocabulis variarum præcipue linguarum.
2. Paralytica capitis, præſertim linguæ, adflictio.
3. Violentæ capitis læſiones.
4. Tolerati grauiſſimi capitis dolores in malis phreniticis &c.
5. Ebrioſum vitæ genus.
6. Veneris abuſus.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Omnes memoriæ læſiones, ſi medicamenta ſpectemus, curatu ſunt difficillimæ, nec, niſi vitæ genere mutato, & omnibus animi pathematibus ad tranquillitatem gratam ac lætabundam reductis, vix vllo modo ſubleuandæ.
2. Ante omnia ſumme difficilis ſucceſſus eſt illa memoriæ læſio,

læſio, quæ cum *paralytica debilitatione* quarumcumque circa caput partium, præcipue linguæ, connexa, & ſimul leuiter delira exſiſtit.

3. Inclinant vel ad ſomnum profundum, eumque ſatis tranquillum, qui, tantum abeſt vt ſtupiditatem illam imminuat, vt notabiliter potius eamdem augere obſeruetur;

4. Vel vigiliis excedunt, & hac ratione deliria inuitant.

5. Ex his duobus incommodis per mediam ſemitam emergere, difficillimum eſt, niſi ipſa natura, ſub iucunda præcipue totius vitæ mutatione, ad ſeſe redeat.

## V. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

Ad hæc *motuum* & *ſenſuum vitia*, ſeu vt loquuntur, ſpirituum defectus, ſequentia remedia vulgo commendantur:

1. Odore & ſapore grato prædita, e.g. eſſent. ligni aloës, ambræ.

2. Volatilem & ſpirituoſam indolem exhibentia, v.g. aqua magnanimitatis, aromatica ſpirituoſa.

3. Alia ſic dicta neruino analeptica, in primis vbi notabilis virium defectus occurrit: ſunt enim non pauci, qui ſub obliuioſo ſtupore maxime robuſti ſunt, copioſe edunt, optime nutriuntur, ac proinde analepticis talibus non indigent.

## VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Vti *ſpeciales* medicationes hic non ſatis faciunt, ita generales ventilationes debitarum excretionum, in primis, vbi locum habere videtur, ſanguinis, partim ſubleuant, naturam, partim officii ſui debiti illam admonent.

2. Non expedit, obliuioſis talibus aliquid aduerſi & ingrati iniungere: his enim occaſionibus ad promtius ſuccedentia deliria transeunt.

3. In quibus *venæſectio* locum habet, in illis prius non inſtituatur, quam primæ viæ mediocriter euacuatæ ſint.

4. Externe laudantur *cucuphæ* e neruinis & aromaticis paratæ, nempe herb. maioran. hyſſop. flor. ſpic lauendul. cinnamom. cardamom. cubeb. caryophyll. lign. aloës &c.

&c. item commendantur ſpirituoſa, oleoſa, balſamica; ſed optandum, vt euentus exſpectationi reſponderet.

5. *Puluis abbatis Trithemii* a *Io. Wolffio* tanta in hoc malo laude extollitur, vt hinc *memorabilibus* ſuis eumdem inſerendum duxerit; ſed ſpecificam aliquam ab illo efficaciam exſpectare, fruſtraneum eſt, licet omnia fere, quæ proſtant, aromata, & vulgo credita meliora analeptica margaritas, corallia, contineat.

# TABVLA CXXII.

## DE
## MELANCHOLIA.

I. D*EFINITIO.*

Melancholia eſt læſio & perturbatio phantaſiæ, quæ rectam eius & ordinatam agendi ideam interrumpit, vt aliena inde idea quaſi inſeratur, & ſecundum hanc actiones perperam exerceantur. Deriuatur a μέλαινα, nigra & χολη, bilis; ſecundum hypotheſin antiquorum.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Melancholia eſt vel *triſtis*, vel *iucunda*, vel *mixta*; quæ differentia temperamentorum diuerſitate potiſſimum innititur.

2. Differt melancholia ratione *cauſſarum*:

1) In aliis enim a ſola mentis falſa *præfiguratione* & æſtimatione dependet, & hos perpetuo fere adfligit:

2) In aliis a corporeis *læſionibus* excitatur, & in his per occaſiones ad proportionem mali corporei euenit; quo nomine melancholia præcipue *hypochondriaca* ſatis nota eſt.

3) In aliis *mixtus* occurrit morbus, e.g. quando melancholia a corporalibus cauſſis prima rudimenta accepit, per accedentes autem morales cauſſas talia augmenta

nanciſcitur, vt, ſublatis licet corporeis cauſſis, perpetua tamen anxietate & inquietudine detineantur.

III. *SIGNA.*

1. Animi anxietas ſine omni rationali cauſſa, vnde conqueruntur: das Hertz ſey ihnen ſo ſchwer, die Welt zu enge, es wäre als ob ſie einen Mord begangen, oder als wenn Himmel und Erde auf ihnen lägen.
2. Faſtidium omnium rerum, antea etiam acceptarum, ipſivs adeo vitæ.
3. Lacrimarum frequens effuſio.
4. Alii amplius ſpatium deſiderant, feneſtras aperiunt, & effugere conantur; nam carcere incluſi ſibi videntur.
5. Alii habitacula clauſa deſiderant, & ob metum capturæ, ſupplicii capitalis, &c. ſeſe abſcondunt.
6. His animi anguſtiis iunguntur vitia motuum in corpore, nempe
7. Palpitatio cordis.
8. Reſpiratio profunda, laborioſa.
9. Motus tonici modo ſtricturæ: vnde horror, pallor, & adſpectus extenuatus.
10. Modo illius remiſſiones: vnde repentinus rubor, volaticus æſtus, laſſitudo & virium defectus. Non raro etiam febris quaſi acuta ſub initium accedit. Conf. caut. 9.
11. Aluus plurimum pertinaciter adſtricta eſt.
12. Animi anxietatibus etiam adnumeranda veniunt grauia *inſomnia*, talibus ſubiectis familiaria, quando ſcilicet melancholico-ſanguineis de repentinis incendiis, ſanguinis in proprio corpore per alios effuſionibus; ſeroſis autem magis de profundis aquarum gurgitibus, tranſitu per illos cum periculo ſubmerſionis, inſomnia obtingunt.
13. His accedunt *pauores* ſub ſomno, a quibus ſæpius excitantur cum ſumma animi conſternatione & anhelitu laborioſo.
14. In melancholia *iucunda* circa res ludicras, obſcœnas, occupati

cupati ſunt ægri. Huc ſpectant leuia illa chronica deliria, vbi reges vel principes ſe eſſe exiſtimant.

IV. *SVBIECTA.*

1. Melancholiæ ſubiecta vel ſolius mali denominatione innoteſcunt, ſunt nempe perſonæ
2. Temperamenti præcipue melancholici, vel ſanguineo-melancholici, vbi & animi & corporis conſtitutio, ad hunc morbum fouendum, optime quadrat.
3. Specialiter huic ſubiacent litterati, hypochondriaci, ſplenetici dicti, & feminæ hyſtericæ.

V. *CAVSSAE.*

1. Sub *differentia* iam dictum eſt, quod melancholia modo a ſolis animi præfigurationibus, modo a corporis læſionibus originem ducat.
2. Licet enim anima, ſecundum ſubſtantiam ſui, ἀπάθεια ſit, intimam tamen ac realem συμπάθειαν ſubit, quatenus cum corporis neceſſitatibus conſpirat.
3. Vnde *læſiones* in corpore ſiue præſentes, ſiue ſaltem imminentes, in animam redundant, & anima, immoderatis æſtimationibus turbata, anxias tales ideas in corporis directiones conuertit, & ſic reciproco damno corporis perturbationes menti, & mentis iterum corpori laborem faceſſunt.
4. Cauſſæ itaque ſunt:
   1) Vel *materiales*, e. g.
      a) Sanguinis ſpiſſitudo, detentio, & quaſi incluſio circa venam portæ.
      b) Mala diſpoſitio partium nobilium internarum, e. g. conſtitutio ſcirrhoſa, vlceroſa immo actu vlcerata; quales ægri non ſolum ad mœrorem, pauorem, faſtidia, omnis ſpei abiectionem, verum etiam ad iracundiam inclinant.
      c) Fluxus hæmorrhoidalis ſuppreſſus in viris, & menſium perturbationes in feminis, ad cauſſas antecedentes pertinent.
   2) Vel *immateriales*, v. g.



a) Abu-

a) Abuſus ſpeculationum & profundarum impreſſionum.
b) Conſcientiæ labes, contemtus, illuſiones.
c) Fruſtratio ſpei diuturnæ.
d) Terrores, timores, ab infantia iam inducti.

5. Deducuntur vulgo hæ & aliæ mentis læſiones a mala ſpirituum craſi, vnde tumultu quodam agant, turbulentas ideas forment, easque animæ obiiciant; quæ peruerſum inde conceptum *patiatur* potius, quam *agat*: ſed actiones non ſunt tumultuariæ, verum fictioni mentis exacte reſpondent.

6. Sic etiam idea mentis periculoſæ corporis conſtitutioni admodum analoga eſt, e. g. incarcerato ſanguine, de carcere & captura loquuntur; cui rei accedunt ſubſidia illa ſpontanea, quæ rationi omnino conformia ſunt, nempe profunda & anheloſa ſuſpiria, quibus ſanguinis circa venam portæ ſtagnationes inſigniter expediunt; item conamina ad ſui liberationem, deſideria in amplum campum &c.

## VI. *PROGNOSIS.*

1. Melancholia a cauſſis *immaterialibus*, nudis animi imaginationibus, profundis ſpeculationibus &c. dependens, longe obſtinatior eſt, quam quæ cauſſam materialem pro obiecto habet.
2. Hinc melancholia *hypochondriaca* præ aliis meliorem adhuc ſpem facit reſtitutionis, præcipue ſi hæmorrhoides ſuperueniant.
3. Quando autem ſpeculationes tales in habitum deducuntur, difficillimæ ſunt tractationis.

## VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quæ melancholia ab *immaterialibus* cauſſis ortum duxit, indiget medicina mentali potius, quam corporali, nempe
   1) Patientiſſima, placida & amica, conuerſatione.
   2) Abſtinentia a ſtolide dictorum & factorum taxationibus, præcipue importunis, multo magis autem a verberi-

beribus & vinculis, extra tempus inſuperabilis neceſſitatis.

3) Oblatione remediorum idoneorum, quibus timores anxietates talium ægrorum funditus auferri queant, e.g. auxiliorum victus & amictus, ſolatiorum diuinorum &c.

2. Hæc methodus locum etiam habet, quando melancholia prima ſui *rudimenta* a materialibus cauſſis, *augmenta* autem a moralibus ſollicitudinibus, accepit.

3. Quando autem melancholia a *materialibus* causſis originem duxit, hæ legitima ratione remouendæ ſunt.

4. Hinc, in melancholia *hypochondriaca* ſequente methodo incedatur:

1) Primæ viæ per laxantia melanagoga expurgentur.

2) Venæ ſectio in pede ad vnc. IV-VI. inſtituatur.

3) Deinde ad orgaſmum ſanguinis componendum, temperantia nitroſa exhibeantur.

4) Denique, ad tonum partibus reſtituendum, martialia ſelecta propinentur.

5) Præter ea in viris negotium hæmorrhoidum, in feminis autem menſium fluxus, reſpiciatur, & vbique ſufficiens motus ac potus commendetur. *Conf. tabula de malo hypochondriaco-hyſterico.*

## VIII. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Ingens diſcrimen eſt inter turbas motuum, quæ ab ipſo animo per morales cauſſas inducuntur, & contra illas, quæ a veris corporeis impedimentis & periculis animo offeruntur; quæ proinde circumſtantiæ ſolertiſſime diſcernendæ ſunt, ne medendi tentamen præpoſtere inſtituatur.

2. In melancholia, a ſpeculationibus ſimpliciter inducta, dolendum eſt, quod mortales in verorum remediorum adplicatione tam grauiſſime hallucinentur, & ſtultius ſæpe ſe gerant, quam ipſi inſanientes: ſane enim *verbera* & *vincula* ſtultitiam bono fide non ſuperant, ſed ſolam forte malitiam coniunctam.

3. Melancholia *hypochondriaca, grauior* etiam, a *venæ ſectione* plus ſolatii, quam vllis aliis remediis, accipit; immo, quod bene notandum, ſi talis ventilatio non præmiſſa fuerit, reliqua medicatio irrita & vana deprehendetur.

4. In feminis vſum aliquando habet *tinctura alcalina acris*, e. g. antimonii, tartari; modo nitroſa præmittantur.

5. *Nitrum*, in potu etiam exhibitum, ſenſibilem hic efficaciam præſtat.

6. Poſt venæ ſectionem & ſpaſticæ ſtricturæ per nitroſa & cinnabarina mitigationem, locum habent ſanguinem craſſum reſoluentia & motum eius diſtributorium adiuuantia. Laudatur in viris mixtura ſimplex, leniter camphorata.

7. *Specifica* paſſim celebrantur, *anagallis* punicea, vnde germanice Gecken-Heyl dicitur, adianth. album, vitriolum lunæ, puluis *Iulii Palmarii*, & alia, de quibus plura ſequente tabula dicemus.

8. *Vomitoria* melancholicos in maniam frequenter coniiciunt. *Conf. tab. de malo hypochondriaco-hyſterico.*

9. Quo maior eſt ſpiſſitudo ſanguinis in hypochondriaca melancholia, eo facilius commotiones febriles reſolutoriæ accedunt; quo quidem caſu probe notandum eſt, quod primis hebdomadibus *ſchema quaſi acutum phreniticum* exhibeatur, circa tertium autem ſeptenarium talis morbus valde remittat, donec tandem prorſus ſuperetur. Hanc obſeruationem tanto magis commendandam iudico, quia deliria illa, quæ ſub initium ſatis acuta adparent, non raro Medicis imponunt, vt ſtaſin potius in meningibus quam in vena portæ quærant, atque varia peruerſa remedia adhibeant.

## TABVLA CXXIII.
## DE
# MANIA.

1. DEFINITIO.

*Mania* eſt acutisſima ſpecies deliriorum, a perturbatione phantaſiæ & iudicii originem ducens. Deriuatur a μαίνομαι, inſanio.

## II. *DIFFERENTIA.*

1) Deliria ſunt

1) Vel manifeſtius *ſymptomatica*, quæ euidentem alium corporis adfectum ſequuntur.

2) Vel *idiopathica*, quæ nullum corporis euidentem morbum comitantur.

2. Porro deliria ſunt

1) Vel *acuta*, & breuioris periodi, quæ in morbis acutis, e. g. phrenitide &c. obueniunt, & indefinita habent obiecta, v.g. mortem præſagiunt, in lecto peregrino ſe iacere, domi ſuæ ſe non eſſe, conqueruntur,& ad ſua, tamquam meliora, proficiſci velle contendunt. De his tractandis ſub febribus fuſius diximus.

2) Vel *chronica* ſeu *diuturna*, cuius indolis ſunt

a) *Melancholia*, de qua præcedente tabula actum eſt.

b) *Mania*, quam hæc tabula exhibet.

c) Deliria *lunatica*, *canicularia*, & *noctambulatio*, quæ lunæ phaſibus exacerbari ſentitur.

d) *Erotomania* perſonalis.

e) *Furor vterinus.*

f) *Tarantiſmus.*

g) *Chorea* ſancti Viti.

h) *Hydrophobia* inueterata; quorum omnium ſequentibus duabus tabulis mentio fiet.

## III. *SIGNA.*

*Maniæ.*

1. Adſpectus audax cum facie pallida & oculis ſanguine ſuffuſis: qui autem a ſpectrorum phantaſmatibus maniam incurrunt, illi medio adſpectu inter timorem & audacem reſiſtendi conatum ſe habent.

2. Aliis hominibus actu nocendi inuigilant tales inſani,& inſidioſa ſæpius ſimulatione opportunitates quærunt.

3. Im-

3. Immo aliquando alios iugulant; ad quod perpetrandum ſtupendo robore præditi ſunt.
4. Et licet, in *grauiore* etiam malo, febris nulla adſit, tanto tamen maniaci calore pollent, vt frigus enorme non ſentiant, nec vllum inde damnum, e.g. perniones, ſphacelum;
5. A ſenſu enim abſtracti ſunt ad res ſpeculatiuas, vnde etiam verbera & vulnera vix ſentiunt, & ob audaces actus depulſorios partium calorem ſemper conſeruant.
6. Præſentibus rebus ſpeculationibus ſuis ita implicantur, vt futurarum vel extranearum nullam curam habeant, immo aliquando aliorum quaſcumque adlocutiones non audiant.
7. Hilares plurimum & curis vacui obſeruantur: cantionibus & muſica inſtrumentali oblectantur: reges & principes ſe eſſe exiſtimant.
8. Leuiſſimis tamen occaſionibus, nedum increpationibus, iraſcuntur & ad reſiſtendum excitantur.
9. Variis ſub ſomno viſionibus perturbantur.
10. Venerem immoderate & proterue concupiſcunt.
11. Aluum in conſpectu omnium exonerare, illos non pudet.
12. Alii in deſerta loca diſcedunt, vel tamen colloquia cum hominibus fugiunt.
13. Alii longius iter decurrunt, & reuerſi ac de ſcopo huius itineris quæſiti, nihil reſpondent.
14. Alii latrocinium aut vim illatam conqueruntur.
15. In declinatione morbi alii ſunt ſtupidi, quieti & triſtes, & propriam ægritudinem agnoſcunt.
16. Alii ex religione & inſano errore membra ſua dilacerant, de reliquo tamen erga alios modeſte ſe gerunt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Euenit mania ſæpius cholerico-melancholicis, iracundis hominibus.
2. Qui multiplici altercatione & contradictione domeſticorum fortius exacerbantur.
3. Præcipue vero feminæ, poſt longam menſium perturbationem

tionem, & varia animi pathemata, præſertim laſciuas ſpeculationes, hoc malum incurrunt.

V. *CAVSSAE.*

1. *Immateriales.*

1) Mania frequentius a malis animi moribus introducitur, vel etiam fouetur, quam a corporeis proportionatis cauſsis.

2) Præcipuum autem ſibi locum vendicant iracundia, & profundæ, immodeſtæ, ſpeculationes.

3) Ad cauſſas etiam *immateriales* pertinent *incantationes*, item ſpectrorum viſiones.

2. *Materiales.*

1) Suppreſsio vel menſium vel hæmorrhoidum, vel ſpermatis.

2) Vermes malæ indolis, & munimentis fere inſuperabilibus abſconditi. *Conf. cautel. tab. de vermibus.*

3) Ebrioſum vitæ genus.

3) Philtra, & veneficia.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Mania a cauſſis *immaterialibus* dependens, longe obſtinatioris indolis eſt, quam quæ cauſſa materiali fundatur: hinc in caſu incantationis, vel grauiorum animi perturbationum, & præcipue ſpeculationum, res fere conclamata eſt.

2. Ex cauſsis *materialibus* plurimam reſtitutionis ſpem facit ſuppreſſio menſium, hæmorrhoidum, & ſeminis, vnde iam *Hippocrates* ſect. VI. aphor. 21. dicit: inſanientibus, ſi *varices* aut *hæmorrhoides* ſuperuenerint, inſaniæ fit ſolutio.

3. A *philtris* autem exorta mania, præ aliis a cauſſa materiali inductis, pertinaciter ſe gerit.

4. *Maniaci*, quando poſt profundum & diuturnum ſomnum iugiter delirant, difficulter reſtituuntur.

VII. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. *Aluus* purgante aliquo *aperiatur.*

2. Deinde, ad plethoram imminuendam, *venæ ſectio* largior ad X, immo plures vncias inſtituatur.
3. Ad *ſenſum* excitandum vomitoria, eaque fortiora, ſubinde exhibeantur: quo nomine helleborus *albus* ab antiquis iam temporibus famoſus eſt. *Vide cautelas.*
4. Ad *orgaſmum* ſanguinis, in mania iam peccantem, & per vomitoria augmentum accipientem, propinentur nitroſa & præcipitantia.
5. Denique *ſpecifica* in ſubſidium trahantur; quo nomine clarent:
   1) *Anagallis* punicea, cuius ſolius decocto plures maniacos reſtitutos eſſe, fidem facit *Quercetanus.*
   2) Inter ſic dicta ſplenetica aliquid tribuendum eſt herbis capillaribus, præcipue adiantho *albo*, & aliquantum *aureo.*
   3) Præparata ex *argento*, e.g. vitriolum lunæ, tinctura lunæ cœrulea, calx lunæ cum regulo antimonii, leni candefactione & mutua quaſi fixatione præparata; vbi effectus argento magis, quam cupro, in illo contento, tribuendus videtur.
   4) Baccæ herbæ paridis.
   5) Sanguis aſini, retro aures, menſe martio, vti quidam volunt, emiſſus & exſiccatus.
6. Præter ea in feminis negotium menſium, & in viris hæmorrhoides reſpiciantur.
7. In cauſſa recenti ſeminis, ad veneris incitamenta temperanda, plurimum valet vſus nitri copioſus, immo prodigus: quo caſu ſimul externe circa teſticulos, in forma epithematis, cum aceto adplicari poteſt.
8. In mania ex philtris, præparata e *nuce vomica*, e.g. electuarium de ouo, ſpecifice commendantur.
9. *Erotomania perſonalis* & *furor vterinus* eamdem expoſcunt medicationem.

VIII. *CAVTELAE ET OBSERVATIONES PRACTICAE.*

1. Plethora, quia in omnibus maniacis peccat, omnibus etiam *venæ ſectio* eſt neceſſaria: emiſſio autem ſanguinis e ve-

e vena frontis, quam vulgus die Naſe-Ader adpellat, ſi omnino effectum aliquem edidiſſe videatur, rebus *contingentibus* id adnumerandum eſt.

2. Sic etiam ſentiendum de remediis *attractiuis* ad plantas pedum, & *repellentibus* ad verticem.

3. *Camphorata* a recentioribus, præcipue *Ettmüllero*, in deliriis multum commendantur; quod de vſu illius externo, minime autem interno, locum habeat.

4. Laudant præcipue illius vſum ad veneris incitamenta, ſi hoc in morbo peccent, temperanda; quam ſententiam ſuam ſuperſtruere videntur traditioni illi, in *Schola Salernitana* reperiundæ: *Camphora per nares caſtrat odore mares;* quod de exſtinctione ebullitionis ſpermaticæ interpretantur, cum tamen poëta per phraſin, *odore caſtrare*, haud dubie intelligat, olfactus energiæ labefactationem: certe enim neque in ſanis, neque in ægrotis camphora per odorem caſtrat.

5. Ceterum de hoc negotio notabilis eſt locus apud *Nicolaum Blegny* in *Zodiaco Gallico* de virgine cœnobio incluſa e furore vterino tandem maniaca, mortua, quod ſcrutinio anatomico vnicum teſticulum exhibuerit, pugni magnitudinem referentem & numeroſis veſiculis, racemi vuarum inſtar, tumentem.

6. *Opiatorum* vſus, vti in omnibus deliriis non ſolum ſuſpectus eſt, ſed etiam frequenter irritus & malum exaſperans deprehenditur, ita præcipue in mania talem effectum præſtat, vt vehementius inde & non aliter inſaniant, quam ſi inebriamine exagitati ſint; ſoporiferum autem correctum, quod non ſtupefaciendo, ſed re vera placando agat, magis locum habere poſſet.

7. Fatigationes virium per impetuoſas *vomitiones* & *purgationes* multis antiquis & recentioribus placent, ſed hæc *generalia* tentamina tam incerti ſunt euentus, vt tam facile, vbi *promiſcue* exhibentur, in deterius, quam melius deducant furioſos.

8. Quid de *helleboro albo* in deliriis antiqui ſibi promiſerint,

prouerbium: *helleboro* indiget, ſatis illuſtrat; ſed cum ille maximam partem fortibus euacuationibus effectum ſuum edat, magna circumſpectione adhibendus eſt: in deliriis ſane hypochondriacis fortiores tales commotiones certisſime nocent.

9. *D.D. Stahl.* de empirico quodam refert, quod per herbas aliquot cephalico-neruinas & carminatiuas, v.g. verbenam, ſaluiam, betonicam, plantaginem, cum adiantho albo, in variis mente captis operæ pretium fecerit. Sunt hæ herbæ e cenſu illarum, quæ famoſum illum puluerem *Iulii Palmarii* contra morſum canis rabidi ingrediuntur.

10. Denique quod de *vinculis*, *verberibus*, & aliis, magis quam ſtultis, ſtultorum remediis diximus, ſano ſenſu in ipſa mania poteſt adplicari: leuiter enim delirantes celeriter maniam grauiorem incurrunt, quando ante tempus inſuperabilis necesſitatis vinculis ligantur: ſenſibilis enim talium ſubiectorum animus, ſi parum ad ſeſe redeat, memor eorum, quæ peracta ſunt, perpetua inquietudine detinetur.

11. *Sanguis aſini*, linteis imbibitus, exſiccatus & fruſtulum eius potui iniectum, a multis ad maniam ſedandam commendatur: fides ſit penes experientiam, quam etiam fruſtraneam fuiſſe certum eſt.

## TABVLA CXXIV.

## DE HYDROPHOBIA.

I. D*EFINITIO.*

*Hydrophobia* eſt ſpecies deliriorum liquidorum & ſplendidorum auerſionem, ſub febre ſæpe acutisſima, inferens: a morſu canis rabidi, vel alio eidem analogo contagio inducta. Deriuatur ab ὕδωρ, aqua & φοβέω, timeo.

II. *DIF-*

II. *DIFFERENTIA.*

1. Hydrophobia, quando a cane rabido inducitur, *rabies canina* vocatur.
2. Quando autem a lupi rabidi morſu prouenit, *lycanthropia* dicitur.
3. Hinc *rabies canina*, *lycanthropia*, &, quæ vtrorumque horum malorum *comes* eſt, exquiſita *hydrophobia* proprie non differunt, ſed vnius morbi ſchema exhibent, excepto, quod hydrophobia non ſtatim ſub initium, ſed poſt nonum ordinarie diem, ſuperueniat.
4. His adfectibus analoga quodam modo ſunt *tarantiſmus*, quem *tarantulæ* ictus infert, & *chorea ſancti Viti*.
5. Lycanthropia diuiditur alias in *phyſicam & theologicam*, vbi lupus a diabolo obſeſſus dicitur.

III. *SIGNA.*

1. Poſt morſum a cane, vel lupo, æger timidi & abiecti animi deprehenditur.
2. Febris accedit acutisſima, quæ ſumma anxietate, profundis ſuſpiriis, & exquiſitisſimis doloribus coniuncta eſt.
3. Nono demum die rabies impetum exhibet.
4. Hæc quando præualuit, reſpuit miſer, & mordendo auertit, omnia liquida: vnde ſub febre acuta ineffabili ſiti adfligitur.
5. Facillime accedunt conuulſiones.
6. Poſt mortem ſcrutinio anatomico inflammationes viſcerum, præcipue pulmonum, detectæ ſunt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Rariſſimus hic morbus occupat vix non omnes, qui a tali rabido animali morſi ſunt.
2. Et quoniam morbus *contagioſus* eſt, per morſum ab homine rabido etiam cum aliis hominibus communicatur.

V. *CAVSSÆ.*

1. Vti theoria phyſica, & multo magis medica, de venenis ſatis intricata eſt, ita etiam de venenis animalium nulla ſuppetit ratio, cur ita cito, intime, & citra proportionatam violentiam, œconomiam vitalem deſtruant.



2. Hinc,

2. Hinc, quoniam neque natura, neque ars *methodice*, conſulere valet, ſed vnice artis *empiria,* venena theoriæ medicæ non ſunt obiectum.

3. Sufficit itaque de his & aliis venenis ſcire, quod præſentisſimam & penetrantiſſimam, ſumme noxiam, efficaciam poſſideant, &, niſi feſtinatum feratur auxilium, mortem ſucceſſu plurimum ſatis veloci inferant.

4. Ad hanc energiam fermentalem morſuum venenatorum concurrit anxia & lipothymica naturæ trepidatio, vnde actus vitales obnubilantur, omittuntur, vt ſphacelus ſuperueniat. Quæ cauſſa *moralis* non infimum obtinet locum, immo materialem efficaciam ſuperat.

VI. *PROGNOSIS.*

1. Hic atrox morbus, vbi ad exquiſitam rabiem præualuit, vix vllam ſpem euadendi relinquit.

2. Præcipue quando hydrophobia, omnem medicamentorum ingeſtionem reſpuens iam ſucceſſit. *Conf. D. D. Stahlii theoria medica pag. 1285. ſeq.*

VII. *REMEDIA.*

1. Nulla hic ſuppetit methodus, ſed, quæ Dei clementia eſt, remedia ſpecifica.

2. Abſtruſum ſane & admiratione dignum, quod omnium præſentiſſimum & velut infallibile remedium ſit, *hepar*, *cor*, vel *cerebrum*, non ſolum de illo ipſo animali, quod momordit, ſed etiam de aliquo eiusdem ſpeciei, immo lupi, canibus anxie exagitati, & tandem trucidati; cuius hepar ad morſum canis rabidi, præſente iam delirio, efficax obſeruatum eſt.

3. Externe *pila* illius animalis, quod momordit, vulneri illigata, efficacia ſunt; modo tempeſtiue adhibeantur.

4. Sic etiam repentina & diuturna membri vulnerati in aquam demerſio effectum præſtat; vbi alii, non ſine ratione, aquam *marinam* laudant, cui non vbique præſenti *ſalſa* ſubſtituenda, eſt.

5. *Limatura orichalci* tenuis, ad drachm. I. exhibita, pluribus vicibus ſalutarem efficaciam præſtitit.

6. *Weick-*

6. *Weickhardus* in theſauro ſuo pharmaceutico maximopere commendat *ſcarabæos* illos maiales, in melle ſuffocatos, & horum circiter tres tempore neceſſitatis contuſos; exhibendo quidquid inde ſucculenti exprimi poteſt: adſeuerat quod hoc experimentum numquam fefellerit.
7. Si commodiora ad manus non ſint, *electuarium* de *ouo* cum *nuce vomica* exhibeatur.
8. Vel *amygdalæ amaræ*, quæ, quoniam animalia talia alias enecant, impreſſam ab illis ideam venenatam etiam exſtinguere creduntur.
9. *Cancri combuſti*, & vulneri inſperſi, a *Galeno* iam pro morſu canis rabidi laudantur, & hodierni practici, ſpeciatim *Michaëlis* ad *Ionſtonum*, adſerunt, quod *noſtrates* æque ac *marini* efficaces ſint, ſpiritum etiam ex illis deſtillatum extollunt.
10. *Iulius Palmarius* libro de morbo contagioſo pro certiſſimo ad hunc adfectum experimento ſequentem puluerem commendat:

Recip. rutæ,<br>
ſaluiæ,<br>
verbenæ,<br>
betonicæ,<br>
meliſſæ,<br>
plantaginis acut.<br>
hyperici,<br>
centaur. min.<br>
abſinth.<br>
artemiſ.<br>
polypod. ana. Doſis drachm. I. ſingulis diebus ſemel aut bis ſumenda, & decocto illius vulnus ſimul eluendum.

11. Radicem *gentianæ veræ* ſeu *rubræ* pari vſu & doſi commendat, vti & radicem *pimpinellæ albæ*.
12. Itali ad pleraque venena radicem *valerianæ* laudant.
13. *Chirurgica* præſidia ſunt:

1) Sca-

1) Scarificatio profunda.
2) Exſuctio per cucurbitulam.
3) Efficacior eſt vſtio per ferrum candefactum, lata & tolerabiliter profunda.
4) Præter ea ſola vulneris exterſio ſufficit, neque conſolidatio prius, quam vulnere funditus repurgato, locum habet.

14. Specialiſſimæ obſeruationis eſt *Simonis Pauli de baculo corni* arboris adſertio, quod ſcilicet, in manibus ad incaleſcentiam detentus, rabiem poſt multos annos in illis reſuſcitet, qui antea eodem morbo curati fuerint. *Conf. ipſe Auctor & D. D. Stahlii diſſertatio de metaſchematiſmis morborum p. 42.*

# TABVLA CXXV.
## DE
# TARANTISMO.

I. DEFINITIO.

*Tarantiſmus* eſt morbus maxime ſonticus, ab ictu *tarantulæ* venenoſo inductus, & cum grauibus ſymptomatibus, maxime autem cum inſigni phantaſiæ deprauatione coniunctus.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Quem ad modum diuerſæ ſpecies vulgo numerantur tarantularum, quarum altera alteram *gradu* virulentiæ ſuperat, ita & morbus, ab ictu horum animalculorum inflictus, modo mitior, modo ſæuior deprehenditur.
2. Præ aliis autem, teſte *Bagliuio*, illæ tarantulæ maxime nociuæ ſunt, quæ in regione *Apuliæ* apud *Tarentum*, a qua ciuitate nomen habent, reperiuntur. Ex contrario *Kempferus in obſeruationibus ſuis exoticis* refert, *Perſiæ* tarantulas aliasque talem tragœdiam ictu ſuo non excitare.

III. *SI-*

III. *SIGNA.*

1. Mox poſt tarantulæ ictum, qui cum punctura apium ratione ſenſus primum conuenire dicitur, obſeruant in vulnerato periculoſas corporis & animi perturbationes.
2. In corpore obſeruatur inſignis virium iactura, dolor in parte adfecta, cum circulo modo flauo modo nigricante. Succedit intumeſcentia, ſtupor & ſenſus in illa parte abolitio.
3. Animus eſt anxius, ſuſpirioſus, triſtis, homines fugiens & ſolitaria loca quærens, in nonnullis deſperabundus.
4. Præcipue delira mentis perturbatio accedit, ita vt alii quidem vlulent, veſtimenta dilacerent, in cœno ſe volutent, vel quæcumque indecora ſuſcipiant; alii autem mortuorum inſtar immobiles iaceant.
5. Alii his, alii aliis coloribus delectantur, nigrum autem colorem altis ſuſpiriis omnes abhorrent.
6. Inſtrumentis muſicis modo his modo aliis mirum in modum adficiuntur, atque ad ſaltationes tam ſtrenue excitantur, vt largum ſudorem experiantur.
7. Sonis autem *diſſonantibus*, ex vitio muſicorum intercurrentibus, ſummis anxietatibus cardialgicis tam diu reſpondent, donec *conſoni* ſonitus iterum audiantur.
8. Non quibusuis autem anni temporibus harum tarantularum ictus adeo noxius eſſe ſolet, ſed diebus tantum æſtiuis, canicularibus; quo quidem tempore meſſoribus & viatoribus ita eſt infenſus, vt pedes ſuos ocreis munire cogantur.

IV. *CAVSSAE.*

1. Cauſſa *materialis* eſt ſubtile & potens venenum, quod per ictum tarantularum cum corpore communicatur.
2. Cauſſa *efficiens* eſt perterrita natura, quæ inops conſilii in talem angorem coniicitur & ita confunditur, vt & morales & vitales actiones confuſe inſtituat. *Conf. tab. de febribus malignis in genere.*
3. Ceterum admirandum magis eſt, quam explicandam, quod eius modi ægri vehementer ſaltent ad illum tonum, qui tarantulæ gratus eſſe dicitur.

V. *PROGNOSIS.*

1. Quo venenoſior eſt tarantula, quæ ictum inflixit, eo periculoſior eſt adfectus.
2. Venenum quando cum humoribus iam eſt communicatum, nihil iuuant neque antidota neque muſica, ſed paucis plerumque diebus ægri moriuntur. *Conf. Baglivius.*
3. Immo licet periculum ſuperatum ſit, ſubtile tamen ſeminium in maſſa ſanguinea ſæpius remanet, quod ſingulis annis, præcipue circa annuum a tempore ictus recurſum recidiuam & perniciem minatnr.
4. Præ aliis autem ſubiecta plethorica in grauius periculum coniiciuntur, ob febres acutas & motus ſpaſtico conuulſiuos.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. In tempore venire, & ante quidem, quam virus cum maſſa humorum communicatur, primarium felicis medelæ eſt momentum.
2. Hinc locus adfectus, quando abſterſus eſt, mox ſcarificetur & cucurbitula imponatur, vel vſtio profunda inſtituatur, & theriacalia adplicentur.
3. Alexipharmaca cum analepticis temperatis interne propinentur.
4. Præcipue autem talis muſicæ ſonus inſtruatur, quo tarantulam delectari obſeruatum eſt. Non quibusuis enim inſtrumentis & concentibus tarantatos adfici, notiſſimum eſt. Vnde tam diu muſica varianda eſt, donec ad choreas excitentur. Conferatur *Valentini muſeum*, in quo eius modi concentus exhibetur, qui præ aliis tarantulis gratus obſeruatur.
5. Quando ægroti poſt vehementes ſaltationes largum ſudorem experiuntur, & fatigati paullulum requieſcunt, ſudor abſtergendus & potus largior atque tenuis porrigendus eſt, donec ſaltationes ſponte ſua repetant.
6. Hoc ſaltationis exercitium, interpoſita requie, ad quatuor vel plures dies tarantati ſæpe continuant, & tum a periculo ſolent liberari.

7. Qnan-

7. Quando hic morbus poſt annuum interuallum vel quocumque alio tempore recurrere videtur, eamdem muſicam commendant.
8. In plethoricis venæ ſectio, mox poſt ictum inſtituenda, non improbatur.

## TABVLA CXXVI.

DE

# NOCTAMBVLATIONE.

I. D*EFINITIO.*

Noctambulatio eſt ſpecies læſionis phantaſiæ, nocturno tempore ſeſe manifeſtans, & inſolitas plane circumſtantias inuoluens.

II. *DIFFERENTIA.*

Noctambulatio differt *gradu*:

1. Qui *leuiter* tantum illa adficiuntur, loca periculoſa nocturno tempore non adeunt, ſed repetunt quaſi actiones ſuas, quas ratione officii ſui per diem perpetrant, e. g. diſcipuli de lecto nudi ſurgunt, & exercitia elaborant: ancillæ domum ſcopis purgant &c.
2. Qui vero *maiore* gradu hoc morbo corripiuntur, per loca quæuis alta, etiam periculoſiſſima, obambulant. Dicuntur etiam *lunatici*, quia proxyſmi illorum ſecundum phaſes lunæ recurrunt.

III. *CAVSSAE.*

1. Pro cauſſa *materiali* plethora præcipue accuſanda venit.
2. *Immaterialis* cauſſa eſt phantaſia, in quibusdam ſubiectis inſigniter actuoſa.

IV. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Præmittatur primarum viarum blanda expurgatio.
2. Deinde venæ ſectio in pede inſtituatur, &, pro re nata, ſcarificationes in vſum veniant.

3. Subiungantur nitroſa & cinnabarina.
4. Lunæ phaſes & æquinoctia vbique reſpiciantur.
5. *Externa* ſimul in ſubſidium trahantur nempe
   1) Caſtigationes cum virgis, tali nempe tempore, quo obambulant, inſtituendæ.
   2) Adpoſitio vaſis alicuius, aqua repleti, iuxta lectum ægri, vt ſurgens in illud delabatur, & ita euigilet.

# TABVLA CXXVII.
## DE
# NOSTALGIA.

I. DEFINITIO.

Noſtalgia eſt immoderatum & anxium deſiderium in patriam redeundi, a vitio imaginationis exortum, & cum variis ſymptomatibus complicatum. Deriuatur a νόςος, reditus & ἄλγος, mœror, german. das Heimern, Heim-Weh.

II. *DIFFERENTIA.*

Noſtalgia eſt
1. Vel *idiopathica*, quæ in ſolius animi vitio imaginario reſidet.
2. Vel *ſymptomatica*, quæ cum corporeis morbis complicata eſt.

III. *SIGNA.*

1. Adeſt triſtitia inquieta & tædium præſentis vitæ conditionis.
2. De patriæ moribus & viuendi ratione multum ſpeculantur, atque illius prærogatiuam quauis occaſione extollunt.
3. Quo minor ſpes eſt, fore, vt eius modi ægri vota ſua attingere poſſint, eo certius animi mœrores in vera deliria transmigrant.

4. Mo-

4. Motus vitales ſunt turbati, adeſt defectus adpetitus, vitium digeſtionis, agrypnia, pulſus inordinatus, excretiones naturales ſupprimuntur, & motus febriles facile accedunt.

IV. *SVBIECTA.*

1. Hic morbus, cuius recentiora tantum ſecula mentionem faciunt, certis populis præ aliis familiaris obſeruatur, e.g. Heluetis, Germanis.
2. Præcipue illis, qui temperamenti ſunt ſenſibilis, molliter domi educati, & prima vice in exteras regiones iter fecerunt.
3. Maxime omnium euenit, quando eius modi delicatuli & ſenſibiles mox poſt exitum e patria varias calamitates & aduerſas vitæ conditiones perferre coguntur, inter quas principem fere locum ſibi vendicant morboſæ corporis adflictiones.

V. *CAVSSAE.*

1. Primaria huius morbi cauſſa in ipſo animo quærenda eſt, nempe in vitio imaginationis; id quod euentus ſæpius confirmat. Multi enim conualeſcunt ſimul atque itineris in patriam inſtituendi vel ſolum apparatum vident, licet pharmaceutica remedia non adhibita ſint.
2. Negandum autem non eſt, quod in quibusdam ſubiectis materiales morbidæ cauſſæ conſpirent, e.g. plethora, vitium primarum regionum, febres.

VI *PROGNOSIS.*

1. Noſtalgia *idiopathica* minoris periculi cenſetur, quam *ſymptomatica.*
2. Quando autem nulla ſpes adfulget fore, vt deſiderio ſatis poſſit fieri non raro lethalem fieri, adfectum, experientia docet. Teſtatus eſt chiliarcha quidam Illuſtriſſimus, ſe noſtalgiam militum ſuorum Germanorum in obſidione Negroponti multo periculoſiorem, quam ipſas febres Hungaricas, obſeruaſſe.
3. *Symptomatica* quæ febre quadam acuta maligna complicata eſt, omnium periculoſiſſima obſeruatur. Animi

enim trepidatio & fluctuatio vti potior cauſſa eſt infelicis febrium malignarum euentus, ita per anxios mœrores, in noſtalgia præſentes, multum illa augetur.

VII *METHODVS MEDENDI CVM CAVTELIS.*

1. Noſtalgia *idiopathica* reditu in patriam certiſſime quidem curatur, quando autem hic non habet locum, *animi* cura habenda eſt.
2. In hunc finem vulgo quidem commendant iucundas cum aliis conuerſationes, aëris mutationes, vini generoſi, animum refocillantis, vſum, & quæcumque alia; hæc autem animi cura neque ſufficiens neque conueniens eſt.
3. Plus valet, ſi eius modi ægris *fides Abrahami* inculcetur, vt diſcant, ipſam patriam eſſe locum peregrinum, nos advenas in terra, aliamque quærendam ciuitatem. Hac enim contemplatione facilius mouemur, vt & patriæ & populi & cognationis noſtræ ſponte obliuiſcamur.
4. In noſtalgia *ſymptomatica*, præter hanc animi curam, plethora & ſpiſſitudo ſanguinis ſunt reſpicienda.
5. Si febrilis vel alius morbus coniunctus eſt, ille conueniente ratione debet tractari.
6. Euitanda ſunt violenta euacuantia, volatilia & quæ alia calida ſpiritibus excitandis vulgo deſtinantur.

## TABVLA CXXVIII.

### DE

# PHILTRIS.

I. D*EFINITIO.*

Philtra ſunt remedia ſpecialiſſimæ efficaciæ, quibuscum nefarii homines alterius amorem in quemcumque alium excitare intendunt, eoque ipſo calamitoſa ſymptomata in corpore & animo introducunt. Deriuatur a φιλέω, amo,

amo, german. ein Liebes-Tranck, olim enim in forma potus grati nefanda hæc remedia offerebantur, hodie autem talia augmenta hæc cepit malitia, vt in variis formulis philtra poſſint exhiberi.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Hic amor coactus obſeruatur
   1) modo inter hominem & hominem.
   2) modo inter hominem & brutum.
   3) modo inter amicos, modo inimicos.
   4) modo inter ſexum æqualem, modo inæqualem.
2. Remedia, quæ pernicioſum hunc effectum exſerunt, ſunt
   1) vel *naturalia*, ad quæ & *magnetica* referuntur, videlicet quando diuerſa ſemina ſanguine, ſudore, &c. imbuta, terræ mandantur atque herbæ, quæ ex illis procreſcunt, in talem vſum adhibentur.
   2) *Superſtitioſa & magica*, e. g. per verba, characteres, imprecationes, item per amuleta, clauos, acus, annulos, &c.
   3) Non eſt autem animus noſter peſſima hæc remedia ex aliis auctoribus huc transſcribere (optandum enim eſſet, vt nullo loco legerentur) ſed propoſitum nobis eſt, remedia calamitoſis philtris *opponenda* commendare.

III. *SIGNA.*

1. Conuerſatio prægreſſa cum ſubiecto quodam ſuſpecto.
2. Inſequens rapidus & anxius amor cum mentis perturbatione.
3. Inquietudo, ſomni defectus, impudicæ actiones.
4. Grauisſimæ cardialgiæ & conatus vomendi mox poſt philtrum oblatum, immo vomitus atroces.
5. Aſthmata ſuffocatiua, vertigines, tremores, lipothymiæ, paralyſes.
6. Vel ex contrario motus ſpaſtico-conuulſiui & veræ conuulſiones.
7. Interdum ataxiæ febriles vel hæmorrhagiæ conſpirant.
8. Denique mentis confuſiones pro ſubiectorum & philtrorum

rum diuerſitate confirmantur vel in maniam, vel melancholiam, vel erotomaniam vel moroſin, ſeu ſtupidam & obliuioſam fatuitatem.

9. Donec tandem tabida conſectaria hanc ſcenam claudant.

IV. *CAVSSAE.*

1. *Materialis* philtrorum indoles a priori ſatis intricata eſt,& ad qualitates vere occultas referri meretur, a poſteriori autem ſeu ab effectu concludimus, quod illa remedia ſenſui vitali interno quam maxime ſint aduerſa,dum vel orgaſticas ſeu inteſtinas humorum commotiones vel inſignes illorum ſpiſſitudines inferunt.

2. Vnde natura, tamquam cauſſa *efficiens* in anxiam confuſionem coniicitur, atque ad varias anomalias in actionibus tam moralibus quam vitalibus excitatur.

3. Pro diuerſa autem philtrorum conditione, humores vel grauiter commouentur, atque hoc reſpectu maniaci adfectus producuntur,vel minimum inſpiſſantur,& ſic melancholica pathemata atque totius temperamenti inverſio ſequuntur.

V. *PROGNOSIS.*

1. Philtra moderatum amorem, licet hic intendatur,raro attingunt, ſed & animum & corpus miſere turbant.

2. Deliria ſi vel furibunda vel ſtupida ægrum iam occuparunt, vix locus eſt medicationi.

3. Immo licet philtra tempeſtiue excutiantur, languores tamen & animi & corporis facile relinquuntur.

4. Deliria, quæ iam ceſſant & per interualla redeunt,optimæ non ſunt prognoſeos.

5. Quo citius philtrorum oblationem hecticus ſtatus ſuccedit, eo periculoſius eſt malum.

6. Conuulſiones, ex hoc malo pullulantes, difficillime eradicantur.

7. Hæmorrhagiæ immodicæ, licet bona intentione a natura ſuſcipiantur, æque tamen ac in febribus malignis ſunt ſuſpectæ, atque hinc prudente ratione compeſcendæ.

8. Matrimonium quando cum illa perſona, in quam animus anxie

anxie fertur, contrahitur, confuſiones quidem mentis quodam modo corrigi ſolent, eſt autem luſus quouis intuitu valde anceps.

## VI *METHODVS ET REMEDIA CVM CAVTELIS.*

A. *Philtrorum naturalium.*

1. Primis diebus, quibus cardialgiæ & vomendi conamina adhuc ſentiuntur, mox emeticum, vel ex ſale vitrioli ad ſcrup. I. vel rad. aſari, vel tartaro emetico exhibeatur.
2. Deinde ſtomachica propinentur e. g. eſſent. gent. rubr. cort. aurant. cinnamom. meliſſ. caſcarill.
3. Poſt duodecim horas ſubiungatur catharticum ex rad. ialappæ, ellebori nigri & colocynthide.
4. Hoc peracto nitroſa & abſorbentia propinentur, vt motus ſpaſticus diaphragmatis & abdominis temperetur.
5. Sordes bilioſæ, quæ inter ea confluxerunt, per rhabarbarum abſtergantur.
6. Poſt euacuantium vſum reliquus torminoſus motus mitigetur, atque in hunc finem eſſentia quædam carminatiua, v.g. ex helenio, caryophyll. pimp. alb. cort. aurant. cent. minor. galanga ter per diem porrigatur.
7. In ſubiectis plethoricis, præcipue adſuetis, larga venæ ſectio in brachio inſtituatur, tanto magis, quando vaſa capillaria turgent, & animus iam eſt turbatus.
8. Ad reuellendas a capite congeſtiones pediluuia, frictiones & rubefacientia ex fimo columbino, radice pyrethri, cepis, ſem. ſinap. aceto &c. plantis pedum adplicentur, & catharſis ſubinde repetatur.
9. Natura trepidans reficiatur per alexipharmaca & diuretica temperata, quæ ſimul materiam orgaſticam fermenteſcentem ex philtro forte relictam, per diapnoën & diureſin eliminant; coniunctis analepticis ex cinnam. aquis fragrantibus & ipſo vino generoſo modice ſumto. Theriacalia autem & alia calida excludantur.
10. Specifica dubiæ ſunt efficaciæ. A multis celebratur puluis vel ſpiritus ſecundinarum, & tum quidem, ſi philtrum in ſanguine menſtruo conſiſtat.
11. Ceterum medicina mentis quouis modo reſpiciatur per

preces & colloquia ſeria; turpia autem obiecta & profani ſermones euitentur.

12. Strenui labores vel itinera longa imponantur.

B. *Philtrorum magicorum.*

1. Hic efficaciſſima ſunt præſidia ſpiritualia, non ex magia, ſed ex armamentario fidei chriſtianæ petenda.
2. Quid valeant remedia illa naturalia, quæ *antimagica* vulgo audiunt, experientiæ relinquitur. Periti viri laudant herb. hyperic. artemis. puleg. antirrhin. adianth. aur. anagallid. purpur. cichor. flor. alb. quæ omnia in ſubſtantia interne ſumenda & externe in forma ſuffitus adhibenda ſunt. *Confer. Mercklini ſylloge caſuum, incantationi* adſcribi ſolitorum.
3. Speciatim ſuadent, vt cum fruſtulo veſtis illius hominis, ex quo faſcinatio præſumitur, prunis iniecto æger perfumetur.
4. *Oleum ex arillis ſambuci* virtutem ſpecifice emeticam hic habere dicunt. Sed vti hoc adſertum experientia nondum confirmatum, ita ſpecifica emeſis hoc loco non neceſſaria eſt.
5. *Philtra magica* nos eo perducunt, vt *morborum*, per *faſcinum* ſeu *incantationem* inductorum, mentionem hic loci faciamus. Non eſt autem animus, hanc rem intricatam, & multis tam credulitatibus quam erroribus inuolutam, perueſtigare, quoniam ad ſcopum noſtrum medicum nihil vtilitatis adferunt.
6. Hinc paucis dicimus, quod in praxi medica frequentiſſime quidem faſcinum ſoleat accuſari, præcipue in infantibus, quando dicunt: das Kind iſt beruffen, über eine böſe Stelle gebracht &c. rariſſime autem veritati id reſpondeat.
7. Eo ipſo autem, dum vulgatæ huic accuſationi aures patulas non præbemus, cauendum eſt, ne ex vno in alterum extremum rapiamur. Quid quid enim hodie contra exiſtentiam horum morborum dicatur, res ipſa tamen nonnumquam loquitur, *quod dentur morbi ex incantatione.*

8. Ha-

8. Habemus ſane huius adſerti talia ſpecimina, quæ non, niſi omnia nos fallant, fallere poſſunt.

9. Quod autem ad ſigna illa attinet diagnoſtica, quibus incantationem vulgo confirmare audent, videlicet inſolitas illas res, quæ per vomitum, aluum, vrinam, abſceſſus &c. non numquam excernuntur, vti ſunt animalcula miræ figuræ, acus, plumæ, claui, globuli, dentes & plura alia, neceſſe eſt, vt neque hæc ſine circumſpecto examine credantur.

10. Quam parum autem valeat artis medicæ præſidium in morbis per faſcinum inductis, & ratio a priori facile prædicit, & experientia virorum fide dignorum a poſteriori confirmat.

11. Commendant in caſibus vere ſuſpectis illa remedia, quæ philtris magicis ſuperius oppoſuimus.

## TABVLA CXXIX.

### DE

# EBRIETATE.

I. DIFFERENTIA.

1. Dolendum quidem eſt, quod, dum inter chriſtianos viuimus, de ebrietate ſermo faciendus ſit, quoniam autem hoc flagitium toto die committitur, atque triſtia ſanitatis detrimenta hinc emergunt, Medicorum officium eſt, vt his noxis pro viribus occurrere diſcant.

2. Tanto minus autem hoc artis auxilium denegandum eſt iis, qui non ex abuſu ſpirituoſorum, cereuiſiæ & vini, ſed a vaporibus fermenteſcentibus in cellis vinariis, cereuiſiariis &c. ebrietatem incurrunt.

II. SIGNA.

1. Occurrit reſpiratio celerior, vox ſemirauca, balbuties linguæ, titubatio membrorum, inprimis pedum, ſtupor

& obſcuritas oculorum, motus vertiginoſi, rubor faciei, præcipue in ſanguineis, in non nullis autem, qui ad vomitum inclinant, pallor obſeruatur.

2. Qui a copioſa ſpiritus vini ingurgitatione ebrii redduntur, illi maiora ſymptomata plerumque incurrunt:

1) Alii enim repente corruunt, viribus ocyus priuantur, deficiunt animo, incidunt in ſyncopen, pulſus eſt ad modum debilis & irregularis, cor palpitat, membra tremunt.

2) Alii vertigine caduca, alii apoplexia, alii conuulſionibus corripiuntur.

3) Alii ſoporoſis adfectibus, alii vehementibus vomitibus & diarrhœis, alii inflammatione ventriculi eryſipelacea, alii febre acuta & grauibus deliriis infeſtantur.

4) Quam diu mentis adhuc compotes ſunt, ſummus ardor ventriculi perſentiſcitur; in non nullis flammula cœrulea ex faucibns cum periculo ſuffocationis erumpit, & loquela, immo mens ipſa, intercipitur.

5) Adeſt reſpiratio anxia & anheloſa, metus ſuffocationis & ſtatus quaſi agonizans.

III. *CAVSSÆ.*

1. Cauſſæ *materiales* ſunt particulæ ſulphureæ & pingues, quæ orgaſmum ſanguinis excitant, organa nimis opplent & diſtendunt.

2. Vnde ipſa anima confunditur, vt actiones tam vitales quam morales ſiniſtre & peruerſe inſtituat.

3. Et ſic ſenſuum & ſpirituum obnubilationes, quas vulgo accuſant, prætermittimus.

IV. *PROGNOSIS.*

1. Quæ damna & pericula ebrietatem preſſo pede ſequantur, ſub *ſignis* indicauimus. Quæ vero lentis ſucceſſibus inuitantur, non minimæ ſunt conſiderationis.

2. Variæ enim læſiones in actionibus animalibus, vitalibus & naturalibus inducuntur, e.g.

1) Stupor, iudicii & ingenii tarditas, obliuio, torpor & auerſio rerum ſeriarum.

2) Ad-

2) Adpetitus proſtratio, nauſea, abſtinentia a cibis ſolidis, ſomnolentia, languor virium, inertia ſenſuum externorum, caligo oculorum, vertigo, pigritia.

3) Cachexia, œdemata, hydrops, icterus, quartana, ſcabies, gutta roſacea, tuſſis vel pectoralis vel præcipue hypochondriaca, viſcerum indurationes, ſcirrhi, hectica, ſpaſmi, vitia vrinæ, alui, vertigo, cordis palpitatio, temperamenti mutatio.

V. *METHODVS ET REMEDIA.*

1. Ebrius mox in lectum reponatur, vt ſulphureæ & agiles partes moderata tranſpiratione exhalent; frigus autem quouis modo arceatur, quia per hoc ebrietas augetur. In alterutrum autem latus ponendus eſt ebrius, ne pondus primarum viarum repletarum nobilibus vaſis ſanguineis incumbat.

2. *Vomitus* cieatur, non ipſis quidem emeticis, ſed vel digito, vel pluma oleo illita & faucibus immiſſa, vel cereuiſia tepida cum butyro remixta, coniunctis aluum externe mouentibus, e.g. clyſteribus, ſuppoſitoriis.

3. Regimen diaphoreticum placide promoueatur per decocta calida, coffée, thée &c. cauendo a calidis diaphoreticis.

4. Vomitui ſubiungantur pulueres nitroſi & abſorbentes, ad commotiones ſanguinis moderandas & particulas agiles obtundendas.

5. *Flammula* quando poſt copioſam ſpiritus vini ingurgitationem ex faucibus erumpit, ſequente methodo vti conſultum eſt:

1) Situs corporis ſit ſupinus.

2) Ad flammulam exſtinguendam porrigantur decocta mucilaginoſa tepida ex cremore hordei, auenæ, decoctum C.C. citratum, paſſulatum, item lac pingue.

3) Deinde ardor *internus* leniatur abſorbentibus cum lacte mixtis, nitro cum coralliis, emulſionibus ex amygdal. dulcibus; *externe* autem combuſtio leniatur & ſanetur oleo lil. alb. amygdal. dulc. ouorum, raparum.

6. Ad *reliquias* crapulæ tollendas ſuadent
 1) Altero mane iuſculum vinoſum leuiter aromatiſatum, cum amaris roborantibus, e.g. vino abſinthiaco. Conueniunt etiam oua ſorbilia cum nuce moſchata & cinnamomo. Hac ratione tonus ventriculi debilitatus reſtituitur.
 2) Ad dolores *capitis* ſedandos conducunt interne nitroſa cum abſorbentibus citratis & pauca cinnabaris portione; externe autem camphorata laudantur, item epithemata ex nucl. perſic. aq. verben. flor. til. ſamb. nymph. plantag. adſperſ. ſpirit. vin. camph. leniter crocato. Antiqui ſale pedes fricabant, vnde *ſale perunctus* vocabatur, qui crapulam edormiuerat.

VI. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Laudanda quidem, ſed non ſemper efficacia ſunt conamina illa, quibus horrorem a nimio potu potatoribus conciliare intendunt. Commendantur paſſim in hunc finem rana viridis, anguilla vino ſuffocata, lacerta, oua noctuæ & plura alia.
2. Suadent etiam, vt potator in dies conſuetæ menſuræ nonnihil detrahat, & purgationes frequentes ex phlegmagogis & cholagogis coniungat.
3. Præter ea ad ebrietatem cauendam varia diuretica laudant, præcipue nitroſa & ſalia volatilia vrinoſa.
4. Sed vti hæc omnia fontem mali non attingunt, ita turpe eſt chriſtianis, manca talia remedia genuinis & ſobriis ſubſtituere.
5. *Spiritus vini* ventriculum roborare falſo dicitur, inimicus potius eſt partibus neruoſis. Iuuat autem fermentatiuam reſolutionem (e.g. cochlear ſpiritus vini quando in maſſam panariam funditur, hanc eximie fermenteſcentem & fluidam reddit) & hac ratione dyſpeptorum adſumtorum concoctionem promouet.

TAB.

# TABVLA CXXX.
## DE
# VENENIS.

I. **D***EFINITIO.*

Venenum, medico ſenſu ſumtum, eſt materiatum ſumme noxium & penetrantiſſimum, quod œconomiam vitalem, citra proportionatam violentiam in ſenſus incurrentem, cito, grauiter & intime peruertit, ac niſi maturum auxilium adferatur, ſucceſſu præcipiti mortem introducit.

II. *DIFFERENTIA.*

1. Venena ſunt
   1) vel *vegetabilia.* e.g. aconitum, cicuta, napellus, &c.
   2) vel *mineralia* v.g. arſenicum, mercurius ſublimatus, cobaltum, aqua fortis &c. Huc pertinent vapores minerales venenoſi.
   3) vel *animalia*, e.g. ſcorpius, vipera, bufo, aranea, cantharides &c.
2. Venena differunt *gradu* vehementiæ, quo reſpectu
   1) Alia *ſumme* ſunt agilia, quæ exiguo temporis ſpatio occidunt.
   2) Alia *lenta* & *temporaria*, quorum ſpecimen exhibet famoſus ille puluis, qui in Gallia tot cædes occultas hactenus patrauit, & *poudre de ſucceſſion* adpellatur. De Indis etiam & Turcis refertur, quod eius modi lenta venena, quæ poſt longum demum tempus occidant, præparare poſſint. A quo tempore autem tale languidum venenum adſumtum eſt, mox languere incipiunt ægri, & ſub ſchemate morboſo chronico tabe tandem exſtinguuntur.
3. Porro venena alia ſunt *hominum*, alia *brutorum*, e.g. ciconiæ veſcuntur ſerpentibus & bufonibus, ſues hyoſcyamo; ex contrario aloë & amygdalæ amaræ lupis, canibus & vulpibus ſunt venena.

4. Du-

4. Duplici autem ratione venena pernicioſum ſuum edunt effectum, videlicet
   1) Vel ore adſumta.
   2) Vel externo tantum contactu. Huc pertinent præcipue morſus & ictus animalium venenoſorum.

III. *SIGNA.*

1. Venenum ore adſumtum mox excipiunt anxii conatus vomendi, qui in enormes vomitus ſæpe tranſeunt.
2. Conſpirant anguſtiæ ſuffocatiuæ cum angore animi.
3. Torſiones ventriculi & inteſtinorum ſpaſticæ cum ingentibus doloribus & cruciatibus.
4. Adeſt ardor internus cum ſudore frigido & extrema inquietudine.
5. Motus autem hi ſpaſtici tranſeunt modo in veras conuulſiones, & in ſingultum, modo in lipothymicas motuum abiectiones.
6. Crebro etiam intercurrunt anomali febriles motus, cum pulſu inordinato & palpitatione cordis.
7. Abdomen ordinarie intumeſcit, & tum extremitates ſunt frigidæ & membra tremore adficiuntur.
8. Vrina vel eſt ſuppreſſa, vel cum ardoribus emittitur.
9. Adſpectus faciei eſt toruus, oculi inflati, venæ tumidæ.
10. Senſuum externorum concurrit hebetudo cum vertiginoſa adflictione.
11. Fauces ſunt inflammatæ, adroſæ.
12. Cadauera ſecta ordinarie monſtrant eroſiones, gangrænam & ſphacelum in œſophago, ventriculo & inteſtinis, ſanguinem in vaſis coagulatum, viſcera nigra. Præter ea fœtidum ſpargunt odorem, varium exhibent colorem, vngues nigri obſeruantur, ſpuma ante os adparet, capilli copioſe decidunt, & cor ordinarie valde flaccidum eſt. Veterum autem traditio, qnod non poſſit comburi, falſa deprehenditur.
13. Non nulla venena, quæ ad modum ſunt ſubtilia, veſtigium eroſionis in primis viis non relinquunt.
14. Vapores *arſenicales* inferunt lipothymias, cardialgiam ſyncopti-

copticam, torſiones ventriculi, vomitus maxime acerbos, inflationem abdominis cum torminibus inteſtinorum, deiectiones aluinas crudeles, & tandem conuulſiones.

15. Vapores *mercuriales* adfectus aſthmaticos, catarrhales, ſuffocatiuos inducunt: lædunt enim & relaxant neruum pectoralem, vti auctores paſſim obſeruant.

16. Vapores *lithargyrii* excitant adfectus vomibundos, cardialgicos, teneſmum, diarrhœas, tormina colica; vnde practicis innotuit *colica ſaturnina*.

17. Vapores *ſulphurei minerales*, die wilde Schwaden, gifftige Berg-Geſtöber, adferunt metum ſuffocationis, aſthmata ſpaſtica ſicca & denique ipſam phthiſin.

18. Vapores ex *carbonibus*, præcipue *lithanthracibus* in loco occluſo accenſis, arceſſunt dolores capitis, temulentiam vertiginoſam & repentinam ſæpe mortem.

19. Vapores *fermenteſcentes* ex *muſto*, *cereuiſia*, *melle*, pectus maxime offendunt, & malorum, modo dictorum, feraces obſeruantur.

20. Ceterum hectica, contractura, aridura ſequuntur præcedentes adfectus, niſi congrua medicatione illis occurratur.

IV. *CAVSSÆ.*

1. Venena alia *corrodendo*, alia celerem *putrefactionem humoribus inferendo*, noxium ſuum effectum edunt.

2. Aduerſus extremum & repentinum hoc periculum natura adflicta extremos etiam veloces & feſtinantes motus, modo ſpaſticos, modo conuulſiuos, modo emeticos, modo catharticos, modo febriles & inflammatorios, modo palpitatorios cordis, excitant.

3. Quando autem per laborioſiſſimos hoſce conatus periculum non poteſt ſuperari, tum poſt varia animi deliquia motus ſuos eluctatorios penitus omittit, & corpus ſuum non quidem ſtrictum & rigidum, vti ordinarie ſolet, ſed *laxum* relinquit: vnde putredo tanto citius accedere ſolet.

V. *PROGNOSIS.*

1. Per vulgus conſtat, quod venena, niſi maturum auxilium adferatur, lethalem ordinarie exitum ſortiantur.
2. Atque hoc non tantum valet de illis venenorum ſpeciebus, quæ ſumme agilia ſunt, & *celerem* mortem inferunt ſed & de iis, quæ languide perniciem ſuam exſerunt.
3. Hæc enim, vti ſine animaduerſione & ſenſibilitate cum corpore communicantur, humoribus intime ſeſe inſinuant, & primis hebdomadibus leuiſſimas tantum ægritudines & infirmitates pariunt; ita contra hoſtem hunc inopinatum, occultum & inſidioſum arma tempeſtiue dirigi non poſſunt.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Quando venenum adhuc in primis viis latet, conducunt pinguia oleoſa, tepide adſumenda, e.g. lac pingue, cereviſia cum butyro mixta, decocta mucilaginoſa, hordei, auenæ, C.C. oleum oliuarum, amygdalarum, &c.
2. Venenum quando hac ratione temperatum eſt, tum, vt euomatur, externæ irritationes per digitum vel plumam adhibeantur, & ipſa emetica excludantur.
3. Veneno autem cum humoribus iam communicato, abstergantur primæ viæ per decocta lenientia & gelatinoſa, coniunctis clyſteribus, theriaca remixtis. Hac ratione abſterſio primarum viarum ἄνω & κάτω obtinetur.
4. Deinde humoribus veneno infectis deſtinentur decocta alexipharmaca, e.g. ex rad. vincetoxici, ſcorzoner. herba ſcordii. Eſſentiæ autem & aceta bezoard. excludantur. Conducunt etiam potiones ex aquis diaphoreticis & abſorbentibus citratis, item iulapia ex decocto C.C. citrato, aquis diapnoicis & ſirupis analepticis, coniuncto vbique regimine leniter diaphoretico.
5. *Faucium ardores* & *eroſiones* demulcentur per decocta modo dicta, cum melle roſato remixta; item per elæoſacchara, gargariſmata lenientia & diſcutientia, ab acredine libera.
6. *Tormina inteſtinorum* ſolantur linimenta ſtomachica camphora-

phorata. Reliquorum ſymptomatum tractatio videatur inferius.

7. *Ictus* & *morſus* animalium venenoſorum, e.g. *ſcorpionum*, *viperarum*, *aranearum*, *veſparum*, quo modo tractari debeant, videatur tabula chirurgica de *vulneribus venenatis*.

8. *Cantharides* adſumtæ tractantur vti venenum hauſtum, & *ardores vrinæ*, quos inferunt, iniectionibus emollientibus oleoſis demulcentur; interne hunc ardorem mitigant lac, nitroſa, abſorbentia, diſcutientia & roborantia ex rad. helen. vincetox. caryophyll. pimp. alb. gent. rubr. cort. aurant.

9. *Aqua fortis* & *vegetabilia venenoſa* eamdem expoſcunt medicationem.

10. Vapores *metallici* corroſiui ſequente ratione oppugnantur:

1) Vomitus mitior mature excitatur per aliquot grana tartari emetici, cum abſorbente & carminatiuo quodam mixti.

2) Deinde ad inuoluendas moleculas noxias propinantur abſorbentia, lenientia, mucilaginoſa ex ſpermate ceti, oleo oliuarum, decocto ex rad. ari, bardanæ, liquirit. herb. malu. flor. chamomil. prunis, paſſulis, addito tantillo mellis.

3) Quo magis ſuffocationis metus imminet, eo citius aër liberior, & quidem frigidior, eligendus eſt. Huc pertinet adſperſio faciei aqua frigida.

4) Venæ ſectio in plethoricis, & huic adſuetis locum habet.

5) Poſt hæc diaphoretica fixa & eſſentia alexipharmaca temperata conducunt. Primis etiam diebus aliquot drachmæ ſaponis Hiſpanici, cum lacte & melle roſaceo mixti, ſemel de die poſſunt propinari.

6) Hæc medela etiam locum habet in aliis vaporibus putridis & fermenteſcentibus.

7) *Colici dolores* ſedantur clyſteribus mucilaginoſis, carminatiuis, cum tantillo theriacæ mixtis, & mature iniiciendis; item linimentis lenientibus & roborantibus ex ol. lilior. alb. chamomill. aneth. fœnic. caru.

nuc. moſch. caryophyll. & momento theriacæ. *Interne* eſſentia alexipharmaca, carminatiua & caſcarillæ conducunt.

8) *Diarrhœa immodica* ſedantur abſorbentibus, mucilaginoſis, cortice caſcarillæ, roborantibus modo dictis; cauendo a narcoticis & adſtringentibus.

9) *Alui* autem *adſtrictio* expoſcit clyſteres emollientes: iuncta leni laxatione.

10) *Vrinæ ſuppreſſiones* & *ardores* quo modo tractari debeant, ſuperius iam diximus.

11) *Anxietas præcordiorum* mitigatur eſſentia alexipharmaca, ſubiunctis analepticis temperatis, item puluere nitroſo, coralliato & cinnabarino.

12) Superato periculo diaphoreſis placida continuetur, ſtomachica adhibeantur & aluus aperta ſeruetur.

# TABVLA CXXXI.

## DE

# FVLMINE TACTIS.

I. SIGNA.

1. Hi plurimum *ſuccumbunt*, & vel *repentina morte* exſtinguuntur, vel poſt aliquam moram vitæ indicia offerunt.
2. *Terror*, qui animo hominis, tonitru percuſſi, adhuc inſidet, non ſolum mentem confuſam relinquit, ſed etiam totam œconomiam vitalem perturbat, immo mortem paullo poſt ſubſequentem maturat.
3. *Interceptio reſpirationis* & ſuffocationis periculum, quod prouenit ex fulminis halitu ſubtili ſulphureo, actum reſpirationis ſufflaminante. Inde peremtorum cadauera ſulphureum fœtorem ſpargunt, nec ab auibus aut canibus adrodi dicuntur.
4. *Læſio corporis*, in primis combuſtio ad modum ſenſibilis, cuius prærogatiua præ aliis combuſtionibus eminet ex repen-

repentino inſultu & halitu ſulphureo accenſo. Vnde in teneris & plethoricis talem ambuſtionem gangræna, immo ſphacelus facile excipit.

5. *Syncope* & extrema animi abiectio, ſub qua plurimi exanimantur, pauci difficillime reuocantur.

II. *PROGNOSIS.*

1. Iam antea ſub *ſignis* indicatum eſt, rarius eius modi ſubiecta ad ſe redire, ſed ſæpe exſtingui.
2. Reſtituta autem ſubiecta vel ad aliquod tempus, vel per totam vitam inſaniunt, ad minimum operationum animæ debilitatio, v.g. memoriæ læſio, remanet.
3. Quandoque vitia corporis, paralyſis lateris vel membri, aut tremores, aut anniuerſarii dolores.
4. Aliquando in ſenſibus externis vitia relicta adparent, v.g. ſurditas, balbuties, priuatio odoris, cæcitas.

III. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Actiuitatem animæ, aufugientis quaſi poſt tantum ex fulmine terrorem, reuocant ſpirituoſa analeptica.
   1) Offerendus itaque eſt naribus ſpiritus ſalis ammoniaci, cum oleo deſtillat. rorismar. ſerpill. lauendul. cinnamom. mixtus.
   2) Naribus immittenda ſternutatoria mitiora, ex puluere & aqua odorifera, lil. conuall. ſerpill. Hungaric. betonic. ſpirituoſa.
   3) Ori immittendæ ſunt aquæ ſimul analepticæ, aqua Hungaric. ad gutt. XXX - XL. aqua cinnamom. ceraſor. nigr. lilior. conuall. flor. namph. meliſſ. roſar. it. confect. alkermes cum cinnamomo vnc. ſemis, cum aqua ſoluta & ori indita.
2. *Veſtes ſulphurei odoris*, languentem animam ſubtiliter adficientis, protinus exuantur, & corpus aqua vel lacte calidis abluatur, addita frictione cum linteis calidis.
3. *Suffimigia ſuaueolentia* adhibeantur, e.g. rosmarin. ſerpill. mar. ver. bacc. laur. iuniper. lign. rhod. aloës, ſaſſafr. gumm. maſtich. benzoës, ſuccin. ſtorax calamit. abſtinendo a caſtoreo & fœtidis.

 4. In

4. In plethoricis mox ſub initium venæ ſectio ſuadetur, ſubiuncta frictione & analepticis.

5. *Combuſtioni* ipſi ſequentia opponuntur:

   1) Ad obtundendum ſubtile *empyreuma* ſuperficiale, ardoremque demulcendum, cremor lactis, cepæ aſſatæ, nitrum ſolutum, ceruſſa alba, linimenta ex oleo lilior. alb. mucilagine ſeminis pſyll. albo ouorum, aqua roſarum, ceruſſa, camphora, mature vſurpanda.

   2) *Veſicæ* ex combuſtione ortæ aperiantur & reſcindantur, tum prædicta adplicentur, quibus addi poſſunt maſtix, pauxill. myrrh. & tantillum olei ſpermatis ranarum.

   3) In ambitu defenſiua emplaſtica vel melioris vſus camphorata.

   4) In moleſtis excoriationibus, ſi quæ adſint, præſtat præmiſſis reſoluentibus internis & externis adhibere eſcharotica, vt emplaſtr. ſaturninum, de minio Norimb. cauendo ne diutius talia inhæreant.

6. *Symptomata* principaliora:

   1) *Surditas* reſidua tractatur linimento intra aurem adplicando (parca tamen quantitate) ex oleo deſtillato chamomill. camphora & tantillo vel ſalis volatil. vel olei ſuccini.

   2) *Cæcitas* poſcit aquas ophthalmicas ex euphraſ. fœnicul. roſ. hyſſop. quæ cum amygdal. dulc. in emulſionem conuerti, & cum tantillo camphoræ, croci orient. & tut. præparat. remiſceri & intra oculum adplicari poſſunt; item externa neruina.

   3) In *obmuteſcentia* conueniunt:

      a) Tempeſtiua venæ ſectio, eique ſubordinata purgatio & rubefacientium vſus ad plantas pedum.

      b) Quandoque aqua ſpirituoſa, cum pauco oleo cinnamom. mixta, ſub lingua excipienda.

      c) Si *paralytici* quid ſubſit, neruina & roborantia, motus corporis & lateris adfecti qualiſcumque agitatio conducunt.

TAB.

# TABVLA CXXXII. DE STRANGVLATIS.

I. DIFFERENTIA.

1. Non loquimur hic de iis ſtrangulatis, qui vere iam exſpirarunt: in his enim neque conſilia, neque auxilia medica locum habent.
2. Sed de illis agimus, in quibus aliqua vitalitas vel ſupereſt, vel ſupereſſe creditur.

II. *SIGNA.*

1. Varia quidem ab auctoribus ſigna traduntur, ex quibus vel perfectam ſuffocationem atque mortem agnoſcere, vel ex contrario aliquam vitæ ſpem concipere poſſumus.
2. Quoniam autem in eius modi caſibus ancipitibus ſemper conſultius eſt, aliquid quam nihil ad vitam reſuſcitandam tentare, ſigna illa exiguam adferunt vtilitatem, atque hinc conſulto illa prætermittimus.

III. *SVBIECTA.*

1. Homines melancholici, anxii, deſperabundi, amentes & mente moti ſolamen per αὐτοχειρίαν quærentes.
2. Qui variis contra creatorem ſuum peccatis conſcientiæ labem ſibi contraxerunt.
3. Quibus guttur a latronibus laqueo fuit præcluſum.

IV. *CAVSSAE.*

1. Interceptio motus progreſſiui ſanguinis per pulmones, a qua circuli ſanguinis vniuerſalis dependet ſubſlaminatio.
2. Occluſio reſpirationis, indeque proueniens ſtagnatio ſanguinis, quæ primum in partes nobiliores internas & deinde in reliquum corpus ſe extendit.

V. *PROGNOSIS.*

1. Anceps & dubia ſpes eſt in ſtrangulatis iis, qui plethoram, melancholiam & graues morbos antea ſunt experti, item,

item, qui valde rigent & frigent, oculos habent contortos & penitus fractos ac prouectioris iam ſunt ætatis.

2. Strangulati, qui in vitam reuocantur, ad priſtinum ſanitatis vigorem raro perueniunt, ſed variis malis, præcipue autem adflictionibus pectoris plerumque ſunt obnoxii.

VI. *METHODVS MEDENDI ET REMEDIA.*

1. Mature a laqueo liberentur, ſubiuncto ad dolorem leniendum & collum, quod rigide conſtrictum eſt, emolliendum, vſu ol. lenientium ex ol. amygd. dulc. lil. alb. chamomill. cum pauco ol. lign. rhod. vel ſaſſafr. vel ſerpill. & tantillo camph. ſi vero læſio & excoriatio quædam adſit, linimento ex ol. lil. alb. chamom. hyperici, de ſpermate ranarum, maſtichino cum pauxillo liquor. myrrh. ceruſſ. & camphor. non neglectis fomentationibus & frictionibus cum linteis calidis.

2. His ſubiungenda eſt venæ ſectio, quæ largius promouenda per frictionem eiusdem brachii, tûm clyſter ſtimulans & ſternutatorium, vti & more veterum irritatio faucium cum pluma, oleo imbuta, denique iterata V. S. venarum raninarum aut iugularium, ad partes ſuperiores ab oppletione ſanguinis liberandas.

3. Nec tum ſpernenda ſunt alia ſtimulantia, v. g. rubefaciens aut veſicatorium in pectore, extreme autem acria, cauſtica vti & ſuffimigia fugiantur. Conducit etiam dimiſſio olei lenientis intra fauces, quo vel hæ emolliantur, vel moderata emeſis prouocetur. Inflatio faucium cum inſtrumento fiſtulóſo hic dubia eſt.

4. Vbi ad ſe redire comparent, roborantia vinoſa, ex croco & cinnamomo, nec non parum balſami liquidi cum aqua ſpirituoſa, vino aut confect. alkerm. complet. cum cinnam. & tantillo boni vini adſumenda. Pro odoratu conducunt vel ſuaueolentia, vel modeſtus ſalis ammoniaci vſus.

5. Interponantur alexipharm. vinum bezoard. aut eſſ. angel. ſcord. imper. caryoph. cinnamom. aut ſpir. C. C. gutt. XV. emulſ. cum aquis. diapnoic. cum frictionibus repetendis & denique balnea vinoſa neruina. TAB.

# TABVLA CXXXIII.
## DE
# AQVA SVBMERSIS.

I. SIGNA.

1. Qui aqua ſunt ſubmerſi oculis vel occluſis, vel ſemiclauſis & quantisper dehiſcentibus, vel pallidis & plane confractis, concauis aut pene diſtortis decumbunt.
2. In ſuperficie corporis adeſt pallor frigidus, rigor, in abdomine vero, non numquam ſimul in pectore tepor.
3. Vngues liueſcunt, nares ſunt acuminatæ, labia pallida, livida, aliquando etiam in thorace liuor, quod indicium eſt ad modum ſuſpectum.
4. In hoc ſtatu habentur pro mortuis, in primis ſi etiam pulſus prorſus deficit, & reſpiratio (quam vulgus pluma naribus admota explorat) deeſt.
5. Quam primum vero ad ſe redeunt, hæc omnia leni gradu ſenſim reuertuntur in ſtatum priſtinum.

II. *PROGNOSIS.*

1. Quando ſanguis ex ſubmerſorum naribus & faucibus promanat, veram tum indicat ſuffocationem, omne artis auxilium eludentem. Item
2. Ore hiante vt moribundi iacentes, & quorum lingua liuet & inter dentes emicat, vix reuocari poterunt.
3. Quibus non nulli, *Hippocratis* effatu, adnumerant, quando ſpuma ante os reperitur, quod tamen alii experientia teſte in dubium vocant.
4. *Conſectaria* hanc ſubmerſionem morti proximam, licet non lethalem, inſequentia, ſunt:
   1) In præſens exiguæ reſpirationis, pulſus, teporis externi indicium, poſt ea aliquot elapſis horis ipſa mens redit, licet plerumque obliuioſa.
   2) Hoc tempore grauiſſimum virium defectum, alii rigorem febrilem, vertiginem aut motus conuulſiuos, alii

vomitum ſpontaneum aut diarrhœam aquoſam aut mictionem largam experiuntur.

3) Deinde poſt aliquod tempus vegetiores facti, ſemper vitium, vel in animo vel corpore, ex hoc caſu reſiduum oſtendunt. Nempe

a) *Animi* hilaritas, firmitas, tractabilitas in timidum, mœſtum, moroſum, hebetem & inertiorem ſtatum degenerat.

b) Ad *corpus* quod attinet: *infantes* diſponuntur ad motus conuulſiuos contumaciores, *adulti* ad varias alias œconomiæ anomalias.

III *METHODVS MEDENDI CVM CAVTELIS.*

Quando in ſubmerſis de non penitus ſubſecuta morte Medicus ſuſpicatur, ante omnia intendat:

1. *Reuocationem;* id quod ſequenti modo peragendum:

1) *Pulmonibus* ab extra, quantum fieri poteſt, primo inflatis, ſubmerſus capite paullo decliuius ponatur, collocato ſub ventriculi regione puluinari aut alio quodam corpore ſolidiore.

2) Ad *aquam* euacuandam *vomitus* prouocetur vel per plumam, penicillum, digitum, vel per blandum aliquod emeticum e.g. oxyſacchar. emetic. tart. emet. ſal vitrioli. Et licet ventriculus in non nullis aquam non contineat, vomitus tamen ad *motum* inducendum conducere poteſt.

3) Quando paullulum ad ſeſe redeunt, clyſteres & ſuppoſitoria ſtimulantia, neruina; tum frictiones cum linteis calidis & ſuffimigia ſuauiora it. ſal. armoniac. odor adhibeantur.

4) *Purgantia* fruſtra ſunt, niſi iam clariora vitæ indicia adſint. Prodeſt tum M. P. de ſuccino *Craton.* ad XII-XV. grana, in plethoricis ſub frictione venæ ſectio.

5) Alii ad reuocationem *concuſſionem* corporis & *compreſſionem* ventris ad ſuperiora adhibent, nec ſine effectu, & *Borellus* tales, pro mortuis habitos, ſæpius reſuſcitauit per panis aſſati micas, aqua vitæ imbutas & cordi impo-

impoſitas. Simul autem in lecto calido reliquas partes frictionibus rubefecit.

2. Poſt ſigna *redeuntis vitæ* interponenda & ſubiungenda ſunt:

1) *Analeptica* ex ſpirituoſis: aqua roſar. flor. namph. til. lil. conuall. ceraſ. nigr. betonic. ſerpill, cinnam. apoplecticis antepileptic. *Langii*, ſirup. de beton. de citro, de canela, addendo paullulum ſpirit. C.C.

2) Ad *æqualem ſanguinis motum*, per peripheriam obtinendum, regimen diapnoicum & continuatio ante dictorum adhibeatur. *Foreſtus* laudat decoct. flor. chamomill. quod tamen non niſi delapſis in aquam marinam aptum videtur, quibus & alia lenientia oleoſa mucilaginoſa proſunt.

3) Quando *vires* aliquo modo accreuerunt, balneum temperatum neruinum, ſed non nimis calidum, nec diutius iuſto vſurpandum, conducit.

3. *Symptomata*, ſi quæ remaneant, ſequente modo tractentur:

1) Ante omnia *mentis* rationem habere conuenit, quæ per moralia *ſenſim* corrigenda eſt.

2) Ad *corpus* quod attinet, motus & euacuationes in poſterum iniungantur, aliquando etiam moderate excitantia conducunt.

3) In *tuſſi* adhuc reſidua pulmones per expectorantia & discutientia ab impuritatibus purgandi ſunt.

4) *Diæta* in futurum ſit tenuis, euchyla, & plethorici venæ ſectionem non negligant.

5) Animi pathemata, in primis *terror*, omni ſtudio euitentur.

# TABVLA CXXXIV.
## DE
# ADFECTIBVS GRAVIDARVM.

I. S*IGNA GRAVIDITATIS.*

Hæc in ſimplici grauiditate ſatis plana ſunt: quando autem alia incommoda conſpirant, vel mulier malitioſe diſſimulat, tum nuda ſaltem probabilitas locum habet.

1. *Emanſio menſium* in recte ſanis & robuſtis, ſine manifeſta alia cauſſa, primarium ſignum eſt, ſed non abſolutum; aliquando enim *morbide* menſes emanent, citra præſentem dyſphoriam.
2. Inſignis *nauſea a carnibus,* ipſo etiam illarum odore, præcipue ſi alios cibos bene toleret femina, & de reliquo tolerabiliter ſe habeat.
3. *Ventris intumeſcentia,* non complanata nec inæqualis, ſed globoſa, & præcipue circa vmbilici regionem ſummitatem hæmiſphærii efformans.
4. Placidum huius intumeſcentiæ augmentum, pedibus a tumore liberis: rariſſime enim *morbidus* tumor in abdomine directe incipit.
5. *Motus fœtus*, circa viceſimam circiter hebdomadam contingens, luculentiſſimum eſt ſignum, modo a borborygmis & aliis flatulentis volutationibus perite diſtinguatur, ſenſu ſcilicet ſub hypogaſtrio altiore.
6. Diſſimulante autem matre, manus *aliena*, bene calida, tepido ventri, vel frigida calenti, impoſita motum quidem fœtus aliquando percipere, rem tamen certius definire non poteſt.
7. Sic etiam in tali caſu femina quædam perita oculari ventris inſpectione, maiorem vel minorem probabilitatem detegere valet.
8. *Vrinæ inſpectio*, ſecundum traditiones præcipue inſtituta, licet fallaciſſima ſit, verum tamen eſt, quod imprægnatæ *ſanæ* ſanam etiam quoad colorem & claritatem vrinam exhi-

exhibeant: hæc ſi claro loco verſus ſubobſcurum alium, aut angulum, ſpectetur, ſubtilibus atomis internatantibus, Sonnen-Stäubchen, conſpicua eſt; qui quidem atomi in *morbida* menſium obſtructione aliquando etiam occurrunt, ſed, accurata inſpectione, multo craſſiores; quamquam negari nequeat, quod teneriores feminæ, quibus menſes morboſas ob cauſſas ſuppreſſi ſunt, teneriores habeant atomos, quam robuſtiores grauidæ.

9. *Suffimigia* gummatum, vtero adplicata, ad guſtum peruenientia, & aliæ antiquarum traditionum probationes, vel mere fabuloſæ, vel, ob ſubiectorum diuerſam ſenſibilitatem, ſatis incertæ ſunt.

II. *DIFFERENTIA.*

1. *Legitimus* fœtus a falſo, motus ſolo ſenſu, diſcernendus eſt: obſcuræ enim fœtus perceptiones, ad debitum vſque tempus manentes, molæ præſentiam reddunt ſuſpectam; quam confirmant fluxus vterini irregulares, inflatio cito augeſcens, cum variis ſpaſticis flatulentis motibus, aliæ inſolitæ ex vtero emanationes, taciturna feminæ anxietas, partus vltra debitum tempus emanſio.

2. Intumeſcentia ventris grauidarum a cachectico - aſcitico tumore diſcernitur præcipue
   1) Statu vitali prægreſſo corrupto, cachectico.
   2) Speciatim tumoribus pedum prægreſſis & occurrentibus.
   3) Quando autem docente experientia, grauiditas & tumores abdominis morboſi complicantur, hæc diagnoſtica ſigna locum non obtinent.

3. Ipſi autem morbi differunt ſecundum cauſſas, alii enim a plethora, alii ab animi pathematibus, alii a vitiis diætæ, alii a violentis cauſſis externis, alii a mole & pondere vteri diſtenſi, proueniunt.

III. *SVBIECTA.*

1. Non omnes promiſcue grauidæ malis ſubſequentibus obnoxiæ ſunt: longe enim maximus numerus ruſticarum, laboribus addictarum, ab illis immunes viuunt, & ita vi-

vidis exemplis docent, ficta & adfectata multarum pathemata non tam ad grauiditatis, quam vitæ generis circumſtantias pertinere.

2. Sunt autem morbis his ſæpius obnoxiæ:
 1) Teneriores & delicatulæ, quæ & corpore & animo ſenſibiles ſunt.
 2) Præcipue plethoricæ, deſides intemperantes.
 3) Multis animi pathematibus exagitatæ, ſollicitæ, meticuloſæ, triſtes, iracundæ.

IV. *ADFECTVS ET METHODVS MEDENDI.*

A. *Adfectus a plethora dependentes.*

1. *Hæmorrhagia narium* enormis: hæc tractatur ſecundum methodum, quæ tabula de hæmorrhagia narium commendata eſt. Sic etiam *hæmoptyſis* & *vomitus* cruentus eamdem expoſcunt medicationem, quam ſuo loco commendauimus.

2. *Hæmorrhoides* nimiæ minuuntur temperantibus nitroſis, cinnabarinis.

3. *Hæmorrhagia vteri:* hæc duplici modo, licet rarius, contingit.
 1) Vel enim ſanguis prioribus menſibus, menſtrui fluxus inſtar, erumpit, & ita calculum notabiliter turbat;
 2) Vel, rarioribus adhuc caſibus, a medio geſtationis tempore, aut ſerius, ſanguis prorumpere incipit, & ad partum vſque continuat; quæ duæ ſpecies periculo abortus propiores ſunt. Tractantur
  a) Nitroſis, cinnabarinis.
  b) Roborantibus gemmatis.
  c) Pilulis *Stahlianis.*
  d) Congrua venæ ſectio in brachio, ad maiorem profuſionem, abortus prodromum, præoccupandam. *Conf.* tabul. XVI, vbi de *fluxu abortiuo* plura dicuntur.

4. *Cephalalgia.*

Hæc potiſſimum excitatur cauſſis *occaſionalibus* ſequentibus:
 1) Immodeſto corporis aut animi motu.

2) Par-

2) Partium inferiorum refrigeratione.
3) Potu ſpirituoſo. Expoſcit
a) *Interne:* temperantia nitroſa & leniſſima laxantia.
b) *Externe:* ſpiritum vini camphoratum, ſi odorem poſſint perferre.

5. *Grauitas & laſſitudo artuum,* præcipue *pedum.*
Hæc tollitur
1) Congrua & tempeſtiua venæ ſectione.
2) Placido corporis motu.
3) Pulueribus antorgaſticis.

6. *Tuſſis ſicca,* & *anhelitus difficultas.*
Hæc eadem remedia expoſcunt: quando autem difficilis reſpiratio poſt cibum largiorem euenit, vel vltimis menſibus ab ipſius vteri ſarcina introducitur, priore cauſſa ſalina digeſtiua, poſteriore vero patientia ad partus vsque excluſionem, requiruntur.

7. *Abortus.*
Hic quidem *plethoram* pro cauſſa generali agnoſcit, & primis præcipue menſibus, maxime primiparis, plethoricis præ aliis euenire ſolet, cauſſæ tamen ſequentes occaſionem ad eumdem ſæpius ſuppeditant:
1) Vehementes animi perturbationes, e.g. iracundia, terror repentinus.
2) Largior menſium fluxus, extra conceptionem familiaris.
3) Diæta vinoſa, aromatica.
4) Vomitiones vehementes, & purgantia fortiora.
5) Fluxus aluini, diuturni, lienteriodes, fœtui nutrimentum ſubducentes.
6) Vel conatus ſaltem deiiciendi, torminoſi, ſpaſtici, teneſmodes.
7) Vnde etiam clyſteres ſtimulantes aliquando damnum hoc inferunt.
8) Vehementes corporis commotiones, e. g. ſaltationes, vecturæ, violentæ concuſſiones abdominis, lapſus.
9) Veneris incontinentia.

10) Lar-

10) Largior venæ ſectio in pede; quamquam hæc cauſſa rarior & cum grano ſalis accipienda eſt. *Conf. diſſertatio Hoielſini de venæſectione grauidarum in pede.*
11) Emmenagoga fortiora.
12) Nidores fœdi, in primis pinguium accenſorum, e. g. ſebaceorum ellychniorum.
13) Nephritici dolores.
14) Cachexia.
15) Fluor albus, vel alia vteri vitia.
16) Opiata, vid. *Etmüll. coll. pract.*
17) Faſcinationes.
18) Fœtus debilis vel plane mortuus.
19) Febres acutæ, nonnumquam etiam intermittentes. Notum enim eſt, quod grauida, febre tertiana correpta, die vacuo partum ſeptimeſtrem viuum excluſerit.

Hic ſonticus adfectus præ aliis prudentem expoſcit medicationem.

a) Ad præcauendum commendantur:

α) Venæ ſectio iterata in brachio, nempe ſub initium & medium geſtationis. Sic olim credebant, hodie autem *frequentius* ſiue in brachio ſiue in pede venam ſecamus, & ſi neceſſe videtur, ſingulis menſibus eamdem repetimus. *Conf. diſſertatio Fabricii de venæſectione ab abortu præſeruante.*

β) Temperantia, præcipue nitroſa, ſub qualicumque ſanguinis commotione propinanda.

γ) Roborantia, quo ſcopo pilulæ *Stahlianæ*, ſubinde exhibitæ, aliis præferuntur: laudantur etiam carminatiua, e. g. eſſent. cort. aurant. item tragæa e rad. carlin. cum ſem. fœnicul. & nuc. moſchat.

δ) Diæta temperata, lubrica, cum placido corporis motu & mentis tranquillitate. Nonnulli loco corporis motus commendant *decubitum* in lecto & quidem per totum geſtationis tempus continuandum; neque ſemper ſine effectu. Nota enim eſt perſona, quæ poſt octo abortus hac ratione fœtum maturum feliciter tandem excluſit.

ε) Spe-

a) Specifice laudantur *teſtæ ouorum* excluſorum, præcipue gallinarum & perdicum. Item *acini paſſularum* maiorum, qui tamen euidenter adſtringunt.

b) In *hæmorrhagia* vero *vteri* emicante & doloribus dorſi lancinantibus, abortus periculum minitantibus, tentari quidem poteſt embryonis conſeruatio per temperantia nitroſa, tonica gemmata cum leni anodyno, verſus ſomnum exhibenda;

c) Quoniam autem, præſente iam vteri hæmorrhagia, omne auxilium ſæpe irritum obſeruatur, euentus harum rerum, ſub vſu analepticorum & carminatiuorum temperatorum, exſpectandus eſt.

d) Vbi autem grauior hæmorrhagia vteri vires grauidæ exhaurire videtur, otioſum ſpectatorem agere non conuenit, ſed ipſam potius excuſſionem per remedia promouere decet; quo caſu optime ſane ſe commendant pilulæ *Stahlianæ*, vel *Becherianæ* genuinæ.

e) Poſt *abortus eliſionem* tanto minus opus eſt adſtringentibus: nam hæmorrhagiæ tales ſponte miteſcunt, vel tamen mitiſſimis analepticis & tonicis auſcultant.

f) Ad *fungoſa* autem vteri *concrementa* præoccupanda, & felicem in poſterum fœcunditatem obtinendam, pilulæ *Stahlianæ*, per nouem priores dies vſurpandæ, commendantur.

B. *Adfectus a diætæ vitiis dependentes.*

1. *Vomitus.*

1) Licet frequens hoc malum a congeſtione ſanguinis verſus ventriculum ſæpius oriatur, ad diætæ tamen vitia eumdem referendum putauimus, quia ventriculi vitium, intemperantia & voracitas plurimum concurrunt.

2) Conſpirant reliqua adpetitus vitia, nempe *faſtidium*, immo inſignis *nauſea* a carnibus.

3) Aliis adpetitus eximie augeſcit.

4) Aliæ *malacia* & faſtidioſo ciborum ſelectu laborant.

5) Aliæ plane *pica* ſeu ingente deſiderio rerum vel toto genere alienarum, vel pro tempore non impetrandarum corripiuntur.

6) Aliæ moleſtam oppletionem a cibis experiuntur, quæ poſt vnam vel alteram horam iterum euaneſcit, & quia vltimis maxime menſibus obſeruatur, ſarcinæ potius vteri, quam vitio diætæ attribuenda videtur.

7) *Vomitus* autem ipſe & nauſea primis quatuor aut ſex hebdomadis frequentius occurrunt, raro diutius, rariſſime per totam geſtationis periodum durant.

8) Rariora ſunt exempla, quibus hæc incommoda poſt aliquot demum menſes, vel plane circa finem geſtationis eueniunt.

9) Exſerit autem ſeſe vomitus tempore ſæpius matutino, cui tolerabiliter peracto euphoria per diem ſuccedit.

10) Quando autem adpetitui nimium indulgent, vomitus facile excedit, diutius continuat, & grauiora incommoda parturit.

Hic *excedens vomitus* ſequente modo tractetur:

a) Venæ ſectio in brachio inſtituatur, huic enim magis, quam medicamentis, vomitus auſcultat.

b) *Interne* propinentur incidentia, digeſtiua, ſtomachica e radic. ari, helen. galang. zedoar. zingib. cubeb. cort. aurant. conditis, malis cydoniorum, cinnamomo, nuce moſchata rore marino, cum vino infuſis; item e ſalibus tartarus vitriolat. arcan. duplicat. nitr. porro: gemmata, pilul. *Stahlianæ*, *Becherianæ*, millefol.

c) *Externe* imponantur ventriculo roborantia, balſama ſtomachica ex oleis nuc. moſchat. meliſſ. abſinth. &c. vel emplaſtrum de tacamahaca cum oleo anethi, vel ſacculi carminatiui.

d) *Ma-*

d) *Malaciæ* & *picæ* tractationem vide tab. de vitiis adpetitus.

2. *Alui adſtrictio vel obſtructio.*

Hæc ſæpe ob potum parcum & deſidiam grauidis euenit, rarius directa grauiditatis culpa, nempe ſarcina vteri, in inteſtinum rectum incumbente; quo poſteriore caſu teneſmum comitem habet. Succurritur

1) Per diætam emollientem, præcipue potum ſufficientem, & placidum corporis motum.

2) Per vſum pilularum *Stahlii*, *Becheri*, vel e gummi-reſinis, e.g. ammoniaco, paratarum, item pot. ſennat.

3) *Externe* per *ſuppoſitoria* e globulis moſchatis, vel clyſteres e decocto auenaceo.

3. *Tormina alui & flatulentia.*

Hæc tolluntur carminatiuis e cort. aurant. pimpinell. alb. aromat. noſtratibus, nempe ſem. aniſi, fœniculi, cumini.

4. *Diarrhœa.*

Huius cauſſæ licet a diarrhoeæ alius cauſſis multum non recedant, maiorem tamen conſiderationem in *grauidis* diarrhoea meretur: diu enim continuans, & ſpaſtico-teneſmodeis moleſtiis ſtipata, abortum minatur. Hinc placide ſiſtenda eſt.

1) *Interne* conducunt roborantia, ſtomachica, carminatiua, e.g. condit. cort. aurant. calami aromatici, galang. zedoar. zingib. miua cydon. &c.

2) *Externe* vſum habent balſama & emplaſtra ſtomachica.

5 *Fluor albus.*

Hic vti rariſſime grauidis euenit, præcipue quando mariti fideles ſunt, ita indolem exhibet pertinaciſſimam: ob imprægnationem enim laxantia, per multos dies neceſſaria, non poſſunt adhiberi. Secure tractatur:

1) Corrigentibus & repurgantibus carminatiuis, e g.

a) Eſſent. e rad. ari, pimpinell. alb. herbis amaris.

b) Iufuſ. e meliſſ. galeopſ. flor. alb. & præcipue abrotano.

2) Singulis hebdomadis ſemel vel bis interponantur pilulæ *Stahlianæ* vel *Becherianæ* genuinæ.

C. *Adfectus a mole & pondere uteri dependentes.*

1. *Dolor coxarum & lumborum.*

1) Exſerit ſeſe hic dolor poſtremo maxime tempore, ob ventrem, acrius antrorſum ac deorſum pendentem.

2) Aliis dolet ipſe venter exterior, cum nitida & ſtriis transuerſis diſtincta rubedine, non aliter ac ſi abdomen fiſſuras agere minaretur. Non indiget medicatione, poſt partum enim ſponte euaneſcit.

2. *Inflationes crurum varicoſæ.*

1) Hæ inflationes in phlegmaticis tumoribus œdematoſis ſtipatæ ſunt.

2) In aliis temperamentis ecchymomata, ſugillationum inſtar, eueniunt, blaue und braune Flecken um ſolch Geäder herum.

3) Vulgus crura ita adfecta vocat Kindes-Beine.

4) A medio geſtationis tempore ad partum vſque occurrunt, ob vteri molem, vas iliacum ſeu crurale prementem.

5) Poſt partum quidem euaneſcunt, ſed in quibusdam ſubinde recurrunt, certiſſime futura noua grauiditate.

6) Indigent medicatione ſequente:

a) *Curatiue:*

α) *Interne* ad dolores temperandos pulu. antiſpaſmod.

β) *Externe* frict. cum excutia, camphorat. & in puerperio ligatura.

b) *Præſeruatiue* expoſcit venæ ſectionem medio geſtationis tempore, alui ſucceſſum, ſeſſionem altiorem, motum corporis lenem, &, a partu, vteri repurgationem.

3. *Vrinæ frequens ſtimulus.*

1) Hic vltimis maxime hebdomadis occurrit, aliquando etiam circa medium geſtationis tempus, nempe quando

do vterus, ob ligamentorum laxitatem, magis deorſum incumbit.

2) Edito partu tollitur & hoc ſymptoma.

4. *Stranguria, & ſuppreſſio vrinæ temporaria.*

His ſuccurritur

1) *Interne* temperantibus nitroſis, cinnabarinis.

2) *Externe* cataplaſmatibus.

5. *Hæmorrhoidum inflatiores veſiculares.*

1) Hæ dolore ardente, immo interdum vlceroſa eroſione, moleſtiſſimæ ſunt, præcipue plethoricis. Germanis dicuntur Maſt-Körner, Zacken, Belgis Tacken.

2) Expetunt;

a) *Interne* temperantia nitroſa & vſum millefolii.

b) *Externe* vnguentum de linaria.

6. *Tumores pedum.*

1) Hi, quando vltra genua non extenſi ſunt, nullius periculi obſeruantur.

2) Vbi autem ipſum etiam abdomen inuadunt, ibi aſciticam indolem exhibent.

3) Sed præſtat grauiditatis tempore hydropicos tales tumores tolerare, & ſymptomatum ſaltem mitigationi inſiſtere, quam directe ipſum morbum adgredi.

4) Conuenit inter ea ambulare potius, quam plurimum ſtare, aut, in humilibus præcipue ſcabellis, diutius ſedere.

D. *Adfectus a cauſſis ſingularioribus dependentes.*

1. *Nimia corporis extenuatio.*

1) Hoc caſu infantes bene habiles & auctiores obſeruantur.

2) Expoſcit macilentus talis habitus diætam gelatinoſam, amygdalatam, temperantem, & corporis quietem.

2. *Nimia pinguedo.*

1) Abundantior hæc matris nutritio minorem plerumque & gracilem infantem edere obſeruatur.

2) Requirit venæ ſectionem, diætam moderatam, vitam mobilem, & laxantia ſubinde leniora.

3. *Debilitas ſyncoptica.*
   1) Hæc differt a laſſitudine plethorica.
   2) Expoſcit alui legitimum ſucceſſum, & ſtomachica carminatiua.
4. *Præmatura aquarum euacuatio.*
   1) Hæc abortum & partum præmaturum minatur.
   2) Requirit roborantia interna & externa.
5. *Lichenes.*
   1) Hæc exanthemata in facie & collo, præcipue bilioſarum, exoriuntur, & vulgo Leber-Flecke vocantur.
   2) In aliis pallores, in aliis vero rubores volaticos inducunt.
   3) Non indigent medicatione, quia poſt partum euaneſcunt.
6. *Incommoda præter conſuetudinem.*
   1) Sunt, quæ aliquot *eiusdem* ſexus proles geſtarunt, ſi deinde *diuerſi* ſexus prolem concipiant, multis modis incommodius habere obſeruantur.
   2) Hæc tamen incommoda pro indubio ſigno, alterius ſexus concepti, non habenda ſunt.
   3) Multo magis reliqua ſigna, quæ ad ſexum dignoſcendum vulgari traditione recepta ſunt, fallere obſeruantur, e. g. quod color grauidæ floridus, & animus alacrior, maſculi; pallidus autem adſpectus, & mentis torpor, femellæ geſtationem denotet: idem valet prognoſticon e diuerſo ſitu fœtus in alterutro vteri latere; eadem fallacia laborat ſignum gemellorum, nempe *fuſca* linea per longitudinem abdominis, & venter in medio *planior*, circa latera autem *protuberans.*
7. *Nimius embryonis motus.*
   1) Materni animi commotionibus iracundis potisſimum inducitur.
   2) Suum etiam contribuit calor immodicus, abdomini admiſſus.
   3) Aliquando a mala ipſius fœtus diſpoſitione dependet.

4) Ex-

4) Expoſcit temperantia & acrimoniam biliofam corrigentia remedia, coniunctis neruinis epithematibus, corporis etiam & mentis tranquillitate.

8. *Dolores a calcitratione fœtus.*

1) Poſtremis menſibus hi dolores contingunt.

2) Tenerioribus lacrimas ſæpius excutiunt, immo lipothymias plane arceſſunt.

3) Abortum nullo modo minantur: nam infans ad partum ſuum nihil contribuit.

4) Tolerandi ſunt hi dolores, qui proxime ante partum euaneſcunt.

9. *Debilitas embryonis.*

1) Hæc e motu rariore, leniore & vix ſenſibili diiudicatur.

2) Dependet ſæpiſſime vel a debili matris conſtitutione, vel terroribus repentinis, aut mœroribus diuturnis.

3) Succurritur roborantibus.

a) *Interne* ſtomachico-carminatiuis.

b) *Externe* balſamis & emplaſtris aromatiſatis.

10. *Concretio ſecundinarum.*

1) Certa ſigna non dantur, hanc ſecundinarum cum vtero, extra placentam, concretionem dignoſcere: hinc tanto minor eſt occaſio, vt illi occurrere poſſimus.

2) Cauſſam vulgo in nimia deſidia, & multa, vltimis menſibus, ad ignem obuerſatione quærunt.

3) Vbi huius mali ſuſpicio occurrit, ibi teneræ pinguedines gallinarum vel anſerum meliorem vſum habent, quam ſpiritus vini, aniſo vel caruo imbutus, qui vulgo abdomini illinitur.

11. *Circumuolutio funiculi vmbilicalis*, circa corpus, vel plane collum infantis.

1) Hæc a mulierculis perperam tribuitur motibus ſurſum fortius extenſis; vnde fœtum circumagitari credunt; ſed talis volutatio tardis potius, quam repentinis, progreſſibus contingit.

2) Remedio pharmaceutico deſtituimur hic, immo & chirurgico, niſi ſub ipſo partu bona fortuna ſecundet.

11) *Su-*

12. *Superfœtatio.*

1) Rariſſimum eſt accidens, ita vt inter numeroſiſſimas millenarias vix vni eueniat; proſtant tamen exempla apud *Sennertum* & alios.

2) Dependet omnino a coitu poſt conceptionem.

3) Vtrique fœtui, & grandiori & ſuperinducto recentiori, abortus periculum impendet.

13. *Febres intermittentes.*

1) Hæ nullum adeo periculum portendunt, niſi incongruenter ſupprimantur; contumaciores tamen ſunt in grauidis quam aliis ſubiectis. Immo notum eſt exemplum, quod grauida quædam febre tertiana correpta die vacuo partum ſeptimeſtrem excluſerit.

2) Tractentur leniſſima methodo, ſuo loco commendata.

14. *Febres acutæ.*

1) Hæ grauidis ſemper ſunt periculoſæ, niſi vel ſponte benignius ſe gerant, vel arte congrua moderamen obtineatur.

2) Præcipue autem abortum minantur.

3) Vnde cautius tractandæ ſunt, nempe

a) Lenibus temperantibus nitroſis, præcipitantibus, & antimoniatis fixis.

b) Regimine leniſſime diapnoico.

4) Anceps hic eſt venæ ſectio. *Conf. D.D. Stahlii diſſertatio de venæ ſectione in febribus acutis.*

15) *Fœtus mortuus.*

1) *Signa.*

a) Matris languor, debilitas, immo lipothymia.

b) Horrores & volatici ardores.

c) Anguſtia præcordiorum.

d) Anxietates animi.

e) Dolores capitis vertiginoſi.

f) Mammarum flacciditas & notabilis præſentia lactis tenuioris.

g) Ceſſatio motus embryonis.

h) Venter ad inguina delapſus, & onere inſolito flaccide pendens.

i) Sen-

i) Senſibile frigus in illa regione.

2) *Cauſſæ.*

a) Inſignis grauidæ plethora.

b) Grauia animi pathemata, iræ, terroris, mœroris.

c) Morbida matris conſtitutio.

d) Diarrhœæ diuturnæ.

e) Dolores in ipſo partu male ſuccedentes aut adminiſtrati, cum diuturniore fœtus in vtero ſtrictura.

3) *Methodus.*

a) Ad maturam cadaueris expulſionem propinentur pellentia ſpecifica, e.g. hepar anguillæ, borax Veneta. Modo debitus ſitus, qui excluſionem concedit, adſit.

b) Ad vires reſtaurandas interponantur analeptica gratiora.

c) His autem irritis, & ceſſantibus ad partum doloribus, manualis extractio per chirurgum tentetur.

d) Expulſo fœtu, femina, puerperarum more, ſollicitiſſime tractetur.

e) Si vero neque per interna, neque per externa auxilia negotium ſuccedat, embryo abit in putredinem, & febrem putridam, ſæpius lethalem, prouocat; quæ caute & leniter tractetur, ac eliſio, criticis maxime diebus, per remedia, febrem non turbantia, denuo tentetur: analepticis vbique coniunctis.

V. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Grauidis generatim & vniuerſis propemodum earum morbis conueniunt:

1) Plethoræ imminutio per venæ ſectionem, exceptis febribus acutis.

2) Humorum temperatio per pulueres antiſpasmodicos.

3) Leniſſimæ laxationes, repetitæ, ſed non diu continuatæ.

4) Analeptica gemmata & carminatiua, in primis tragea e rad. carlinæ & ſem. fœnicul.

2. *Venæ ſectio* omnibus modis laudatur, præcipue in iunioribus, non obſtante *Hippocratis* obſeruatione, vt pote de largiſſima tum temporis vſitata ſanguinis profuſione agente; in ſenſibilibus tamen caute procedendum eſt:

1) *Tempus:* optime inſtituitur vel primis adhuc hebdomadis, niſi proxime ante conceptionem adornata fuerit; vel medio geſtationis tempore, quod præcipue huic ſcopo quadrat; vel denique vltimis duabus aut tribus hebdomadibus; vel ſub initium, medio tempore, & circa finem; vel toties, quoties motus ſpaſtici abortum minitantur.

2) *Menſura:* hæc ad 6 circiter vncias accedat, maiore enim copia ſanguinem emittere, periculum minatur, præſtat potius hunc actum repetere; minore autem quantitate illam adornare, periculoſiores turbas concitaret.

3) *Locus:* celebratur quidem ordinarie in brachio e vena mediana, hodie autem non dubitamus, in pede venam ſecare: periculum enim, teſte experientia, non inuoluit, & in rheumatico-arthriticis adfectibus circa lumbos, coxas & femora, præcipuum vſum habet. Inter ea opinionibus aliquando cedendum eſt. *Confer. diſſertatio Hoelſini*, ſuperius iam allegata.

4) Vſus venæ ſectionis poſt abortum præcipue neceſſarius eſt, nempe ante vel ſub initium nouæ conceptionis; quo caſu non contemnendum eſt *Waldſchmidii* conſilium de triplici venæ ſectione.

3. Pilulæ *Becherianæ*, multo magis autem *Stahlianæ*, in quam plurimis grauidarum malis optimum vſum habent; modo caueatur, ne loco genuinarum falſæ offerantur.

4. Neque ſpernendum effectum edunt *eſſentia ſuccini* & *pimpinellæ albæ*, moderate vſurpatæ; quæ ſane multis paraſangis antecellunt ſpecioſis illis balſamis embryonum, aquis cordialibus, carbunculi, vitæ mulierum, & variis talibus odoriferis ſpirituoſis, carminatiuis calidis, elixiribus vterinis, aromaticis, oleoſis, myrrhatis, quæ ſangui-

guinem nimis turgefaciunt, & in vero periculo non indemnia deprehenduntur; *externe* autem odorifera illa & neruina non improbantur.

5. Sic etiam ſollicite abſtinendum eſt a *diureticis acrioribus, purgantibus, emeticis*, quæ nimiam ſanguinis commotionem & abortus periculum intentant. Sufficiunt *ſalia media* pro digeſtione, *nitrum* pro temperatione, potiunculæ *ſennata & rhabarbarina* cum paſſulis, cremore tartari, ſem. aniſi, cinnamom. item rob tamarind. paſſul. pro catharſi.

6. *Fluxus* ſanguinis *vterinus* vti præternaturalem ſtatum in grauidis inuoluit, & pauciſſimis ſaltem exemplis innoxius obſeruatur, ita maturum moderamen poſtulat.

7. Si vero iam proxime ad eruptionem tendant commotiones, *adſtringentia* ſæpiſſime vel fruſtra adhibentur, vel heteroclitos euentus inducunt; niſi cauſſæ illarum materiales ſufficienter prius correctæ & ſubactæ ſint.

8. Vbi vero *inhibentia* locum habent, ibi ceteris præminent *gemmata*, ſpecies de hyacintho, coralliata, nuces moſchatæ, in vino maceratæ &c. ad motum eliſorium placandum.

9. Si grauidæ *prioribus* menſibus, præſertim tempore menſtruo, hæmorrhagia obtingat, placidis adſtringentibus non auſcultans, & feminam ad ſyncopen vsque exhauriens, prognoſis abortum ineuitabilem præſagit: hinc pro vita matris ſaluanda, excluſio ſine omni trepidatione promoueatur, nimiæ enim illæ ſanguinis profuſiones longe certius & citius, abortu excluſo, moderamen admittunt.

10. Quid autem de illa vteri hæmorrhagia ſentiendum ſit, quæ vel proxime, vel plures etiam hebdomadas ante partum aliquando obtingit, ſequente tabula indicabitur.

11. *Laſſitudo plethorica* cautius diſcernenda eſt a vera naturæ debilitate, ne ſpirituoſis analepticis, plethorico ſtatui quo-

vis modo contrariis, maior ſanguinis orgaſmus concitetur.

12. *Spontaneus vomitus* rariſſime abortum ciet: peior euentus ab emeticis, in primis fortioribus, metuendus eſt; dantur tamen grauidæ, quæ geſtationis tempore emeticum audacter, & quaſi ordinarium ſuum, non obſtantibus dehortationibus Medicorum, cum euphoria & nullo infelici ſucceſſu, adſumunt.

13. De *varicibus* præter ea, quæ ſupra diximus, adhuc notandum, quod aliquando, licet rariſſime, rumpantur; quo caſu ſpiritus vini rectificatisſimus, ad hæmorrhagiam inhibendam tuto adhibetur.

14. *Animi pathematum* non datur medela pharmaceutica, effectus tamen noxii, ab illis metuendi, aliquando poſſunt occupari, præcipue ſi cauſſæ materiales concurrant, e. g. biliosa acrimonia, ſiue *craſſior* in primis viis, ſiue *ſubtilior* per ſanguinem diffuſa. Crasſiori plus quadrant *abſorbentia*, quam alia temperantia: tenuiori bili dicta abſorbentia *ſegnius* ſuccurrunt, præſentius autem *nitrum*, perite vſurpatum. Vbique laxationes rhabarbarinæ, pilulæ *Stahlianæ*, poſt iracundiam, clauſa aluo, conueniunt.

15. Commotionum ipſarum ferociam *anodynis opiatis* compeſcere, infauſtum eſt tentamen: tutius exhibetur maſſa pilularum de *cynogloſſa*, quæ parcisſimo vſu ſatis efficax eſt, efficacior tamen vſus *cinnabaris* peritus.

16. *Balnea*, quæ aliis circa proximum partus tempus, aliis maturius placent, non improbantur, præcipue in adſuetis & minus ſenſibilibus: modo plethora ſit imminuta, & reliquæ excretiones legitime ſuccedant; improbantur autem nimis calida, diuturnior in illis commoratio, & aëris frigidi admisſio repentina: ſubſtituunt aliæ emollientia *linimenta*.

17. Quod ad *diætam* grauidarum attinet, conſuetudo multarum regularum vim eneruat, & aliis alia concedit, vel interdicit.

18. Ge-

18. Generatim notandum, quod non adeo facile in *qualitate*, ſed potisſimum in *quantitate* peccetur: hinc *temperantia* optima eſt norma.

19. Diæta nimium delicata, & ſcrupuloſa vanitatem magis quam veritatem oſtendit; quod exemplo numeroſisſimarum ruſticarum toto die confirmatur, quæ ſub ſimplice ſuo victu, & corporis laboribus, a quam plurimis incommodis, otioſas & delicatulas, ſub pomposo ſuo adparatu, vexantibus, ſatis liberæ viuunt.

20. Inter ea tamen, vbi ſermones de conueniente diæta inſtituendi ſunt, ibi crudi & crasſi cibi, item *diutetica*, nempe allium, cepæ, petroſelinum, baccæ iuniperi, raphanacea, chærefolium, nimium ſalita, acida, flatulenta quodam modo improbentur.

21. *Calidis aromaticis* peregrinis præferantur noſtratia, vtpote temperata.

22. *Peruerſo adpetitui* mature reſiſtendum eſt, ne ille per habitum confirmetur, & fœtui, vltimis præſertim menſibus, noceat.

23. Reiiciatur *potus ſpirituoſus*, vtpote præmaturum fœtus exitum prouocans: vinum autem, ſufficiente aqua dilutum, cereuiſia tenuis, clara, theé, coffeé ſatis concedantur, vt noxia alui ſiccitas præcludatur.

24. Inter *motum* & *quietem* tale temperamentum obſeruetur, ne nimia quies concoctionem impediat, lasſitudinem phethoricam & dolores artuum augeat; neque vehementior motus abortum elidat.

25. De *vectura* notandum, quod *vehemens* & *diuturna*, aluo præcipue obſtipata, minus adſuetis abortum non ita raro prouocare ſoleat; *moderatior* autem, proximis adeo partui diebus, boni vſus ſit, vias vterinas anguſtiores laxando, & ita ad feliciorem partum præparando.

26. Nocet *ſublatio* & *geſtatio onerum*, cum grauiore niſu contingens, ob diuturniorem halitus retentionem & diaphragmatis inde ac vteri depresſionem.

27. Nocet etiam manuum repentina in altum extenſio: hac

 enim

enim ratione abdomen & vterus ſimul contrahuntur. Magis autem omnes eius modi motus primis, quam poſterioribus, menſibus nocent.

28. Somnus & vigiliæ idem moderamen poſtulant, reſpiciendo corporis temperamentum, vbi cholericis diuturnior ſomnus magis, quam phlegmaticis concedendus eſt.

29. De *aëre* eadem valet temperatura: nimius enim calor humores in orgaſmum concitat.

30. Venus ſummo ſtudio fugiatur, quia abortum prouocare, & ſuperfœtationem, licet hanc rariſſime parere poteſt: alias cauſſas tacemus.

31. *Animi pathemata* reliquis omnibus ſunt potentiora, & hinc quam maxime ſuas merentur cautelas.

32. *Ira* & *terror* hæmorrhagiam vterinam & abortum ſuſcitant, fœtum interimunt, aut infantem pauoribus & epilepſiæ reddunt obnoxium: inſuper terror maxime ſignat fœtum, quo ſi forte grauida perturbetur, caueat ſibi a faciei contactu, & doſin pulueris antiſpasmodici, cum abſorbente quodam coniuncti, adſumat.

33. Quibus antea *abortus* contigit, circa illud ipſum præcipue tempus, ab his & nouæ commotionis occaſionibus, non minus autem ab ipſo metu reuerſuri abortus, præ aliis ſibi caueant.

34. Adfectus animi primis & vltimis, phantaſia vltimis menſibus præcipuam ſuam efficaciam exſerunt, & in embryonem deriuant. Poſt tales caſus præter pharmaceutica, vbique conueniunt placida requies & modeſtum animi oblectamentum, nociuas impreſſiones diſſipatura.

35. Tandem, quoniam certiſſimum eſt, quod mentis adfectiones maternæ cum animo embryonis communicentur, grauida bene meminerit, ſe duplici vinculo eſſe ligatam, animum, diuinis ideis & oblectamentis imbutum, conſeruare.

36. Con-

36. Contingit aliquando, licet rariſſime, vt grauidæ vltimis ante partum hebdomadibus *hæmorrhagiam mammarum* experiantur; quo caſu temperantia nitroſa cum cinnabarinis conducunt.

## TABVLA CXXXV.

### DE
# ADFECTIBVS PARIENTIVM.

I. *SIGNA PARTVS IMMINENTIS.*

1. Frequentior vrinæ emiſſio.
2. Teneſmodes inteſtini recti conſtrictio, non quidem durabilis, ſæpius tamen reuertens.
3. Prodit aliquando breui ante partum e vagina vteri mucus cruentus, cum inſequente vrina turbida & ſordida.
4. Vterus paulatim ſubſidet & ad os pubis vergit; quod mulieres exprimunt: Der Leib hat ſich geſencket.
5. Menſura temporis, 40 nempe hebdomadum a prima menſtrui fluxus emanſione, vel 20. aut 21. hebdomadum, a primo fœtus motu computando.
6. Præcipue ſi ea phaſis lunæ, qua alioquin grauida menſtruum fluxum experiri conſueuit, ſimul congruat. *Plura de his vid. infra.*
7. Dolores dorſi & lumborum deorſum ad pubem vſque protenſi.
8. Motus ipſius vteri ſpaſtici cum tremoribus genuum, pedum, & inſequente apertura orificii vterini, wenn ſich der Leib nach denen rechten Wehen gebührend öffnet.
9. Secundinarum ruptura, & contenti liquaminis effuſio, ſuccedente maiore vteri reſeratione, vt conuexitas capitis quodam modo quaſi promineat; feminæ dicunt: Das Waſſer iſt geſprungen, das Kind iſt in die Geburt getreten.

II. *PRO-*

II. *PROGNOSIS.*

1. Partus *facilius* ſuccedit iunioribus, vegetis, frugalibus, ruſticis, & quæ ſunt animi moderatioris: quo magis conſueto menſtruo tempori reſpondet, eo meliorem ſucceſſum pollicetur.
2. *Difficilem* autem partum ſequentes circumſtantiæ minantur.
   1) *Ex parte matris:*
      a) Habitus corporis plethoricus, nimis obeſus.
      b) Vel debilis, morboſus aut delicatulus.
      c) Calculus veſicæ, cuius inde crepatura metuenda eſt.
      d) Quæ inobedientes ſunt, ſuisque adfectibus moderari neſciunt.
      e) Primiparæ, præcipue annoſæ, bey welchen es ſchwerer bricht.
      f) Terror inſtantis tori.
      g) Mala & cruda diæta.
      h) Dolores iuſto diutius emanentes, langueſcentes, aut rarioribus interuallis reuertentes.
      i) Dolores ſpurii, qui non ad partum, ſed ſurſum verſus præcordia & caput tendunt, cum leui animi deliquio, anxietate præcordiorum, odontalgia & cephalalgia, da ſich die Wehen in die Höhe ziehen, und in den Kopf ſteigen.
      k) Hæmorrhagia vteri partum antecedens.
      l) præmaturus aquarum effluxus.
      m) Membranæ ſecundinarum firmiores, rumpi neſcientes.
      n) Conuulſiones, parturienti ſuperuenientes.
      o) Defectus aperturæ vteri, ob ſcirrhoſas excreſcentias, vel alias vaginæ læſiones.
   2) *Ex parte embryonis.*
      a) Concretio ſecundinarum, vel harum ante partum excretio.
      b) Circumuolutio funiculi vmbilicalis, circa collum embryonis.

c) Fœ-

c) Fœtus male conformatus, hydrocephalicus, vel plane intermortuus.

d) Gemelli, æquali enixu ad egreſſum promoti.

e) Fœtus peruerſe poſitus, ſpeciatim, vbi capite prono ſuper os pubis imminet, wenn das Kind über den Bogen ſtehet; vel pes aut manus præcedit.

f) Mola, quæ interdum cum ipſo fœtu geſtatur: de hac inferius plura.

3) His accenſeri merentur:

a) Imperitæ obſtetricis machinationes & peruerſæ actiones.

b) Partus circa plenilunium contingens, qui vti difficilior, ita etiam, in iunioribus, rarior eſſe obſeruatur.

III. *ADFECTVS IPSI ET ILLORVM TRACTATIO.*

Inter ſymptomata, parientibus familiaria, occurrunt

1. *Dolores ſpurii.*

1) Hi torquent aliquando grauidam vel inſtante partus tempore, vel interdum 2. 3. hebdomadas ante partum.

2) Dignoſcuntur e vago motu dolorifico, flatulento, modo transuerſim per abdomen, modo ſurſum verſus præcordia & caput, excurrentes.

3) Suſcitantur per regimen incongruens, diætam crudam & calidam medicationem.

4) Diſcutiuntur

a) *Interne:* carminatiuis temperatis, e. g. pimpinell. alb. momento coſti veri, caryophyll. aromatic. cardamom. maſticat. fruſtulo panis melliti, exiguo calidi vini hauſtu.

b) *Externe:* neruinis, iisdemque carminatiuis: *fomentis* ex herb. pulegii, ſerpilli, chamomill. menth. *ſuffitu* e nuce moſchata, caryophyll. cardamom. pauxillo croci cum vino dilutis, & feruido lateri vel ſilici adfuſis.

2. *Dyſtocia*, ſeu *partus difficilis.*

 1) Hu-

1) Huius cauſſas ſub *prognoſi* iam indicauimus.
2) In vniuerſum partus facilitatur
a) *Emollitione* partium per balnea & inſeſſus e furfuribus & pauco ſemine lini per 14. dies ante partum vſurpanda. Vulgus *interne* vtitur iuſculis pinguibus cum multo oleo oliuarum: externe olea & vnguenta abdomini illinit.
b) *Alui* expeditione per *victum* humectantem & leniora *laxantia*, per *clyſteres* pure lubricantes e decocto hordei, auenæ, lacte, pingui iuſculo carnium cum ſaccharo, vel ſale communi, & oleo amygdalarum dulcium vel oliuarum.
c) Iuſti temporis *exſpectatione*, motu corporis tolerabili, deambulatorio in hypocauſto, donec veri dolores euidenter accedant.
d) *Moderate pellentibus* & promouentibus, quæ tempore neceſſitatis, poſt aquæ effuſionem, orificii vterini reſerationem, & fœtus in illud ingreſſum, locum habent. e.g.
α) Borax veneta.
β) Crocus, parcius exhibitus.
γ) Hepar anguillæ ad ſcrup. I. propinatum.
δ) Puluis ſecundinarum exſiccatarum, ſeu ſpiritus illarum, ſecundum *Ettmüllerum*.
ε) Pilulæ *Becherianæ*, *Stahlianæ*.
ζ) Aquæ deſtillatæ, e.g. meliſſæ, puleg. lil. alb. verben. cheir. cinnam. ſed moderate, ad drachmas potius quam vncias, ſumendæ. *Riuinus* propinat drachm. ſem. lauendul. cum aqua puleg. vel alia, & ſi neceſſarium eſt, poſt 2-3. horas repetit.
e) Eodem tempore etiam *externa* conueniunt, nempe
α) Neruino aromatica e pane mellito, piperato, quem vino Hiſpanico vel balſamo embryonum madefacere, & nuce moſchata, caryophyllis, croco, cardamom. conſperſum abdomini imponere licet.

β) Suf-

β) Suffimigia ex his & aliis; quibus nothi dolores euaneſcunt, & legitimi promouentur.

3) In *debilitate* & morboſa matris conſtitutione ſuccurritur debitis analepticis.

4) Quando delicata *animi ſenſibilitas* ſubeſt, dolores fugiens, non ſolum analepticis, ſed etiam adhortationibus ſeriis, ad conſtantiam laborum grauida animanda eſt.

5) Vbi *dolores interrupti*, *vagi*, vel *languidi* ſunt, eadem conducunt, quæ ſuperius iam laudauimus.

6) In doloribus *ſurſum verſis*, anguſtias præcordiorum, reſpirationem difficilem, odontalgiam & cephalalgiam proritantibus, puluis antiſpasmodicus, pilulæ *Becheri*, *Stahlii*, & clyſter rem expediunt.

7) Peccante *plethora* a nimis obeſo parturientis habitu, venæ ſectio in brachio ad præcautionem, immo etiam in ipſo partus termino in pede potius adornanda, vti & temperantia commendantur.

8) Deficiente *niſu* ad fortiora tandem, aliis irritis, progrediendum eſt, qualia ſunt *ſternutationes* & *emetica*, iuncta in habitioribus venæ ſectione.

9) Quando *membranæ* ſecundinarum nimis *firmæ* ſunt, (quo caſu interdum, licet difficillime, integris membranis fœtus inuolutus excluditur) ſufficientia tamen imminentis partus indicia proſtant, embryo etiam debito ſitu deprehenditur, perita & cauta obſtetrix, non tam vnguibus, quam ſcalpello ſuperius obtuſo, easdem rumpat, & ſeparet; qua ratione aquarum & fœtus egreſſio promouentur. Vulgo dicunt; Das Waſſer kneipen. Vid. *Ettmüllerus*.

10) Quando autem *aquæ maturius* effluunt, & viæ nimis inde exſiccantur, obſtetrix vaginam vteri & abdomen moderate inungat oleis amydal. dulc. lil. alb. chamomill. oliuar. vnguent. alth.

11) *Conuulſiones*, parturienti ſuperuenientes, expoſcun

moderationem per antepileptica, cinnabarina, lumbricos terreſtres præparatos.

12) In *hæmorrhagia vteri*, ſiue proxime, ſiue aliquot hebdomadis partum præcedente, & tam fœtui, quam matri, vitæ periculum minitante, temperantia pellentivm vſum ſuppleant.

13) Si fœtus *legitimum ſitum* non occupet, pellentia maximo damno adhibentur: hinc manus obſtetricantis, ſeu chirurgi in debitum ſitum embryonem prius reponat, &, vbi capite prono ſuper os pubis imminet, wenn das Kind über den Bogen ſtehet, fœtus caput *blande* ſurſum adigere nitatur.

14) *Fœtus* vel *male conformatus*, vel hydrocephalicus, vel funiculo vmbilicali circumuolutus, vel plane intermortuus, vbi dyſtociam efficit, res fere conclamata eſt. De fœtu tamen mortuo tractando videatur tabula antecedens.

15) Eamdem difficultatem premunt, nullum autem auxilium pharmaceuticum admittunt, *gemelli* æquali enixu ad egreſſum promoti.

16) Tandem de *mola*, vtpote non minima dyſtociæ cauſſa, aliquid dicendum reſtat.

a) Eſt concrementum membranaceum, fibroſum, quod apertum ſanguinem ſpiſſum nigricantem exhibet.

b) Interdum *ſola*, interdum cum *fœtu ipſo*, geſtatur.

c) *Moronus* indicat exempla viuarum, monſtroſarum molarum, fœtum enecantium, roſtro, vnguibus &c. conſpicuarum.

d) Vnde oriantur molæ, quæſtio eſt maioris momenti: non leuem enim maculam ſuſpicionis adſpergit illis, quæ extra coniugium easdem excludere ſolent; tuentur tamen recentiores, quod & ſine viri congreſſu laſciuis ouula decedere poſſint.

e) Sæpe autem a prægreſſo abortu, præcipue immaturo, originem ducunt, retentis nempe laciniis ſecundinarum.

f) Quæ

f) Quæ molæ *ſolæ* geſtantur, in iunioribus facilius decedunt, & ad ſummum vltra annuum ſpatium in illis non durant, in annoſis autem per duos vel tres annos hærent, & non raro mortem inducunt; quæ vero cum fœtu ſimul geſtantur, ambiguam nutritionem, anxia ſymptomata, fluxus vterinos heteroclitos, & abortus periculum minantur.

g) *Signa* ſub initium ſatis dubia ſunt, certius vero tum demum indicium habetur, quando poſt dimidium geſtationis tempus verus embryonis motus non percipitur; ſed palpitationes ſaltem lenes, rariores, & obſcuræ. His accedunt perpetui quaſi irregulares fluxus vterini. *Vid differentia tab. CXXXIV.*

h) Quo caſu fere concurrit talis flacciditas vteri & illius ligamentorum, vt ſub mutatione decubitus ex vno latere in alterum pondus quaſi in eodem hypogaſtrio volutari ſentiatur.

i) Et licet abdomen, iuſtæ impprægnationis inſtar, turgeſcat, in eo tamen ſæpius diſcrepat, quod planivs, & verſus hypochondria latius, frequenter etiam certo tempore flaccidum, & dimidia parte quaſi vacuum, conſpiciatur.

k) Sentitur etiam magis, quam ordinarie, pondus verſus infimam abdominis regionem.

l) Tanto certius vero molæ præſentis ſignum eſt, quando vel nulli dolores ad partum iuſto tempore contingunt, vel non ſufficientes, vagi & inconſtantes, aut vehementes etiam, nullam expulſionem producunt.

m) Quando mola cum fœtu geſtatur, prius non admittitur medicatio, quam poſt veræ & falſæ conceptionis excluſionem: quo caſu vterus legitime repurgandus eſt, ad methodum ſub abortu commendatam.

n) Quando autem mola *ſola* geſtatur, & indubia illius

ſigna proſtant, ſingulis menſibus, ad excluſionem vſque, pilulæ *Stahlianæ* per decem & plures dies poſſunt propinari, coniunctis aliquoties circa plenilunium balneis temperatis.

3. *Retentio ſecundinarum.*

1) Hæc citius expedienda eſt, antequam vterus poſt partum iterum occludatur, alias grauiores hæmorrhagiæ, lipothymiæ & febres inflammatoriæ putridæ ſuccedunt.

2) Promouentur autem ſecundinæ

a) Per tuſſim voluntariam, vel ſternutationem puerperæ.

b) Per lenem attractionem funiculi vmbilicalis, cauendo tamen, ne fortiore conatu abrumpatur.

c) Per modeſtam & cautam manum obſtetricis, mit geſchmeidigen, dünnen Händen.

d) Per doſin pilularum *Stahlii* vel *Becheri*, ſiue in pulverem redactam, ſiue aqua fœniculi ſolutam.

e) Per hepar anguillæ, aqua quadam vterina propinatum.

f) Per iuſcula crocata.

g) Per clyſteres domeſticos.

3) Si vero fruſta quædam remanſerint, & poſt duodecim fere horas motus febriles inſequantur, putredo inhibenda & exterminanda eſt: in quem finem laudantur:

a) Pilulæ balſamicæ *Stahlii*, *Becheri*, per aliquot dies continuandæ.

b) Eſſent. alexipharm. cum eſſent. ſuccin. myrrhæ, cort. caſcarill.

c) Salina colliquantia & temperantia.

4. *Prolapſus vteri.*

1) Non confundendus eſt cum relaxatione vaginæ vteri, nam vterque ſtatus occurrit, licet non nulli auctores prolapſum vteri negent.

2) Ple-

2) Plenarius vteri prolapſus a ruptura ligamentorum illi-vs, præcipue latorum, dependet.

3) Illapſus in vaginam vel ſinum tantum pudoris a laxitate horum ligamentorum producitur. Cauſſæ *antecedentes* multæ ſunt.

4) Euenit ſæpe ſub vel poſt fœtum enixum.

5) *Symptomata* periculoſa inducere poteſt, e.g. vrinæ ſuppreſſionem, tumores inflammatorios, gangrænam, ſphacelum, vel vlcerationes cancroſas. Nihil de ſterilitate dicamus, quam inducere ſolet.

6) Reſtituitur

a) Manuali repoſitione, antequam intumeſcentia ſuperueniat.

b) Adſperſione aluminis & maſtichis pulueriſat.

c) Sufficiente calore, incubando aſſeri calido.

7) Quando autem prolapſus talis in habitum degenerauit, tractandus eſt vti *procidentia ani*. Conf. tab. de teneſmo, item tabula XCVIII. cautel. 4.

8) Dantur peculiares machinæ, quarum adplicatione habituali tali malo occurritur, e.g. annuli ſeu circuli ex ebore parati, parantur etiam eius modi circularia peſſaria e ſubere.

9) Plenaria autem vteri diſſectio, vti in caſu neceſſitatis ab auctoribus quibusdam commendatur, ita negotium eſt periculo plenum.

## IV. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Principium vitale vti intentionem ſuam in aliis morbis non ſemper continuis, ſed per interualla repetitis motibus proſequitur, ita etiam in negotio partus tales motuum ſpaſticorum interruptiones occurrunt, quæ ſane non culpandæ, ſed perite potius conſiderandæ & æſtimandæ ſunt.

2. Sic enim obſeruare licet, quod parientes motus experiantur ſub initium leniores, quibus fœtus ſenſim ad legitimum ſitum promouetur; germanice, daß ſich das Kind ſenckct, und vor die Geburt trit.

3. Poſt

3. Poſt hunc laborem natura paullulum acquieſcere ſæpius obſeruatur, deinde motus de nouo ſuſcipit ad vterum aliquo modo aperiendum.

4. Hunc laborem plurimum noua ſequitur requies, donec tandem ad vltimum laborioſiſſimum actum natura accedit, nempe ad ſecundinarum rupturam, vteri maiorem reſerationem, fœtus ingreſſum, daß das Kind in die Geburt trete; & tandem eiusdem excluſionem.

5. Hic ſenſim procedens naturæ labor, admiratione digniſſimus, non ſolum vulgo non attenditur, ſed toto etiam die, imprudentia præcipue obſtetricum, turbatur, præcocibus nempe ad partum hortamentis, pellentibus præmaturis &c. vnde parientis vires friuole conſumuntur, vt iuſto deinde tempore ad labores impares exſiſtant, vel fœtus ipſe in ſitum incommodum deueniat.

6. Ad graues hoſce errores euitandos notetur, quod vix vmquam conſultum ſit, ad labores parientem excitare, antequam notabilis vteri reſeratio ſuperuenerit, cum aquarum effuſione, & fœtus ingreſſu. Deambulet potius ſeu circumducatur parturiens in hypocauſto, vel ſedendo aut ſtando propiora partus indicia exſpectet.

7. Maximum parturientis officium in eo ſaltem conſiſtit, vt ſpaſmos ſeu dolores ad partum, a natura excitatos, prudenter adminiſtret, abdomen nempe comprimendo, halitum profundius inſpirando, inſpiratum ſub vigore dolorum diutius detinendo, detentum non vno impetu, ſed leniſſime exſpirando, ab inutili eiulatu, quiritatione, immorigera ſitus mutatione & volutatione abſtinendo.

8. Clamores autem contentioſi, qui ſub vltima fœtus eruptione contingunt, non adeo compeſcendi ſunt, quoties cum abdominis preſſione iunguntur: hi enim non retardant excluſionem, ſed potius quodam modo eamdem promouent.

9. Quod ad *pellentia* & partum promouentia remedia attinet, merito prius conſiderandum eſt, num iisdem opus ſit: ſi enim

ſi enim energia naturæ iam ſufficit, metuendum ſane, ne, addito ſtimulo, nimium motus intendatur, & niſus ſuperfluus dolorificus, aut hæmorrhagiæ nimiæ poſt ea inſequantur.

10. Maxime hoc valet de *emmenagogis* vulgatis calidioribus, e. g. myrrha, ſuccino, elixiribus vterinis, oleis deſtillatis, croco & borace largiore; quæ omnia vel plane non, vel caute & parce vſurpanda ſunt.

11. Immo ipſæ vſitatæ *aquæ ſpirituoſæ*, e.g. cinnamomi, vini Hiſpanici, quæ ſcopo analeptico ſub partu exhiberi ſolent, diſcrimen ſubiectorum poſtulant: plethoricis enim & cholericis iunioribus moderatiſſime concedendæ ſunt; alias hæmorrhagiæ vel febres acutæ inducuntur.

12. Conferunt potius talibus *nitroſa temperantia*, e.g. puluis antiſpaſmod. quæ orgaſmum ſanguinis temperant, & faciliorem partus ſucceſſum promouent.

13. *Obſtetrices* ſæpe valde imperitæ, immo ſtupidæ ſunt, & hinc illegitimum fœtus ſitum ſæpius accuſant, ac eumdem corrigere ſatagunt: vnde arcendæ ſunt a tali conatu, quod ſi vero mali ſitus ſuſpicio obueniat, res peritioribus, ſiue feminis, ſiue chirurgis, relinquenda eſt. Ceterum imperitia eſſet, iudicium de ſitu fœtus exquiſitum ab obſtetrice ante requirere vel comprobare, quam ſecundinæ ruptura & aquæ effuſio facta ſit.

14. Eædem temperare ſibi debent a ſtolida & audace *apertione ſecundinarum*, ſiue acicula, ſiue vnguibus illa tentetur; niſi membranæ tenuiores vna cum fœtu prodeant, vel ad modum promineant, aut, in præternaturali partu, placenta prius ſeſe offerat: hæc enim artificialis apertio non æque, ac ſpontanea ruptura, *late* dehiſcit, neque ita iuſtum fœtui exitum præbet. *Vid. Ettmüllerus.*

15. Sic etiam tales imperitæ quouis modo arcendæ ſunt a rudi tractatione, ne læſionem vaginæ, veſicæ, immo ipſi infanti inferant.

16. In partus conatibus, quando femina ſellæ vel lecto infle-

xis genibus impoſita eſt, *collum & genua mantilibus* circumligantur, ne ſpaſtici dolores illa inflent, & tumores relinquant.

17. Ad vltimum excluſionis niſum tolerabiliorem reddendum, *ſuſtentatio oſſis ſacri*, ſiue manibus validioribus, ſiue alio fulcro, magnum leuamen adfert.

18. *Hæmorrhagia vteri* ante partum, vti periculo non caret, ita operæ pretium eſſet, ſi remedium illud, quod *Henricus* ab *Heer* tamquam indubium commendat, vlteriori tentationi ſubiiceretur. Eſt autem illud *teſticulus equinus*, in taleolos conciſus, vino immerſus, clibano exſiccatus, pulueriſatus, & ad vſum repoſitus. *Videantur dicti auctoris obſeruationes.*

19. *Aluus ſicca* remoratur partum, vnde emollienda eſt clyſteribus, laxantibus, ſenna, paſſul. min. iuſculis. Denudatio vero corporis & refrigerium, præcipue humidum, magna pericula minantur.

20. Præ ceteris etiam corporis & animi mollities, inquietudo, impatientia, & anxiæ querelæ excluſionem fœtus reddunt difficiliorem; præcipue quando hypocauſtum eſt anguſtum & nimis calefactum.

21. Denique *exſpectatio legitimi temporis* non infimum in negotio partus locum habet: quæ feminæ ſtatum tempus menſium non habent, nihil exquiſite exſpectare poſſunt; hæ quando ad tolerantiam ſanæ ſunt, & diſtinctum fœtus motum adhuc perſentiſcunt, de partus vltra calculum ſuum dilatione nihil habent metuendum.

22. Quæ vero ſtatos menſes habent, illæ medio geſtationis tempore motum fœtus adnotent, & viginti abhinc hebdomadas numerent: ſi harum finis incidat in illud tempus, quo menſes fluere ſolent, de partu inſtante ſatis certæ eſſe poſſunt; vbi autem conſuetæ menſium euacuationi illarum finis non reſpondet, partus vel paullulum differtur, vel maturius exſpectandus eſt, prout nempe menſium terminus finem viginti hebdomadarum transgreditur, vel eumdem præcedit.

TAB.

# TABVLA CXXXVI.
## DE
# ADFECTIBVS PVERPERARVM.

I. ADFECTVS.

1. *Nimius lochiorum fluxus.*
   Hunc morbum ſuperius peculiari tabula exhibuimus.
2. *Suppreſſio lochiorum,* ſiue in totum, ſiue in tantum. De hoc itidem ſpeciali tabula ſuperius actum eſt.
3. *Febres inflammatoriæ.*
   1) Hæ puerperis non raro accedunt.
   2) Oriuntur
      a) Vel a ſtaſi ſanguinis poſt partum laborioſum, & a ſecundinis retentis.
      b) Vel a lochiorum ſuppreſſione;
      c) Vel ab animi pathematibus, e.g. terrore, iracundia;
      d) Vel a refrigeratione.
   3) Sæpius ſunt funeſtæ.
   4) Tractantur vti aliæ inflammatoriæ febres, & ita expoſcunt
      a) *Reſolutionem* per ſalina, abſorbentia ſemi-ſaturata, pulueres temperantes.
      b) *Diſcuſſionem* per eſſent. alexipharm. cort. aurantior. in primis cort. caſcarill. cum regimine leniter diapnoico.
      c) Non neglecto *alui ſucceſſu* per globul. moſchat. clyſterem domeſticum, e decocto hordei cum oleo anethi & ſale, item per pilulas *Becheri* vel *Stahlii*.
4. *Febris miliaris* ſeu *purpura.*
   1) Hæc puerperas, vt ad læſionem ſubeundam magis diſpoſitas, in vno & altero loco non ita raro infeſtat.
   2) Exhibuimus hanc febrem ſuperius tabula ſpeciali.
5. *Febris papularis.*
   1) Hæc, latioribus maculis conſpicua, puerperas etiam

 ſub-

ſubinde inuadit; germanice: die Neſſel-oder Wiebel-Sucht.

2) Miteſcit ſolis temperantibus & abſorbentibus cum leni regimine & aquis diapnoicis temperatis.

3) Tandem, poſt 14. circiter dies, ſordes biliosæ laxante quodam conueniente, e.g. rhabarb. vel manna, iuſculo carnis ſoluta, eliminentur.

6. *Diarrhœa choleriodes.*

1) Huic anſam facile præbent

a) Iracundia.

b) Potus vel frigidus vel fæculentus, tanto magis vterque ſimul concurrens.

c) Suppreſſio fluxus ſanguinis.

2) Magnis torminibus, doloribus & febre inteſtinorum inflammatoria ſtipata, ſatis periculoſum ſymptoma grauidarum exſiſtit, præcipue ſi poſt 3. 4. dies non imminuatur.

3) Tractantur:

a) *Interne*

α) Abſorbentibus, e.g. matre perlarum, oc. cancri, corall. C.C. vſto.

β) Poſt correctam materiam ad roborandum rad. gentian. rubr. conuenit.

γ) Interpoſitis ſubinde rhabarbarinis & ſubiunctis anodynis correctis.

δ) Exhibendo vbique potum temperantem largiorem.

ε) Euitando adſtringentia & narcotica.

ζ) Nitrum non niſi in potu dilutiore adhibeatur.

b) *Externe* fomentis e reſoluentibus & tonicis.

7. *Flatulentia lochialis.*

Hanc diſcutiunt

1) *Interne*

a) Puluis e conchis præparatis, antimonio diaphoretico & croco martis antimoniato teneriore paratus.

b) Oleum amygdalarum dulcium.

c) Spi-

c) Spiritus tartari, ſalis armoniaci aniſat.
d) Eſſent. cort. aurantiorum.
e) Nitroſa in calidioribus, ſpiritus nitri dulcis.
f) Iuſcula carminatiua, crocata.
2) *Externe* neruina conducunt.

8. *Dolores poſt partum.*
1) Hi oriuntur facile
a) Poſt partum difficilem.
b) A reſiduo quodam fruſto ſecundinarum, vel ad minimum ſanguine in vtero coagulato.
c) A vitiis lochiorum ſiue excedentium, ſiue ſuppreſſorum.
d) A refrigerationibus.
e) A neglectu legitimæ ligaturæ abdominis poſt partum.
f) A vehemente infantis ſuctione.
2) *Sopiuntur*
a) Tinctura cort. aurant. recent. ſaturat. cum ſyrupo cort. aurant. & de citro mixta, ac in aqua meliſſæ exhibita; cauendo a tinctura caſtorei.
b) Compoſitionibus e zedoar. carlin. pimp. alb. angelic. chamomill.
c) Iuſculis carminatiuis, nuce moſchata conditis.
d) Aquis pulegii, meliſſ. ceraſ. flor. tiliæ; cinnamom. cydonior.
e) *Specificis*, e.g. ſemine nigellæ, iuſculo pingui exhibito, vrina mariti ad cochlear. I. propinata.
f) His tamen omnibus palmam præripiunt pilulæ *Stahlianæ* vel *Becherianæ* genuinæ.
g) *Externe*
α) *Clyſteribus* carminatiuis.
β) *Fomentis* odoriferis e ſpiritu ſalis armoniaci cum ſpiritu apoplectico; item e dictis radicibus cum chamomill. roremarino, mentha rubra, flor. ſambuc. bacc. lauri.
γ) *Linimentis*, ſcrobiculo cordis adplicatis, ex ol. anethi, irino cum oleis deſtillatis carminatiuis, menth. carui.

 3) Li-

3) Licet autem hi dolores rarius in primiparis, quam aliis, occurrere credantur, docent tamen non pauca exempla, quod non prorſus ab hoc incommodo liberæ ſint.

9. *Pauores.*

His ſuccurrunt

1) Analeptica temperata, emulſiua, gelatinoſa.
2) Vſus modicus vini generoſi.
3) Gemmata.

10. *Tumor abdominis.*

1) Hic ortum ſæpe repetit a ligatura abdominis post partum neglecta.
2) Exigit carminatiua & reſoluentia, quæ inquinamenta vteri expurgare ac debitum tonum reſtituere valent, e.g.
   a) Rad. bryon. hellebor. nigr.
   b) Herb. betonic. origan. chærefol.
   c) Præ omnibus pilulæ *Stahlii* vel *Becheri* per 14. dies continuatæ, & poſt menſis interuallum repetitæ.

11. *Tumor pudendorum.*

1) Exſiſtit a partu difficili.
2) Præter alia incommoda dyſuriam inducit.
3) Succurritur:
   a) Vnguento althææ, quod præſente ardore & inflammatione qualicumque remiſceatur cum vnguento albo camphorato.
   b) Sacculis e floribus chamomill. ſambuc. ſemin. lini & paullulum camphoræ paratis, lacte coctis, leniter expreſſis & impoſitis.
4) Ipſi autem dyſuriæ, item incontinentiæ vrinæ, quo modo ſuccurrendum ſit, ſuo loco quæratur.
5) Quando *vulneratio* in illis locis præſto eſt, liquamen myrrhæ, oleum ouorum, vel alia balſamica congrua locum habent; euitando pinguinoſa, quæ tumores facile inuitant.

II. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Quam primum femina peperit, quantocyus in lectum bene ca-

ne calefactum deferatur, & abdomen illius, unter denen Rippen im weichen, latiore mantili ligetur.

2. Præcipue autem ab omni aere frigido defendatur: ſuperne enim ſudore & inferne ſecundinarum liquamine madida ægerrime refrigerationem tolerat.

3. His inſuper habitis, facile lochiorum ſuppreſſio, febres, tormina, flatus, tumor abdominis ein ſackigter Leib, gleich einer ſchwangeren Frau, ſuccedunt.

4. Ceterum vulneratæ inſtar tractanda eſt, & vires refocillandæ ſunt:

1) Per ſummam corporis *requiem*.

2) Per conceſſionem ipſius *ſomni*, neglecta illa traditione, quod puerpera intra tres poſt partum horas non debeat dormire; niſi quidem lipothymica vel ſyncoptica plane metuenda pericula contrarium ſuadeant. *Vid. cautela* & prognoſis tabulæ de lipothymia, item num. 16.

3) Per *iuſcula*, non ſpirituoſa, ſed temperata, e carnibus gallin. bubul. quibus cuminum incoquatur.

4) Item per *iuſcula* e cereuiſia defæcata cum cumino.

5) Per *gelatinoſa* e raſur. C. C. ebor. cum citro, ol. amygdal. dulc. cum ouo recente. momento cinnamomi.

6) Per *potum* ex aqua hordei, paſſul. typhor. C.C. paratum.

7) Per vinum aqua largius dilutum, quod poſt quartum diem, quando lactis horrores perpeſſi ſunt, liberalius concedi poteſt; quo tempore ipſum vinum generoſum extraneum, modice ſumtum, egregie reficit.

5. *Calor* hypocauſti æqualiter vbique conſeruetur, & *potus* frigidus ſummopere fugiatur.

6. Vulgi feminarum illa eſt ſuperſtitio, quod puerperæ longe minimum bibere debeant; quod tamen de potu frigido vnice intelligendum eſt: immo ne conducit quidem, ſolo calido illo potu & decocto puerperas ita macerare, vt ſæpius conquerantur, viſcera ſua a feruidis illis iuſculis ſemi-cocta quaſi & aduſta eſſe.

7. Inter *excretiones* primum locum tenent *lochia*: vbi cauendum,

dum, ne per inquietudinem & calida remedia ac regimina ad nimium fluorem perducantur, neque etiam, ſiue actuali, ſiue potentiali refrigerio, ſupprimantur.

8. *Diapnoë* moderate promoueatur, & ſi etiam largiſſime ſuccedat in ſucculentis, phlegmaticis, minime tamen turbetur.

9. Ad *alui ſolutionem* primis diebus non ita properetur, habet enim principium vitale in maſſa ſanguinea tantum occupationis, nempe negotium lochiorum & lactis dirigendum, vt primas vias aliquo modo negligere cogatur.

10. Hinc non conſultum eſt aluum eo tempore irritare, multo minus ventriculum ineptis & ſolidis cibis onerare, ne natura a labore ſuo maxime neceſſario auocetur.

11. Cum gaudio ſane, non ſemel ſed ſæpius, obſeruare licuit, quod *pilulæ Stahlianæ*, ſigillo auctoris munitæ, & hinc genuinæ, puerperis, iisque accuratam diætam obſeruantibus, a primo partus die vſque ad nonum exhibitæ, aluum prius non ſoluerint, quam quarto circiter die, ſub optima interim puerperarum euphoria: teſtimonio ſatis euidente, pilulas haſce non agere ſtimulando, ſed naturam roborando, & ad ſcopos neceſſarios inuitando.

12. Quibus tamen pilulæ hæ ad manus non ſunt, *illæ* ad alui ſiccitatem, flatulentos & anxios motus inferentem, adhibeant clyſterem pure emollientem, oleum amygdalar. dulc. & cibos lubricantes.

13. *Animi pathemata* cane & angue peius fugienda ſunt: terror enim lochia ſupprimit, ira hæmorrhagias inſoleſcentes, febres acutas, diarrhœas choleriodes producit; vtraque vero pathemata ſyncopticas reddunt puerperas.

14. Abſit *lucis ſplendidæ* adſpectus; ſæpe enim in tenerioribus viſus inde debilitatur: item tinnitus & ſuſurrus aurium, vel plane auditus grauitas, inducuntur.

15. Fugiantur crebræ & diuturnæ *ſermocinationes*, excalefactionem ſanguinis facile concitantes.

16. Puerpera, largioribus lochiis exhauſta, ſi in *ſyncopen* aliquoties delabatur, & perpetuo obdormiſcere geſtiat, reſu-

reſuſcitetur, ne hinc in lethalem ſoporem tranſeat. Conf. num. 4. litt. b.

17. Solent mulierculæ protinus a partu *ſacculos* carminatiuos abdomini imponere; quod minime improbandum; ad flatus enim diſcutiendos conducunt.

18. Sic etiam genitalibus, pariendi labore tumefactis, vinum calidum, linteis imbibitum, adplicant.

19. *Calida* in iuuenculis, præcipue plethoricis, maxime vitanda, & vires vinoſis circumſpecte excitandæ ſunt.

20. *Orgaſmus* ſanguinis vbique occupetur per abſorbentia, & nitroſa.

21. Ante nonum diem *lectum* non deſerant puerperæ; neque prius *hypocauſtum*, quam poſt 5-6 hebdomadas, quo tempore non incommodum eſt, nodulo quodam laxante, vel pilulis *Becherianis* leniter illas repurgare.

22. Si lochia non ſatis fluxerint, & largior diaphoreſis ſucceſſerit, pellentibus ea non reuocentur, ſed diaphoreticis fixis & alexipharmacis res expediatur.

## TABVLA CXXXVII.

### DE

# ADFECTIBVS LACTANTIVM.

I. ADFECTVS.

1. *Horrores lactis*, Milch-ſchauer.

   1) Hi circa tertium vel quartum diem perſentiſcuntur.

   2) Nulla directe medicatione indigent: ſufficit circumſpectum regimen diapnoicum, & promotio perſpirabilitatis mammarum.

   3) Quando autem notabilis calor, vel febris plane inflammatoria iungitur, antifebrilia temperata adhibeantur.

2. *Inflammationes eryſipelaceæ mammarum.*

Hæ, vti aliarum partium, optime diſcutiuntur.

Mmm mmm 1) Spi-

1) Spiritu vini camphorato, eſſentia croci parce mixto.
2) Sollicita externi caloris conſeruatione.

3. *Lactis perruptio difficilis.*

Promouent hanc

1) Aluus laxa, per clyſteres carminatiuos obtinenda.
2) Lenis diaphoreſis.
3) Temperantia cum interpoſitis alexipharmacis.
4) Obtectio mammarum cum panno.
5) Frictio illarum cum excutia.
6) Fotus per pelliculam muſtelæ.
7) Suctio.

4. *Lactis defectus.*

1) Defectus lactis eſt vel *totalis*, vbi nullum plane lac mammas ingreditur; vel *partialis*, ad infantem alendum non ſufficiens.
2) *Totalis* defectus obſeruatur præcipue in illis, quæ nimis ſero matrimonium inierunt, & inſuper temperamenti ſunt cholerici.
3) *Imminutio* autem, ſeu *partialis* lactis defectus, dependet vel a ſero ſalſo; vel ab alimenti ſufficientis inopia; vel a mœroribus & aliis animi adflictionibus.
4) Vbi humores ſalſo-bilioſi peccant, ibi
   a) Corrigantur per abſorbentia, e.g. cryſtall. præparat. item lac lunæ, lumbricos terreſtres.
   b) Euacuentur per pilulas *Stahlii, Becheri.*
5) Vbi vero iuſtum alimentum deficit, lactis defectus reſarcitur
   a) Cibis eupeptis, nutrientibus, emulſionibus, lacte animalium, pultaceis.
   b) Carminatiuis, præcipue ſeminis cumini, nigellæ.
   c) Plebs lardum cum lacte coctum celebrat.

5. *Lactis abundantia.*

1) Hæc imminuenda eſt, alias varia incommoda circa mammas, nempe nodi & abſceſſus, oboriuntur.
2) Occurritur
   a) Suctione alius ſimul infantis, vel catuli.
   b) Emulſione.

c) Di-

c) Diæta parciore, diluta, potulenta.
d) Sufficiente corporis labore.

3) Ad *plenariam* vero lactis *diſcuſſionem*, ſi vel non poſſint, vel, pro moribus corruptis, nolint lactare, adhibeantur
a) *Interne* alexipharmaco-diuretica, & digeſtiua ſalina.
b) *Externe*
α) Sacculi ſicci ex herb. chærefol. petroſelin. menthæ, ſemin. coriandri, petroſelini, camphora, parati.
β) Spiritus vini camphoratus, crocatus, cum linteis adplicatus.
γ) Pro ditioribus cera alba liquetur, paullulum ſucci citri & camphoræ, in oleo ſolutæ, drach. I. addantur: huic liquamini linteum intingatur, ſtatim per frigidam aquam trahatur, & poſt ea adplicetur.

6. *Lactis tenuitas aquoſa.*
1) Hæc vel a diætæ, vel concoctionis, vel humorum vitio dependet.
2) Infantes atrophici inde redduntur.
3) Corrigitur hæc tenuitas
a) Diætæ mutatione.
b) Primarum viarum expurgatione per pilulas *Becheri*, extract. panchymagog. *Crollii*.
c) Harum deinde roboratione per ſtomachica.
d) Seroſorum humorum euacuatione per conuenientia phlegmagoga, e.g. ialappina.

7. *Lactis ſalſedo*, & *bilioſa flauedo.*
1) Hæc vitia tormina, diarrhœas, vomitus, adfectus cutaneos ſcabioſos, immo exulcerationes & febriles ardores infantibus inducunt.
2) Emendantur
a) Abſorbentibus, e.g. ocul. cancri, conch. præparat. matr. perlarum: nitroſis, rhabarbarinis.
b) Diæta conueniente, abſtinendo a cibis nimium ſalſis, acidis, aromatiſatis, item a potu ſpirituoſo, corporis & animi excandeſcentia.

8. *Lactis mucida craſſities.*
   1) Hæc facile nodos mammarum inducit.
   2) Attenuatur
      a) Alexipharmacis.
      b) Lenibus laxantibus, e.g. pilulis *Becherianis.*
      c) Moderato vini vſu.
9) *Staſis lactis.*
   1) Hæc diſcutitur iisdem remediis, quæ num. 5. ad lactis plenariam diſcuſſionem commendata ſunt.
   2) His adnumeranda veniunt:
      a) *Interne* abſorbentia, cryſtallus montana, item ſperma ceti.
      b) *Externe*
         α) Emplaſtrum de ſpermate ceti cum ſale volatili vrinoſo ſubactum.
         β) Emplaſtr. diaphoret. *Mynſichti.*
         γ) Compreſſio per veſtimenta arctiora.
10. *Nodi mammarum.*
   1) Hi a lactis vberiore adfluxu, mucoſa craſſitie & ſtaſi exoriuntur.
   2) Reſoluuntur
      a) Emplaſtris, modo commendatis, bona portione ſeminis petroſelini & coriandri imbuendis.
      b) Frictionibus cum excutia ſetacea, non valde aſpera.
      c) Pellicula muſtelæ confricando & imponendo, quæ res in ſenſibilioribus non contemnenda eſt.
11. *Abſceſſus mammarum.*
   1) *Maturandus* eſt tempeſtiue, vbi locum non magis habet diſcuſſio.
      a) Emplaſtrum quoddam maturans circumferentiæ tantum dolenti imponatur.
      b) Latius autem circa vel ſpiritus vini camphoratus crocatus, vel emplaſtr. de ſpermate ceti, aut diaphoreticum *Mynſichti.*
   2) Facta maturatione *aperiendus* eſt abſceſſus per lancettam, ſi ſponte rumpi recuſet.

3) De-

3) Deinde, vt *penitius emolliatur* apertus abſceſſus, emplaſtrum diachyl. ſimplex, ſiue ſolum, ſiue diachylo cum gummi pondere æquali remixtum, addita camphora, adplicetur.

4) Hoc ſcopo obtento a digeſtiuis abſtineatur, & ſolis *balſamicis* mundificantibus res abſoluatur, e.g. liquamine myrrhæ, vel, ſi hoc non ſufficiat, mixtura ex eſſentia myrrhæ, ſuccini & modico ſpiritus terebinthinæ parata.

5) Si vlceroſa inquinamenta ſimul adſint, lenia ſeptica e decocto tabaci, ol. philoſoph. addantur.

6) *Interne*, ſi nihil obſtet, laxatio tam in ſtaſi, quam abſceſſu conducit, coniunctis diureticis, præcipue ſalinis, & nitroſis.

7) *Chirurgi* vana opinione ducti ſæpe dubitant, in media mollitie abſceſſus apertionem inſtituere, vtpote in loco decliuiore: hinc ambitum eius, adhuc duriorem, grauiſſimo certe periculo, infeſtant.

8) Vti leuiores mammarum abſceſſus incongrua tractatione in cancroſas vlcerationes deducuntur: ſic contra facillimo modo breuique tempore perſanari poſſunt, ſi immodeſta maturatio excludatur, diſcutientia continuentur, acria remedia proſcribantur, & ſimplex tantum deligationis ac digeſtionis adparatus adhibeatur.

12. *Papillarum fiſſura.*

1) Hæc multa incommoda, inſigni dolore ſtipata, infert.

2) Sanantur

a) Oleo ouorum cum liquamine gemmarum populi, loco alius pinguedinis, ſubacto.

b) Oleo ceræ.

c) Oleo lini cum ouis conquaſſato.

d) Butyro cum recentibus floribus calendulæ in formam linimenti redacto.

e) Liquore florum verbaſci maris, & calendulæ in clibano parato.

f) Liquamine myrrhæ.
g) Vnguento de glycyrrhiza.
h) Suctione matura cum vitro ad hoc negotium adaptato, Ziehe-Glaß, antequam lac ſpiſſeſcat.
i) Præcauet hanc fiſſuram cupula cerea papillis iugiter ante & poſt partum impoſita. Item *papilla vaccina* præparatæ & papillis lactantis traductæ.

13. *Papillæ nimis paruæ.*

Paruæ & nimis latitantes papillæ euocantur

1) Maturo emulſionis tentamine, præcipue in primiparis.
2) Suctione infantis robuſtioris.
3) Adplicatione vitri, anguſtioris colli, antea tolerabiliter calefacti.
4) Quando autem iuſtam papillarum conformationem compreſſionibus veſtium & thoracum a iuuentute turbarunt, non mirandum, ſi poſt hac auxilia fruſtra adhibeantur.

14. *Ablactationis incommoda.*

Hæc euertuntur

1) Vel rara & parca ſuctione alius infantis, minus minusque de die in diem ſuppeditando.
2) Vel emulſione rarius & parcius, præcipue per vitrum, inſtituta.

## II. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Commodum *alimentum* ad boni lactis productionem omnino neceſſarium eſt: conſiſtit autem illud non in ſcrupuloſa & delicata diæta, ſed in ſimplice magis victu, ſub corporis ſufficiente motione adſumto.
2. Hoc adeo verum eſt, vt ruſticæ plurimæ, *tenui auena* vtentes, longe melius lac infantibus ſuis offerant, quam delicatulæ, otioſæ, pleniſſimo cupediarum adparatu.
3. Conuenit tamen a dyſpeptis, flatulentis, acidis, nimium ſalitis, abſtinere: hæc enim, licet non ſemper matri, ſæpius tamen infanti varia incommoda pariunt. *Acria* quoque & *aromatica* parcius ſumenda ſunt.
4. Quod ad *potum* attinet, in vſum veniat cereuiſiarius, bene defæcatus: ſpirituoſus autem, immo, in minus adſuetis,

per-

perpetuo vinoſus, minime commendetur, ob metuendas inde infantum conuulſiones.

5. Potus *frigidus*, & externæ refrigerationes mammarum, lactanti & lactenti ſæpius detrimentum adferunt.

6. Placidus corporis *motus vniuerſalis* vti plurimum confert, ita *particularis mammarum* inſignem habet vſum, nempe frictio & preſſio illarum, vt aquoſum lactis propellatur, & ductus lactiferi amplificentur.

7. Hic accuſanda eſt vanitas illarum, quæ a primis iuuentutis annis, ad iunceam corporis gracilitatem ſibi conciliandam, *thoracibus* mammas arcte conſtringunt, vt non ſolum tubuli lactei, ſed & papillæ repreſſæ, debitam conformationem non adſequantur.

8. *Animi pathemata* quam maxime noceant, quotidiana docet experientia; præcipue autem incommoda mammarum eryſipelacea, nodi & abſceſſus inde proueniunt: hinc terrore aut ira commotæ mammas molliter prius fricent, & lac emulgeant, quam infantem admittant.

9. Menſium, lactationis tempore, eruptio infantem varie adficit: hinc nec exſpectanda, nec promouenda eſt.

10. Ad coagulationem lactis præoccupandam, infans, ſi vegetus ſit, ſtatim adplicetur: vtile enim eſt coloſtrum; vel moderata mammarum expreſſio ante ſurrogetur, quam præualuerit infarctus.

11. Spiritus vini camphoratus *aquoſior*, vti alias in morbis eryſipelaceis, ſenſibilia ſubiecta & loca occupantibus, inſigniter nocet, ita & hic non exigua mala parturit. Idem damnum a mixtura illius cum vnguinoſis tenacibus, balſam. Peruuian. &c. exſpectandum eſt.

12. *Nutrices* temere conducere, religioni matres ſibi ducant: certe in ſe ipſas, proles ſuas & rem publicam peccant; vbi autem ſumma neceſſitas id vrget, ſollicite prius corporis & animi conditio eligendæ perſonæ examinetur. Lac diiudicandum ſi vſitato more offertur, Medicus caute ſe gerat. Vti enim quæcumque illius vitia correctionem admittunt: ſic vnicum animi pathema plus damni in lactentem transferre poteſt, quam lactis vitioſa qualitas, quæ ſine animi commotione contracta fuit.

TAB.

# TABVLA CXXXVIII.
## DE
# ADFECTIBVS INFANTVM.

I. *SVBIECTA.*

1. Non omnium promiſcue, ſed mollium, otioſorum, delicatorum, corpore & animo ſenſibilium hominum infantes morbis plerumque expoſiti, & tanto maiore commiſeratione atque auxilio digni ſunt, quanto innocentius aliorum vitia & errores luere coguntur.
2. Infantes autem a durioribus parentibus geniti, & durius mox a partu habiti, non ita facile in morbos, citra exteras iniurias, coniiciuntur.
3. Immo talium infantes ſenſim ita obfirmantur, vt & iniurias externas multo facilius ſuperare poſſint.

II. *ADFECTVS.*

1. *Anaiſtheſia*, ſeu *immobilitas infantis.*
   1) Occurrit interdum, vt infans, recens natus, immobilis, & tamquam mortuus, iaceat.
   2) Excitatur
      a) Inſpiratione in os, & inteſtinum rectum per fiſtulam clyſteris.
      b) Fumo croci, naribus immiſſo.
      c) Adſperſione aquæ frigidæ, vel potius vini.
      d) Suctione mammillarum.
      e) Cepis diſſectis, & naribus admotis.
2. *Color flauus, icteroides corporis.*
   1) Frequens quidem eſt hic color, ſed nullius periculi.
   2) Cedit aquis diapnoicis cum antimon. diaphoret. & ſyrupo laxanti.
3. *Difficultas deglutiendi.*
   1) Quando a frenulo linguæ maiore prouenit, hoc incidendum eſt. Conf. tabula CII.
   2) Aphthæ ſi in cauſſis ſint, hæ methodo, inferius commendata, tractentur.

3) In

3) In tumore linguæ aquæ diſcutientes adhibeantur.
4) In eiusdem vero exulceratione oleum ouorum vſui ſit.
5) Mater quando in culpa eſt, vt vel lac deficiat, vel papillæ non ſatis promineant, &c. hæc vitia corrigantur ſecundum methodum, præcedente tabula commendatam.

4. *Diſtorſio caluariæ.*
1) Hunc adfectum feminæ vocant: geſchobene Köpfe.
2) A partu difficili exoritur, nempe quando fœtus caput diuturna, intra collum vteri, detentione fortius comprimitur.
3) Prudentis obſtetricis vel chirurgi manu ad naturalem ſtatum caput reponendum eſt.

5. *Hydrocephalus.*
1) Hæc ſeroſa capitis intumeſcentia ſæpe excipit caluariæ diſtorſionem, & eadem cauſſa fundatur.
2) Maturum auxilium poſtulat, quod euoluatur *tabula de hydrope particulari;* item tabula chirurgica XXVI.

6. *Imperforatio.*
1) Contingit aliquando, licet rarius, vt emunctoria non ſolum vrinæ, ſed & fæcum aluinarum, obturata ſint.
2) Enaſcuntur hinc grauia damna, & niſi mox auxilium præſtetur, res conclamata eſt.
3) Vbi membrana præternaturalis præſto eſt, ibi ſola manus chirurgica requiritur. Conf. tab. chirurg. LXXVII.
4) In cauſſa obturantis muci leniora abſtergentia, e.g. lapis percarum, conch. ſemi-ſaturat exhibeantur.
5) Coniunctis externe cataplaſmatibus, cathetere, clyſtere.

7. *Næui materni.* Mutter-Mähler.
1) Non a quolibet viſu, ſed illo demum exoriuntur, qui cum peculiari æſtimatione ipſo animo confingitur; ſiue deſiderii, ſiue auerſionis, terroris, timoris.
2) Hæ maternæ mentis fictiones infantis animæ poſt ea imprimuntur. *Vid. D.D. Stahlii diſſertatio de adfectibus grauidarum.*

3) A medio geſtationis tempore ad partum vſque contingere obſeruantur.
4) Diſſolutio erroneæ huius ſtructuræ paſſim obtinetur:
a) Per ſecundinarum & ſanguinis recentis lochialis adplicationem, non ſolum de matre propria, ſed etiam alienis puerperis; modo infans, næuo tali adfectus, ætate adhuc ſit teneriore: in ſenſibilioribus pubertatis ætas non omnem ſpem excludit.
b) Per ſanguinem piſcis barbi.
c) Per lignum fulmine tactum.
d) Laudantur etiam magnetica.
e) Item ros maialis.

8) *Retentio meconii.*
1) Hæc multa grauiora mala inducit, præcipue tormina flatulenta, cardiogmum, inquietudines, clamores, difficilem reſpirationem, pauores, conuulſiones.
2) Vel tandem prorumpunt deiectiones bilioſæ, decolores, æruginoſæ, vitellinæ, wie gehackte Eyer.
3) *Euacuandum* hinc eſt meconium primis poſt partum diebus:
a) Per ſyrup. de cichorio cum rhabarb. cui paullulum oxymell. ſquillitic. addatur.
b) Per ſyrup. roſar. ſolutiuum.
c) Per oleum amygdal. dulc. cum ſaccharo penidio.
d) Per ſuccum rhabarb. cum manna vel ſyrupo folior. ſennæ remixtum.
e) Per coloſtrum infanti propinatum.
f) Per pilulas *Becheri* vel *Stahlii*, matri vel nutrici ſingulis primis diebus exhibitas.
4) Quando autem in diarrhœam erumpit, euacuantibus hiſce coniungi debent corrigentia, quæ ardorem contemperant, in quem finem conducunt:
a) *Abſorbentia*, præcipue cryſtallus montana, ſiue per ſe, ſiue cum grano ſemis auri fulminantis exhibita; *vid. Ettmüllerus.*
b) *Mucilaginoſa*, e.g. gummi tragacanth. arabic. decoctum hordei, auenæ.

9. Op-

9. *Oppletio pectoris aſthmatica:* das Röcheln auf der Bruſt. Occurritur huic

1) Prædictis laxantibus; item ſyrupo de alth. eryſim. capill. ven.
2) Mercurio dulci ad gran. 1-2. propinato.
3) Emetico e ſyrupo & conſerua flor. perſic.
4) Vel antimonio diaphoret. cum duabus partibus nitri detonato.
5) Sulphure antimonii *teneriore* cum acido tartari præcipitato: doſis a quarta grani parte, pro infantis ætate, ad granum integrum adſcendit.
6) *Reſoluentibus:* rad. irid. Florentin. ari, ſpermate ceti, eſſent. alexiph. ſuccin. aquis diapnoicis, tartaro vitriolato, cum abſorbente permiſto.

10. *Tuſſis.*
Hæc auſcultat iisdem remediis reſoluentibus & laxantibus, quæ aduerſus pectoris oppletionem modo commendata ſunt.

11. *Coryza & grauedo.*
1) Hæc pariter per modo dicta remedia expugnantur.
2) *Externe* ſimul in ſubſidium vocentur aqua vel butyrum maioranæ.
3) Lactanti autem feminæ in eius modi caſibus catarrhalia exhibeantur.

12. *Oculorum & aurium manationes ſeroſæ.*
1) Exhibeatur ad aliquot guttas eſſent. pimpinell. alb. cum eſſent. cort. lign. ſaſſafr. remixt.
2) Interponantur laxationes, præcipue per mercurium dulcem.
3) Quo magis acris eſt materia, eo magis coniungantur mucilaginoſa, e.g. mucilag. ſemin. cydon.

13. *Raucedo.*
Hæc demulcetur incraſſantibus, obtundentibus & delinientibus, e.g. oleo amygdalar. dulc. ſyrupo violar. aquis diapnoicis, mucil. ſem. cydonior.

14. *Intertrigines.*

1) Hæ exoriuntur per occaſiones ſudoris, vrinæ, & acrivm fæcum aluinarum, præcipue ſi a nutricibus ita ſqualide habeantur, vt harum rerum contactum diutius tolerare debeant infantes.
2) In tali caſu ſuccurritur inſperſione farinæ volatilis cum pauxillo camphoræ & ceruſſæ, item farinæ triticeæ vel ſecalinæ.
3) Si vero cauſſæ *internæ* ſubeſſent, interna ſimul pro rei conditione requirerentur.

15. *Obſtructio narium mucoſa.*

Hæc reſeratur aqua & butyro maioranæ.

16. *Vomitus.*

1) Hic moderate ſuccedens ſubleuat potius, quam debilitat infantes.
2) Quando autem excedere videtur, mucus inteſtinalis *κάτω* per clyſterem educendus eſt.
3) Adplicato ſimul *externe* emplaſtro, vel balſamo potius, ſtomachali.

17. *Diarrhœablilioſa, æruginoſa, vitellina.*

Hæc tuto ſiſtitur abſtergentibus e matre perlarum, cryſtallo montana & antimonio diaphoretico.

18. *Obſtructio alui.*

1) Excretio aluina durior & rarior, educto prius legitime meconio, præſtat quidem molliore: robur enim infantis deſignat;
2) Quando autem aluus vere obſtructa eſt, ſoluitur:
   a) *Interne* lenioribus laxantibus, ſuperius ſub num. 8. indicatis.
   b) *Externe* per clyſterem, ſuppoſitorium, præcipue e radice petroſelini adaptatum.

19. *Achores, cruſta lactea, tinea, & aliæ cutaneæ vlcerationes.*

1) Lactanti & lactenti exhibeantur lympham corrigentia, maxime eſſent. cortic. ligni ſaſſafras.
2) Interponantur conuenientes laxationes, præcipue per mercurium dulcem.
3) *Externe* infanti adplicentur:

a) Ole-

a) Oleum ouorum cum oleo philoſoph. remixtum, quod mundificat & conſolidat.

b) Oleum cheirinum, per infuſionem paratum, cum olei philoſophorum parca quantitate mixtum

20. *Impetigo.*

1) *Interne* conueniunt laxationes, alexipharmaca & abſorbentia ſulphurata.

2) *Externe* capilli euellendi ſunt, ſiue manibus, ſiue emplaſticis e pice, colophon. fermento &c. paratis: ſubiuncto fotu ex oleo laterin. ouor. eſſent. ſuccin. ſulphure.

21) *Parotides.*

1) *Interne* ad reſoluendum exhibeantur lympham corrigentia, e.g. eſſent. alexipharmaca.

2) *Externe*

a) Emplaſtrum de tacamahaca.

b) Epithema ſiccum e rad. irid. Florentin. ariſtoloch. long. herb. hyſſop. ſem. fœnicul. farin. fabar. flor. chamomill. camphora, paratum & ſæpius calefactum.

22) *Aphthæ.*

Sunt vel benignæ vel malignæ &c.

1) Dignoſcuntur inflatione linguæ, cortice albo obductæ.

2) Oriuntur vel a ſuctione, vel interno feruore.

3) Abſterguntur linteo, vino calido, cui mel & ſaluia immittenda, imbuto; item panno paullulum aſpero, ſyrupis acriuſculis, e.g. diamor. dianuc. rob. ceraſor. acidor. dilut. cum aqua ſaluiæ. Conf. tabul. med, LXXI. & chirurgica LXXIV.

4) *Interne*, ſi febris concurrat, iungantur antifebrilia, præcipue aquæ diapnoicæ, & laxantia rhabarbarina.

23. *Dentitio.*

1) Prorumpunt ordinarie dentes priores circa viceſimam hebdomadem.

2) Præcedit pruritus gingiuæ, e digitorum, vel aliarum rerum, in os intruſione colligendus.

3) Succedunt veri dolores, ex inquietudine, vigiliis, clamoribus coniiciendi.

4) In aliis obſtructio alui concurrit, vbi negotium difficilius ſuccedere, & notabilior febrilis æſtus præſto eſſe, immo pauores, aut plane conuulſiones accedere, obſeruantur.

5) In aliis autem vomitus vel diarrhœæ accedunt, & his dentes facilius prorumpere ſolent.

6) Vbi adſtrictioris alui ſunt, ibi lenes clyſteres, laxationes, ſuperius num. 8 nominatæ, conueniunt.

7) His ſubiungantur antifebrilia, diapnoica, antepileptica e lumbric. terreſtr. cinnabar.

8) Externe autem gingiuæ cum dente lupi, lardo &c. fricentur.

24. *Febriles motus.*

His ſuccurritur

1) *Interne:* aquis diapnoicis, colliquantibus, oſtracodermatis ſemiſaturatis, cum antimon. diaphoret.

2) *Externe,* ſi aluus adſtricta eſt, clyſteribus.

25. *Pauores.*

1) Quando *materialis* cauſſa ſubeſt, hæc prius tollatur.

2) Si vero nulla talis cauſſa ſubeſſe deprehendatur, ſatis efficax eſt hyacinthus orientalis.

26. *Conuulſiones.*

Hæ, pro cauſſarum diuerſitate, diuerſe etiam tractandæ ſunt, e.g.

1) Excretiones ſudoris repreſſæ promoueantur eſſentia alexipharm. ſuccin. liquore C.C. ſuccinato, interpoſito mercurio dulci.

2) Acrimonia, in inteſtinis hoſpitans, demulceatur oleo amygdalar. dulc. cryſtallo montana, ſubiuncto euacuante rhabarbarino.

3) In ſtaſibus lymphalibus eadem remedia conducunt, quæ ſub num. 1) indicata ſunt.

4) In cauſſa magis ſeroſa radix valerianæ, & aurum fulminans, præcipue laudantur.

5) In

5) In acutarum epilepſia cinnabaris, largiuscule propinata, conuenit.

6) In vermium cauſſa mercurius dulcis & myrrhata conducunt.

7) In ſtatu *idiopathico* commendantur varia ſpecifica, quæ tabula de *epilepſia* nominata ſunt.

27. *Atrophia.*

De hac & rachitide vid. tabula *de atrophia.*

28. *Vermes.*

Tabula de vermibus euoluatur.

29. *Crinones*, Mit-Eſſer.

1) A materia lymphatico-mucoſa, poros obſtruente, & ibidem in corruptionem abeunte, originem ducere videntur.

2) Primo loco balnea adhibeantur;

3) Deinde tergum lacte illinatur,

4) Et quando capite crinones, prominent, nouacula abradantur.

5) Multi autem hic committuntur errores & cauſſarum fallaciæ. Sic notum eſt exemplum, vbi 5 hebdomadarum infantis vmbilico adplicabant nucis iuglandis corticem, melle, vitro veneto & farina triticea repletum. Cumque in hac maſſa foramina quædam intra horæ ſpatium adparerent, crinones accuſabant; licet infans bene valeret.

30. *Strabiſmus*, das Schielen.

1) Aliquando a conuulſionibus prægreſſis remanet:

2) Aliquando autem ex mala adſuetudine contingit.

3) *Pharmacia* hic nullum habet locum, bene vero tarda *correctio* & deſuefactio adſuetudinis illius peruerſæ. In hunc finem peculiares machinæ inuentæ ſunt.

31. *Faſcinatio.*

1) Laudari ſolet balneum, ex herbis ſpecificis antimagicis paratum, v.g. abſinth. hyperic. ſideritide, antirrhino, abrotano, polytrich.

2) Si corporis conſumtio, ſine euidente cauſſa, ſimul præſto

ſto ſit, ſerpillum addatur, coniunctis internis, atrophiæ deſtinatis.

32. *Cardiogmus*, das Hertz-Geſpann.

1) Obſtructionibus alui, torminibus, flatibus, & primarum viarum ſordibus fouetur, vnde ventriculus & præcordia inflata ſunt.

2) Aliquando a ſudoribus vel achoribus repreſſis inducitur.

3) Iisdem remediis profligatur, quæ contra pectoris opletionem num. 9. commendata ſunt.

4) Hoc malo quando laborant infantes, accuſant vulgatiſſimo more in hiſce quidem regionibus violentam cauſſam, nempe *diſtorſionem ſubluxatoriam* das Verbrechen, in aliis autem Germaniæ prouinciis das Anwachſen.

5) Præter ea in omnibus fere morbis, tam infantum, quam adultorum, hic loci accuſare ſolent eius modi cauſſam violentam prægreſſam, dicendo: der Patient hats vom Verbrechen bekomen, hat ſich ſo ſtarck unter der Arbeit angegriffen. Vnde neceſſarium eſt, vt pauca de his rebus dicamus: mox enim ad remedia partim friuola partim periculoſa confugiunt, nempe vel ad preſſiones cum digitis oleo inunctis, vulgo ſtreichen, vel ad violentas extenſiones & repoſitiones, ſie ziehen und martern den Patienten, bis es geknacket hat.

6) Quæ damna vero ex falſis hiſce indicantibus & indicatis in ægros deriuentur; triſtis loquitur experientia, & vidimus ſane herniam ſcrotalem in tenellulo quodam ſub ipſa extenſione productam.

7) Non negamus quidem, dari aliquando eius modi violentas diſtorſiones ſubluxatorias, vti in adultis ſub nimis vehementibus & impetuoſis laboribus, ita & in infantibus per incuriam ancillarum, wenn man die Kinder hat ſchnappen laſſen, rariſſime autem has violentias occurrere, certiſſimum eſt.

8) Quando enim in adultis hanc diſtorſionem accuſant, eſt

eſt ſæpe adfectus vel hypochondriaco-hyſtericus, vel ſpaſtico-arthriticus, ſpeciatim lumbago hæmorrhoidalis; id quod vel exinde patet, quia ex leuiſſimis ordinarie cauſſis excitatur, wenn man ſich nur ein wenig ſchnelle bücket, ausſtrecket oder umdrehet.

9) Vnde omnino mirandum eſt, quod vulgatiſſimus hic error ipſos adeo præclaros Medicos occupauerit. Specimen qui deſiderat, legere poteſt *caſum LVIII. in colleg. conſultatorio Ettmülleri.*

10) Tanto magis autem mirandum eſt, quod in tenellulis hanc diſtorſionem ſubluxatoriam tam frequenter accuſent: hi enim a violentis actibus & laboribus ſatis immunes ſunt. Vnde extenſiones illorum *torturæ* poſſunt adnumerari. Clyſteres ſane lenientes & carminatiui, aliquoties repetiti, periculoſo huic tentamini longe ſunt præferendi.

III. *CAVSSÆ.*

1. Vti de his ſub ipſis morbis paſſim aliquid diximus, ita hoc loco ſummatim adhuc notare conuenit, quod plurimi morbi infantibus ingruant a cauſſis mere externis, pauciores ſane ab interna ad morbos diſpoſitione.

2. Sunt autem *externæ* tales cauſſæ præcipue ſequentes:

1) *Aëris* ſubitæ mutationes, dum enim ab aliorum arbitrio penitus pendent, modo lectis nimium tecti incaleſcere & ſudare coguntur, modo calentes, immo ſudantes ex illis erepti, frigori immodeſte exponuntur. Hinc oriuntur morbi

a) *Catarrhales*, e.g. tuſſis, coryza, oculorum & aurium manationes ſeroſæ, oppletiones pectoris cum ronchis.

b) *Cutanei*, e.g. achores, cruſta lactea, quo etiam referri poſſunt parotides, crinones.

c) *Febriles.*

2) *Cibus & potus* dum vel *quantitate* immodica, vel *qualitate* inconueniente, ipſis obtruduntur. Pertinent huc

in primis lactis vitia, de quibus præcedente tabula iam dictum eſt, e.g.

a) Lac tenue, bilioſum, excitat tormina & deiectiones bilioſas.

b) Lac nimium pingue inducit oppletiones pectoris. aſthmata, immo catarrhos ſic dictos ſuffocatiuos.

c) Lac impurum & venerea labe inquinatum infert adfectus vlceroſos, ſcabioſos malignos.

3) *Motus & quies.* His varia incommoda infantibus obiiciuntur: ſpectant huc

a) Immodeſtæ volutationes in cunis, quando pigræ nutrices vi quadam ſomnum per tantam concuſſionem obtrudere tentant, eo ipſo autem infantes vertiginoſos reddunt.

b) Ineptæ faſciarum ſtricturæ, vnde motus voluntarius & circulatorius turbatur.

c) Præmaturæ ad ſtandum & ambulandum coactiones.

d) Luxationes & diſtorſiones.

e) Interpellatio & turbatio quietis, vnde quoad animum moroſi, quoad corpus autem torpidi infantes redduntur.

4) *Excretiones ſuppreſſæ*, præcipue *meconii.* Licet hæ a vitio principii vitalis deduci poſſint, non minimum tamen aliorum hominum errores & peruerſæ adminiſtrationes contribuunt; vbi præcipue nutricum cruda, acida, vel alia inconueniens diæta, & iniuriæ aëris accuſantur.

5) *Animi pathemata.* Hæc merito ad extraneas etiam cauſſas referuntur, ab aliis enim potiſſimum excitantur, e.g.

a) Iracundia, quæ non ſolum ab hæreditaria parentum malitia, ſed & variis externis irritamentis concitatur.

b) Terror ſtolidis geſtibus, pulſationibus, trepidis clamoribus, infantibus incutitur, vnde pauores excitantur.

IV. *PRO-*

IV. *PROGNOSIS GENERALIS.*

1. Licet infantes ob nimiam corporis teneritudinem præ adultis grauius a morbis adfligi iudicandi ſint, docet tamen experientia, præcipue variolarum exemplo, quod morbidæ adflictiones minus illis periculi, quam adultis, adferant: vnde adſertum vulgi: ein Kind kan viel ausſtehen, veriſſimum eſt.
2. Quando autem autocratia naturæ in infantibus vel frigoris impedimentis, vel aliis externis iniuriis, friuole turbatur, tum maiores in illis ataxiæ, quam in adultis, metuendæ ſunt.
3. Facile enim in tali perturbationis caſu infantis natura ad vltimum illud & vehementiſſimum conamen, nempe motus conuulſiuos, conuolat; quos ſi mature, viribus nondum exhauſtis, ſuſcipiat, res minoris eſt periculi, quam ſi extremo veluti molimine hanc luctam vltimo adgrediatur, vbi non raro, nimium defatigata, penitus aufugit.
4. Conuulſiones *internæ*, magis hypochondriacæ, torminoſæ, ſingultuoſæ, der innerliche Jammer dictæ, cum repentinis clangoſis exclamationibus, infantibus intra terminum ſex hebdomadum adhuc incluſis, ſæpius ſunt lethales.
5. *Conſuetæ* conuulſiones vti facilius aliis malis ſuperueniunt, ita minus etiam periculi adferre obſeruantur.
6. Ceterum omnes morbi infantiles, ſiue ſponte, ſiue congrua arte, expugnati, breuiorem periodum & exitum habere conſtat: vnde etiam infans non facile febri *intermittenti* ſuccumbere deprehenditur.

V. *CAVTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.*

1. Vti omne punctum medelæ, infantibus adferendæ, corrigentibus & euacuantibus abſoluitur, ita leniora, tenera & ſecura pro hac infantili ætate omnino ſeligenda ſunt.
2. Hinc *eſſentias* non ingrediantur *acriora*, e.g. zedoaria, galanga, crocus, camphora: neque *elixiria*, *tincturæ* e multipli-

tiplicibus miſtæ, præſcribantur. Sufficiunt *temperata* e rad. pimpinell. alb. vincetox. helen. ſcord. item: *aqua diapnoica*, ſcabioſ. plantag. card. benedict. ſcorzoner. flor. tiliæ &c. antimon. diaphoret. tenerius.

3. *Eſſentia myrrhæ* in catarrhalibus & pectoris morbis non niſi parciſſime, & quidem cum largiore portione eſſentiæ ſuccini remixta, exhibeatur: in motibus febrilibus vtraque exſulet.

4. *Aqua fumariæ* in acutis, præcipue exanthematicis, removeatur.

5. Sunt, qui *tincturam antimonii* ad multos infantum morbos, ipſas adeo febres, eximie laudant: ſed licet hoc remedium, fortiter tartariſatum, in *chronicis adultiorum* malis non contemnendum ſit, in morbis tamen infantum non ſolum operæ pretium non facit, verum etiam aliquando incommoda producere obſeruatur.

6. *Emetica* vix vmquam neceſſaria ſunt: ſi tamen conſultum videatur, vomitum excitare, nudæ mechanicæ irritationes in faucibus fere ſufficiunt; aut ad ſummum leniora adhibeantur, e.g. conſerua florum perſicorum, florum iaceæ: cauendo ab emeticis antimoniatis & venereis. Vomitus autem *ſpontaneus* ſalutaris eſſe obſeruatur, vnde mulieres dicunt: Speÿ-Kinder, Gedeÿ-Kinder; modo caueatur, ne, ad vomitum talem excitandum conſulto cibis repleantur.

7. *Mercurius dulcis*, extra febriles commotiones, tutum & elegans eſt catharticum pro infantibus non plane tenerrimis: modo inſipidus ſit, & non vltra 3. 4. grana propinetur. Pulueris forma, ſi recte comminutus fuerit, absque omni hæſitatione poteſt exhiberi. Præterea in grauibus ſymtomatibus, a ſcabie repulſa inductis, vſum præſtat plurimorum exſpectatione maiorem.

8. *Manna, ſenna, ſpina ceruina*, extra febres, ad aluum ſoluendam etiam poſſunt adhiberi; ſi autem quid febrile ſubſit, rhabarbarina commodiſſime exhibentur.

9. *Do-*

9. *Doſes* remediorum *exiguas* in teneris infantibus ipſa ratio commendat: hinc abſonum eſt, diffuſas & crudiores formulas variarum radicum, magiſteriorum, terrarum ſigillatarum, calcium fatuarum, præſcribere.

10. Mirandum ſane eſt, quod B. *Ludouici*, vir alias meritiſſimus, & ſtrenuus cenſor inutilium compoſitionum, a puluere ſuo, infantibus deſtinato, vnicornu foſſile & alia inepta continente peculiarem efficaciam exſpectare potuerit.

11. Eiusdem cenſus ſunt vulgaria *antepileptica*, e.g. vngula alcis, vnicornu verum, lapis manati, corium humanum, puluis *Marchionis*, quæ omnia dubiæ ſemper fidei reperiuntur; immo nec ſpecificum cephalicum *Michaëlis* vllam prærogatiuam meretur.

12. In grauibus inteſtinorum & præcordiorum pathematibus, cum tetris deiectionibus, eiulatibus, pauoribus, *mucilaginoſa* craſſioribus abſorbentibus præferenda ſunt.

13. *Vermes* infantum, vti *viui* ſæpius atrophiam & conuulſiones, ita *necati*, & in inteſtinis putrefacti, malignos adfectus cum mirificis ſymptomatibus producunt, ita vt vulgus inde faſcinum & magicas incantationes arguat.

14. *Alexipharmaco-diaphoreticorum* vſus, quando neceſſarius eſt, nutricibus potius, quam infantibus adhibetur. *Antimonium* autem *diaphoreticum* temperatiſſimum eſt remedium diapnoicum, modo recte ſit præparatum.

15. In *acutis*, præcipue exanthematicis, laxantia & nimiæ calefactiones exſulent, iuſti autem temporis decurſus & criſes debite exſpectentur.

16. In omnibus acutis & æſtuoſis morbis, præcipue circa caput, *camphoræ* ſuſpenſio de collo, vel ſolutio eius linteis conſperſa, ad diapnoicum, reſolutorium & neruinum ſcopum ad modum vtilis eſt.

17. In anginodeis malis plebs Belgica puluerem certarum cochlearum, quas *Hoorntjens* vocat, exhibet, cum indu-

 bio

bio, vt fertur, ſucceſſu. Huc ſpectat, quod *Bonetus* de amuletico *entali* vſu refert.

18. In *dentitione difficili* cerebrum leporis, aut ſanguis criſtæ galli, qui humores vehementius elicit, cum ſucceſſu probabili vix vmquam adhibita ſunt.

19. *Crocus martis* & *ſulphur*, quando ad intertrigines adhibentur, vlceroſas haſce eruptiones infeliciter retropellunt.

20. *Siriaſis*, ſeu fontanellæ ſubſidentia, adhuc in teneris, fere lethale ſignum eſt; & tunc quidem temporis ſpiritus odoriferi fruſtra huic loco adplicantur, quorum alias efficacior vſus eſt.

21. *Narcotica* cautiſſime exhibeantur: ſola theriaca ad gran. I. ſufficit.

22. *Cinnabaris* ſpecificam quidem antepilepticam efficaciam, quam ab aliquot viginti annis ipſi tribuerunt, non exhibet, exacerbationes tamen ſpaſticas egregie mitigat, &, relaxata hac ratione cutis ſtrictura, tranſpirationem promouet: modo paruæ doſes, vtpote ſatis efficaces, propinentur, largiores enim ventriculum grauare obſeruantur.

23. *Flatulentias*, a tranſpirationis repreſſione in inteſtino colo & cæco ſub coſtis nothis generatas, falſo mulierculæ pro concretione partium, das Anwachſen, declarant: facile enim & oriuntur & euaneſcunt, cedunt etiam illitu per olea carminatiua, e. g. chamomillæ.

24. *Achores* rubei coloris, & malignæ indolis, circa mentum, aures &c. variis externis tractare, intutum eſt. Sufficit oleum ouorum externe, interne autem conducunt abſorbentia & diapnoica. His accedat congrua nutricis diæta, a crudis, acidis & ſalſis libera.

25. Quod ad reliquam infantis diætam attinet, & tractationem, relinquitur quidem hoc negotium mulieribus, quoniam autem Medicus non raro ad hoc con-

conſilium aduocatur, ſequentia ſibi habeat commendata.

26. Simplicitate plurimi infantes, pauciores pompoſo adparatu, educantur; illi quidem ſatis commode, vegete, & optimo ſæpe ſucceſſu, hi vero plurimum peiore aut minus optato.

27. Hanc itaque ſimplicitatem Medicus vbique commendet, cauendo, ne ſcrupuloſis, immo anxiis muliercularum agitationibus in vanum ſimul abripiatur.

28. Recordetur omnino, quod ad corpus infantis a muco liberandum, & diaphoreſin inuitandam, *balneo* quidem opus ſit, plurimi autem ſimplicem ſaltem aquam, lac, aut cereuiſiam eodem felici ſucceſſu adhibeant, quo pauciores vino calido, aut neruinis decoctis, vtantur.

29. Meminerit, opinionum diuerſitatem circa *pulmentum* parandum exigui eſſe momenti: ſunt enim, qui e nuda farina & aqua; ſunt qui adhibito lacte illud parant; ſunt etiam qui loco farinæ micam panis, vtpote iam fermentatam, adhibent: vtrobique proſpero ſucceſſu; modo *varietas*, & nimia ciborum obtruſio euitetur.

30. Lactis & lactantis conſtitutio varias offert cautelas, quas præcedente tabula indicauimus. Reſtat monere, vt primis 24. horis a *conſiſtentiore* lacte infantem detineant: meconium enim nondum euacuatum cum lactis talis acceſſu acriorem ſubit fermentationem, vnde tormina, eiulatus, immo conuulſiones exoriuntur. Admiranda ſane etiam hic eſt ſimplex ac ſapiens natura, quæ ſalutari intentione *coloſtrum* huic euacuationi deſtinat, quod autem a multis, tamquam impurum, reiicitur.

31. Lac vbi ſufficiens eſt, ante tertium vel quartum menſem pultis alimento non qvidem indigent teneriores, neque tamen illis nocet, primis ſtatim hebdomadibus pulticulam adhibere.

32. Sor-

32. Sordes oris ſtatim poſt partum linteo quodam, vino imbuto, eluendæ ſunt.

33. Pro *cauſſis* morborum ſuperius iam accuſauimus profundas infantum in cunis immerſiones, frigoris & caloris repentinas alternationes, immodeſtas in cunis concusſiones, nimias faſciarum ſtricturas, & reliqua, omni hinc ſtudio euitanda, conſiderando, quod infantilium malorum origo a mere externis & aduentitiis cauſſis vix non ſemper ſit deriuanda.

# F I N I S.

SERIES

# SERIES TABVLARVM.


| | | |
|---|---|---|
| Tabula I. | De morbis generatim | pag. 1. |
| II. | Plethora | 7 |
| III. | Spiſſitudine ſanguinis | 13 |
| IV. | Cacochymia | 18 |
| V. | Hæmorrhagiis generatim | 23 |
| VI. | Hæmorrhagia narium | 32 |
| VII. | Suppreſſione hæmorrhagiæ narium | 39 |
| VIII. | Hæmoptyſi | 43 |
| IX. | Vomitu cruento | 52 |
| X. | Mictu cruento | 59 |
| XI. | Hæmorrhoidibus internis ordinatis & nimiis | 66 |
| XII. | Hæmorrhoidibus externis & cœcis | 77 |
| XIII. | Hæmorrhoidibus ſuppreſſis, decoloratis, albis, mucidis & fluxu hepatico | 89 |
| XIV. | Fluxu menſium ordinato, nimio & hæmorrhagia vterina | 104 |
| XV. | Suppreſſione menſium | 113 |
| XVI. | Fluxu lochiorum ordinato & nimio | 124 |
| XVII. | Suppreſſione lochiorum | 133 |
| XVIII. | Congeſtionibus completis generatim | 139 |
| XIX. | Congeſtionibus incompletis, ſeu rheumatiſmo | 149 |
| XX. | Inflammatione generatim | 159 |
| XXI. | Cephalalgia | 181 |
| XXII. | Cephalalgia Iliaco-hæmatitica, ſeu clauo hyſterico | 193 |
| XXIII. | Cephalæa | 199 |
| XXIV. | Ophthalmia | 204 |
| XXV. | Odontalgia | 212 |
| XXVI. | Otalgia, & reliquis aurium adfectibus | 219 |
| XXVII. | Vertigine | 229 |
| XXVIII. | Coryza, grauedine & phlegmatorrhagia | 240 |
| XXIX. | Brancho & raucedine | 250 |

| | | |
|---|---|---|
| Tabula XXX. | de Angina | 254 |
| XXXI. | Tuſſi | 266 |
| XXXII. | Aſthmate | 278 |
| XXXIII. | Palpitatione cordis | 288 |
| XXXIV. | Phthiſi | 296 |
| XXXV. | Vomica pulmonum | 313 |
| XXXVI. | Empyemate | 320 |
| XXXVII. | Malo hypochondriaco-hyſterico | 325 |
| XXXVIII. | de Infarctu lienis | 340 |
| XXXIX. | Scirrho lienis | 347 |
| XL. | Infarctu hepatis | 350 |
| XLI. | Scirrho hepatis | 356 |
| XLII. | Atrophia | 360 |
| XLIII. | Nephritide | 368 |
| XLIV. | Calculo renum & veſicæ | 376 |
| XLV. | Spaſmis generatim | 390 |
| XLVI. | Adfectibus ſpaſtico-arthriticis | 398 |
| XLVII. | Hemicrania | 409 |
| XLVIII. | Pleuritide ſpuria | 417 |
| XLIX. | Malo iſchiadico | 421 |
| L. | Podagra, gonagra & chiragra | 425 |
| LI. | Incubo | 436 |
| LII. | Aſthmate ſpaſtico ſeu conuulſiuo | 438 |
| LIII. | Singultu | 443 |
| LIV. | Conuulſionibus generatim | 448 |
| LV. | Epilepſia | 455 |
| LVI. | Febribus generatim | 463 |
| LVII. | Febre ephemera ſimplice & plurium dierum | 479 |
| LVIII. | Febre ſynocha, ſeu continente κατ᾽ ἐξοχὴν dicta | 484 |
| LIX. | Febre continua ſimplice | 489 |
| LX. | Febribus ſecundariis, vulgo ſymptomaticis | 494 |
| LXI. | Febribus inflammatoriis generatim | 500 |
| LXII. | Febribus bilioſis, nempe febre cholerica & cauſo | 505 |
| LXIII. | Phrenitide | 519 |


Tabula

Tab. LXIV. de Paraphrenitide 526
LXV. Pleuritide & peripneumonia 530
LXVI. Hepatide 535
LXVII. Splenitide 547
LXVIII.. Febre catarrhali benigna, ſeu veterum quotidiana continua 551
LXIX. Febre lenta 560
LXX. Febre hectica 567
LXXI. Febribus malignis & epidemicis generatim 576
LXXII. Febre catarrhali maligna petechizante 591
LXXIII. Febre petechiali 601
LXXIV. Febre Hungarica ceu caſtrenſi 604
LXXV. Febre purpurea ſeu miliari, purpura vrticata & febre ſcarlatina 607
LXXVI. Variolis & morbillis 617
LXXVII. Dyſenteria 631
LXXVIII. Peſte 643
LXXIX. Febre quotidiana intermittente 651
LXXX. Febre tertiana 657
LXXXI. Febre quartana 666
LXXXII. Febribus compoſitis exacuta periodo 674
LXXXIII. Febre tertiana continua 678
LXXXIV. Febre quartana continua 682
LXXXV. Febribus corruptis, it. de nondum typicis 685
LXXXVI. Oedemate 689
LXXXVII. Cachexia 697
LXXXVIII. Hydrope vniuerſali 707
LXXXIX. Hydrope particulari 722
XC. Ictero 727
XCI. Scabie 736
XCII. Scorbuto 749
XCIII. Fluore albo 762
XCIV. Gonorrhœa 769
XCV. Pollutione nocturna 779
XCVI. Lue venerea, ſeu malo Neapolitano 781
XCVII. Vitiis ſudoris 794
XCVIII. Stranguria, dyſuria, & iſchuria 798
XCIX. Incontinentia vrinæ 805
C. Diabete 809

| | | |
|---|---|---|
| Tabula CI. | de Adpetitus exceſſu | 811 |
| CII. | Adpetitus defectu, ſeu anorexia & nauſea | 815 |
| CIII. | Fœtore oris | 819 |
| CIV. | Soda | 820 |
| CV. | Cardialgia | 823 |
| CVI. | Flatulentia | 828 |
| CVII. | Colica | 835 |
| CVIII. | Paſſione iliaca, ſeu miſerere mei | 847 |
| CIX. | Vermibus | 852 |
| CX. | Obſtructione alui | 858 |
| CXI. | Tenesmo & procidentia ani | 863 |
| CXII. | Vomitu | 868 |
| CXIII. | Diarrhœa | 874 |
| CXIV. | de Motuum vitalium defectu generatim | 881 |
| CXV. | Tremore artuum | 886 |
| CXVI. | Paralyſi & hemiplexia | 888 |
| CXVII. | Apoplexia | 899 |
| CXVIII. | Catarrho ſuffocatiuo | 906 |
| CXIX. | Adfectibus ſoporoſis | 913 |
| CXX. | Lipothymia & ſyncope | 919 |
| CXXI. | Memoriæ debilitate | 927 |
| CXXII. | Melancholia | 929 |
| CXXIII. | Mania | 934 |
| CXXIV. | Hydrophobia | 940 |
| CXXV. | Tarantismo | 944 |
| CXXVI. | Noctambulatione | 947 |
| CXXVII. | Noſtalgia | 948 |
| CXXVIII. | Philtris | 950 |
| CXXIX. | Ebrietate | 955 |
| CXXX. | Venenis | 959 |
| CXXXI. | Fulmine tactis | 964 |
| CXXXII. | Strangulatis | 967 |
| CXXXIII. | Aqua ſubmerſis | 969 |
| CXXXIV. | Adfectibus grauidarum | 972 |
| CXXXV. | Adfectibus parientium | 991 |
| CXXXVI. | Adfectibus puerperarum | 1003 |
| CXXXVII. | Adfectibus lactantium | 1009 |
| CXXXVIII. | Adfectibus infantum | 1016 |
| | | INDEX. |

# INDEX.

## A.

*Ablactationis* incommoda 1014
*Abortus* a quibus cauſſis oriatur 109. 128. 975
obeſis feminis non raro obtingit. 10
in quo caſu non poſſit impediri. 129. 987
quibus circumſtantiis ſit promouendus, 130. 987.
poſt illum vteri purgatio neceſſaria 132
quo modo præcaueri poſſit 130. 976
nouus vnde ſequatur 129. 132. 135
*Abrotanum* num ſit ſpecificum in fluore albo 768
*Abſceſſus* ex interioribus ad exteriora proiectus, num maturationem admittat 504
interni ſunt periculoſi. ibid.
eius materia ſucceſſiue euacuanda eſt 176
mammarum 1012
eius apertio quo in loco a chirurgis inſtitui ſoleat 1013
*Abſinthii* ſal nihil ſpecifici habet contra nimiam obeſitatem 12
*Abſorbentia* acrimoniam temperant, ſed tenacitatem augent 519
*citrata* habent efficaciam abſterſiuo-diureticam & ſimul præcipitantem 575
- magis diureſin & diaphoreſin promouent 687
craſſiori bili quadrant, non æque tenuiori 988
nocent hypochondriaco-hyſtericis 337
interdum ad præparantia pertinent 826
nimia febres turbant 471
- typum quartanæ in lentam transmutant 673
- - tertianæ ſimplicis in hecticam 680
quo modo temperent orgaſmum ſanguinis 138. 483
pleraque in dyſenteria nullius ſunt valoris 641
marina habent vſum diuretico-colliquatiuum 483
marina acido ſaturata commendantur in adfectibus pectoris chronicis 275
- it. in febre hectica 572 575
oſtracodermata quo modo ſudorem & diureſin promoueant 600

*Abſorbentia* terrea in ſoda plerumque adhibentur 823
terrea nimia nocent in hectica 574
- - concoctionem debilitant 309
- - in pectoris adfectibus chronicis tenacem mucum magis augent 275
- - nocent in infarctu hepatis 355
- - nocent in cachexia 706
terrea nullius efficaciæ ſunt in ſcabie 747
laudantur in malignis 588. 589
laudantur in ſtillicidio vrinæ infantum 809
*Abſtergentia* quænam adhibenda in phthiſi 306
pectoralia commendantur in hæmoptyſeos declinatione 49
*Abſtinentia* multorum & magnorum morborum remedium 813
*Acetoſitas* citri inter acida primum locum obtinet in malignis 590
- laudatur in ſtomacace 762
item in tuſſi 477
*Acetum* ſimplex non eſt tam acre vt deſtillatum 590
vt magis acidum obtineatur, adiiciuntur aromata 518
*Aceti* vaporem *Deckerus* laudare vult in coryza & grauedine 249
deſtillatum nocet dentibus 218
- in malignis nimis penetrans eſt, & raucedinem cauſſatur 590
roſatum, rutaceum, flor. calend. caſtorinum in vomitu externe ad analepſin laudantur 874
ſquilliticum nihil ſpecifici habet contra nimiam obeſitatem 12
*Achores* infantum 1020
externis illos tractare intutum eſt 1030
eorum repulſio conuulſiones cauſſatur 451
*Acida* compeſcunt fermentationes putredinoſas & æſtus febriles 477. 590
nocent phthiſicis 311
laudantur in hæmorrhagiis 28
dulcificata in febribus nocent 477
in variolis non admittuntur 590
mineralia cur abſorbentibus in eadem formula non debeant ſociari 589. 590
pungentia in primis viis hypochondriacorum nulla ſunt 336
*Acidula* obeſis, ſpeciatim feminis

nis ſterilibus ſalutares ſunt 13
*Acidulæ* in ſpiſſitudine ſanguinis non reiiciuntur 17.294
in adfectibus ſpaſtico- arthriticis non omnibus ſubiectis conducunt 409.416
nephriticos orgaſmos temperant, ſed motum humorum ad renes augent 389
hypochondriacorum aſylum reputantur 337.346
in infarctu lienis non æque conducunt 346
in infarctu non contemnendæ ſunt 367
in cacochymia circumſpectione indigent 23
in nonnullis chronicis ſcirrhos hepatis inducunt 357
in hæmorrhoidibus nimiis numquam ſuadendæ ſunt 75
num conducant in ſuppreſſis hæmorrhoidibus 102
in læſione interna prohibentur 375
phthiſicis non conducunt 311
in œdematibus inueteratis certisſime nocent 696
earum abuſus aſcitem cauſſatur & mortem accelerat 719
*Acorus* ut ſtomachicum laudatur 238
*Acredo* ſalina rodens dolores excitat 143
*Acria* nocent dentibus 217
nocent in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 407.396
*Acrimonia* & *ſpiſſitudo* non æque in vno ſubiecto conueniunt 754
*Acrimonia* & *ſpiſſitudo* in vlceribus ſcabioſis num ſit cauſſa pruritus & ardoris 143.747
*Acupuncturæ* obeſis exiguum levamen faciunt 13
*Addephagia* quid? 811
ineffabile damnum adfert toti generi humano 813
*Adfluxus* humorum quo modo tractandus 224
*Adianthum album* ſpecifice laudatur in vomitu cruento 56.58
in motibus hæmorrhoidalibus 73
- - - in hæmorrhoidibus nimiis 74
*Adpetentia* frigidorum & acidorum maior quam calidorum quid deſignet 114
*Adpetitus* exceſſus 811
defectus 815
quo modo reſtaurandus 566
auctior poſt febrem recidivam facile inducit 662
hypochondriacorum vagus eſt 327
peruerſus grauidis interdicitur 989

*Adroſio*

*Adroſio* ventriculi vnde dignoſci queat 511
quo modo reſtauranda 513
*Adſtringentia*: regulæ de eorum vſu 29
ſanguini exitum non aditum prohibent 29
quo modo operentur 29
ſalutarem naturæ intentionem turbant 176
vim ſuam non ſolum in primis viis, ſed etiam in reliquis partibus exſerunt 628
damnantur in vomitu cruento 58
in febribus bilioſis protheiformia pericula inducunt 517
nocent in febre tertiana 661
nocent in dyſenteria 636. 640
improbantur ad motus conuulſiuos ſiſtendos 454
in cachexia quando adhibenda 706
in aſthmate fugienda 285
febres turbant & ſupprimunt 471. 477
febrem lentam in hecticam promouent 566
in febribus intermittentibus ſcirrhos lienis cauſſantur 348
in intermittentibus contumacibus prudens eorum vſus conceditur 477
in fluore albo moderate & *Adſtringentia* opportune adhibenda ſunt 768
in grauidis non temere ſunt vſurpanda 987
nocent in gonorrhœa maligna 772
nocent in hæmoptyſi præmature adhibita 47. 50
quando in hæmorrhagia vteri exhiberi debeant 112
in hæmorrhagiis ſontica mala adferunt 25. 29
in effera hæmoptyſi permittuntur 48. 51
interna nocent in hæmorrhagiis narium 38
externa quando locum habeant in hæmorrhagiis narium ibid.
nocent in hæmorrhoidibus nimiis 75. 87
nocent in hæmorrhoidibus ſuppresſis 102
magno damno offeruntur hecticis 575
menſes ſupprimunt 108. 112. 116
nocent in mictu cruento 66
blanda quando in mictu cruento locum habeant 63
nocent puerperis 131
nocent vulneratis pulmonibus 308
ſanguinem reddunt ſpiſſum 40

*Adſtringentia* in ſoda detrimentum adferunt 823
damnantur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 407. 421. 435
cohibent ſudores 797
in vrinæ incontinentia cautiſſime ſunt adhibenda 808
in vomitu cruento non temere ſunt adhibenda 58
*Adſuetudo* ægrotandi multum ad morbos contribuit 4
*Aegyptiorum* encheireſis calculum extrahendi 387
*Aequinoctia* hecticis periculoſa ſunt 571
*Aër* humido-frigidus aſthmati anſam dat 281
- - aut humido calidus congeſtiones cauſſatur 142
- humidus hecticis magis amicus quam ſiccus 576
*Aëris* nimia excluſio per tegumenta purpuram inuitat 616
*Aeſtimatio* falſa quo modo corrigenda 237
*Agaricus* phlegmaticis ordinandus eſt 216
*Album græcum* ad gargariſmata commendatur 228. 260. 263
præſente inflammatione in clyſteribus laudatur 263. 851
*Alcalia fixa* diureſin & æqualem humorum diſtributionem promouent 147
*Alchimilla* habet vim vulnerariam 317. 319
*Alexipharmaca* quando in febribus exhibenda ſint 477
poſt febrem ſuperatam ſunt continuanda 478
impetu febrili ſeneſcente copioſe propinata febrem reuocant 558
non ſecura ſunt in febre ſynocha 488
temperata laudantur in inflammationibus 179
moderata locum habent in hæmorrhagiis nimiis 131
in doloribus ſpaſticis ſine regimine ſunt propinanda 409
calida in cephalalgia ſunt fugienda 191
- nocent in plethora commota 11
in variolis non ſunt vtilia 582
eorum eſſentiæ in purpura excluduntur 615
ad paralyſin tollendam ſuccurrunt 898
falſæ de his remediis traditiones 586
*Alexipharmaco-ſudorifera* in malignis mortem adferunt 598
*Alexipharmaco-diaphoretica* calida nocent in congeſtionibus 147

 Ale-

*Alexipharmaco diaphoretica* nutricibus potius quam infantibus ſunt exhibenda 1029
*Alexiteria*, quæ certæ ſpeciei contagia tollant 599
*Alkekengi* baccæ calculum pellunt, ſed non reſoluunt 388
*Allium* nocet nephriticis 376
laudatur in odontalgia 217
oculis noxium non eſt 212
nauigantibus ſolatium eſt adverſus ſcorbutum 762.
eius abuſus hæmorrhoides adfert 71
*Aloe* eius grana 2-3. alui excretiones promte prouocant 835
hecticis non conducit 574
ſanguinem commouet, ſed non ad exitum perducit 191. 338
*Aloëtica* purgantia in omnibus ſanguinis eruptionibus ſuſpecta ſunt 59
nocent in hæmorrhoidibus cæcis 87
in hæmorrhoidibus ſuppresſis caute ſunt adhibenda 102
cur hæmorrhoides prouocent 835
in teneſmo hæmorrhoidali non conducunt 867
nocent in menſibus nimiis 112
in malo hypochondriaco caute adhibenda 338
damnantur in lochiis plane ſuppreſſis 137
Alp quid ſit 436
*Alpini* obſeruatio de Aegyptiis in curando empyemate 324
*Alterantia* in febribus quid præſidii adferant 474. 476
in hypochondriaco-hyſterico malo non proſunt 336
*Alumen* nocet dentibus 217
crudum adſtringendi ſcopo additur gargariſmatibus 762
vſtum commendatur in ſtomacace 761
*Alui* adſtrictio hypochondriacis familiarisſima 327. 339
adſtrictio & obſtructio ſunt diſtinguendæ 858. 859
- - in grauidis 979
fluxus in febre lenta quo modo tractandus 567
ſegnities habitualis non incommoda eſt 861
- quo modo expedienda 339.340
obſtructio in infantibus 1020
occluſio in variolis quid reſpiciat 627. 628.
irritatio in variolis & morbillis periculoſa 616
adſtrictio nocet in febre catarrhali & petechiali 555. 559

*Alui*

*Alui* ſolutio in puerperis quomodo promouenda 131. 1008
*Aluus* cur in malignis ſit adſtricta 587
ſicca remoratur partum 1002
*Amara* viſcera reſerant & reſtaurant 719
optime corrigunt humores ſeroſos corruptos 103
non omnia adpetitum excitant 818
non omnia, ſed ſpecifica, vermes enecant 857
*Ambram* in aurem dolentem ingerere docet *Foreſtus* 225
eius odorem cur auerſentur nonnullæ hyſtericæ 330
*Ambuſtio* in pede ophthalmiam contumacem curauit 210
*Amor* veſanus conuulſiones & epilepſiam cauſſatur 451. 458
*Amuletica* quando in congeſtionibus locum habeant 148
in hæmorrhagiis quando adplicari debeant 30
ſpecifici nihil habent in ophthalmiis 210
- neque in epilepſia 462
*Amygdalæ* in ſoda laudantur 823
facile in auſteram aceſcentiam degenerant 311
amaræ animalia quadrupedia interficere dicuntur 858
*Amygdalæ amaræ* in hydrophobia laudantur 943
*Analeptica* laudantur in congeſtionibus 148
poſt hæmorrhagias conceduntur 29
non debent continere acria aromata 590
*Anagallis* ſpecifice laudari ſolet in melancholia hypochondriaca 934
*Anaiſtheſia* infantum 1004
*Anaſarca* 797
*Angina* quid? 254
ſanguinea & mucoſa 256
in acutis cur pernicioſa 258
- quo modo tractanda 265
febri ſynochæ ſuperueniens quo modo tractanda 489
febri catarrhali benignæ non numquam accedit 554. 557
empyema producere poteſt 322
febri catarrhali petechizanti facile ſuperuenit 592 595
*Anguillæ* hepar laudatur ad excluſionem fœtus, molæ & ſecundinarum 129. 130
cutis, fumus ſpecifice laudatur in hæmorrhoidibus tumentibus 84
*Ani* pruritus 79. 82
excoriatio vnde veniat 93
punctura ibid.

*Ani* paralyſis per ſtimulantia inducitur 898
*Animalis*, quod momordit, cor, hepar, cerebrum in hydrophobia laudantur 649.942
*Anima* cur συμπάθειαν ſubeat 931
*Animi* abiectio in febribus non eſt boni ominis 470.581
perturbationes vnde in hypochondriacis & hyſtericis oriantur 328.329
*pathemata* in producendis morbis quid valeant 4.237
- - non datur eorum cura pharmaceutica 988
- nocent puerperis 1008
- nocent lactantibus 1015
- nocent grauidis 990
commotiones nocent 131 148
*Animus* trepidus trepidos etiam inuoluit motus vitales 646
*Anni climacterici* hecticis ſunt periculoſi 571
in iis natura nouas reuolutiones ſuſcipit 901
*Annulus Helmontii*, quid valeat in hæmorrhoidibus cæcis 88
antiſpaſticus in ſpasmis quid valeat 397
*Anodyna* nocent in ſpasmis 17
in paroxyſmo adhibita vel mortem, vel febrem hecticam cauſſantur 406
*Anodyna* effluxum ſupprimunt, adfluxum vero non intercipiunt 65
in congeſtionibus non debent adhiberi 147
in empyemate adhibita ſphacelum inducunt 324
opiata in tuſſi non ſecure exhibentur 312
- in commotionibus animi non debent adhiberi 988
poſt exiguum leuamen dolores grauiores inuitant 406. 760
lenia commendantur in fluxu menſium rebelli 110
- - in hæmorrhagia vterina ibid.
- - in fluxu lochiorum nimio 129
- - in effera narium hæmorrhagia 36
- - in hæmorrhoidibus nimiis 74
- - in hæmorrhoidibus tumentbius 85
commendantur in doloribus calculoſis 384
commendantur in inflammationibus externis 172
in ſtaſibus inflammatis provide ſunt adhibenda 547
*Anomaliæ* hæmorrhoidales 91. 92
*Anorexia* quid ſit 815
differt a cardialgia 823

*Antepileptica* 460. 461
quando exhibenda 462
vulgaria cuius fidei in infantibus 1029
*Anthraces* 644
peſtilentes quo modo tractandi 649
recedentes cauterium reuocat ibid.
*Antihecticum Poterii* cuius effectus ſit 309. 575
*Antihectica* febrem lentam in hecticam transmutant 566
*Antimagica* commendantur in atrophia ab incantatione 367
quid valeant 954
*Antimonium diaphoreticum* temperatisſimum diapnoicum eſt. 1029
bezoardico minerali prærogatiuam non concedit 588
in hectica nihil prærogatiui habet 575
ad ſtaſes inflammatorias laudatur 543. 547
commendat *Syluius* ad vlcerationes internas 309
*Antimonii fumus* ſuſpectam tuſſim cohibet 276. 310
laudatur in aſthmate humido 287
laudatur in fluore albo 768
*Antimonii morſuli* laudantur in variis adfectibus 408
*Antiſcorbutica* quid valeant in malo hypochondriaco 337
acriora nil iuuant in hæmorrhoidibus ſuppreſſis 102
- nocent in malo venereo 758. 789
*Antiuenerea* quid poſſint in malo hypochondriaco 337
calida in gonorrhœa caute ſunt adhibenda 776
lignoſa nocent in hydrope 719
- nocent in ſcabie 747
Anwachſen der Kinder 1030
*Apinus*, adſertum eius de caſcarilla in febribus examinatur 478. 599
vomitoria commendat in malignis 583
*Apium* nephriticis nocet 376
*Aphonia* 251
per veronicæ decoctum curata 254
ex crapula quo modo tractanda 895
*Aphthæ* quando in febribus proueniant 476. 557. 584
ſuperueniunt dyſenteriæ 634
funeſti præſagii deprehenduntur 637
de phthiſi conſummata teſtantur 300
infantum 1021
*Apophlegmatiſmi* commendantur in cephalæa venerea 201. 203

*Apophlegmatizantia* laudantur in odontalgia 217. 218
*Apoplexia* quid? 899
vnde oriatur 36
a coryza habituali in annoſioribus 245
non ſtatim a vertigine imminet 235
in Finnlandia communis eſt 905
ſequitur hæmorrhoides ſuppreſſas 72
lenior ſpaſmum cynicum interdum relinquit 902
vehementior lethalis eſt 899. 902
a ſpaſmis vehementibus in ſenioribus oritur 395
ſeroſa & catarrhus ſuffocatiuus ſæpe concurrunt 907
*Apoplectici*, qualis eorum exitus 902
multi habentur, qui catarrho ſpaſtico mortui ſunt 909
*Ἀποςάσεως & ἀποςήματος* differentia 176
*Apoſtaſes* febriles vnde veniant 472
cum impetu partem inflant 156
œdemata pedum adferunt 691. 692
ex variolis ad pulmones transferuntur 624
ſtabiles ſedes fiunt commotionum rheumaticarum 156 552
*Apoſtaſes* num has formet febris catarrhalis ſimplex 555
vide *metaſtaſis*
*Apoſtema* quo modo tractandum 172
differt ab vlcere 291
quando veteres in cerebro accuſauerunt 201
*Apoſtematis* interni ruptio vnde dignoſcatur 540
ruptio in angina quo modo tractanda 261. 265
*Apoſtematodes* inflammatio 160
ad ſuppurationem, gangrænam, ſphacelum immo cancrum facile tendit 170
quo modo tractanda 173
*Apri* dens præparat. 179
*Aqua* calida ſalina ad clyſterem extemporaneum laudatur in angina 259
exſtinctionis calcis viuæ quid efficiat in ſcabie 746
- - œdemata repellit 696
- fabrorum quid faciat in ſcabie 746
fortis hauſta quo modo tractanda 963
fumariæ ex diapnoicis remouenda 559
- infantibus in acutis non exhibenda 1028
Hungarica in cephalalgia caute adhibenda 189
hypnotica *Dorncrellii* 215

*Aqua* hyſſopi laudatur in aſthmate ſenili 286
- laudatur in peripneumonia 537
veronicæ vinoſa, quo modo paranda & vſurpanda 275 276
- ſpecifice laudatur ad tonum pulmonum roborandum 272. 275
- - laudatur in phthiſi 307
- - laudatur in brancho 253
- - laudatur in aſthmate ſenili 286
*Aquæ* circa verticem fluctuantis ſenſus quid ſit 194
*Aquæ calidæ* potus nephriticos ſolatur 376
cephalicæ ſpirituoſæ nocent in lipothymiis ſcorbuticis 760
cordiales nocent in adfectibus grauidarum 986
deſtillatæ calcis viuæ, chærefolii, flor. omnium, flor. ſambuci nocent in inflammationibus 175
- card.bened. galegæ, plantag.ſcabioſ.ſcordii diapnoën promouent 590
flor. tiliæ, plantagin. ſcabioſ. ſcordii parum efficiunt in ſtaſibus diſcutiendis 546
ſpirituoſæ parturientibus non ſine diſcrimine exhibendæ 1001
*Aquarum* præmatura euacuatio in grauidis quid minetur 982
*Aqua ſubmerſi* quo modo reuocandi 969. 970
*Aranearum* adpenſio amuletice laudatur 671
*Arcanum duplicatum* catholicum wedelii 650
*Ardor* inflammatorius differt ab æſtu congeſtorio 161
*Ardores* intolerabiles a congeſtionibus oriuntur 143
*Aridura* partium ab atrophia differt 361
partis vnde obtingat 890
quo modo tractanda 894
coxendicis vnde oriatur 423. 431
*Ariſtolochia rotunda* amaritie ſua nullis ſimplicibus cedit 856
*Ariſtotelis* opinio de ſternutationis cauſſa 244
*Armoraciæ* radix ſuadetur in tuſſi 278
laudatur in ſcorbuto 761
*Arnica* in cauſſa grumoſitatis ex lapſu commendatur 896
*Aromata* quid valeant in ſcorbuto 761
illorum reliqua efficacia 827
*Arſenicum* in febribus adhibere non decet virum ſincerum 665

*Arte-*

*Artemiſia* in ſuppreſsione menſium quid præſtet 123
*Arteriæ* aſperæ relaxatio in raucedine non eſt 253
*Arteriola* quando in hæmorrhagiis narium rupta, quid faciendum 38
*Arteriotomia* in hemicrania reiicitur 415
*Arthritis* quid ſit 398
eius ſpecies ibid.
& rheumatiſmus non ſunt res maxime diuerſæ 399
vera & vaga 399
quæ ſit illius a rheumatiſmo diuerſitas 151. 152
eius differentia a congeſtionibus ſimplicibus 399. 422
a malo iſchiadico 421
per diaphoretica calida inducitur 158
ſtricte ſumta quo modo differat a podagra 398
ſcorbutica 399. 402
vera quibus cauſsis ſuperueniat 497
vaga tumores in articulis relinquit 400
- ruit ad hæmorrhagias 402
*Arthritici adfectus* quas hæmorrhagias reſpiciant 401
numquam ad ſanguinis eruptionem perueniunt 399
pertinaces per hæmorrhoides ſoluuntur 71
ſunt motus erronei 401
in iis contingunt congeſtiones incompletæ. 140
ad ſpaſmos particulares referuntur 392
*Arthritico-ſpaſtici* adfectus num a debilitate partium, an a nimia ſtrictura dependeant 407
- - procliues ſunt ad recurſus internos 402
*Artuum grauitas & obdormitio* vnde exſiſtat 7. 14
in grauidis 964
vid. tremor.
*Aſa fœtida* externe conducit in ſuffocatione hyſterica 846
*Aſarum* laudatur in cardialgia 828
*Aſcarides* 853
vbi ſtabulentur ibid.
nonnumquam diarrhœas cauſſantur 876
*Aſcites* vnde oriatur 135. 707
*Aſelli* præparat. 387
*Aſparagi* radix ſpecifice laudatur in mictu cruento 64
*Aſſodes* quid ſit 500. 506
*Aſthma* 278
differt a tuſſi 279
interdum tuſsis ſymptoma eſt 280
non in ſolo pectore, ſed etiam hypochondriis interdum ſedem habet 279
& *pectorale* & *hypochondriacum* ſequitur hæmorrhoides ſuppreſſas 92. 93. 96

*Aſthma* in febribus acutis ſuſpectum eſt 283
*defectiuum* 279
*chronicum* quo modo tractandum 286
*ſenile* 281. 286
*ſpaſticum* ſeu *conuulſiuum* 279. 393. 438
- differt a catarrho ſuffocatiuo 906.911
- interdum eſt ſymptoma aſthmatis defectiui 280
- iungitur interdum febribus malignis 440
- ſpaſticum ex pleuritide ſpuria oriri poteſt 420
*ſiccum* quo tempore magis adfligat 281
- flatulentum 285
- diuturnum, quæ mala adferat 283
*venereum* quo modo curandum ibid.
*Aſthmatica* pectoris oppletio in infantibus 1019
*Aſthmatici* adfectus ex coryza habituali 245
non nulli etiam capitis dolores ſentiunt 287
caſus notabilisſimus 287.288
*Athleticus* corporis habitus quid de eo ſentiat *Hippocrates* 9
*Atheromata* 783
*Atonia* œſophagi, wenn es kollert bis in den Magen hinunter, vnde oriatur 636
*Atrophia* 360.1023
vnde originem trahat 361.362
quo modo differat a phthiſi & hectica 297.360
ab incantationibus an ſit curanda 364
inueterata degenerat in rhachitidem ibid.
adultorum ſemper fere cum hectica complicata eſt ibid.
*Atrophicorum* abdomen cur tumeat 713
*Auricula muris maior* in pectoris vitiis laudatur 317
*Aurium* adfectus 219
manationes ſeroſæ in infantibus 1019
*Autocratia naturæ* quid posſit in morbis 4. 5.
in nonnullis adfectibus arti cedere cogitur 510

B.

B*Aculus corni* quid in rabie efficere dicatur 944
*Baglinius* commendat aſthmaticis particulas nitroſas inter arandum 287
eius obſeruatio de motibus conuulſiuis puerorum 619
eius ſententia de fluore albo 767
eius ſententia de alexipharmaco-ſudoriferis in malignis 598
*Balbuties* 889
*Balnea* nimium feruida reiiciuntur

tur in plethora commota 12
non omnibus calculoſis proficua ſunt 389
in malo iſchiadico non adprobantur 424
in grauidis non improbantur 988
infantum qualia eſſe debeant 1031
domeſtica commendantur in palpitatione cordis 294
tepida alicuius efficaciæ ſunt in ſpisſitudine ſanguinis 17
conducunt ad ſudorem eliciendum 797
laudantur in omni tabe 367
*Balſamum de Copaiua* ſeu *Indicum* album quid præſtet in gonorrhœa 775
in calculo renum non adprobatur 389
*Baſamum de Copaiua* ſeu *Indicum* album laudatur in ſuſurru & tinnitu aurium 225
*ſulphuris* mictum cruentum cauſſari poteſt 62
non conuenit in tuſſi 274
apoplecticum quid præſtet in apoplexia 905
*Locatelli* & *Meibomii* 308
*Balſama apoplectica* & *cephalica* in coryza & grauedine non conueniunt 249
*embryonum* in adfectibus grauidarum damnantur 986
*acriora* in hectica nihil faciunt 574
- in mictu cruento reiiciuntur 66
- reiiciuntur in cephalæa 203
- in calculo turgeſcentiam ſanguinis promouent 389
- vulneratis pulmonibus non conducunt 308
in gonorrhœa non promiſcue ſunt adhibenda 775
*temperatiora* in phthiſi commendantur 307
*Becheri pilulæ* vid. *Pilulæ*
*Becchica* euacuatio non ſuccedens phthiſin cauſſatur 301
*Becchicæ* congeſtiones quænam ſint 140
- quid intendant 146
*Bellis minor* leniter adſtringit & diſcutit 311
Berg-Geſtöber 961
Beulen, a lapſu, ictu, verberibus 172
quo modo tractandæ 174
*Bilis* num ſit alcali vel acidum 518
eius defectus non eſt cauſſa hydropis 713
num amarore ſuo vermes enecet 857
an ſit cauſſa febris tertianæ 660
in dyſenteria quid mali inferat 634

*Bilis*

*Bilis* quo modo colicam billoſam inducat 839
excretio eius impedita icterum inducit ibid.
flaua, vitellina, praſina &c. quid ad febres bilioſas conferant 516
*Bilioſa materia* expanſa & diffuſa non poteſt vno impetu inverti 515. 516. 517
in febribus bilioſis an ſecure per vomitum poſſit euacuari 475
internas inflammationes peſſimi euentus cauſſatur 511
*Bilioſa acrimonia* per fermenteſcentia augetur 518
*Bilioſæ cruditates* primarum viarum motus ſpaſticos exaſperant 403
deiectiones decolores, wie gehackte Eyer 1018
*Birckmanni puluis ſtomachicus* 818
Blatter=Pelgen quid ſit 630
Blut: ſchweres Blut, ſchwerer Muth 14
Bluten: wenn es kommt, wird der Kopf leichter 141
*Bolaria* viſcera conſtringunt & hydropem cauſſantur 407. 435
magno damno hecticis offeruntur 574
*Bonetus* naſturtium aquaticum ſpecifice laudat in phthiſi 310
de corruptionibus ſphaceloſis poſt mortem phreniticorum 526
*Bontius* tempore dyſenteriæ in folliculo fellis nullam inuenit bilem 635
eius *liber de medicina Indorum* adlegatur 324
eius *pilulæ tartareæ* laudantur in infarctu lienis 343
*Borborygmi* quid ſint 838
*Borellus* commendat iaſpidem rubram in hæmorrhagiis 30
- ſuccum vrticæ min. in hæmorrhagia narium 38
- ſideritidem in pleuritide 536
*Borrichii* inuentum veſicis calidis ſudorem promouere 721
*Boyle* tractatus de ſpecificis adlegatur 856
*Branchus* 241. 250
quo modo differat a raucedine 250. 251
*habitualis* in catarrhum ſuffocatiuum abit 252
grauior cum adfectibus venereis conſpirat 251
Braſſica marina temperate euacuat 720
*Braſſicæ muriaticæ* cur ſemina pinguia immiſceantur 518
*Bronchotomia* commendatur in angina 261. 266

*Brunneri potiuncula* laudatur in aſthmate chronico 286
*Bruta* cur raro morbis ſint ſubiecta 3
hæmorrhagias non habent 25
veras febres non incurrunt 467
*Bubones* peſtilentiales 644
quo modo tractandi 649
venerei vnde naſcantur 782 783
- quo modo tractandi 788
- ſponte non tendunt ad ſuppurationem 793
- non raro ſuperueniunt gonorrhœæ malignæ 771. 772
vlceraſcentes inſignes corruptiones formant 779
*Bufo* in vino aduſto maceratus laudatur in angina 265
eum viuum *Holſati* in angina adhibent 266
*exſiccatus* diureſin promouet 706
- in hæmorrhagiis laudatur 30. 48. 75. 129
- in congeſtionibus ſpecifice laudatur 148
- commendatur invrinæ incontinentia 808
- eius os commendat *Helmontius* in odontalgia 217
*Bulimus* 814

C.

*Cachexia* 697
eſt cacochymiæ proles 20
non eſt primus hydropis gradus 697
plenaria frequenter hecticam aut hydropem adfert 702
a fluxu menſium nimio inducitur 190
euenit a lochiis ſuppreſſis 135
inducitur ab hæmorrhoidibus nimiis 72
repulſa catarrhum ſuffocatiuum inducit 702
*Cachectici* non ſunt pro phlegmaticis habendi 705
*Cacochymia* 18
arctum eius vinculum cum cachexia oſtenditur 18. 20
quid per eam veteres & recentiores intelligant 22
veterum nomen ſuum omnibus morbis ignotis dare debet 758
tam frequens non eſt, vti vulgo accuſatur 20
ſcorbutica omnium morborum origo vulgo habetur 19. 22
*Cadauera* non ſepulta peſtem cauſſari poſſunt 645
peſte emortua cur liueſcant & nigreſcant 581
*Cæcitas* ex ophthalmia diuturna oritur 207

*Caci-*

*Cæcitas* ex venæ ſectionibus ſtatis non oritur 209
*Calculi* aliarum corporis partium 378
*Calculus renum & veſicæ* 376
eorum differentia 376. 377
ſæpe ſine inſignibus doloribus geſtatur 377. 378
renum aliquoties ex bonitate naturæ curatus eſt 382
- ad hæmorrhoides procliues ſunt, qui illo torquentur 72. 76. 380
- aſperior excitat mictum cruentum 60. 62. 380
ex nephritide ortum habere poteſt 372
veſicæ vbi naſcatur 380. 381
non eſt indolis pure terreæ 381. 387
ſine nephritide adfligere poteſt 368
cum podagra ſæpe coniunctus eſt 380. 432
grandior febrem acutam aduocat 382
iactatæ eius curæ heroicæ in dubium vocantur ibid.
quo modo explorari poſſit 380. 386
eius extractio vel exſectio 387
illum pellentia cautiſſime adhibenda ſunt 388
nouam eius geneſin medicus non poteſt intercipere 387
*Calculum* ſæpe mentitur malum hyſtericum 329. 377
*Calculoſi* hectica pereunt 382
*Calculoſi motus* ab ipſo calculo diſtinguendi ſunt 377
*Calefacientia* in inflammationibus ſtaſin promouent 176
nocent in hæmorrhoidibus 87
*Calida* nocent in cephalalgia ſanguinea 198
reiiciuntur in hæmoptyſi 51
externa adfectus ad interiora repellunt 421
febris tertiana tolerare non poteſt 661
quartanam continuam in acutam inducunt 684
lentam in hecticam febrem promouent 566
acria ſulphurea in ſcorbuto non ita efficaciter corrigunt 760
*Calor* blandus in congeſtionibus efficaciter prodeſt 148
in volis manuum poſt prandium phthiſeos ſæpe ſignum eſt 298
*Caluariæ* diſtorſio in infantibus 1017
*Camphora* in inflammationibus externis egregie ſatis facit 177. 178
eius adpenſio laudatur in acutis adfectibus infantum 1029
- - laudatur in ſudoribus infantum repulſis 798
eius auerſio in hyſtericis, quo modo tolli poſſit 198. 539

*Camphora* ad ardorem mitigandum commendatur in ſcabie ferina 743
*Camphora* in ſtaſi inflammatoria ſuppurationem impedit 223
cur in œdematibus non conveniat 691.-696
num veneris incitamenta contemperet 939
eius vſus internus circumſpectus eſſe debet 178.546
eius quantitas tincturas bezoardicas ſuſpectas reddit 648
interne cum nitroſis laudatur in cholera ſimplici 517
quid valeat interne in angina 265
ab Ettmüllero in epilepſia laudatur 462
nephriticis cautius exhibenda 375
*Camphorata* quo modo in otalgia & ophthalmia adplicanda ſint 208.211.223
in deliriis multum commendantur 939
nihil præſidii ad hydrocelem adferunt 727
in paraphrenitide interne caute ſunt adhibenda 529
*Cancer* vnde oriatur 168
occultus quid ſit 350
*Cancri* combuſti ad morſum canis rabidi laudantur 943
- laudantur in diabete 810
*Cancri* fluuiatiles vulgo creduntur febrem ſympathetice curare 666
*Cancrorum oculi* ſæpe ſunt adulterati 589
*Canes* delicatuli facile morbis ſunt obnoxii 3
*Canis* rabidi morſus 649
*Cantharides* : eorum vſus mictum cruentum prouocare poteſt 62
facile renes & veſicam adrodunt 719
magis nocent in fluore albo, quam in gonorrhœa 768.775.776
adſumtæ quo modo tractandæ 963
*Capillorum* defluuium in phthiſi de malo conſummato teſtatur 300
in febre hectica itidem 560.569.571
in ſcabie ferina incurabilem adfectum teſtatur 545
*Capitis dolores* in ſexu feminino Medicos valde vexant 196
qui a lue venerea originem ducant 182.195.199.201
hypochondriacorum & hyſtericarum 327.328
*Caput* eius conſpiratio cum ventriculo 181.184.190.234
ab æſtu & frigore poſt enormes narium hæmorrhagias defendendum eſt 38

*Caput*

*Caput* interdum in aſthmaticis ſimul adficitur 287
eius vertiginoſa adflictio ſignum plethoræ eſt 8
qui ſunt capitis amplioris, podagræ præ aliis vulgo obnoxii creduntur 429
*Carbones*: vapores eorum quæ damna adferant corpori 961
*Carbunculi* ſpem ſalutis in peſte adferunt 580
cito autem & numero plures erumpentes ſunt infames 581
*Cardialgia* 823
nauſeoſa ibid.
ſymptomatica viſcera venæ portæ ſimul adficit 824
ſyncoptica vnde dependeat ibid.
paraphreniticorum exquiſita eſt 527
hypochondriaco-hyſtericarum 325. 824
- non eſt emeticis curanda 59
ſucceſſu temporis lipothymiam cauſſatur 825
*Cardialgiæ* extremæ in febribus periculoſæ ſunt 471
a lochiis ſuppreſſis 135
*Cardiogmus* 1024
*Carduus benedictus* poſt febres vt tonicum laudatur 665
*Caries dentium* quo modo tractanda 215
*Carminatiua* in flatulentia prudentiſſime adhibenda ſunt 834
in qua colica locum habeant 843
*Caro lupina* num in malo hyſterico aliquid præſtet 339
*fumo indurata* nephritidem exacerbat 375
*Carpionum lapis* an efficax ſit in hæmorrhagiis narium 38
*Carthamus* temperate euacuat 720
*Carunculæ* in vrethra quo modo tollendæ 778
*Carus* 914
*Caryophylli* laudantur in odontalgia 218
*Caſcarilla* lenit, ſedat, diſcutit 537. 910
fouet adſtrictionem vix ſenſibilem 478
in hæmorrhagiis efferis 28
laudatur vt lene anodynum in dolorum atrocia 145. 355
laudatur vt egregium pectorale diſcutiens & ſedatiuum 276
laudatur ad vomitum, diarrhœas impetuoſas ſiſtendas 494. 513. 567. 487
in dyſenteria ſalutariter conuenit 642
laudatur in turbis venæ portæ &

tæ & hæmorrhoidibus 89 333
laudatur in fluxu lochiorum nimio 129
laudatur in vomitu cruento 56
commendatur in hemicrania 414
commendatur in hæmoptyſi 48
*Caſcarilla* ob acredinem in angina non conducit 264
an aliquid ſpecifici habeat in febribus 478. 599
*Caſeus macrior* nephriticis non conducit 375
*Caſtoreum* reiicitur in malo hyſterico 338
in infantibus infimi ventris non commendatur 447
improbatur in epilepſia 462
externe pro odore in colica adhiberi poteſt 846
*Cataplaſma* discutiens ad ſtaſes congeſtas commendatur 174
ab aurium adfectibus abeſſe debet 228
*Catalepſis* 271
*Cataracta* vnde proueniat 39
*Catarrhoſi* ad vomitum procliues ſunt 249. 250
*Catarrhus* differt a rheumatiſmo 152. 241
vnde originem ſumat 140
eius ſpecies 241
*Catarrhus* num ex capite in cauitatem arteriæ aſperæ defluat 287
ſimplex nulla febre ſtipatus eſt 241. 553
ſalſo-acris inuoluit indolem inflammatoriam 553. 554
frigidus 140
chronicus quo modo tractandus 558
eius lapſum in ſtomachum vulgus accuſat 241
quo ſenſu ſit contagioſus 555
*Catarrhales* ſeniorum adfectus conueniunt cum aſthmate defectiuo 276
*Catarrhus ſuffocatiuus* 906
vnde oriatur 245. 908
ſæpe concurrit cum apoplexia ſeroſa 907
poſt tuſſim periodicam ſuccedit 270
poſt hæmorrhoides ſuppreſſas euenit 72
a ſpaſmis vehementibus ſenioribus obtingit 395
cautiſſime ab aſthmate conuulſiuo diſtinguendus eſt 911
*Cathartica* fortiora damnantur in cephalalgia 191
*Cauſus* 505
quo modo differt a febre cholerica 505. 506
ab *Hippocrate* febris lethifera adpellatur 510

*Cauſus* eius materia peccans corroſiuæ indolis eſt 519
*Cauſticum Sutorii* & *Zwingeri* 172
*Cauteria* commendant veteres in cephalæa 201
in fiſtula ani non ſunt admittenda 89
*Celſus* quid in cholera promittat 517. 518
*Centaurium minus* ad tonum ventriculi roborandum laudatur 665. 818
in febre lenteſcente prodeſt 665
*Centinodium* ſpecifice laudant in effera hæmoptyſi 48
*Cepæ* nauigantibus aduerſus ſcorbutum ſolatio ſunt 762
aſſatæ ad maturationem hæmorrhoidum tumentium commendantur 85
frixæ in ſcorbuto exiguum edunt effectum 761
vſus earum internus oculis non nocet 212
nephriticis non conueniunt 376
*Cephalæa* 194. 199
quo modo differat a cephalalgia 182
item a cephalalgia continua 199
ea adflicti ſunt ſenſibiliſſimi 200
melancholiam interdum producit 200. 202
*Cephalæa* apoplexiam præſagit 202
ab inquinamentis venereis & ſcorbuticis orta, quo momodo curanda 202. 203
*Cephalicum Michaelis* ſpecificum laudibus effectu non reſpondet 191
nullam prærogatiuam in infantibus meretur 1029
*Cephalalgia* 181
ſanguinea & feroſa ibid.
eius differentia a cephalæa 182
quo modo differat ab hemicrania 182. 410
directe hæmorrhagiam narivm reſpicit 410
in feminis pertinax & continua obſeruatur 182
cum vertigine complicata cuius prognoſeos 235. 239
grauidarum 974
iliaco-hæmatitica quid ſit 193
*Cerebrum* cur neruorum origo & motus inſtrumentum non ſit 232
*Cerebrum leporis* in dentitione difficili probabile non eſt 1030
*Cereuiſia* cum ſucco betulæ vel ſemine dauci fermentata commendatur calculoſis 386
fermenteſcens puerperis non conducit 132
eius vapores fermenteſcentes

tes quæ damna adferant corpori 961
*Ceruus* totus an ſit alexipharmacus 586
*Chærefolium* laudatur in phthiſi 312
ad diſcutiendas ſtaſes debilioris eſt efficaciæ 546
aliquid præſtat in mictu cruento 65
*Chamædris* num ſecundum *Paracelſi* adſertum ſanguinem conſumat 12
*Chamomilla* : eius decoctum ad clyſteres in hæmorrh. ſuppreſſis laudatur 98
in colica non reiicienda eſt 846
quid præſtet in mictu cruento 65
*Chelidonium minus*, *minus* efficax eſt in hæmorrhoidibus tumentibus 88
*Chemoſis* quid ſit 204
*China chinæ* quæ damna inducat in febribus 656
in intermittentibus adhibita ſcirrhum hepatis ſæpe inducit 357
in quartana icterum facile cauſſatur 731
in tertiana continua nullum vſum obtinet 682
*Chiragra* 398.421.425
hæmoptyſin reſpicit 430
*Chirurgia infuſoria* hodie exoleuit 17.22
*Chloroſis virginum* 702
ad palpitationem cordis accedens quo modo tractanda 293
*Cholera* humida 506
quando ſine febre fiat 516
*Cholerica* febris 505
*Cholerici* quem edendi modum ſeruent 812
*Chondrilla* vid. *Radix chondrillæ.*
*Chorea Sancti Viti* 941
*Cibi molliores*, præter conſuetudinem ſumti, inteſtinorum laxitatem cauſſantur 327
*acidi* cum bile & ſulphure maiorem acrimoniam producunt 518
- in tusſi ſunt fugiendi 278
capparibus conditi laudantur in infarctu lienis 346
*Cibus parcior* plethoricis commendatur 10
*dyſpeptus* cur fluxum menſium inhibeat 111.116
*Cichoreum* ſpecifice laudatur in infarctu hepatis 354
*Cinnabaris* cuiuis ætati & ſexui maxime eſt accomodata 190
opiatorum vices ſæpius ſupplet 190.355
ſpaſmos mitigat & transpirationem promouet 1030
in motibus moderandis fungitur

gitur officio cotis 397
*Cinnabaris* laudatur in coryza acriore 249
laudatur in grauidis 988
larga doſi commendatur in cephalalgia & hemicrania 190. 414. 417.
- - in aſthmate ſpaſtico 441
- - in hæmorrhagiis 28
antepilepticam non habet efficaciam 454. 1030
*antimonii* ab *Oſwaldo Kremſio* laudatur in aſthmate 286
*Cingulum* tinctoris in peſte Galliæ inuentum 631
*Citri* ſuccus pectori præ ceteris amicus eſt 317
*Citta* 812
*Clauiani* 79
*Clauus hyſtericus* quid ſit & vnde nomen habeat 193. 194
- oculi vnde emergat 206
*Clyſſus antimonii* tertium locum inter acida obtinet 389
*Clyſter* extemporaneus 259
aquoſus ſimplex priorem educit 844
motum periſtalticum inuerſum deorſum reuocauit 851
ſtimulans in vertigine commendatur 239
e veronica laudatur in malo hypochondriaco-hyſterico 338
e veronica in nephritide, ſyncope & torminibus colicis laudatur 338 381
*Clyſteres* laxantibus præferuntur in malo hypochondriaco, mictu & vomitu cruento 59. 66. 338
aliquoties repetendi ſunt 844
maximum vſum habent in colica 843. 844
quando in lipothymia adhibendi ſunt 925
laudantur in epilepſia 462
in dyſenteria non habent eximium vſum 641
emollientes puerperis commendantur 131
- laudantur in vrinæ vitiis 804
acres cur in hæmorrhoidibus ſuppreſſis non ſint adhibendi 101
iniecti ſæpe per os egreſſi ſunt 844
*Cochlearia* in ſcorbuto laudatur 760
*Cocta*, non *cruda*, purgare licet 664
*Coctiones* veterum in febribus ſunt ſecretiones 474
*Cœliaca paſſio* febrem cholericum interdum ſequitur 512
diarrhœa 875
*Coffee* potus plus valet aluo expediendæ quam thée 333
potus nimis ſaturatus tremorem artuum otioſis inducit 862

*Coffée* num hæmorrhoides ſupprimat 94
*Colica* 835
anoterica 193
abdominis ibid.
biliosa 836
conuulſiua ibid.
- a lochiis ſuppreſſis 135
flatulenta ſeu pituitoſa 392
836
habitualis 838
hæmorrhoidalis 836.838
- vnde oriatur 72.76.96.97
humoroſa a pure ſpaſmodica diſtinguenda eſt 843
hyſterica adficit inteſtina tenuia 836
iliaca 836. 847
cum ſingultu mali ominis 445
nephritica ad hæmorrhoidalem refertur 836. 847
ſaturnina quid ſit 961
*Collyrium Weisbachii* 311
*Colocynthis* phlegmaticis ordinari debet 216
eius pulpa ad clyſma ſtimuli loco commendatur 259
circumſpecte debet adhiberi in hæmorrhoidibus ſuppreſſis 102
*Color flauus* icteriodes infantum 1016
*Coloſtrum* infantibus vtile eſt 1015.1031
*Coma* 913
ſomnolentum & vigil 914
*Coma*, ei directe nihil adhiberi poteſt 918
ab opio inductum vix curatur ibid.
*Commotiones* animi, corporis & ſenſuum nocent poſt ſanguinis iacturam 131
humorum plures generant impuritates 616
- vehementes ſanguinem in arctiſſimos meatus impellunt 541
- nocent in febribus 558
585. 681
febriles ſtricte dictæ a febribus nondum typicis differunt 681
*Conatus vomendi* in colica ſemper ſuſpecti ſunt 838
in feminis vomitus cruenti metum adferunt 839
*Conceptio* noua a lochiis ſuppreſſis impeditur 135
*Conchæ* præferuntur oc. cancr. 589
*Concoctionis* vitia tuſſim prouocant 298
*Concrementa vteri fungoſa* quo modo præoccupanda 977
*Concretio pulmonum cum pleura* an certis ſignis cognoſci poſſit 296. 300
vnde exſiſtat 303
*Condylomata* 97
*Congeſtio* ſimplex ſ. completa 139

*Congeſtio* quo modo differat ab arthritide 399
incompleta rheumatiſmus vocatur 140. 149
- difficilius curatur quam completa 144
prima ſecundam prouocat 142
*Congeſtiones* non paſſiuæ, ſed actiuæ cenſendæ ſunt 139. 142
frequentiores ſunt quam obſtructiones ibid.
in ſtagnationem & ſtaſin deductæ quos effectus producant 140
ſanguinis ad caput & pectus 39
cui ſcopo deſtinatæ 301
becchicæ quænam ſint 140
pectoris grauiores ſunt quam aliæ 144
in conſuetudinem deductæ refractariæ ibid.
noxii earum motus quo modo æſtimandi 146
vlceroſo ichoroſæ 182
*Conſerua roſarum* vt anodynum laudatur in vomica pulmonum 319
*ſatyrionis* in adfectibus ſpaſtico - arthriticis prodeſſe dicitur 408
*Conſolida ſaracenica* in nephritide & vomica pulmonum laudatur 317. 376
*Conſuetudo* quantæ ſit efficaciæ 46. 425
*Contractura* ex podagra & chiragra inueterata eueniunt 431
*Contuſio* quo modo tractanda 180
eius ſenſum plethorici poſt motum perſentiſcunt 150
*Conyza vulneraria* laudatur in vomica pulmonum 317
*Conuolunlus* 848
*Conuulſiones* 448
quo modo differant a ſpaſmis 393. 394
idiopathicæ 448. 450. 456
cur circa phaſes lunæ occurrant 450
vterinæ differunt a lipothymiis & ſuffocationibus vterinis 449
epileptico hyſtericæ 118. 136
ſymptomaticæ 451. 452
variolas nonnumquam præcedere ſolent 450. 452
ex inualeſcente vertigine exoriuntur 235
in febribus ſunt periculoſæ 452. 471
in acutis quando ſint lethales 451
mortem præcedentes per remedia magis exacerbantur 454
in conſuetudinem degeneratæ cum cauſſis materialibus proportionem

 non

non habent 451
*Conuulſiones* interdum calculoſos occupant 378
abortienti & parturienti ſuperuenientes 452. 995
infantum 456. 798. 1022. 1027
*Corallia* rubra ppt. in excedente alui fluxu commendantur 567
in dyſenteria parum efficiunt 641
*Corallina* in dyſenteria num quid poſſit ibid.
*Cordialia acriora* ad palpitationem cordis nihil iuuant 293
*Corium* incenſum ad ſuffocationes hyſtericas laudatur 846
*Corni* arboris baculus rabiem reſuſcitare dicitur 944
*Cornu* cerui tam vſtum, quam philoſophicum excluditur in malignis 589
vſtum in vermibus nihil magnopere præſtat 858
*Corporis* conſtitutio materialis ad morbos eſt procliuis 3
extenuatio nimia in grauidis 981
emarceſcentia in phthiſi 303
gracilitas iuncea quid noceat 1015
habitus athleticus, quid de eo cenſeat *Hippocrates* 9
motum cur plurimi renuant 9. 10
*Corporis* motum nullum poſſunt perferre cephalæa laborantes 200
*Corpulentia nimia* Vid. *Obeſitas.*
*Correctio* materiæ billioſæ facilior eſt quam euacuatio 512
impuritatum ſine euacuatione fruſtranea eſt 21. 22
*Correctoriam methodum* duæ febres admittunt 665. 666
in paucioribus morbis obuenit 5
*Corroſiua* euitanda ſunt in hæmorrhoidibus cæcis 87
*Cortex mezerei* laudatur in coryza & grauedine 249
caſcarillæ vide *Caſcarilla.*
*Cortices aurantiorum* ſpecifice laudantur in colica 846
in qualibet flatulentia inteſtinorum bene ſe commendant 835
*Coryza* 240
branchum præcedit, immo cum illo coniuncta eſt 251. 253
iiſdem cum hæmorrhagia narium rationibus innititur 33. 243
acrior, contaginoſa, quo modo tractanda 247
chronica olfactum facile lædit 245
habitualis annoſioribus & iunioribus periculoſa 245
infantum 1019

*Coſtus verus* viſcoſitates reſoluit 273
ſtaſes catarrhales diſcutit 250
*Coxendicum* dolores ex hæmorrhoidibus cæcis 82
*Creta* communiter in ſoda adhibetur 822
*Crinones* infantum 1023
*Criſis* febrium 469. 470. 474
ſimplex rara apud nos eſt 676
*Criticæ* euacuationes adferunt euphoriam 470
*Criticas* tentare commotiones febribus ſecundariis non conuenit 499
*Criticum* nullum eſt paucum 32
*Crocus* cachecticis non prodeſt 705
in fluxu lochiorum moderate debet adhiberi 129. 132 134. 138
eius concurſus tincturas bezoardicas deturpat 648
egregie laudatur in ſtaſi eryſipelacea 177
martis antimoniatus aperitivus *Stahlii* laudatur in fluxu menſium rebelli 110
- - laudatur in mictu cruento 64
- - laudatur in vomitu cruento 56
- - in hemicrania 416
- - aluum non adſtringit vti china chinæ 663. 671
*Crocus martis* aperitiuus *Zwölferi* in mictu cruento laudatur 64
- intertrigines repellit 1030
- adſtringens in effera hæmoptyſi laudatur 48
*metallorum* crude vſurpatus irritat oculos 210
*Crollii lapis admirabilis* laudatur in ophtalmia ſeroſa 308
*Cruditas* primarum viarum vertiginis cauſſa 229. 230. 234
*Crurum* inflationes varicoſæ in grauidis 980
*Cruſta lactea* infantum 1020
eius repulſio conuulſiones cauſſatur 451
*Cryſtalli lunæ* pro ſcopo diuretico non commendantur 719
tartareæ in vrina hypochondriacorum nihil peculiare denotant 327
*Cryſtallus montana* ſiſtit diarrhœas 557. 642
montana ſtypticum effectum exſerit 517
a *Cratone* in febribus bilioſis commendatur ibid.
*Cucuphæ* 189. 339
quid valeant in memoriæ debilitate 928
qua circumſpectione in cephalalgia adhibendæ ſint 189
it. in vertigine 239

*Cucuphæ* quibus ſubiectis in adfectibus ſerotis conducant 249. 918
*Cucurbitini* 853
*Cucurbitula* mammis adpoſita menſes cohibet 112. 124
*Cucurbitulæ* cum multa flamma in vomitu cruento adplicandæ 57
*Cucurbitulæ cæcæ* commendantur in hæmorrhoidibus cæcis 84
commendantur in menſium ſuppreſſione 119
*Cupula cerea* præcauet fiſſuram papillarum 1014
*Cura palliatiua* in odontalgia idiopathica admittitur 214
*Curæ heroicæ* in febribus nocent 493. 499
*Cynanche* 255
ſecundum *Hippocratem* vnde oriatur 554
qui pereunt, conuulſionibus moriuntur 258

D.

DEbilitas ſyncoptica grauidarum 982
*Decocta hordei* & *auenæ* commendantur puerperis 132
ad maturationem hæmorrhoidum tumentium quo modo paranda 85
*prunorum* laudantur in hæmorrhoidibus turgentibus 84
*vulneraria* nocent in febribus lentis & hecticodeis 357
*Decoctum emolliens* laudatur in odontalgia 216
*equiſeti* ſpecifice laudari ſolet in mictu cruento 64
loco ordinarii potus in febribus ordinatur 477
*lignorum* laudatur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 406
*milleſolii* laudatur ad commotiones circa venam portæ 333. 334. 339
*nephriticum Foreſti* quem effectum habeat in mictu cruento 64
*Decubitus* humorum quid ſit 153 164
*Deglutiendi difficultas* in infantibus 1016
in febribus malignis 598
*Delicati* facile ægrotant, & difficilius curantur 325.
*Deliria* acuta 935
ante primum ſeptenarium minoris periculi ſunt, quam poſt eumdem 595
chronica 935
in febribus ſunt ſymptoma periculoſum 471
*Deliria* in febribus eueniunt die critico, quando vena eſt ſecta 475. 476
in febribus bilioſis 511
De-

*Deliria* in febre Hungarica 605
hypochondriaca ab initio ſchema acutum interdum exhibent 520. 934
- cauſſa eorum vbi quærenda 520
a lochiis ſuppreſſis 135
paraphrenitica 520. 526
*Delirium* a vermibus 857
*Democriti* adſertum: hominem totum a natiuitate morbum eſſe, in quantum verum 3
Chriſt. Democriti ſpecificum oleum 455
*Dens apri* ſpecifice laudatur in pleuritide & peripneumonia 536
it. in inflammationibus 179
- ſpecifica eius efficacia in ſtaſibus nulla eſt 546
*hippopotami* laudatur ad ſpaſmos 397
- improbatur in malo hypochondriaco hyſterico 339
- nocet in hæmorrhoidibus 75. 102
*hominis phthiſi defuncti* in odontalgia periculoſum remedium 217
*Dentes ſapientiæ* 214
*Dentitio* 1021
difficilis conuulſiones cauſſatur 451
*Dentium dolor* nonnullis feminis ſignum grauiditatis eſt 215
*Dentium corruptio & dolor* a cephalalgia 183
- interdum phlegmonem gignit 163. 177
euulſio quando fieri debeat 218
in dolore dentium an vermiculi accuſari poſſint 214
*Deſiderium* conuulſiones provocat 451
*Diabetes* 809
*Diacodium Montani* vt anodynum laudatur in vomica pulmonum 319
- in angina 264
vehementius eſt quam M. P. de cynogloſſa 274
*Diæta cruda* ſanguinem non reddit impurum 20
menſes ſupprimit 116
*ſcrupuloſa* quid ad morbos conferat 3
*ſpirituoſa* & *aromatica* in plethora commota nocet 12
*vinoſa* hæmorrhagias narium reſtituit 40
*infantum* 1030
*lactantium* 1014
*grauidarum* 988
*Diaphoreſis* poſt venæ ſectionem in acutis ſumme neceſſaria eſt 677
conuenit ſub ſaliuatione 792
commendatur in gonorrhœa & fluore albo 769. 779
reſpicienda eſt in angina 265

*Diaphoreſis* immoderata nocet in febre tertiana 681
præmatura in febribus motus naturæ turbat 476. 483. 514
in colica auget anxietates 846
*Diaphoretica calida* nocent in malo hypochondriaco 336
- damnantur in rheumatiſmis 158
- nocent in ſpiſſitudine ſanguinis 17
- damnantur in motibus hæmorrhoidalibus 77
poſitiua nocent iis, qui ad ſudandum difficiles ſunt 797
- non conducunt in febre catarrhali 558
*Diarrhœa* 874
quo modo differat ab hæmorrhoidibus albis & fluxu hepatio 91
grauidarum 979
infantum 1020
atrophicorum 364
choleriodes puerperarum 1004
critica & ſemicritica 875
cœliaca 91. 875. 877
colliquatiua in phthiſi & hectica 300. 304. 571
in hepatitide 541
lienterica 875. 877
purulenta in variolis 622. 626. 628
ſanguinolenta ſub ſaliuatione 790
*Diarrhœa* in ſcorbuto 760
in purpura 614
in variolis 622. 877
in febribus malignis 582. 595
prodiga in febribus 471
impetuoſa in peſte 587. 595
in febre tertiana 658
in febribus bilioſis 513
febris catarrhalis brnigna ad eam valde inclinat 544. 553. 555
*Diarrhœæ* ſuppreſſæ 877. 880
excedentes quo modo tractandæ 138. 595. 597
*Diaſcordium Fracaſtorii & Syluii* in inflammationibus internis nocet 547
commendatur in diarrhœa 879
*Dies nonus* in acutis periculoſus eſſe deprehenditur 492
*Digeſtiua* laxantibus ſunt præmittenda 880
*ſalina* magis materiæ quam ventriculo ſuccurrut 827
- cur vegetabilibus in febribus ſint præferenda 665
*Diluens* cum *diluendo* bene ſubagitari debet 122
*Diluentia* poſt hæmorrhagiam male ſuppreſſam expoſcuntur 30
*Dionis* modus inſtituendi paracenteſin 324
*Dioptrica* ſine neceſſitate non adhibenda ſunt 211

*Diſcu-*

*Diſcutientia* externa in adfectibus ſpaſtico arthriticis 404. 405
*Diſtorſio ſubluxatoria* vulgo das Verbrechen 1024
calvariæ in infantibus 1017
*Diureſis* in lue venerea non eſt negligenda 789
in inflammatione prodeſt 180
*Diuretica* temperata commendantur ad calculos minores pellendos 385
cur ab auctoribus in empyemate præſcribantur 375
in hydrope non promiſcue adhibenda ſunt 718
cur in malignis exanthematicis non habeant locum 588
*acria* grauidis nocent 987. 989. 978
- maiorem humorum decubitum ad renes cauſſantur & calculum progenerant 374. 388
*calida* nephritidem & mictum cruentum cauſſantur 62. 371. 374
ſtimulantia in vrinæ vitiis nocent 804
*culinaria* nephriticis non conceduntur 375
*Dolor coxarum* & *lumborum* in grauidis 980
*nephriticus* & *iſchiadicus* differunt 369
in ſcirrho ſperare iubet 364
*Dolores colici* & *nephritici* differunt 369
*capitis*, quo modo cum ventriçulo conſpirent 181. 184. 190. 234
- in ſexu feminino medicos vexant 196
*podagrici* quibus verbis exprimant 426
a lue venerea nocturno tempore communiter exacerbantur 782
parturientium ſpurii 992. 993 995
a calcitratione fœtus 983
eorum curatio non eſt poſtponenda mitigationi 198
poſt partum 1005
- quo modo mitigandi 835
*Dolorum* cauſſæ explicantur 143 190
Doppelte Glieder 362
*Dorncrellii* aqua hypnotica 215
*Dorſi* ſpaſticus adfectus non eſt pro nephritico declarandus 409
*Draco mitigatus* quid ſit 778
Druſen ſtypticum effectum exſerunt 517
*Dulcia* num generent flatus 832
*Dygbæus* aſellos præparat. in calculo laudat 388
eius puluis ſympatheticus in hæmorrhagiis laudatur 29. 30. 48
*Dyſcraſia* humorum 374

*Dyſenteria* 631
differt ab hæmorrhoidibus albis & fluxu hepatico 91
nulla ab omni febre immunis 631. 633
*alba* cum cholericis excretionibus non confundenda 632
- cur periculoſior ſit quam cruenta 637
ad pauciores morbos pertinet, in quibus natura arti cedere debet 636
eius complicatio cum hæmorrhoidibus cæcis 89. 643
interdum febrem cholericam ſequitur 512
*Dyſpnœa* eſt mitior gradus aſthmatis 280
hypochondriaca 279
poſt hæmoptyſin remanens, 49. 51
*Dyſtocia* 993
*Dyſuria* 798
ſequitur hæmorrhoides externas turbatas 72

E.

Eberaſche 642
*Ebrietas* 955
*Ebrioſi* paralytici fiunt 891
*Ebuli cortex* fortiter euacuat 720
*Ebullitio ſanguinis* quo modo placanda 10. 11
*Eccriſis* 470
icterica in febribus bilioſis 517
*Edulcorantia* nil iuuant in hæmorrhoidibus ſuppreſſis 102
*Efflorescentiæ vlceroſæ* in ore poſt febres ſunt familiares 666
*Effluuiorum præfigurationes* & *elaſticæ potentiæ* num explicent conuulſionum cauſas 450
*effuſiones humorum* circa cerebri ambitum diuerſa phænomena exhibent 393
Eiß oben auf dem Kopf quid denotet 194
*Eiulatus* ad hæmorrhagias narium anſam dat 34
*Electuarium corticis chinæ chinæ* quando in febribus adhibendum ſit 671
*Electuarium hieræ picræ* ſtimuli loco clyſma laudatur 259
*de ouo* cum nuce vomica laudatur in hydrophobia 943
- ſpecifice commendatur in paraphrenitide 529
*ſeminis hyoſc. alb.* commendatur in hæmoptyſi 48
*Eelephantiaſis* 739
*Elleborus niger* in nodulis laxantibus 10
*Paracelſi* adſertum de illo 12
*Elodes* 501
*Elixir antihypochondriacum* 924
*polychreſtum* 599
*proprietatis* mucum reſoluit & euacuat 841
- hæmorrhoides in Saxonia inferiore familiares facit 17. 73

*Elixir proprietatis* quando conducat in ſuppresſione lochiorum 136
*Elixiria calida* nocent in tusſi 276
*vterina* grauidis nocent 986
*Emaciatio* atrophica icterum ſequitur 730
*Embrocationes* commendantur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 409
commendantur in rheumatiſmis 157
laudantur in congeſtionibus 148
laudantur in cephalalgia 191
*Embryonis debilitas* & *nimius motus* 983
*Emetica* nocent in plethora commota 12
nocent in ſpisſitudine ſanguinis 17
fortiora menſes ſupprimunt 116
non conducunt in rheumatiſmis 158
in cephalalgia ſunt fugienda 191
infelici ſucceſſu hypochondriaco-hyſtericis præſcribuntur 59.335
damnantur in inflammationibus 178
ſola in hemicrania viſus læſiones cauſſari poſſunt 415
infantibus vix vmquam neceſſaria ſunt 1028
grauidis abortum facile cauſſantur 987.988
non ſuadentur in tertiana continua 681
non proſunt in febre lenta 566
commendantur in paraphrenitide 529
ordinantur non numquam parturientibus deficiente niſu 995
*Emmenagoga* ſpecifice laudantur in ſuppresſione menſium 120
tempore intermedio non ſunt adhibenda 123
- *calida* ad partum pellendum caute vſurpanda ſunt 1001
*Emollientia* cum *maturantibus* inſeparabilem nexum habent 349
in angina pure non adhibenda 264
in epithematibus relaxant poros 264
nocent in inflammationibus externis 175.176
*Emplaſtica* obſtruunt poros, & diſcusſionem ſtaſeos remorantur 375
in œdematibus incommoda cauſſantur 696.697
tenacia & maturantia damnantur in rheumatiſmis 158

*Emplaſtra mucida* nocent in inflammationibus 175
continuo adhibita obuiſcant poros & impediunt tranſpirationem 535
*epicarpia* per *Helmontium* & *Knæpffelium* in quartana commendantur 671
*Emplaſtrum de ammoniaco Foreſti* laudatur in phlegmone & ſcirrho hepatis 173. 360
*ceratum de galbano* ſeu matricale laudatur in paralyſi 898
in arthriticis-ſpaſmis 408. 424
*de cicuta Foreſti* laudatur in ſcirrho hepatis 360
*diachylon* cum gummatibus laudatur in phlegmone 173
*diaphoreticum Mynſichti* commendatur in inflammationibus 171. 173
*de meliloto* laudatur in phlegmone 173
*miraculoſum* commendatur in paraphrenitide 529
*Saponatnm Barbette* laudatur in phlegmone 173
- - in malo iſchiadico 424
- - in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 408
- . reſoluit & relaxat 366
- - cur non vltra 10-12. horas in lumbis relinquendum 373. 375
*de ſpermate ranarum* laudatur in phlegmone 173
- in ſcabie ferina 743
*de ſpermate ceti Mynſichti* laudatur in inflammatione 171. 173
*ſtomachale Cratonis* 879
*Vigonis* cum mercurio in triplo laudatur ad nodos gallicos 787
*Emproſthotonus* 390
*Empyema* 313. 315. 320
differt a vomica 313
eius materia an per vrinam poſſit euacuari 325
*Emulſiones* temperant ſalſam acrimoniam ſeri 311
pro diſcuſſione in pectore laudantur 537
vſum habent in vrinæ vitiis 804
*amygdalatæ* commendantur in mictu cruento 64
dilutæ ordinantur in febribus 477
Engliſche Kranckheit 362
*Epiglottidis* eroſio 252
*Epilepſia* 455
in feminis a motibus hæmorrhoidalibus turbatis 77
in quo differat a reliquis motibus conuulſiuis 456
habitualis circa inſigniores phaſes lunæ recurrit 448
456. 457.
ex vertigine vehementi 235

*Epilepſia* nocturna difficilius eradicatur 457. 459
vterina quo modo tractanda 328. 452. 453
*Ephialtes* 392. 436
*Epithema* vulgare laudatur in congeſtionibus 145
*Epithemata* ſicca ſuadentur in ophthalmia 208
humida partes magis relaxant 416
*Equiſeti decoctum* in mictu cruento laudatur 64. 65
*Equitatio* in phthiſi & hectica commendatur a *Sydenhamo* 311. 576
*Eraſmi* caſus de delirio a vermibus 857
*Erotomania* perſonalis 935. 938. 952
*Eryſipelas* 159
vnde oriatur ſecundum *Hippocratem* 554
repulſum quid inferat 169. 711
eius tota ſtaſis ſimul discutienda 177
per ſaturnina repulſum 178
non debet ad ſuppurationem perduci 169
in conſuetudinem deductum quo modo tractandum 179
internum plerumque perniciosum 169
*Eryſipelacea* ſphaceloſitas in cute deliteſcere poteſt 169
*Eryſipelacea* mammarum inflammationes in lactantibus 1009
*Eſſentia abſinthii* compoſita vt ſtomachica commendatur 238
*Eſſentia adianthi albi* laudatur in pathematibus venæ portæ 56. 333
- laudatur in fluxu hepatico 101
- in fluxu menſium rebelli 110
- in hæmorrhoidibus nimiis 74
*alexipharmaca Stahlii* commendatur in hæmoptyſi 48
- ad correctionem ſanguinis & lymphæ prodeſt 58. 396
- tranſpirationem & diureſin promouet 317. 319. 333
- ſeroſo-mucidam materiam incidit & diapnoën efficit 560
- impedit, ne motus febriles in lentam & hecticam degenerent 558. 663
- poſt febrem vires reſtaurat 560
- ſecurum expectorans eſt 277
- commendatur phthiſicis tempore euſtadias 308
- laudatur in menſium & lochiorum ſuppreſſione 123. 136

*Eſſentia alexipharmaca Stahlii* laudatur in receſsione variolarum & turgefactione emanente 626
- laudatur in coryza & grauedine 246. 249
- laudatur in brancho 253
- laudatur in odontalgia 216
- laudatur in otalgia 223. 227
- laudatur in empyemate 323. 325

*balſamica Stahlii* laudatur ad mundificationem & conſolidationem 172. 224
*cantharidum* a *Bartholino* & *Ammanno* in gonorrhœa laudatur 775
*carminatiua amara* 238
*caſcarillæ* laudatur in pleuritide & peripneumonia 535 537
- laudatur in coryza & grauedine 246
- - in cephalalgia ſanguinea 197
- ab *Apino* ſpecifice laudatur in febribus 478. 599

*centaurii minoris* acidulata ad languorem adpetitus commendatur 818
*Corticum aurantiorum* laudatur in doloribus poſt partum 835
- vt ſtomahica & tonica laudatur 238

*croci* in fluxu lochiorum paucis guttulis exhiberi debet 129
*gentianæ rubræ* viſcoſitates reſoluit 273
- laudatur in hæmorrhoidibus albis 100

*helenii* viſcoſitates reſoluit 173
- laudatur in hæmorrhoidibus albis 100

*hellebori nigri* methodo *Stahlii* parata laudatur in cephalæa 202
- in vertigine 236
- in paralyſi & hemiplexia 892
- in catarrhis 249
- commendatur ad hæmorrhoides promouendas 73

*ligni ſaſſafras* nimis calida eſt 248
*myrrhæ* inſignes turgefactiones ſanguinis concitat 747
*millefolii* laudatur in commotionibus circa venam portæ 333. 334. 337. 339
- - in hæmorrhoidibus nimiis 74
- - in vomitu cruento 56
- - in diarrhœa & vomitu bilioſo 513
- - in menſium ſuppresſione 120
- - in clauo hyſterico 197
- - in fluxu menſium rebelli 110

*Eſſentia millefolii* laudatur in cardialgia 327
*petaſitidis* commendatur in inflammationibus 179
*pimpinellæ albæ* præſeruandi ſcopo in peſte laudatur 650
- in inflammationibus 179
- viſcoſitates reſoluit 273
- optime ſe gerit in turbis a mercurio ſubnatis 792
- commendatur in reliquiis variolarum 629. 761
- egregie ſe gerit in adfectibus faucium 616. 627. 629
- laudatur in tumoribus glanduloſis 559
- in hæmorrhoidibus albis & fluxu hepatico 100. 101
- in adfectibus grauidarum 986
- in clauo hyſterico 179
- in vomitu catarrhoſorum 250
*ſcordii* ad corrigendam materiam malignam laudatur 596
- effectum habet diſcutientem, balſamicum, diureticum 317
*ſabinæ* ſpecifice laudatur in ſuppreſſione menſium 123
*ſuccini* ſanguinem ſucceſſiue attenuat ibid.
- tonum roborat in pulmonibus 272. 273
- commendatur phthiſicis tempore euſtadias 308
*Eſſentia ſuccini* laudatur in cephalæa 204
- in cephalalgia 187. 189. 197
- in congeſtionibus 147
- in rheumatiſmis 159
- in brancho 253
- in carie dentium 215. 216
- in hæmorrhoidibus cæcis 89
- in coryza & grauedine 246. 247. 249
- in adfectibus gravidarum 986
- puerperis commendatur 138
- laudatur in adfectibus catarrhalibus 248
- - aurium 223. 227
*vincetoxici* laudatur in hæmorrhoidibus albis 100
*Eſſentiæ*, infantibus exhibendæ, debent eſſe temperatæ
cholericis in ſcabie ſicca non præſcribendæ ſunt 747
*Ettmüllerus* poſt paroxyſmum epilepticum laudat camphoram 462
in infarctu hepatis laudat gummi ammoniacum 354
in vomica pulmonum commendat hederam terreſtrem 317
infarctum lineis inteſtino colo adſcribit 346. 335
eius obſeruatio de ſurditate in acutis 223

*Ettmüllerus*, eius obſeruatio de mictu cruento critico 66
eius adſertum de cacochymia & cachexia 20
*Euacuantia* quando noceant in hydrope 718
*Euacuatio* impuritatum *correctioni* mox ſubiungenda eſt 21. 22
*emetica* & *cathartica* in febribus bilioſis caute inſtituenda 515
in pluribus morbis neceſſaria, correctio in paucioribus 622. 336
*Euacuationes vniuerſales* præmittendæ ſunt *particularibus* 6
*vehementes* in febribus ſuſpectæ ſunt 475
in congeſtionibus itidem reiiciuntur 146
*Euphorbium* laudatur in coryza & grauedine 249
*Euphraſiæ* laudes in ophthalmiis ſunt exiguæ 210
*Exanthemata* non propelluntur ex particularum figura 579
legitime non ſuccedentia conuulſiones cauſſantur 450
interdum cum ſingultu ſtipata ſunt 445
eorum receſſiones in febribus periculoſæ ſunt 471
*Excreſcentiæ hæmorrhoidales* 79
*fungoſæ* quo modo tractandæ 788
*Excreſcentiæ fungoſæ* circa anum in infantibus cum ſcabie venerea concurrunt 739
*Excretiones* ſuppreſſæ dolores augent 406. 407
in febribus a medico ſunt agnoſceneæ 474
inuoluntariæ in febribus periculoſæ ſunt 471
*Exeſio tunicæ corneæ* 206
*Exomphalos* non raro iungitur aſciti 709
*Expectorantia* humores verſus pectus inclinant 146. 270 319. 575
vlceroſam corruptionem inducunt 285
phthiſin cauſſantur 402. 558
non ſolum *ex* pectore, ſed & *per* pectus euacuant 275. 277. 309
periculoſa ſunt in aſthmate ſpaſtico 442
fugienda ſunt in brancho & raucedine 253
damnantur in pleuritide & peripneumonia 421. 537
ordinantur in vomica pulmonum & ſuffocationis periculo 316. 286
dulcia damnantur 319
*Expulſiones* inflammatoriæ 165
*Exſiccantia* nocent in hæmorrhoidibus cæcis 87
*Extenuatio* corporis nimia in grauidis 981

*Ex-*

*Extractum* panchymagogum *Crollii* bene & leniter purgat 248
- laudatur in rheumatiſmis 137
- hellebori nigri laudatur in vertigine 236
- laudatur in tuſſi 271
*tabaci* ad tuſſim pectoralem & chronicum commendatur 276
- quo modo propinari debeat 307. 308
*theriacale* plurimum de opio participat 798
*Extumeſcentiæ rubro-liuidæ* quo modo tractandæ 174. 180

F.

*Fabaria*, eius radix ſpecifice laudatur in hæmorrhoidibus tumentibus 84. 88
*Facies Hippocratica* in hecticis & phthiſicis quid indicet 299 321. 569
*flaua* in nonnullis hepatis debilitatem denotat 735
eius turgefactio inflammatoria in variolis bonum ſignum eſt 624
*Farina laterum* in ſoda non probatur 822
*Farinacea* laudantur in eryſipelate 173
*Faſcina* quid ad epilepſiam conferant 458
*Faſcinatio* in infantibus 1023
*Faſcinum* in praxi frequentiſſime falſo accuſatur 954
*Fatigationis* ſenſus in plethoricis conuenit cum rheumatiſmo vniuerſali 8. 150
*Faucium* eroſio quo modo ſubleuanda 783. 787
*Febres* 463
earum ſpecies 464. 466
effectus earum ſemper ſalutaris, euentus ſæpiſſime irregularis 469
ſibi relictæ facilius reſtituuntur quam turbatæ 471
interdum rheumatiſmos ſeu metaſtaſes humorum efformant 153. 154. 472
non a febre, ſed cum febre patientes intereunt 469
earum criſis & lyſis 469. 470
peruerſæ earum tractationes recenſentur 357
typum ſeruantes minoris periculi ſunt 470
ſtata ſua tempora habent 471
*Febris* in corpus male diſpoſitum ingruens, anomalizat 470
*Febriles commotiones* 685
earum metaſchematiſmus prudenter conſiderari debet 678
melancholiæ hypochondriacæ ſuperuenientes ſchema phreniticum ab initio communi-

muniter exhibent 934
in calculoſis ante excretionem calculi 378
in vera otalgia accedunt 219. 220
podagricis interdum eueniunt 426
nephriticos occupant 369
in infantibus 1022
*Febris acuta* legitima numquam pro cauſſa habet ſaburram primarum viarum 475
exquiſitas periodos per ſeptenarios abſoluit 469
reſoluto lienis infarctui ſuperueniens 345
*corrupta* periculoſiſſima eſt 687
ad 28. dies ſe extendens in lentam transmutari videtur 469
a mictu cruento cohibito induci poteſt 63
*grauidarum* 984
*Febres bilioſæ* 475.505
difficulter per ſe bonum finem attingunt 510
tranſeunt in lentas & hecticas 511.517
in aliis tertianarium quid referunt 514
cum petechizantibus interdum concurrunt 519
*Febris catarrhalis* 551
*ſimplex* ſeu *benigna* non facile format apoſtaſes 555
*Febris ſimplex* in lentas & hecticas propendet 555. 558
- ad diarrhœas valde inclinat 553
- ad tuſſim, coryzam &c. facile accedit 241.245.267. 560
- eſt contagioſa 555
*Febris maligna* petechizans 591
- cur ita adpelletur 594.601
- ad diarrhœas ad modum prona eſt 592
- ordinarie ſine typo, ſed non ſine periodo eſt ibid.
*Febriculæ catarrhalibus adfines* quando eueniant 555
*Febris* ad *catarrhum ſuffocatiuum* accedens, ſalutaris non eſt 911
*Febris cholerica* 505
*Febris compoſita* ex acuta periodo 674
*Febres compoſitæ* ad recidiuas inclinant 682
cur tam frequentes ſint in regionibus noſtris 675
*Febres continentes* raræ ſunt in regionibus noſtris 489
- a *continuis* quo modo differant 484.489.490
*Febris continua* ſimplex 490
*Febris corrupta* cuius indolis ſit 685.686
*Febris ephemera* ſimplex & plurium dierum 479

Febres

*Febres epidemicæ* 576. 577
typum tertianarium non numquam ſimulant 658. 665
*Febris hectica* 567
differt a lenta 560
vlcerationum internarum comes eſt 570
phthiſi ſuperueniens de malo confirmato teſtatur 299. 304
*Febris hemitritæa* 514
*Febris horrida* 501
*Febris Hungarica* ſeu *caſtrenſis* 604
*Febris inflammatoria* 160. 500
ad acutas pertinet 498
quem in finem a natura inſtituatur 502. 503
pro partis inflammatæ diuerſitate, diuerſe nominatur 500
accedit ad apoſtaſes febriles 156
puerperis non raro accedit 130. 134 1003
matutino tempore inuadens plus habet periculi 541
*Febris* ad *inteſtina* conuerſa quid ſit 634
*Febris intermittens* diuturna, pro catarrhali non eſt habenda 552
*Febres intermittentes* temporis ordines exquiſitos non ſeruant 469
incongrue tractatæ quid cauſ- ſentur 342. 344. 352. 355. 357. 656
*Febris lenta* 560
quibus cauſſis ſuperueniat 497
ex ephemera prognata quo modo ſe gerat 483. 567
quo modo in acutum mutetur 499
a fluxu menſium nimio perennante 109
lentam expoſcit curam 563 567. 664
*Febris lethifera Hippocratis* 510
*Febres malignæ* 576
ſæpius lethales ſunt, vel labem viſcerum relinquunt 466
criſin ſtricte dictam non exhibent 578
nulli fere homini parcunt ibid.
periodus earum breuis eſt 580
hæmorrhagiæ iis accedentes non carent periculo 33. 35
*Febris miliaris* ſeu *purpurea* 607
puerperas infeſtat 1003
*Febris papularis* ibid.
*Febres peſtilentes* permalignæ dicuntur 577
*Febris petechialis* 601
*Febres putridas*, quas & cur veteres adpellauerint 489
*Febris quartana* ſimplex 666
ſedem habet in viſceribus cum vena portæ connexis 668. 669. 673

*Febris quartana* vomitum cruentum ſubinde habet coniunctum 53
ſæpe cum ictero concurrit 731
autumnalis ad tempus vernale ſæpe ſe extendit 669
diu pro ſcandalo Medicorum habita eſt ibid.
*continua*, ad hecticam indolem proxime accedit 682. 684
*Febris quintana* 673
*quotidiana* intermittens 651
cur interdum continuet, licet vitium primarum viarum ſublatum ſit 653
*continua* 551
*rheumatica* differt a catarrhali 552
*ſcarlatina* 607
*Febres ſecundariæ* 494. 495
minus commode vocantur *ſymptomaticæ* 496
exquiſitum typum non ſervant 496. 497
malignitatis non poſſunt argui 498
*febris ſeptimana* 673
*ſynocha* ſeu *continens* 484
*tertiana* 676
XII. horas excedens pro notha ſeu compoſita habenda eſt 659
anomala ibid.
acuto typo propinqua eſt 662
*Febris tertiana* raro ante quartum paroxyſmum ceſſat 660
nihil critici habet ibid.
aliquando contagioſa adparet 662
poſt vermes excretos aliquando ſoluta eſt 857
ſuppreſſa eſt reuocanda 664
*continua* 668
- exanthematibus non raro ſtipata eſt 680
- an ad bilioſas referri poſſit 506
- eius paroxyſmi quo modo ſibi reſpondeant 651
*veterum extenſa* 679
*Febres typicæ* 470
*nondum typicæ* 685
Feig-Wartzen 79
*Fel* animalium ſpecifice laudant in ictero 732
*carpionum* in inflammationibus iners remedium 179
*Feminæ* cur præ viris morbis ſint obnoxiæ 3
plethoricæ ſæpe ſteriles ſunt 10
quædam per totam vitam menſes non experiuntur 114
morbi earum plurimi a menſium vitiis dependent 116
num phthiſi magis ſint expoſitæ quam viri 300. 301. 304

Femi

*Feminæ* interdum podagra adficiuntur 429
multæ ad ſenectutem vsque fluore albo laborant 765
*Fermentatio* an cauſſetur congeſtiones aut febres 142. 466
*Fermentum ſpecficum* in febre maligna nondum ſatis exploratum eſt 599
in variolis & morbillis non poteſt determinari 621
*Ferrum* frigidum laudatur ad extumeſcentias rubro liuidas 174. 175
*Feſtucæ* ſub cranio latitantes conuulſiones cauſſantur 451
*Ficus ani* 79
Fieber-Kuchen 355
*Filamenta* mucida in nephriticorum vrina 370
*Fiſſura papillarum* in lactantibus 1013
*Fiſtula ani* 83. 85
inducere poteſt hecticam 83
*lacrimalis* 206
*veſicæ* 782
poſt paracenteſin empyematis 322
*Flammulæ cordis* accenſio pro cauſſa febris vulgo habetur 468
*Flammula cærulea* ex faucibus ebriorum erumpens 956
*Flatulentia* 828
quæ eius cauſſa ſit 831
ſtataria vel oberrans 328. 829
*Flatulentia* conſuetudinalis 832
ſæpe conſenſualiter in motibus hypochondriaco hyſtericis oboritur, 327. 328. 337. 833
*hyſterica* 328
*lochialis* 1004
*infantum* falſo pro concretione declaratur 1024. 1030
in grauidis 979
flatulenta ventriculi diſtenſio non perfert vomitoria 239
*Flatus* anoterici ſeu ructus 833
*veſicæ* & *vteri* rarius contingunt 829
libera eorum emiſſio conſuetudinem inducit 833
voluntaria eorum cohibitio maiora facit mala 832
*habituales*: eorum ſuppreſſio tympanitem & hecticam inducit 833
*Flores bellidis min.* in diſcutiendis ſtaſibus internis minoris ſunt efficaciæ 546
*graminis* laudant ad hæmorrhagiam narium promouendam 189
*ſulphuris* laudantur ad expellendas repulſas effloreſcentias 453
*verbaſci* laudantur in procidentia ani 867
in hæmorrhoidibus tumentibus 185. 689

*Fluor*

*Fluor albus* differt ab vlceratione vteri interna 762
ſupplet vices fluxus menſtrui 97
quando venereus habendus ſit 765.767
feminas facile reddit ſteriles 765
grauidarum rariſſime euenit 979
per maritum communicari poteſt 765.778
familiariter concurrit cum gonorrhœa & ſcabie venerea 739.765
morbus eſt pertinax & facile recrudeſcit 765. 767. 768
habitualis vteri prolapſum cauſſatur 766
benignus curatu difficillimus 765
- a menſium ſuppresſione 118
malignus ſeu venereus 762
- citius ſuperatur quam benignus 765.768
Fluß in den Magen gefallen quo modo intelligendum 241
kalte und hitzige Flüſſe 152
ſcharfe, ſaltzigte Flüſſe 140
- iſt nicht kalt, ob gleich das Gefühl kalt iſt 198
*Fluxus aurium* 219
*hepaticus* 89.91. 98
conſpirat cum hæmorrhoidibus 95
*Fluxus hepaticus* quo modo tractandus 100.103
*vterinus* grauidis noxius eſt 987
*Fœtida* ordinarie perferre posſunt hyſtericæ 185
*Fœtor oris* 819
cum fœtore ex naribus non confundendus 820
nauſeoſus in lue venerea 783
*Fœtus* legitimus a mola diſcernendus eſt 973
ſi legitimum ſitum non occupat, quid faciendum 996
*abortiuus* quando promoueri debeat 130
*mortuus* quo modo expellendus 984
*Folia betulæ* laudantur in colica feminarum 846
*ſennæ* ſanguineis ordinanda ſunt 216
*Fontanellæ* ſubſidentia in teneris lethale ſignum eſt 1030
*Fonticuli* in ophthalmia conſtantem vſum exigunt 209
fluxus catarrhales iuniorum intercipiunt, ſed cum incommodo 242.248
eorum neglectio congeſtiones & rheumatiſmos cauſſatur 141.154
obeſis parum leuaminis adferunt 13
non niſi in ſtatu ſeniorum ſurdaſtro adplicandi ſunt 228

*Fonti-*

*Fonticuli* commendantur in cephalæa venerea 203
laudantur in adfectibus ſoporoſis 918
commendari ſolent in aſthmate 287
*Foreſti* decoctum nephriticum quid in mictu cruento efficiat 64
eius obſeruatio de cephalæa 202
- - de iuuene vomica pulmonum laborante 319
*Formica* 79
*Fotus* calidi in effera hæmoptyſi & vomitu cruento commendantur 48.57
*Fouea* in variolis an præcaueri posſint 629
*Fraga* calculum pellunt, ſed non reſoluunt 388
*Franckii* antepilepticum 462.463
*Fraxini cortex* laudatur in infarctu lienis 345
*folia* ſiccata commendantur ad ſudationes 721
Freß-Fieber halten lang an 662
*Frictiones* commendantur in efferis narium hæmorrhagiis 37
laudantur in hæmoptyſi & vomitu cruento 48.57
proſunt in motibus ſpaſticoarthriticis 409
vtiles ſunt in congeſtionibus 148
*Frictiones* conueniunt ad ſudorem eliciendum 797
commendantur in cephalalgia 187
laudantur ad reuulſionem in nephritide 373
pedum ſuadentur in cephalæa 204
cum ſale & aceto in vertigine 237
- conducunt in hæmorrhoidibus turgentibus 84
poſt venam ſectam in angina quando conueniant 272
cum panno aſpero inflammationes cauſſari poſſunt 166
Frieſel 608
*Frigoris* ſenſus circa ſuturam ſagittalem in hyſtericis 8. 189. 194. 198
- in doloribus a congeſtionibus ortis 143
*Frigus* num ardorem inducat 821
*Fructus fugaces* auſteri ſingultum prouocant 444
*Fructus hortenſes* fermentum ſpecificum in dyſenteria non conſtituunt 635
*Fulmine tacti* raro reſtituuntur 964
*Fumaria humoribus* ipſis tantopere non ſuccurrit 706
in ictero vſum abſterſiuum habet 731
in lue venerea non conducit 789

*Fumi corroſiui* hæmoptyſin cauſſantur 46
*Fumus ſulphuris* & *antimonii* pro tuſſi ſedanda laudatur 310
*Fungus ſambuci* ad gargariſmata ſpecifice laudatur 260
*Funiculi vmbilicalis* circumuolutio 983
*Furfuracea* laudantur ad curam eryſipelatis 173
*Furor vterinus* 935.938

G.

*GAleni κόπος ἑλκώδης* 426.427
experimentum de cane aſthmatico 279
*Galeopſis* ſpecifice laudatur in fluore albo 768
Galle dem Patienten in den Magen getreten 518
*Gangræna* quomodo exiſtat 170
non eſt peculiaris ſpecies, ſed ſummus gradus inflammationis 160.167
*Gargariſma*, quid circa eius adplicationem obſeruandum 263.265
adſtringens laudatur in phrenitide 526
*Gargariſmata* commendantur in angina 259.260
laudantur in otalgia 228
Gecken-Heyl 934
*Gemmata* laudantur in animi pathematibus 293
ad motum eliſorium in grauidis placandum laudantur 987
*Genitalium partium* læſiones vnde dignoſcantur 569
*Gentiana rubra* diarrhœas ſiſtit & tonum roborat 880
*Germanis* noſtalgia familiaris eſt 949
*Geſneri virga aurea* laudatur ad reſoluendum calculum 388
vt traumaticum laudatur in vomica pulmonum 317
*Gibboſi* tuſſi ſiccæ ſubiecti ſunt 269
ex aſthmate breui poſt pereunt 282.283
*Glaciei fruſtum* capiti impoſitum hyſtericæ ſentiunt 8.189.194.198
*Glandulæ* externæ induratæ de infarctibus glandularum meſenterii reſtantur 363
Glied iſt eingeſchlaffen 889
doppelte Glieder 362
*Globulus cereus* commendatur in prolapſu vteri & relaxatione ſpincteris veſicæ 809
*Gloſſagra* 398
*Glycyrrhiza* ſpiſſitudinem mollem & pulpoſam facit 275
277
*Gonagra* 398.422.425
hæmorrhoides externas reſpicit 72.430
a doloribus podagricis ſimul inuoluitur 427

*Gonorrhœa* 769
quæ inter benignam & malignam medium locum occupet 770
familiariter concurrit cum ſcabie venerea 729
male tractata per morſulos antimonii curari dicitur 408
ſuppreſſa quæ damna inducat 772
- quo modo reuocanda 777
virulenta primus gradus luis venereæ dicitur 762.764 772.774
: ob loci conditionem ſæpe pertinax eſt 774
illam tractandi methodus ſpecialiſſima 775
- - methodus Sydenhami 776
*Cracilitatem* corporis iunceam ſibi conciliare velle vanitas eſt 1015
*Graciliores* raro a calculo infeſtantur 380
*Gramen oſſifragum* iumentis nocet 649
*Grammanni tinctura antiphthiſica* pectori damna adfert 309 575
*Grauedo* 240
ad febrem catarrhalem benignam accedit 557
infantum 1019
*Grauidarum* adfectus quo modo tractandi ſint 985
*Grauidæ* aliquando menſes experiuntur 111
nonnumquam vomitum cruentum incurrunt 53
intumeſcentia a tumore cachectico - aſcitico quo modo diſcernenda 95[illegible]
iis hodie venam in pede ſecamus 192
illæ ſæpe experiuntur hæmorrhoides turgentes 81
*Grauiditatis* ſigna 215.972
*Grauitas* artuum in grauidis 975
*auditus*, quo modo tractanda 219.226
a metaſtaſi febrili 228.517
*Grylli* laudantur in calculo 387
Güſſe machen Flüſſe 244
Güldene Ader, aureas qualitates non exſerit, niſi legitime fluat 82.101
*Gummata gallica*, quo modo tractanda 783.787
*Gummi ammoniacum* per pulmones & aluum euacuat 286
- temperatiſſimum eſt 367
- ob efficaciam reſoluendi in infarctu hepatis laudatur 313.354.364.367.
*Gummi* Galbanum nimis acre obſeruatur in atrophia 367
- Arabicum mitigandi ſcopo in dyſenteria laudatur 642
- Boyle commendat in diarrhœis 881

*Gummi gutta* fortiter euacuat 720
*iuniperi* a nonnullis ipſi ſuccino præfertur 719
*reſinæ* ſanguinem concitant 178
*tragacanthum Boyle* in diarrhœis commendat 881
*Gundelsheimeri* methodus in variolis 628
*Gutta ſerena* a cephalalgia induci poteſt 185
*Gyratio* ſubiecti in vertigine vnde 231. 233. 234

H.

*Haematites* vulgo in hæmorrhagiis adhibetur 30
non conducit in vomica pulmonum 319
*Hæmophobi* in lipothymiam incidunt 884
*Hæmoptyica* euacuatio non perrumpens phthiſin cauſſatur 301
molimina adſunt in brancho 251
*Hæmoptyſis* 43
omnium hæmorrhagiarum periculoſiſſima eſt 47
cur plerumque lethalis ſit ib.
pro prodromo phthiſeos declaratur 47. 51. 299. 300
periodica 43. 47
effera quo modo tractanda 48
*Hæmoptyſis* in morbis chronicis ſæpius funeſta 47
ex palpitatione cordis 291
ſuppreſſa vlcerationes pulmonum relinquit 50. 63
*Hæmorrhagiæ* in genere 23
earum cauſſæ, quæ vulgo adlegentur 26
quas vtilitates adferant 27
qualis ſanguis per eas excernatur 31
non perdunt theſaurum vitæ 26
arteriarum ad exceſſum facile inclinant 31
criticæ 24
diuturniores aſcitem cauſſari poſſunt 710
hæreditariæ 26. 31
habituales labem viſceris abdominalis ſæpe coniunctam habent 35
inopportunæ in febribus ſymptoma periculoſum 471
moderatæ ſponte ſubſiſtunt 25
nimiæ atrophiam & hecticam inducere valent 131
364. 367. 570
quæ per palindromen adultioribus accidunt, quid velint 34. 35
paſſiuæ quo modo tractandæ 31
non ſuccedentes ſuppreſſæ & tur-

& turbatæ multas anomalias inuoluunt 25. 27. 30. 39 101. 141. 142

*Hæmorrhagia abortiua* 104. 987
*mammarum* 992
*narium* 32
quibus poſt annum XXX. contingat 34
- in variolis & morbillis num damnum adferat 35. 628
- ſoluit cephalalgiam 185. 189
- ſoluit paraphrenitidem 529
- hypochondriacis, cachecticis & hydropicis nihil boni præſagit 35
- in ſenibus quo modo conſideranda ibid.
- effera quo modo tractanda 36
- habitualis in ætate minus congrua 35
- enormis in grauidis 974
- critica & non critica ſuppreſſa quid cauſſetur 35. 41 582. 595
- in ſcorbuto non eſt reprimenda 200. 760
- ſuppreſſa grauiora damna infert quam excedens 39. 486
ad eam prouocandam varia laudantur 189
*naris dextræ* hepatitidem ſoluit 541. 542
in grauidis 974
vterina 104
- abortum minatur 977
- ſpecialis differt a lochiorum fluxu 124
- curatu difficilis eſt 109
- adſtringentibus caute tractanda 112

*Hæmorrhagici motus* ſi non erumpunt, deliria cauſſantur 492. 502

*Hæmorrhoidalia molimina* non promiſcue ſunt promouenda 73. 74. 98

*Hæmorrhoidarii* præcipites ſunt in mictum cruentum, nephritidem & calculum renalem 53. 76. 380
multi ſunt calculoſi 76

*Hæmorrhoidalis* fluxus e ventriculo 54
ſerpigo 79. 81
ſudor ibid.

*Hæmorrhoidales* motus transfugi & titubantes 72. 77
anomaliæ 91. 92
excreſcentiæ 79

*Hæmorrhoides* 66
quo reſpectu beneficium naturæ & ſalutares dici poſſint 71. 97
ſexui maſculino magis quam feminino eueniunt 69
noxium accidens eſſe multi ex errore opinantur 101
vnde in Saxonia & Hungaria tam familiares ſint 71
fluentes hæmoptyſin præoccupant 49

*Hæmorrhoides* iunioribus ex hæreditaria diſpoſitione fluunt 69
iuniorum & annoſiorum differentis ſunt prognoſeos 72
in feminis menſium ceſſationem excipere ſolent 97
facile recurrunt 70
quæ raro eueniunt tumultuariæ ſunt 76
nephriticis ſalutares ſunt 65 372
delirium ſoluunt 71
hipochondriacos ſubleuant 71. 331
aſthma ſæpius mitigant 283
ſplenitidem ſoluunt 549
icterum ſoluunt 730
podagram ſoluunt 432
hecticæ ſuperuenientes de malo confirmato teſtantur 569. 571
ſuppreſſæ mictum cruentum cauſſantur 61
rëuocatæ eumdem ſoluunt 65
- vomitum cruentum ſoluunt 57
obſtructæ quid cauſſentur 195
ſuppreſſæ quæ pathemata & pericula inducant 72
earum reuocatio in colica hæmorrhoidali in præſens cordi non eſt habenda 845
per pellentia fortiora non ſunt reuocandæ 58
cur aloëticis prouocentur 71. 835
*Hæmorrhoides* cum malo iſchiadico & nephritico mutuum habent commercium 76. 423
cum arthritide cognatæ ſunt 71. 76
differunt ab euacuationibus ſanguinis e ſuperioribus inteſtinis 68
*Hæmorrhoides albæ* 89. 90
vices tenent fluxus hæmorrhoidalis 97
quo modo tractandæ 99
*cæcæ* 77
cum dyſenteria complicatæ 89. 643
*decolorata* 89. 90
*difficilius erumpentes* 98
emanentes 90
*excedentes* refractariæ indolis ſunt 71
*externæ* differunt ab internis 67. 77. 78
- earum molimina longinqua per totum fere abdomen ſæuiunt 80
raro ſanguinem effundunt 82 86
*furentes* 82
*imminentes* quibus ſignis ſe prodant 68
*internæ* 66
- tempus aluinæ excretionis ſemper exſpectant 68. 80
- ſuppreſſæ tranſeunt in motus externarum 72. 77

*Hæmorrhoides molientes* ſ. molimina hæmorrhoidalia 90
mucidæ 89. 90
*nimia* 69
- vitæ iacturam non ſtatim inferunt 72
- quo modo tractandæ 74
- in grauidis 974
*re vera nimiæ* labem viſceris abdominalis præſagiunt 72 73
*nothæ* 79
*ordinatæ* 66
*periodicæ* & *vagæ* 67
*ſuppreſſæ* 72. 89. 90. 92
quo modo tractandæ 98
*torminoſæ* a dyſenteria diſtinguendæ ſunt 632
*Hæmorrhoides tumentes* cur κατ' ἐξοχὴν cæcæ vocentur 78. 80
- ſunt verus furunculus 78. 80
- in vlcerationem fiſtuloſam tranſeunt 83
*turgentes* 78
- facile vlcerantur 82
- grauidis eueniunt 81. 981
*verrucoſæ* vlceraſcentes ex lue venerea oriuntur 785
*veſicæ* 63
viæ earum inſolitæ 92. 96
Halß: ſteiffer Halß vom übeln liegen 391
*Hectica* febris 567
eius tres gradus 567. 568
ex quibus ſignis appareat 364
*Hectica*, quis eius ſit ſcopus 574
differt ab atrophia 360
ſcirrhum vel exulcerationem pro fundamento habet 356 360
quo modo ab adſtringentibus inducatur 29. 47
ſequitur hæmorrhagiam vteri 109
ſuccedit menſium ſuppreſſioni male tractatæ 118
euenit a lochiis ſuppreſſis 135
in tympanite ſtatum conclamatum ſignificat 714
phthiſi ſuperueniens lethalis 304
ſi ad ἀκμὴν peruenit, medicatio eſt intermittenda 570 576
abdominalis & pectoralis quo modo differant 297 575
chronica 567
habitualis 568
renalis 372
*Hectici* ſub finem copioſos ſudores habent 794
*Hedera terreſtris* ſpecifice laudatur in vrinæ vitiis 804
- commendatur in mictu cruento 65
laudatur in nephritide 376
vt traumaticum in vomica pulmonum commendatur 317
Heimern, Heim-Weh 948

Hunger: heiß=Hunds=Ochſen=Hunger 811. 814
*Helleborina* in cephalalgia non ſola ſed cum aliis miſcenda 191
nocent in hæmorrhoidibus cæcis 87
circumſpecte adhibenda in hæmorrhoidibus ſuppresſis 102
commendantur in vertigine 236
*Helleborus* num tantum ſanguinis conſumat 12
*albus* fortiter euacuat 939
in chronicis & hydrope quo modo adhibendus 719
vis emetica per coctionem abigitur ibid.
*niger* in grauitate auditus laudatur 225. 227
- ad ſordes primarum viarum commendatur 396
- melancholicis eſt ordinandus 216
- eius fibræ commendantur in hæmorrhoidibus albis 99
*Helmontius* negat cacochymiam 20
eius adſertum de theſauro & balſamo vitæ 11
eius amuleticum in hæmorrhoidibus internis caute adhibendum 75
eius annulus in hæmorrhoidibus cæcis 89
*Heluetiis* noſtalgia familiaris eſt 948
*Heluigii* obſeruatio de raucedine feminarum 254
*Hemicrania* 398. 409
differt a cephalalgia 182. 410
cur ſiniſtrum latus plerumque adficiat 416
augeſcente ætate vel ceſſat, vel ad pedes deſcendit 401
libenter in plenariam arthritidem tranſit 412
periodica & paroxyzans interdum medicationem eludit ibid.
*Hemiplexia* 888
*Hepar calidum* in obeſis veteres temperare voluunt 12
interdum concrementum gerit, quod cum calculo concurrit 378
eius conſtrictio aut expanſio hydropem cauſſatur 712
*anguillæ* ad fœtum & ſecundinas excludendas laudatur 129. 130. 985. 994. 998
*galli nigri* ſpecifice laudatur in hepatitide 547
*Hepatis debilitatem* antiqui accuſabant in fluxu hepatico 92
*inflammatio* omnium periculoſiſſima eſt 168
*infarctus* 350
*ſcirrhus* 356
vitium vnde dignoſci poſſit 568

*Hepaticus fluxus* 89. 91
eſt malum chronicum 98
illum veteres per adſtringentia tractare religioni ſibi ducebant 103
*Hepatitis* 500. 538
ex pleuritide ſpuria oriri poteſt 420
fere ſemper tranſit in hecticam 542
*Herba abrotani* ſpecifice laudatur in ictero 731
*adianthi albi* ſpecifice laudatur in pathematibus venæ portæ 56. 333
*britannica veterum* 757
*capilli veneris* reſoluit ſtaſes mucidas & catarrhales 312
*centaurii minoris* laudatur in fluxu hepatico 103
*equiſeti* in mictu cruento pertinaci commendatur 65
*fumariæ* laudatur in fluxu hepatico ibid.
*hyſſopi* ſtaſes ſanguinis reſoluit 228
*iudaica* vid. *Sideritis.*
*linariæ* quid præſtet in hæmorrhoidibus tumentibus 88
*millefolii* ſpecifice laudatur in pathematibus venæ portæ 56. 333
laudatur in cephalalgia ſanguinea 197
*perſicariæ* alicuius efficaciæ eſt in ſuppreſſione menſium 123
*tabaci* commendatur in odontalgia 217
*Herba veronicæ* ad clyſterem commendatur 338. 372. 383
*teucrii folio* pro humectatione vniuerſali comendatur 223
*verbenæ* a *Foreſto* ſpecifice laudatur in cephalalgia 189
*vulnerariæ* in calculo exacerbationem inferunt 389
*Hernia incarcerata* paſſionem iliacam cauſſari poteſt 849
præſente inflammatione non eſt incidenda 851
Hertzn=Kranckheit 433
Hertz ebdrücken 392
Hertz=Wurm 362
*Hiera picra* in ventriculi adfectibus laudatur 818
eius electuarium ſtimuli loco ad clyſma 259
*Highmorus* primus malum hyſtericum cum hypochondriaco conuenire docuit 326
*Hildanus* de hæmorrhagia per vmbilicum 24
*Hippocratis* adſertum de plethora 10
ſententia de athletico corporis habitu 9
conceptus de mille ſaporibus non recte interpretatur 22
elogium, quod femina bis patiatur morbum 3
acceptio rheumatiſmi 150
adfectus, quem magnos lienes vocat 326

*Hippocratis* adſertum de bile 518
opinio de ſternutationis cauſſa 244
conſilium de menſtruis cohibendis caute adſumendum 112
effatum: ſoluta aluo, ſoluuntur febres 595
per mulſum & oxymel acrimoniam bilioſam infringere vult 518
eius ileon hæmatites 76. 193
*Hirci ſanguis* exſiccatus in hæmoptyſi laudatur 49
*Hirudinum adplicatio* ad hæmorrhoides promouendas & reuocandas commendatur 57. 65. 73. 99. 102
item in colica hæmorrhoidali 844
ad hæmorrhoides tumentes non debet fieri 87
laudatur in malo hypochondriaco 333. 335
commendatur in hæmorrhagiis 27. 37
magnæ efficaciæ eſt in congeſtionibus 147. 157
laudatur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 396. 408
in ipſo paroxyſmo hemicranico non inuoluit difficultatem 415
commendatur in nephritide increbeſcente 373
laudatur in phthiſi tempore remisſionis 308
*Hirudinum adplicatio* commendatur in aſthmate 287
commendatur in ſplenitide 550
ad tempora commendatur in cephalæa 202. 415
ad venam iugularem in epilepſia infantum a *Williſio* commendatur 462
ad apicem naſi ad hæmorrhagiam narium prouocandam commendatur 189
*Hiſpaniæ regis & reginæ* exempla de damno chinæ chinæ in febribus 656. 657
*Homo* ad morbos ſummam habet procliuitatem 3
num totus a natiuitate morbus ſit ibid.
*Hoorntjens* 1029
*Horlacheri* ſcriptum de catarrhis adlegatur 287
*Horripilationes* in febribus inflammatoriis vnde dependeant 503
*Horror* in variolis viſceris inflammationem indicat 624
*Horrores lactis* 1009
Hüfte ausgewachſen 362
*Humectantia* ſtaſin augent 175
*Humorum quantitas* plus peccat quam qualitas 6
adfuſio acrimoniam abſtergere intendit 142
proportio ad motus læſa ad caco-

cacochymiam quid contribuat 20
cordmotio vehemens ſanguinem in arctiſſimos meatus impellit 541
*Hyacinthus* vera ad animi pathemata placanda laudatur 293
*Hydatides* 707
quid ad hydropem conferant 712
*Hydrocele* 708.709.
a pneumatocele quo modo differat 722.723
*Hydrocephalus* 707.1017
eius ſigna 723
*Hydrodes* 501
*Hydrophobia* 935
*Hydropici* iſchuria anguntur 892
effectus non tam frequenter ſequuntur hæmorrhagias impetuoſas 27
adfectus quo modo ab œdemate differant 689.690
*Hydrops* modo a vitio organorum modo humorum dependet 707.711.712
cur ab infimis corporis partibus incipiat 713
ſequitur hæmorrhoides ſuppreſſas 72
ſequitur fluxum menſium nimium perennantem 109
ab eryſipelate repulſo inducitur 178
ex podagra incongrue tractata euenire poteſt 432
*Hydrops* vniuerſalis 707
particularis 722
eius ſpecies 707.708
thoracis ab empyemate differt 320
pectoris ſeu pericardii 707.723.725
- pro congeſtionibus ſanguinis reputanda eſt 726
ſupremæ regionis medullæ ſpinalis 708
omentalis 707
ouarii muliebris ibid.
ſiccus 710
vtricularis 707
*Hyoſciami folia* ad diſſoluendos carbunculos laudantur 649
*Hyperemeſis* poſt vſum vomitorii in febribus inducitur 656
*Hypocauſta* humilia congeſtiones cauſſari poſſunt 143
*Hypochondriaco - hyſtericum* malum 325
horum conuenientia & differentia 326
eius exacerbatio ad animi perturbationes progreditur 328
calculum ſæpe mentitur 329
impetuoſe tractatum quæ mala ſequantur 331.335
eius cauſſæ pure paſſiuæ refutantur 330
*Hypochondriacum malum* quo modo a ſcorbuto differat 749

*Hyrochondriacum malum* ſequitur hæmorrhoides ſuppreſſas 72.92
per hæmorrhoides ſoluitur 71
ad palpitationem cordis accedens quo modo tractandum 293
*Hypochondriaci* ſunt flatulenti 327.328.831
ſputatores 327
mictu cruento facile corripiuntur 53
*Hypochondriacorum* & *hyſtericarum* vertigo fere incurabilis 235
*Hypochondrii ſiniſtri* inflatio quid ſit 326. 345
*Hypochondriorum* conſenſus cum vtero 111
*Hypopyum* vnde naſcatur 206

## I.

IAlappa ſanguineis ordinanda 216
Jammer bey kleinen Kindern 836 1027
*Iaſpis rubra* in hæmorrhagiis laudatur 30.37
*Icterus* 727
ſymptomatice ſuperuenit febribus bilioſis 729
eccriſis icterica in febribus bilioſis non debet impediri 517
a ſuppreſſis febribus, hæmorrhagiis &c. periculoſior eſt quam qui a diætæ vitio ortus 72. 736
*Icterus*, color icterodes infantum poſt partum ſponte euaneſcit 728
*Idea* mentis corporis conſtitutioni analoga eſt 932
matris animo embryonis communicatur 990
*Ignis* æſtus in foco culinario inflammationes cauſſari poteſt 166
*Ileon hæmatites Hippocratis* 76.193
*Iliaca paſſio* 847
ſuperuenit hæmorrhoidibus cæcis 82
*Imperforatio* infantum 1017
*Impetigo* infantum 1021
repulſa aſthma producit 281
quo modo expellenda 285
*Impuritas humorum* ſub ipſis motibus vitalibus quotidie augetur 22
*Incantamenta* quid ad epilepſiam conferant 458
*Incantatio* 954
atrophiam cauſſari poteſt 367
plerumque accuſatur, quando infantes a vermibus obſeſſi ſunt 853
*Inciſio* præmatura ſuppurationem reddit difficiliorem 176
quando locum habeat in hepatitide 547
*Incontinentia* vrinæ 805

*Incraſſantia* in hæmoptyſi reiiciuntur 51
nocent in hæmorrhoidibus ſuppreſſis 102
puerperis non conducunt 131
in tuſſi moderate ſunt adhibenda 277
*Incraſſatio volubilis pulpoſa* diſtingenda eſt ab altera tenaci mucoſa ibid.
*Incubus* 392. 436
quo modo differat ab aſthmate conuulſiuo 438
*Infantes* præ adultis grauius morbis adfligi iudicantur 1027
tuſſi ſtomachali humidæ obnoxii ſunt 269
cur conuulſionibus facile obnoxii ſint 1027
epileptici raro euadunt 459
magis ab acutis quam intermittentibus corripiuntur 467. 1027
ſenſibilium parentum morbis ſunt expoſiti 1016
podagrici ad rariores caſus pertinent 429
eorum diæta qualis ordinari debeat 1030
*Infantis immobilitas* 1016
*Infarctus lienis* 340
quo modo differat a ſplenitide 548
- a ſcirrho lienis 347
ab *Ettmüllero* inteſtino colo adſcribitur 346
*Infarctus lienis* reſoluti indicium quale 345
in vlcerationem tranſiens quo modo tractandus 345
facile in febrem quartanam transmigrat 342
*hepatis* 350
glandularum meſenterii 362 364
viſcerum ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis 72
- hæmorrhoidales 87
*Infectio* ab hæmorrhoidibus vlceroſis 71. 81. 83
*Inflammatio* 159
differt a rheumatiſmo 151
quis ſit eius ſcopus 503
reparationem apoſtematis facilitat 316
a cauſo inducta periculoſior eſt ſimpliciore 517
ad febres catarrhales malignas accedens cuius indolis ſit 596
repulſa quo modo tractanda 180
meningum cephalæam cauſſatur 200
*Inflammationes* internæ & externæ 161
rariſſime in exſanguibus partibus occurrunt 164
vtili intentione a natura inſtituuntur 165
cur cum febribus exquiſite non quadrent 504

*Inflammationes* internarum partium gradu perniciei differunt 168
ventriculi, pancreatis, vteri 500. 506. 551
*internæ* ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis 72
quo modo tractandæ 172
a ſpaſmis induci poſſunt 395
*externæ*: his raro febris accedit 502
diebus canicularibus grauiores ſunt 169
quo modo tractandæ 170
eryſipelaceæ mammarum in lactantibus 1009
*Inflatio hypochondrii ſiniſtri* ſymptoma eſt mali hypochondriaci 326. 345
*abdominis ſtabilis* a lochiis ſuppreſſis 135
*Iniectiones* per ſyringam in calculo laudantur 388
ſtimulantes in fiſtula hæmorrhoidali non ſunt admittendæ 89
*Inſtrumenta metallica* cariem dentium cauſſari poſſunt 213. 218
*Intertrigines infantum* 1019
*Inteſtiuum rectum* & *colon* ſub motibus hæmorrhoidalibus adficiuntur 76
*rectum* ob ſtricturam ſpaſticam cannulam clyſticam interdum non admittit 392
*colon* rigidisſimas ſtricturas poſt mortem ſæpius exhibet ibid.
*Inteſtinorum* laxitas a cibis mollioribus oriri poteſt 317
*Ioël* ſpecifice laudat hepar galli nigri in hepatite 547
eius infuſum non conducit in tusſi 275
*Ipecacoanhæ radix* quando adhiberi posſit in hæmorrhoidibus ſuppresſis 101
vid. *Radix*
*Ira* conuulſiones prouocat 451
ad hæmorrhagias diſponit 25
*Iſchiadicum malum* 398. 421
quo modo ab arthritide differat 421
mutuum commercium habet cum hæmorrhoidibus & nephritide 369. 423
ad pertinacem podagræ indolem accedere ſolet 423. 424
a pleuritide ſpuria oriri poteſt 419
ſequitur hæmorrhoides externas turbatas 72
ſimul inuoluitur a doloribus podagricis 421. 427
circa os ſacrum promtius mitigatur quam quod femoris iuncturam occupat 423. 430
per ſcarificationes profundas ſublatum eſt 408

*Iſchia-*

*Iſchiadicum malum*, iſchiadici plerumque ſunt nephritici 371
*Iſchuria* 798
accedit nephritidi 373
niſi ante ſeptimum diem tollatur, funeſta eſt 802
*Iudæi* cuiusdam exprimentum in odontalgia adlegatur 216
*Iuiubæ* non conducunt in tuſſi 270
*Iulapia* analeptico-diapnoica pro diſcuſſione a pectore laudantur 537
acidulata *Thonero* in patria magnam exſtimationem pepererunt 590
*Iuniores hæmorrhoidarii* raro ſeneſcunt 69.72
*podagrici* cur raro ad inſignem ætatem perueniant 430
*Iuſcula* tenuia, item vinoſa commendantur puerperis 132.136

K.

*Ergeri febrifugum* commendatur in febre ſynocha 487
Kind iſt beruffen 853.954
iſt in die Geburth getretten 991 999.1000
ſteht über dem Bogen 993.996
kan viel ausſtehen 1927
Spey-Kinder, Gedey-Kinder 814
Kopf wird leichter vom bluten 141
*Κόπος ἑλκώδης Galeni* 426
Kraft-Brühen 433
Krampf 393
Kränckliche, hinfällige Perſonen, welche nichts vertragen können 567
*Kremſius* cinnabarim antimonii laudat in aſthmate 286
Kugel, welche ſich im Leibe herum wältzet, quid ſit 328

L.

*Abes viſceris* abdominalis ab hæmorrhoidibus nimiis metuitur 72.73
*Laborioſi* meliorem ſanguinem habent quam otioſi 20
quando rhenmatiſmis corripiantur 153.154
*Lac* an in dyſenteria adhibendum ſit 642
calidum in dyſuria laudatur 805
croco largius tinctum laudatur in ophthalmia 208
conſiſtentius primis 24. horis infantibus non præbendum 1931
*Lactis cura* quid in phthiſi valeat 311
- laudatur in hectica habituali 574
*horrores* 1009
perruptio difficilis 1010
defectus ibid.
*Lactis* abundantia 1010
tenuitas aquoſa 1011

*Lactis* ſalſedo & billioſa flauendo 1011
mucida craſſities 1012
ſtaſis ibid.
*Lactantium* diæta qualis eſſe debeat 1014
illæ aliquando menſes experiuntur 111.1015
*Lacticinia* atrophicis non conducunt 367
*Lacrimæ* ad hæmorrhagias narivm occaſionem præbent 34
*Lacrimarum* profuſio facilis in feminis quid deſignet 119
inuoluntaria emiſſio in febre ſynocha infauſti ominis eſt 486
effuſio in ophthalmia ſeroſa occurrit 225
*Lactucæ* ſuccus in angina a *Galeno* laudatur 264
*Læſio viſceris* vlceroſa in integrum reſtitui non poteſt 570
diuerſa eius conditio diuerſam etiam naturæ oppoſitionem format 568
*Læſiones* in corpore in animam redundant 931
quantitatis, qualitatis & motuum 1.2.
*Langelotti tinctura opii* in mictu cruento laudatur 64
*Lancinationes* vnde oriantur 143
*Lapathum paluſtre* pro veterum herba Britañica habetur 757
*Lapis carpionum* num efficaciam exhibeat in hæmorrhagiis narium 38
*Lapis iudaicus* & *lyncis* ad lithontriptica refertur 387
*manati* ſpecifice laudatur ad ſpasmos 397
cavte adhibendus in hæmorrhoidibus 75.102
improbatur in malo hypochondriaco-hyſterico 339
*admirabilis Crollii* laudatur in ophthalmia ſeroſa 208
laudatur in inflammationibus 179
*Laſſitudo* plethorica a vera naturæ debilitate dignoſcenda 987
*Laxantia* in corruptis & ſuppreſſis febribus paroxyſmos reuocant 687
commendantur poſt paroxyſmum epilepticum 462
in iunioribus loco venæ ſectionis commendantur 37
in flatulentia vim roborantem ventriculum habere debent 833.834
*rhabarbarina* commendantur in hæmorrhoidibus nimiis 74
communia puerperis non conducunt 131.138
cur in vomitu cruento non adhibenda ſint 59

*Laxantia* in mictu cruento non conducunt 66
flatulenta in ſingultu non habent locum 447
cum aloëticis coniuncta cephalalgiam augent 191
*Laxationes per epicraſin* laudantur in ſuppresſione menſium 119
in cacochymia 21
præſeruatorie laudantur in congeſtionibus 146. 157
Leber=Flecken 751. 982
*Lectiones multæ* in hæmorrhagiis nimiis nocent 31
*Leges Moſaicæ* quo ſenſu ſanguinem menſtruatarum impurum declarent 111
Leib hat ſich geſencket 991
wenn ſich der Leib nach denen rechten Wehen gebührend öfnet ibid.
ein ſackigter Leib, gleich einer ſchwangern Frau 1007
als wenn alles im Leibe zerſpringen oder der Leib aufplatzen wolte 392
*Lentium iuſcula* nullius effectus ſunt in variolis 629
*Lentigines* 751
*Lentilius* in fluxu menſium rebelli laudat vitellum oui, ex gallina mactata exſecti 110
*Leporis cerebrum* in dentitione difficili probabile non eſt 1030
*Leporis vrina* vulgo adhibetur in ſurditate 228
*veſica* in calculo laudatur 387
*Lepra* 737. 739
*Lepra* non eſt ipſa morbus, ſed tantum effectus cuiusdam morbi 748
*Lepus marinus* a non nullis pro cauſſa hæmoptyſeos habetur 46
*Lethargus* 913
*Leucophlegmatia* 713
*Lichenes* in grauidis 982
Liebes=Tranck 951
*Lienes magni Hippocratis* quid ſint 326
*Lienis infarctus* 340
*ſcirrhus* 347
*vlceroſa* corruptio vnde dignoſcatur 568
inflatio 326. 345
*Lienteria* 875. 877. 879
quo modo differat a fluxu hepatico 91
*Ligatura partium* in hæmorrhagiis quo modo inſtituenda 30. 31
commendatur in hæmorrhagia narium effera 37. 38
- in hæmoptyſi & vomitu cruento 48. 57
- in fluxu menſium rebelli 110
- in cephalalgia 187
- in congeſtionibus 149
- in vertigine 237

*Ligatura partium* comendatur in nephritide 373
- imminente paroxyſmo epileptico 462
inflammationem cauſſari poteſt 166
*abdominis* in puerperis 130
*Ligna antiuenerea* in catarrhis ſimplicibus, conueniunt 558
*Ligni tamariſci pocula* num quid proſint in infarctu lienis 346
*Lignum fraxini* num lienem conſumere poſſit 345
laudatur in odontalgia 215
*fulmine tactum* laudatur in odontalgia 215
*guaiacum* laudatur in cachexia 706
*ſanctum:* nihil ſpecifici habet in nimia obeſitate 12
*ſaſſafras* aliquem vſum habet in adfectibus catarrhalibus 248
*Limatura orichalci* laudatur in hydrophobia 942
*Linimenta* in grauidis adhibentur loco balneorum 988
*Lintea madida* in hæmorrhagia narium hepati adplicata non adprobantur 38
*Lipothymia* 919
duæ obſeruationes de eadem 926
cauſſalis nexus inuoluit difficultatem 921
*ſymptomatica* periculoſior eſt quam *idiopathica* 922
in febribus eſt ſymptoma periculoſum 471. 596
euenit interdum ex inquietudine in febribus biliosis 5:6
ab alui reſeratione in hæmorrhoidibus externis 80
*ſcorbutica* minus periculi inuoluit 760
*vterina* a conuulſionibus vterinis differt 449
*Lipyria* quid ſit 500. 506
*Lippitudo* ex ophthalmia ſeroſa enaſcitur 206
*Liquamen lumbricorum terreſtrium* vt tonicum commendatur in congeſtionibus 145. 148
*Liquor C. C. ſuccinatus* laudatur in conuulſionibus 455
*Lithargyrium* cum aceto nocet in hæmorrhoidibus cæcis 87
*Lithontriptica* practicorum decantata non habent veritatis teſtimonium 387. 388
mictum cruentum producere valent 60
*temperata* commendantur in calculis minoribus pellendis 385
*Lithotomia* 387
*Litterati* præ aliis ſunt morbis obnoxii 3
it. vertigini 231
*Litteratorum morbus* 329

*Loca-*

*Locatelli balſamus pectoralis* in phthiſi exiguæ efficaciæ eſt 308
*Lochia* menſium prægreſſorum indolem imitantur 133.134
ſuccedentia indolem prægreſſorum induunt 133
*ſuppreſſa* multa damna & pecula inducunt 135
- non tolerant vſum pellentium 137
*Lochiorum fluxus* ordinatus & nimius 124.1003
legitimus & abortiuus 125
legitimus colore & odore dignoſcitur ibid.
excedere eum faciunt ſecundinæ retentæ 125.128
magis actiue quam paſſiue conſiderari debet 127.128
exceſſui præ aliis hæmorrhagiis expoſitus eſt 128
*nimius* quo modo præoccupandus 130
*Suppreſſio* 133.1003
*Lotrices* cur menſium obſtipationem facile experiantur 116
*Lotura per phlegma vitrioli* ad variolas ſuperandas nihil confert 629
*Lucii piſcis maxilla* a nonnullis laudatur ad inflammationes internas 179
*Ludouici puluis*, infantibus deſtinatus, peculiaris efficaciæ non eſt 1029
*Ludouici tinctura martis aperitiua* laudatur in mictu cruento 64
*Lues venerea* 781
quo modo a ſcorbuto differat 750
quo modo ad Europæos tranſportata ſit 784
differt a lepra 781
admittit fortiora abſtergentia 758
etiam oſſa adficit 782
quo modo id dignoſcatur 792
cephalalgiam & cephalæam producit 194.195.199
*Lumbago rheumatica* 151
hæmorrhoidalis 1025
*Lumbrici* 853
*terreſtres* reſoluente & diuretico effectu præditi ſunt 345
- ad diſcusſionem humorum in rheumatiſmis laudantur 156
- ſpecifice laudantur ad motus ſpaſticos 397.403.408
- - laudantur in epilepſia 461.462
- - laudantur ad propellendum icterum 735
*Lumbricus cordialis* 362
*Luna* an habeat dominium in humores 450
abſolutum imperium in fluxum menſium non habet 111

*Luna*, eius phaſes inter cauſſas conuulſionum referuntur 451
*Lunatica purgatio* quid ſit 108
*Lunatici* 947
*Lux limpida & ſplendida* nocet oculis poſt inſignem ſanguinis iacturam 132
*Lycanthropia* 941
*Lyſis febrium* quid ſit 470
*Lyngodes* 501

M.

*Macies* differt ab atrophia 361
*Macula nigra* vel *fuſca* in febre ſynocha infauſti ominis ſunt 486
*petechiales* a ſcorbuticis differunt 591
- quando eruptæ euphoriam non adferunt, purpura miliaris adhuc ſubeſt 595
*ſcorbuticæ* non debent repelli 760
*Magica & Magnetica* remedia 951
*Magnes arſenicalis* quid in peſte valeat 649
*Magneſia alba* laudatur in congeſtionibus 145
*le Mal de Paris* 631
*Malacia* 812
grauidarum 812. 978
*Malarum tumor* odontalgiam ſoluit 214
*Malignitas venenata* in febribus de corde propellenda 559
*Malum hypochondriacum* quo modo differat ab infarctu lienis 340
ſibi relictum periculoſum non eſt 331
turbatum quæ mala inducat 331. 335
remedia eius principaliora 33:. 334
*Malum hypochondriacum* vid. *hypochondriacum malum*
- *Neapolitanum* 781. 784
*Mammarum inflammationes* eryſipelaceæ in lactantibus 1009
*nodi* 1012
*abſceſſus* ibid.
*Mania* 934
a ſpectrorum phantaſmatibus 937
ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis 72
*Maniaci* per vincula & verbera non curantur 940
*Manna* ad aluum ſoluendam infantibus exhiberi poteſt 1028
hypochondriacis moderate exhibenda 338
*Manus tabe mortui contactus* infarctus reſtituere creditur 366
*Maraſmus ſeniles* 297
a nephritide ſpuria attrahitur 372
*Mariſci* 79
*Marrubium album* in renum vitiis

vitiis damnum auget 312. 389
*Marrubium album* ad materiam abſtergendam laudatur 312
*Mars* pectori inimicus eſt 309
*Martialia* pleraque agunt adſtringendo 75. 191
ſtringendo aperiunt 122
in malo hypochondriaco non niſi ad tonum roborandum ordinantur 333. 334. 336
*Martialium* vis aperiens & reſolvens cum diſcretione accipienda 17
effectus eorum abſorbens, fundens, colliquans nullus eſt 336
hecticis magno damno offeruntur 574
in vomitu cruento abeſſe debent 58
palpitationem cordis augent 294
nocent in cephalalgia 191. 192
ad menſes reuocandos noxia ſunt 118. 122
damnantur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 407. 416
nocent in atrophia ſine præmiſſa euacuatione 367
in ictero præmature adhibita nocent 734
poſt debitam humorum reſolutionem in cachexia ſunt adhibenda 706
quando locum habeant
in infarctu lienis 344. 345
nocent in podagra 435
*Maſſa pilularum de cynogloſſa* vt lene anodynum laudatur in dolorum atrocia 145
- laudatur in cephalalgia 187. 197
- tutiſſima eſt ad dolores calculoſos mitigandos 389
- ferociam tuſſis ſedat 317
- efficax eſt ad ferociam commotionum in grauidis 988
*pilularnm de ſuccino Cratonis* omnibus ſubiectis conducit 226
- laudatur in rheumatiſmis 157
- laudatur in tusſi 271
- correcta laudatur in adfectibus catarrhalibus 284
*pilularum de ammoniaco Quercetani* laudatur in tusſi 271
Maſt-Körner 79. 981
*Maſtix* dentes a carie præſeruat 218
*Mater perlarum* inter abſorbentia præfertur 589
commendatur in ophthalmia feroſa 208
*Materia* mouenda prius mobilis eſt reddenda 5. 476
ita non corrigitur, vt cum natura in gratiam redire posſit 493

*Materia peccans* in *malignis* in maſſa ſauguinea hæret 519 584. 585
- - præceps periculum minatur 579. 580
ex partibus nobilioribus ad ignobiliores proiicitur 692
- - in febribus ſecundariis ἄκριτος eſt 499
- in cauſo inteſtina adrodit 519
- in abſceſſu ſucceſſiue euacuanda eſt 176
*alba* ſub finem lochiorum non pro fluore albo habenda 764
*acris, cauſtica* promte in ſphaceloſam putredinem ruere ſolet 554
*noxia* ſucceſſiue *ſecedens* ad ſuperficiem corporis ſalutem promittit 581. 584
*Materiæ congeſtæ translatio* ad interiora periculoſa eſt 155. 435. 559
*Maxillæ lucii piſcis* ſpecifica efficacia in ſtaſibus diſcutiendis nulla eſt 179. 546
*Meconii retentio* 1018
*Medicamina*, quæ viſcera regenerent, *Paracelſi* adſeclæ promittunt 310
*Medicus* debet eſſe miniſter naturæ 5. 472
quid incipere debeat, poſt incongruam venæ ſectionem aduocatus 175. 599
*Medicus* genium febrium malignarum ante oculos habere debet 582
quid poſſit præſtare in hectica 570
ei commendatur exſpectatio 582
*Medulla cruris vitulini* ad maturationem hæmorrhoidum tumentium comendatur 85
*Meibomii* balſamus pectoralis in phthiſi exiguæ efficaciæ eſt 308
*Mel* cum bile coniunctum colicas & καυσώδεις inducit 518
in clyſteribus præſente inflammatione ſuppurationem promouet 851
in apoſtematibus pectoris non contemnendum 312
*Mellita* moderate in tuſſi ſunt adhibenda 277
*Meliceriдes* vnde veniant 783
*Melancholia* 929
*hypochondriaca* 328. 331. 932
ſequitur hæmorrhoides ſuppreſſas 72
*Melancholicorum* aliqui reges ſe eſſe exſtimant 931
formula pilularum in iis non commode operantur 239
*Memoriæ exercitium* in puerperis ad hæmorrhagias narium anſam dat 34
*debilitas* 927

*Memoriæ debilitas* cum vertigine conſpirat 240
*Meninges* neruis ortum præbent 232
*Meningum* reniſus ſpaſticus nervorum motum efficit 233
*inflammatio* cephalæam producit 200
*ſideratio* ſeu *ſphacelus* ex phrenitide ſuccedit 522
*Menſium fluxus* 104
*ordinatus* largior diſcernendus eſt a nimio 104
- - non eſt inhibendus 109
*nimius* in nondum maritatis ſuſpectus eſt 112
abortum facile inducit 109
quo modo curandus 109. 110
*inordinatus* phlegmonen aut eryſipelas in facie cauſſatur 165
ſub finem primi ſeptenarii erumpens eſt præcipitatio naturæ 113
familiare illi eſt, vt conſueta loca relinquat 117. 123. 124
feminæ quædam illam per totam vitam non experiuntur 114. 118
*ceſſatio* ibid.
- initium mali hyſterici 112. 329
- eam hæmorrhoides excipere ſolent 97
*decoloratio* 114
*defectus* grauiora damna infert quam exceſſus 118
*emanſio* 113
- non eſt abſolutum ſignum grauiditatis 972
*eruptio* tempore lactationis infantem alterat 1015
*retentio* ſeu *obſtructio* 114
*ſuppreſſio* 113
- rheumatiſmos cauſſatur 154
*reuocatio* in mictu cruento eſt reſpicienda 65
- non debet fieri per fortiora pellentia 57
- vomitum cruentum ſoluit 58
*ataxiæ* ex lochiis ſuppreſſis oriuntur 128. 135
*Menſes ſtati* partus inſtantiam ſignificare ſolent 1002
*Menſibus calidis* & *frigidis* laxationes ſunt intermittendæ 10
*Menſtrui* ſanguinis venenoſa qualitas nulla 111
*Menſtruorum cohibitio* per cucurbitam ad mammas ab *Hippocrate* edocetur 112
*Menſtruus fluxus e ventriculo* quid ſit 54
*Mentha* in vomitu ſimplice ſpecificum feminarum habetur 874
*Mentis adfectiones*, vid. *Animus*.
*idea* corporis conſtitutioni analoga 931


*Mentis*

*Mentis læſiones*, vnde communiter deducantur ibid.
*Mercurialia* in malo hypochondriaco non poſſunt admitti 336
nocent in hæmorrhoidibus cæcis 87
reiiciuntur in ſcorbuto 759
*Mercurialis cura* quo modo inſtituenda 786
quæ ſymptomata habeat 791
*Mercurius* coagulatus in annulis antiſpaſticis num quid proſit 367
*Mercurius dulcis* purgandi ſcopo phlegmaticis conducit 216
tutum & elegans catharticum eſt pro infantibus 1028
vermes enecat 856
laudatur in conuulſionibus a vermibus, ſcabie repulſa &c. ortis 451
ob vim reſoluentem laudatur in adfectibus ſcirrhoſis 359
it. in ſtatu cephalææ inueteratæ 203
vomitus excitat in ſenſibilioribus 367
laudatur in tuſſi 271 275
in phthiſi raro adhibendus 306
quo modo ſaliuatorium effe-ctum amittat 793
non debet ad XX-XXX. gr. augeri ibid.
*Mercurius vitæ* vomitus periculoſos excitat 719
- ad variolas ſuperandas non ſufficit 629
*Meſpila* exſiccata diarrhœas ſiſtunt 881
*Metallica inſtrumenta* dentibus nocent 213. 218
*Metallicolæ* aſthmati ſicco obnoxii ſunt 281
*Metaſchematiſmum* motuum febrilium ex naturæ intentione æſtimare conuenit 678
*Metaſtaſes febriles* vnde veniant 155. 156. 472
repulſæ febrem reuocant 472
- aſcitem cauſſantur 711
- ad diaphragma paraphrenitidem inducunt 527
phlegmonen non raro efformant 160. 163
materiæ reſolutæ in paraphrenitide ad aures fiunt
Vide *Apoſtaſes*
*Methodus naturæ in febribus* pro optimo arcano habenda. 474. 583.
*craſſa* commouendi & euacuandi materiam halituoſam damnatur 475. 582. 583
*Methodus vulgaris* trctandi febres intermittentes reprehenditur 656
*diaphoretica* placida in malignis commendatur 585

*Metho-*

*Methodus euacuatoria* in variolis vulgo commendatur 627.628
*Gundelsheimeri* in variolis 628
*correctoria* in variolis locum habet ibid.
- - naturæ aduerſatur 474.476
in paucioribus morbis obuenit, euacuatoria in plurimis 5.6.336
*heroica* effectus funeſtos accelerat 345.493
*Mezerei cortex* laudatur in coryza & grauedine 249
*Michaelis cephalicum ſpecificum* effectu non reſpondet laudibus 191.1029
*Mictio involuntaria* extra delirivm in acutis ſignum eſt agonizantium 809
*Mictus cruentus* 59
*criticus* 66
conſpirat cum hæmorrhoidibus 65.72.82
*efferus* & *pertinax* quo modo tractandus ibid.
geneſin calculi antecedit 379.383
ſenibus periculoſus eſt 62
in exanthematicis morbis vitæ periculum minatur ib.
repente & incongrue cohibitus grauiſſima ſymptomata inducit 63.66
Milch-Schauer 1009
*Millefolium* eſt leniſſimum adſtringens 58
certiſſimum & ſpecificum ſpaſmodicorum motuum hypochondriacorum ſedatiuum 355.846
vſus eius in hypochondriacis debet eſſe prouidus 58.339
dolores hæmorrhoidum ſedat 73.84.87.89
caute in hæmorrhoidibus eſt adhibendum 58.75
eius vſus per integrum menſem in hæmorrhoidibus tumentibus ſuadetur 87
laudatur in fluxu nimio lochiorum 129
eius ſuccus in hæmorrhagiis narium 38
eius *eſſentia* laudatur in vomitu & diarrhœa biliosa 513
in clauo hyſterico 197
*flore albo* in mictu cruento 65
eius *comas virides* laudant ad hæmorrhagiam narium prouocandam 189
nocet in calculo renum 389
non ſecurum eſt in nephritide 375
*Millepedes* obſtipationes glandularum fortius reſoluunt 355
ſpecifice laudantur in ictero 732
*Miſerere mei* 847.849
*Miſſio electiua veterum* quid ſit 141

Mit-Eſſer 1023
*Mithridatium* in febribus plus damni quam auxilii adfert 587
inflammationibus internis non conuenit 547
*Mixtura ſimplex* flatulentis hypochondriacis conducit 442
- laudatur in melancholia hypochondriaca 934
*tonico- neruina Stahlii* quem effectum habeat 28
- cur in hæmorrhagiis commendetur 31
- reſoluit ſpiſſos humores 758
- ardorem ventriculi corrigit 822
- laudatur in otalgia 227
- laudatur in cephalalgia 187. 188. 197
- - in rheumatiſmis 157
- - in congeſtionibus 146. 147
- - in hæmorrhoidibus 74. 75.76.100
- - in mictu cruento 64
- - in hæmoptyſi 48.50
- - in vomitu cruento 56
- - in vertigine 237
- - in tuſſi 272
- - in phthiſi 273.307
- - ad æqualem diſtributionem ſanguinis & tonum commendatur in multis morbis 420
*Mixtura tonico-neruina Stahlii* in declinatione hemicraniæ 416
*Mola* 996
pro fœtu legitimo non eſt habenda 973
eius excluſio quantocyus eſt promouenda 130
*Monachis* facile euenit febris ephemera 480
*Montani diacodyum* laudatur in angina 264
vehementius eſt quam maſſa pilularum de cynogloſſa 274
*Morbilli* 617
a grauidis in fœtum propagantur 622
quando ſemel effloruerunt non facile recedunt 622
nobilioribus corporis partibus periculum minantur ibid.
hæmorrhagiæ in illis num ſint periculoſæ 35
extruſio illorum impetuoſa periculoſa eſt 622
receſſio illorum non adeo periculoſa ibid.
reliquiæ illorum aſthma humidum gignunt 281
*Morbi:* eorum differentiæ principales vnde petantur 1.2
*Morbi ætatum* 2.24
- an ſint periculoſi 4

*Morbi*

*Morbi*, in quibus principium vitale concurrere recuſat, curatu difficiles ſunt 891
chronici qui & cur exſtirpari nequeant 9
vnde oriantur 15
genium eorum Medicus perſpectum habere debet 688
eorum tempora obſeruari debent 6
multi per αὐτοκράτειαν naturæ curantur 5
ſibi relicti quem exitum habeant 4. 5
*hæreditarii* raro prorſus auferuntur 4
in conſuetudinem degenerati ad modum pertinaces ſunt 5
*qualitatum* plurimi a quantitate dependent 20
*acuti*, a lipothymia incipientes, non ſunt boni augurii 922
- infeliciter decurrentes convulſiones cauſſantur 451
*feminarum* plurimi a menſium ſuppresſione dependent 116
per *faſcinum* ſeu *incantationem* 955
*Morbos* curare nihil aliud eſt quam cauſſas eorum tollere 366
*Morbus litteratorum* 329
*Maronii directorium* medicum adlegatur 857
*Moroſis* 952
*Mors* non niſi gradu a ſyncope differt 919
*Morſuli antimonii* laudantur in variis adfectibus 408
*Morſus animalium* quo modo tractandi 649. 963
ſerpentum curatur per ſcorzoneram 599
*Moſchus*: eius odorem plurimæ hyſtericæ auerſantur 330
eum *Foreſtus* in aurem dolentem ingerere docet 225
*Motus*: eorum medicina præcipua pars eſt praxeos felicis 5
magis ſunt reſpiciendi quam materia 6. 435
non temere ſunt ſiſtendi ib.
eorum ſopitio non eſt tentanda, niſi cauſſa materialis ſublata ſit 293
eorum cura non eſt poſtponenda mitigationi dolorum 198
naturæ ſunt imitandi 120
a principio vitali materiali noxæ opponuntur 1
- prout materia noxia comparata eſt, augentur 1. 469
*febriles* ſecundum materiæ indolem a natura inſtituuntur 583
peccant in exceſſu & defectu 5
hæc motuum vitia a communibus

nibus cauſſis deducere non poſſumus 901
*Motus*: deficientes in morbis periculoſiores ſunt quam excedentes 4.884
duo motuum extrema paralytici & conuulſiui motus in vno ſubiecto non raro conueniunt 898
*deficientes*: eorum ſpecies 881 882
- per animi commotiones modo inducuntur, modo excitantur 885.891
*extraordinarii*: cuius notæ 4
& materia in conuulſionibus rite ſunt tractandi 454
in progreſſu epilepſiæ motuum magis quam materiæ vitia ſunt accuſanda 456
ſpaſticorum motuum pertinacia magis quam materia culpanda eſt 435
*inteſtinus* ſubtiliſationem inducit 138
*circulatorii ſegnities* vnde dependeat 15
- quid cauſſetur 14
*proportio* ad humores *læſa*, quid ad cacochymiam conferat 20
*hæmorrhoidales* non promiſcue ſunt promouendi 73 74.77
- transfugi & titubantes nihil conſtantis agunt 72
*Motus hæmorrhoidales* in regione hepatis, ſplenis, ventriculi & ſuperiorum inteſtinorum ſe exſerentes cuius indolis? 76
circa meſenterium & per longitudinem oſſis ſacri, quid de iis ſperandum? 77
*corporis placidus* optimum tonicum eſt 37
plurimi eum renuunt 9.10
ſcandalum quod circa eum plerumque accipitur, remouetur 16.17.159.862
commendatur plethoricis 10
cacochymicis 21
*violentus* in plethora commota vitetur 12
commendatur hæmorrhagiariis 27
ſuadetur feminis cephalalgia laborantibus 197
cephalæa laborantes eum perferre non poſſunt 200
commendatur in rheumatiſmis 158.159
commendatur in coryza & grauedine 249
niſi ad conſumtionem ſanguinis per tranſpirationem inſenſibilem peragatur, inſufficiens eſt 424
*Mulſum* acrimoniamblilioſam auget 518
*Mundificationes ſanguinis* circa æqui-

æquinoctia num quid proſint 22
*Muntingii* tractatus de herba Britannica adlegatur 757
*Murem campeſtrem Paracelſus* in phthiſi laudat 310
*Muris ideam* ſibi concipiunt feminæ hyſtericæ 392
*Mus marinus* ſpecifice laudatur in hæmorrhoidibus cæcis 84. 88
in internis caute adhibendus 75
*Muſti vapores* fermenteſcentes quæ damna ferant corpori 234. 955. 961
*Mutationem ætatis* &c. ſoluere epilepſiam *Hippocrates* obſeruauit 459
Mutter=Mahler 1017
Mutter=Waſſer, hitzige, exſulare debent in hyſtericis 338
*Mynſichti tinctura odontalgica* laudatur in odontalgia 217
*Myrrha* vehementius ſanguinem commouet 51. 123. 317. 319. 546
externe egregium eſt balſamicum 319
eius concurſus tincturas bezoardicas deturpat 648
vermes enecat, ſed non in toto corpore 857
commendatur ad decocta traumatica in empyemate 324
dentes a carie præſeruat 218
in fluore albo moderate exhibenda 766
*Myrrha* in ſuppreſſione menſium caute adhibenda 123
feminas cachecticas in aſcitem coniicit 705
*Myrrhata* damnantur in lochiis plane ſuppreſſis 134. 137.

## N.

Nach=Wehen, quo remedio egregie mitigentur 835
*Naui materni* 1017
*Narcotica* adferunt ſtupores & deliria 587
non ſunt ſecura in malo hypochondriaco - hyſterico 339
ad ſedationem motuum non ſufficiunt 421. 454
damnantur in cephalalgia 190
puerperis non conducunt 131
infantibus cautiſſime ſunt exhibenda 1030
nocent in hæmorrhoidibus ſuppreſſis 102
*Narium pruritus* vnde veniat 33
*mucoſa obſtructio* in infantibus 1020
*Naſturtium* commendatur in tuſſi 278
*aquaticum Bonetus* ſpecifice commendat in phthiſi 310
*Natura* ad corporis integritatem intenta eſt 469

*Natura* vitam non correctionibus, ſed excretionibus abſoluit 474
non ex errore abundantem ſanguinem generat 8
excretionibus ſanguinis facile adſueſcit, licet plethora abſit 26
non facile a tali excretione deſiſtit, quam multo labore obtinuit 27
eius energiam in grauiſſimis morbis Medicus cordi habere debet 581. 583
eius autocratia in variolis & morbillis ad modum conſpicua eſt 627
eius methodus in febribus pro arcano habenda eſt 583
eius negotium in febribus duplex eſt 472
eius methodus in febribus biliosis 518
eius pugnam cum morbo veteres in febribus iam agnouerunt 473
cur tam facile, immo ad lipothymiam vsque trepidet in ſcorbuto 749. 751. 754
in dyſenteria arti cedere debet 636
*Nauigationem* cur veteres hecticis commendauerint 576
*Nauſea* 815
inter cauſſas occaſionales mali hyſterici refertur 330
*Nauſea a carnibus* ſignum grauiditatis eſt 972. 977
*Nephritis* 368
*ſimplex* ſine calculo eſſe poteſt ibid.
*ſpuria* 369
*calculoſa* cum podagra complicatur 432
a ſpaſtico dorſi adfectu eſt diſcernenda 409
ab infarctu lienis differt 340
cum ventriculo & inteſtinis ſingularem conſenſum habet 375
cum malo iſchiadico & hæmorrhoidibus mutuum habet commercium 76. 369. 423
cur omnibus aliis inflammationibus leuior ſit 371
a pleuritide ſpuria oriri poteſt 420
ſimplex & calculoſa ſuperueniunt hæmorrhoidibus cæcis 82
*Nephritica renis ſiniſtri inflammatio* differt a ſplenitide 548
*Nephritica* damnantur in doloribus circa lumbos &, hos ſequentes, capitis 203
*Nephritici* non ſemper mictu cruento laborant 60
*Nerui* non ex cerebro ſed meningibus oriuntur 232
*Neruina* acria, reſinoſa, ſulphurea nocent in paralyſi & hemi-

hemiplexia 895
*Neruorum paris octaui* conſenſus cum primis viis non negatur 181.184.190.234
vellicatio & ſtimulatio num conuulſiones excitare poſſit 450
Neſſel = Sucht, als wenn man einen mit Brenn = Neßeln gepeitſchet hätte 608.1004
*Nihilum album* commendatur in ophthalmia ſeroſa 208
*Nitrum* incraſſat tenues catarrhos 247.559.600
in potu exhiberi poteſt ad æſtus mitigationem 559
item ad aluum expediendam 333
in malo hypochondriaco egregie laudatur 337.338
puerperis tuto adhiberi poteſt 138
diarrhœas potius præoccupat quam prouocat 138.626
grauidis commendatur pro temperatione 987
ad motus bilioſos ſiſtendos laudatur 514.517.519.988
non nocet in dyſenteria 641
laudatur in peſte 749
in ſcorbuto minuit acrimoniam humorum 761
commendatur in fluore albo benigno 766
optime ſe commendat in pollutione nocturna 780
*Nitrum* in pleuritide & peripneumonia 537
commendatur in hæmoptyſi 47.51
ad expectorationem multum valet 275.277.309
ad ſtranguriam & dyſuriam egregie laudatur 802.804
in paralyſi mitigat 898
in ophthalmia inſignem effectum edit 208
laudatar in odontalgia 215
ad gargariſmata præcipue laudatur 260.263
laudatur in melancholia 934
dum tuſſim auget, paruis doſibus in aſthmate, phthiſi & vomica pulmonum vſurpandum eſt 284.300.319
eius virtutes in febribus laudantur 478
in febribus malignis opio anteponendum 588
in febre hectica non eſt reformidandum 309.324.575
in phthiſi circumſpecte adhibendum 309
lapides in pollinem reducere creditur 387
*regeneratum* penetrantius operatur quam depuratum 512
menſes ſuppreſſos reſerauit 123

*Nitroſa*

*Nitroſa* ſudorem magis promovent quam ſiſtunt 442
in acutis ſingultum vel præcauent vel profligant 447
in inflammationibus omnibus aliis palmam præripivnt 544
laudantur in catarrho ſuffocatiuo 919
*Nitroſas particulas* inter arandum reſpiratione attrahendas *Bagliuius* aſthmaticis commendat 287
*Noctambulatio* 947
*Nodi pulmonum* vnde exſiſtant 296.300
tusſim cauſſantur 264
arthritici 407
*gallici*, quo modo tractandi 787
*mammarum* 1012
*podagrici* non in omnibus ſubiectis proueniunt 428
- ex podagra inueterata proveniunt 431
*Noduli laxantes* cum helleboro nigro 420
*Noſtalgia* 948
*Nuclei duri ſenſus* in inteſtino recto quid deſignet 67
*Nummularia* in phthiſi ſpecifice laudari ſolet 310
*Nutrices* non temere ſunt conducendæ 1015
falſa earum diæta ad calculum infantum contribuit 380
*Nux moſchata* ſimplex magis ſopiens quam adſtringens eſt 879
in diarrhœa contumaci laudatur 880
*vomica*, quæ animalia necet 858

O.

Ober=Colic 193
*Obeſitas nimia* multa pericula infert 9
qua ratione tractanda 12.13
*Obdormitio* artuum vnde 7
*Obſtetrices* communiter valde imperitæ ſunt 1001
*Obſtructio* quid vi vocis deſignet 340
alui, quo modo ab adſtrictione differat 859
quo modo commode reſerari posſit 340.860
vaſorum quo modo differat ab infarctu 340
glandularum meſenterii 361
tunicæ villoſæ 362.363
infantum 1020
*vera* tam frequentes non ſunt, vti congeſtiones 142
in vaſis exilisſimis non tam frequentes ſunt quam vulgo venditantur 16
*Oculi humidi* ſunt ſignum plethoræ 8
dolor eorum cum ſcintillulis quid deſignet 33.35
paracentum iis poſt enormes hæmorrhagias 31.38.212

*Oculi humidi* eorum *ſuffuſio* vnde 185. 413
*Oculorum* pericula in variolis & morbillis quo modo auertenda 626
manationes ſeroſæ in infantibus 1019
*Oculi cancrorum* iracundis præſeruandi ſcopo commendantur 517
*adulterati* indolem habent terreorum craſſorum 589
*Odontalgia* 212
*ſymptomatica* cum ſtridore dentium in febribus acutis mortem præſagit 215
*Odor* grauis & ſuaueolens in feminis cephalalgiam prouocat 185
ſalium volatilium in cephalalgia ſanguinea circumſpecte admittendus eſt 198
*Odoramenta duplicis generis* in ſuffocatione hyſterica vſualia 339
in cephalalgia parum auxilii adferunt 189
*excitantia* in epilepſia leniore, præcipue vterina non improbantur 461
*penetrantiora* ad interpellandas conuulſiones adhibenda non ſunt 454. 461
*Oedema* 689
veſtigia legit cachexiæ auctioris 690
*chronicum* & *habituale* pertinaces congeſtiones fouet 692
*pedum* a fluxu menſium nimio & perennante inducitur 109
*Oedemata* ad interiora viſcera repulſa ſontica mala producunt 693. 695
*ex apoſtaſi* febrili quo modo modo tractanda 695
*rupta* funeſtum euentum adferunt 714
quando diſparent, ſymptomata exaſperantur ibid
*grauidarum* aſciti anſam præbent 714
*Oedematoſi adfectus* hæmorrhoidibus ſuppresſis ſuperuenientes periculoſi ſunt 103
Oel-Schenckel 176
*Olea carminatiua* laudantur in ſuſurru & fluxu aurium 225
*cocta* in inflammatione aurium ſuppuraſcente facile ſurditatem inferunt 227
*deſtillata* humores ad modum exagitant 11. 17. 189
- circumſpecte adhibenda ſunt in ſuppreſſione menſium 123
- maiorem decubitum humorum ad renes cauſſantur 388
- nocent dentibus 217. 218

*Olea deſtillata* reiiciuntur in rheumatiſmis 158
- caute in adfectibus aurium adhibenda ſunt 227
- *graueolenta* non nude adhibenda ſunt ibid.
- *calida* in paralyſi nocent, temperata conceduntur 896

*Oleoſa* nocent in inflammationibus 175

*Oleum amygdalarum dulcium* laudatur in raucedine 253
commendatur in mictu cruento ad æſtum temperandum 64
*animale* ſ. Dippelii ſpecifice laudatur in conuulſionibus 455
*aniſi* a *Foreſto* laudatur ad contuſiones impuras 174
- ſumma circumſpectione adhibendum eſt in tuſſi 277
*calendulæ* ad dolores in hæmorrhoidibus tumentibus conuenit 85
*chamomillæ* laudatur in otalgia 227
*caryophyllorum* quid in carie dentium valeat 215
*ceræ* laudatur in carie dentium ibid.
- laudatur in ſtomacace 75
*cinnamomi* laudatur in paralyſi 893
- ad ſphacelum præoccupandum egregium eſſe dicitur 179
*hyperici* laudatur in ſcabie ferina 743
*iuniperi*, nocet in inflammationibus 175
*lini* ad maturationem hæmorrhoidum tumentium commendatur 85
- ſpecifice laudatur in effera hæmoptyſi 48
*myrrhæ per deliquium* temperatum eſt balſamicum 697
in empyemate laudatur 324
- laudatur in ſcabie ferina 743
*piperis* in quartana non omnibus ſubiectis promiſcue conducit 673
*ouorum* ad dolores in hæmorrhoidibus tumentibus conuenit 85
- leniter camphoratum laudatur in variolis 626. 629
- commendatur in tumore penis inflammatorio 778
- laudatur ad conſolidationem in ſcabie ferina 743
- cum liquore florum verbaſci quid præſtet in hæmorrhoidibus cæcis 89
*philoſophorum* laudatur in ſtomacace 761
- leniſſimum ſepticum eſt & fungoſas excreſcentias aufert 778

*Oleum*

*Oleum ſabinæ* caute adhibendum in ſuppreſſione menſium 123
*ex arillis ſambuci* virtutem emeticam habere dicitur 954
*ſuccini* in copia non debet adhiberi 227
- in otalgia ſumi poteſt ad eſſentiam balſamicam *Stahlii* 225
non habet vſum cephalicum 189
- mictum cruentum cauſſari poteſt 62
*templinum* nocet in inflammationibus 175
*terebinthinæ* laudatur in odontalgia 218
nocet in inflammationibus 175
*verbaſci* ad dolores in hæmorrhoidibus tumentibus convenit 85. 89
*vitrioli* minus ſecure adhibetur in carie dentium 215
*Olfactus* facile læditur a coryza chronica 245
*Ophthalmia* 204
*Opiata*: elogium de iis falſum eſt 6
in hæmorrhagiis narium non debent adhiberi 38. 40
nocent in hæmoptyſi 50
abeſſe debent in vomitu cruento 58
*Opiata* motus hæmorrhoidales ſupprimunt 102
menſes ſupprimunt 116
lochia prorſus ſupprimunt 137
reiiciuntur in odontalgia 218
non conducunt in angina 264
fugienda ſunt in aſthmate 285
in palpitatione cordis 294
infarctum augent 345
in calculo mortem accelerant 389
damnantur in rheumatiſmis 158
in affectibus ſpaſtico-arthriticis contracturas relinquunt 7. 406. 898. 416. 434
febres ſupprimunt 471
in febribus billioſis protheiformia pericula inducunt 517
reiiciuntur in capitis doloribus 190. 198. 489
inducunt ſtupores & mentis alienationes 198. 587
ad irritationes in pectore non poſſunt commendari 276. 537
in diabete noxia ſunt 811
in colica non ſecura ſunt 845
deliria exaſperant 939
*correcta* in atrocia dolorum conceduntur 406. 434
*Opium* in hæmorrhagiis adhibitum damna infert 112
ſymptomata tantum fucat 682

*Opium* in lumborum & renum adfectu non adhibendum 804
non adhibendum ſi veſtigia febrilia cum doloribus præſto ſunt 845
eius vſus in dyſenteria ſumma cautione indiget 640
eius quantitas theriacæ vſum prohibet 648
*Opiſthotonus* 390
*Orexis canina* 811
*Organorum vitia* primario in hydrope accuſanda ſunt 711 712
*Orgaſmus ſanguinis* a quibus cauſſis inducatur 41
*Orthopnœa* eſt ſummus gradus aſthmatis 280
ſuffocationem minatur 258. 283
ſignum eſt anginæ 256
*Orthoſtadia* puerperarum adfectata reiicitur 130
*Os ſepiæ* ad fluorem album & gonorrhœam malignam comendatur 767.774.777
*Oſſa humana* ſpecifice ſolent laudari in peſte 649
*Oſteocopo: dolor* in febre quartana ſentitur 667
*Otalgia* 219
*Otioſi* morbis præ aliis ſunt obnoxii 3
*Oxymel* acrimoniam billioſam auget 518
*Ozæna* ab adſtringentibus vitriolicis & æruginoſis cauſſatur 38

P.

P*Alpebrarum conglutinatio* in variolis quo modo reſeranda 626
*Palpitatio cordis* 288
a plethora oritur 8. 290
vera ab aliis commotionibus diſtinguenda 288
non raro a vermibus fouetur 291
a terrore inducta curatu difficilis eſt ibid.
*idiopathica* rarior 288 289
notabile eius exemplum 294. 295
eſſentiale ſymptoma eſt mali hypochondriaco-hyſterici 327
*Pancreatis inflammatio* 551
*Panis largo butyro illitus* ante cibum ſumtus laudatur ad expediendam aluum 339 340. 860
*calidus* ex quo fundamento fluxum menſium inhibeat 111. 116
pane cum aromatibus ſubacto & cocto vulgus vtitur ad ſurditatem 228
*Papauer erraticum* ſpecifice laudatur in pleuritide & peripneumonia 536

*Papilla*

*Papillæ* nimis paruæ 1014
earum fiſſura in lactantibus ibid.
vaccinæ lactantibus conveniunt ibid.
*Papularum* teneri ætati familiarium *Hippocrates* mentionem facit 621
*Paracelſus* in phthiſi ad modum temperans eſt in promittendis medicamentis 310
eius *vnguentum* ad bubones reſoluendos laudatur 793
eius *ſpaſmus fixus* 393
eius adſertum de *belleboro* & *chamædri* quo modo accipiendum 12
eius tractatus von Spital-Kranckheiten adlegatur 310
*Paracenteſis* neceſſaria eſt in empyemate 313. 322. 324
in vomica pulmonum non numquam locum habet 532
locum habet in hydrope pectoris 320. 725
locum habet in pleuritide 532
in hydrope nouus aquarum prouentus illam ſequitur 715. 720
*Paracynanche* 255
*Paralyſis* 882. 888
*vera* a ſcorbutica differt 888
*ſpuria purpurea* ibid.
vnde infantili ætati obtingat 890
*ſphincteris ani & veſicæ*, quo modo tractanda 895
*Paralyſis linguæ* memoriæ labem inducit 891
ex palpitatione cordis prouenire ſolet 291
*Paralytodeæ* debilitates a congeſtionibus oriuntur 144
*Paralytici* communiter fiunt hectici 897
*Paraphrenitis* 500. 526
ad morbum Hungaricum accedit 527
quo modo a phrenitide differat 520
*paraplexia* 888
*Paraſynanche* 255
*Paregorica* ad motus ſpaſticos ſedandos commendantur 396
*Pareſis ex colica* 889
quo modo tractanda 897
ex opio in colica adhibito cedit 845
item per regimen diaphoreticum 846
*Parotides* in peſte erumpentes 644
infantum 1021
*Parturientes* ad labores excitare vix vmquam conſultum eſt 1000
earum maximum officium in quo conſiſtat ibid.
motus earum per interualla repetuntur 999
*Partus inſtans* ſecundum menſi-

vm conditionem iudicari poteſt 1002
*Partus imminentis* ſigna 991
labores immodici & præmaturi cauſſantur ſuppreſſionem lochiorum 134
*difficilis* in quibus circumſtantiis metuendus 992
- quibus remediis facilitandus 983
*Paſſio hyſterica* quo modo cum malo hypochondriaco conueniat & differat ab eo 326
*iliaca* 847
*Pathologia vulgaris* de ſalium generatione in corpore noſtro refutatur 19
*Pauli (Simon)* clyſterem ex herba veronicæ commendat in nephritide 372
radicem nigellæ laudat in hæmorrhagiis 30
*Pauores* quo modo ab epilepſia diſcernendi ſint 456
qui *puerperis* obueniunt 1006
*infantum* 1022
- epilepſiæ ſolent eſſe prodromi 456
*Pectoris oppletio* aſthmatica 1019
- ſequitur hæmorrhoides ſuppreſſas 72
*congeſtiones* periculoſiores ſunt quam capitis & abdominis 144
*adfectus chronici* quo modo tractandi 275
pectoris & renum conſenſus 313. 376. 382. 389
*Pediluuia* laudantur in omnibus capitis & pectoris congeſtionibus 187. 191
cautelæ circa eorum vſum ib.
commendantur in hæmorrhagiis narium 37
conducunt pro ſcopo reuulſorio in hæmorrhoidibus turgentibus 84
commendantur in angina poſt venam ſectam 262
laudantur in ſuſurro & fluxu aurium 225
in vertigine 240
laudantur in palpitatione cordis 294
commendantur in lochiorum ſuppreſſione 136
ſuadentur in cephalæa 204
laudantur in cephalalgia 187 198
*alcalina* commendantur ad rigorem membrorum ſpaſticum emolliendum 405
nimium *feruida* in plethora commota non ſunt adhibenda 12
*Pellentia* & partum promouentia caute ſunt adhibenda 1000
ſub partu difficili adhibita fluxum lochiorum nimium cauſſantur 128

*Pellentia fortiora* ad hæmorrhoides & menſes reuocandos non ſunt adhibenda 58. 122
non ſunt adhibenda in lochiis plane ſuppreſſis 136. 137
in calculo circumſpecte adhibenda ſunt 388
*Pentaphyllum* ſpecifice laudatur in mictu cruento 65
*Periodi* per ſeptenarios in febribus acutis a natura obſeruantur 469
conuerſio in melius extra & ante periodum in febribus non eſt ſperanda 582
*Peripneumonia* 500. 530
quo modo a pleuritide ſpuria differat 417. 530
vnde oriatur ſecundum *Hippocratem* 553
accedit febri catarrhali benignæ 554. 557
ab aſthmate induci poteſt 283
*Perſicaria* a *Paracelſo* in odontalgia commendatur 27
eius herba alicuius efficaciæ eſt in ſuppreſſione menſium 123
*Perſicorum* nuclei commendantur in cephalalgia 188
*Peſtis* 643
varia ſchemata morborum exhibet 650
ſummum gradum malignitatis conſtituit 577. 643
tribus modis ſalutariter ſoluitur 646
*Petechiæ* vnde nominatæ ſint 592
mature & copioſe adparentes deterioris ſunt indolis 581. 603
coloris roſei & floridi meliores cenſentur 603
ſub peſte erumpentes 635. 644. 646
in variolarum interſtitiis inſignem malignitatem indicant 623
ſuperueniunt dyſenteriæ 634. 637
*Petroſelinum* vrinam & calculum pellit, ſed non reſoluit 388
nephriticis non conducit 366
*Philonium Romanum* in malignis plus damni quam auxilii adfert 587
veteres eo vtebantur vt anodyno in vomica pulmonum 319
palliatiue dolores dentium ſedat 215
*Philtrum* 950
ſanguinem inſpiſſat & morbos lethales infert 15
conuulſiones cauſſatur 451
*Phlegmatia* 708
*Phlegmatici* calculoſi exquiſitos dolores non incurrunt 378
ſunt flatulenti 830
*Phlegmaticis* cibi ſaliti conducunt 390

*Phlegmaticis* quem modum edendi ſervent 812
*Phlegmatorrhagia narium* 32. 240
*Phlegmone* 160
quo modo differat ab eryſipelate ibid.
non raro a metaſtaſi febrili oritur 160. 163
eius ſigna 163
ad ſuppurationem ſponte ſua non tendit 163. 176
contingit in extremis partibus 163. 163
poſt dolores dentium 177
interdum in facie occurrit 165
eius cura 173
*Phlogoſes hyſtericæ* 123
*Phrenitis* 500. 519
ab aliis deliriis differt 520. 934
euenit iunioribus, quibus in febre ſynocha excretio critica non ſucceſſit 486
*Phrenitica ſymptomata* ab otalgia induci poſſunt 222
*Phrenitici adfectus* in febribus ſunt ſymptoma periculoſum 471
*Phricodes* 501
*Phthiſis* 296
*pulmonalis* quo modo ab hectica abdominali differat 297
cum hectica aliarum partium nobilium conuenit 308
*Phthiſis pulmonalis* differt a vomica 297. 315
differt ab atrophia 297
aliquando ſine febre eſt 297
non ſemper ſequitur hæmorrhagias impetuoſas 27
metus poſt largiorem hæmorrhagiam narium in iunioribus non plane de nihilo eſt 35. 303
incipiens facilius poteſt curari quam confirmata 301. 303
*confirmata* quibus ſignis adpareat 299. 300
- cur ſit lethalis 303
- num vmquam vere curata ſit 304
quo modo ab adſtringentibus inducatur 47
ex aſthmate oriri poteſt 283
ex coryza habituali in iunioribus 145
item ex pleuritide & peripneumonia 534
eius infrequentia in ſexu ſequiore ab aliis negatur 300. 301. 304
quo caſu etiam ſenioribus obtingat 283
renalis 382
- a repentina ſuppreſſione mictus cruenti inducitur 66
*Phthiſici* fere omnes tuſſiunt 298
eorum vrinæ ſanis ordinarie ſunt ſimillimæ 290

*Pica* 812
quo modo ſuperari posſit 814
grauidarum 978
*Pili animalis*, quod momordit, externe laudantur 942
*Pilulæ Becheri* virtute aliquo modo *Stahlianis* cedunt
*Pilulæ Stahlii* intentioni naturæ apprime reſpondent 131
laudantur in quam plurimis grauidarum adfectibus 986
puerperis conducunt 131 1008
laudantur ad ſecundinas reſtitantes excludendas 129
commendantur ad fœtum vel molam excludendam 130. 998
in abortus periculo ſe commendant 130. 976. 977
egregie laudantur in fluxu & ſuppreſſione lochiorum 129. 137
ſolæ ſufficiunt tam in ſuppresſione quam nimio fluxu menſium 109. 121. 197
laudantur in malo hypochondriaco 333
flatus egregie diſcutiunt & effectum ſimul roborantem exſerunt 827. 833. 834
laudantur in congeſtionibus 145
- in rheumatiſmis 157
- in inflammationibus 178
in chloroſi virginum 293
*Pilulæ Stahlii* commendantur in hæmorrhoidibus albis 100
item in fluxu hepatico 101
- in fluore albo benigno 767
laudantur in cephalalgia 186 197
diarrhœam ſimplicem feliciter tollunt 878
febres ſuppreſſas facile reuocant 354
ad tumores ſpecialiter inſtructæ podagricis commendantur 435
egregie ſe gerunt in tumoribus poſt quartanam inductis 673
in hæmoptyſi caute adhibendæ ſunt 51
num in mictu cruento ſint adhibendæ 64. 66
in vomitu cruento conceduntur 57. 58
*Pilulæ amaræ* laudantur in hydrope 719
*Blancardi* ordinantur in gonorrhœa maligna 777
ſic dictæ *cephalicæ* aloëticis carere debent in cephalalgia 191
*Fancofurtenſes* in teneſmo hæmorrhoidali non conueniunt 867
*Wildeganſii* ſpecifice laudantur in paralyſi 893
- ſucceſſiue motus febriles in-

infringunt & ſudorem excitant 663
*Pinguedo grauidarum* nimia 981
*Pinguia* quam maxime nocent in inflammationibus externis 175
- tranſpirationem perutilem impediunt 198
*Piper* cruditates viſcoſas egregie reſoluit, ventriculum corrigit & ſudorem excitat 826. 827
vt ſpecificum contra nimiam obeſitatem fruſtra adhibetur 12
*Piſces duriores* nephriticis non conducunt 375
*Plethora* 7. 10. 11
multorum morborum cauſſa & mater eſt 3. 9
per ſpiſſitudinem in morbidum ſtatum transmigrat 15
vt matrix vitioſæ qualitatis accuſatur 491
*ſimplex* cur ſæpe a principio vitali pro noxia materia reputetur 468
*commota* quæ damna inferat 9. 25. 26
- ſuppreſſionem lochiorum cauſſatur 134. 142
eſt cauſſa congeſtionum 9. 142
turbat legitimum febris decurſum 661
grauidarum quo modo ſubleuanda 10
*Plethorici* qualem habeant pulſum 8
per medicamenta calida non ſunt tractandi 661
motum corporis renuunt 9
ex vertigine epileptici & conuulſionibus obnoxii 235
*Pleuritis* 500. 530
*vera* quando a ſpuria differat 417
*ſpuria* 398. 417
- hæmoptyſin eminus intendit 430
augeſcente ætate vel ceſſat, vel ad pedes deſcendit 401
- per remedia incongrua in veram mutari poteſt 420
*Pneumatocele* 722
*Podagra* 398. 421. 425
quo modo differat ab arthritide ſtricte dicta 398. 399
cur patientes magis exagitet quam arthritis ſpecialis 401
cur difficilius eradicetur 401. 430
morbus eſt dominorum 433
eius conſpiratio cum hæmorrhoidibus 65
reſpicit hæmorrhoides externas 430
ſequitur hæmorrhoides turbatas 72. 77. 82
ex malo iſchiadico prouenire poteſt 423

*Podagra* ex pleuritide ſpuria oriri poteſt 419
ad interiora repulſa triſtia pathemata cauſſatur 432. 435
*Podagrici* communiter ſunt nephritici & calculoſi 280. 371 380
iis omnibus aliquid febrilis euenire vana eſt ſpeculatio 426
palindromæ eorum vnde deducendæ 77
*Podagricos* dolores quibus verbis ægri exprimant 429
*Podagricus tumor* quo modo ab œdemate differat 690
*Pollicum eruptiones* violentæ in conuulſionibus frequentiorem recurſum procreant 454. 462
*Pollutio nocturna* 779
*Polypodium* commendatur in hæmorrhoidibus albis 99
num aliquid præſtet in malo hypochondriaco dubitatur 336. 345
*Polypoſi* ex improuiſo ſæpe moriuntur 291
*Polypus cordis* in morte anxia generatus, pro cauſſa morbi & mortis non eſt pronunciandus 726. 727
ex palpitationibus cordis oriri poteſt 291
- nequaquam pro cauſſa apoplexiæ accipienda eſt 905
*Pompholyx* laudatur in ophthalmia ſeroſa 208
*Poterii antihecticum* ſecurum non eſt 309. 575
*Potulenta* in febribus minuunt æſtum & facilitant ſudores 476
*Potus* cum motu debet eſſe coniunctus 862
ſub frigore in febribus tepidus eſt porrigendus 666
verſus ſomnum hauſtus ſtranguriam excitare ſolet 805
*frigidus* corpore calente ſtricturas hepatis & inflammationes inducit 166. 712. 713
- in paraphrenitide incommoda cauſſatur 529
- largior colicæ auctor eſt 839. 847
*calidus* in tuſſi commendatur 278
- prodeſt in diarrhœis 881
tepidus puerperis vtilior 132
*ſpirituoſus* grauidis non conceditur 989
*Poudre de ſucceſſion* 950
*Præcipitantia* nocent in hæmorrhoidibus ſuppreſſis 102
*prægnantes* interdum vomitu cruento ſine periculo adfliguntur 53
*Prauotius* commendat radicem plantag. aquat. in hæmorrhoidibus tumentibus 84

*Priapiſmus* 392. 396
*Priapus ceti* in hæmorrhoidibus caute vſurpandus 75. 102
in malo hypochondriaco improbatur 339
*Primiparæ* a doloribus poſt partum liberæ non ſunt 1006
*Principium agens* principiis obſtare ſolet 468
*vid. Natura.*
*Procidentia ani* 863
*tunicæ vueæ* 206
*Prolapſus vteri* in parturientibus 998
*Pruna damaſcena* ad expediendam aluum laudantur 338
*Prunella* quid ſit 255
*Pruritus* vnde oriatur 143
in ſcabie vnde dependeat 747
*ani* 79. 82
*narium* quid deſignet 33
*Ptarmico - errhina* in grauedine circumſpecte ſunt adhibenda 246. 247
*Pterygium* vnde naſcatur 206
*Ptiſanæ* coctæ laudantur in ſtaſibus ſanguinis inflammatoriis 482
*Puerperæ* tamquam vulneratæ ſunt conſiderandæ 130. 1007
non decenter ligatæ colica, deinde flatulentia adficiuntur 837
remediis ſanguinem commouentibus non ſunt tractandæ 131
*Puerperæ* qua diæta vti debeant 132
pilulæ *Stahlianæ* iis egregie conducunt 131
purpura alba commune earum ſymptoma eſt 612. 1003
*Pulmentum* infantibus parandum, quale eſſe debeat 1031
*Pulmonum* concretio cum pleura 296. 300 303
exulceratio vnde dignoſci poſſit 296. 297. 568
- hecticam exacerbat 296
- remedia illi deſtinata 64
læſio in peripneumonia 534
*vomica* a phthiſi quo modo differat 297. 313
violationes 299
tophi 296. 300. 301. 304 305 313
vulpis & ranæ ſpecifica virtus in phthiſi exigua 310
interdum concrementum calculoſum in iis continetur 378
& renum læſiones conſpirant 312. 376. 382. 389
Puls=Pflaſter 671
*Pulſatio aurium* 219
*Puluerulenta* in angina non conducunt 264
*Puluis abbatis Trithemii* in memoriæ debilitate nihil facit 929
*antepilepticus Stahlii* 461. 462
- - *Franckii* 463

*Puluis antiſpaſmodicus* 397
plurimis profuit in apoplexia 905
- largiter cinnabaratus vim anodynam præſtat 397. 414. 417
- - laudatur in pleuritide ſpuria 420
*bezoardicus* occurrit vomitui in acutis 874
*cephalicus Michaëlis* in epilepſia parum efficit 462
*dentifricius* 218
- acrior cariem dentium cauſſatur 213
*Pulueres corroſiui* aſthma prouocant 281
*Puluis hydragogus* in hydrope laudatur 721
*Ludouici* infantibus deſtinatus, peculiaris efficaciæ non eſt 1029
*Marchionis* dubiæ fidei in infantibus reperitur ibid.
*Pulueres nitroſi* longe poſt ſe relinquunt pulueres Pannonicum & Marchionis 559
in colica, ſi vomitus ſuperuenerint admodum efficaces ſunt 845
- laudantur in aſthmate 284
- cinnabarini in deliriis & lipothymiis laudantur 601
*ſalino nitroſi* ad cruditates mucidas & ventriculi incommoda plus præſtant quam carminatiua 833
vid. *Nitrum*
*Puluis Iulii Palmarii* pro morſu canis rabidi laudari ſolet 943
*pannonicus rubor* in febribus ſudorem cohibet 798
*ſternutatorius* ad grauedinem expediendam 249
eius abuſus coryzæ cauſſa 244
*ſtomachicus Birckmanni* ſeu *Quercetani* laudatur in adpetitus defectu 818
*ſtypticus Muſitani* ad excreſcentias fungoſas laudatur 788
*ſympatheticus Dygbæi* in hæmorrhagiis laudatur 29. 48
in odontalgia 215
in phthiſi laudatur 307
- quo modo parandus 30
*Volckammeri* in calculo antiſpaſticam habet efficaciam 389
*Puncturæ* cum acubus, obeſos parum iuuant 13
*Purgans Barbette* in epilepſia 461
*Purgantia* pro diuerſitate temperamentorum ſunt eligenda 216
non conducunt in hæmorrhoidibus cæcis 87
non ſunt propinanda in tuſſi ſicca 274
damnantur in inflammationibus 178
in febribus lentis vitanda 566

*Purgantia* circa dies criticos peſſimi ſunt euentus 536
vehementiora maniacos in deterius deducunt 939
- grauidis abortum conciliant 987
in hydrope non ſecura ſunt 721
per quas vias aquam aſciticorum euacuent 722
*acria* nocent in fluxu menſium nimio 112
- raro in febribus conueniunt 475
*draſtica*, in primis *aloëtica*, in omnibus ſanguinis eruptionibus ſuſpecta ſunt 59
*fortiora* in vomica pulmonum non conueniunt 318
- cur in hæmorrhoidibus ſuppreſſis non ſint adhibenda 101. 102
- hypochondriacis non conueniunt 335. 336
- motus ſpaſticos ad interiora vocant 407
- non conducunt in rheumatiſmis 158
- ad nimiam corpulentiam remouendam damnantur 12
- nocent in plethora commota & ſpiſſitudine 217
- in conuulſionibus quando locum habeant 454
*Purgatio lunatica* quid ſit 108
Purgier=Pflaſter 366
*Purpura* alba & rubra quo modo differant 608
*alba* in Saxonia epidemice graſſatur 612
- puerperis in hac regione familiarior quam aliis 135. 579. 613. 1003
- cum febre petechizante ſæpius complicatur 592. 595. 614
- nonnunquam ad modum inſidioſe ſe gerit 617
- receſſio eius ſæpe eſt lethalis 614
*rubra* in hyſtericis ſchema ſuffocationis vterinæ ludit 612
- ex lochiorum ſuppreſſione oritur 135
- dyſenteriæ aliquando ſuperuenit 634
*vrticata* 607
*Pus*: vbi pus, ibi vlcus, falſum 297
*album* per vomitum eiectum quid de eo cenſendum 305
per vrinam ſecedens indicat abſceſſum glandularum meſaraicarum 543
euacuatio eius ex auribus cephalalgiam ſoluit 186
*Pyrola* ad vulnera pectoris laudatur 312. 317

Q.

*Quartanarii* vomitum cruentum interdum experiuntur 53
*Quartanarium typum* paroxyſmi] ſplenitidis obſeruant 548
*Quercetani pulius ſtomachicus* laudatur in adpetitus defectu 818
*pilulæ tartareæ* laudantur in cardialgia ſymptomatica 827

R.

*Rabies canina* 941
*Radix acaciæ* laudatur in odontalgia 217
*Radix acori* adulterni ſeu *pſeudo-acori* commendatur in hæmorrhoidibus tumentibus 85
- commendatur in hæmorrhagiis 30
- ſub lingua detenta laudatur in phrenitide 526
*angelicæ* laudatur in odontalgia 217
*ari* reſoluit & abſtergit 312
- præcipue commendatur in aſthmate humido 286
- ad ſudorem eliciendum commendatur 796
- laudatur ad euacuandam colluuiem ſeroſam 249
- zingiberi acrimonia ſimilis eſt 719
*Radix ari* commendatur in fluxu hepatico 103
- laudatur in ſuppresſione menſium 123
*ariſtolochiæ vtriusque* laudatur in carie dentium 215
*armoraciæ* in hydrope eximie ſe gerit 719
*aſari* pro emetico & diſcutiente ſcopo prodeſt 911
- in adfectibus ſpleneticis a nonnullis effertur 345
*aſparagi* in mictu cruento vt ſpecificum laudari ſolet 64
*bardanæ* laudatur in adfectibus ſeroſis 250
*biſtortæ* ad ſtricturam inferendam commendatur 170
- in angina laudatur 264
*bryoniæ* vſum habet in fluore albo benigno 767
- in infarctu lienis non improuide præſcribenda eſt 345
*ceruicariæ* laudatur in odontalgia 217
*chelidonii maioris* in ictero conducit 735
*chondrillæ* in hæmorrhoidibus cæcis facit quod poteſt 88
*cichorei* condita laudatur a *Stahlio* in infarctu hepatis 354
*colchici* a *Wedelio* in peſte laudatur amuletice 650

Radix

*Radix crocodilii* a *Michaële* laudatur in cephalalgia 189
*curcumæ* ſpecifice in ictero commendatur 735
*fabariæ* ſpecifice laudatur in hæmorrhoidibus tumentibus 84
*gentianæ veræ* diarrhœas contumaces tollit 847.836
- a carie præſeruat dentes 218
- rubræ pro morſu canis rabidi laudatur 943
*ialappæ* temperate euacuat 720
*imperatoriæ* commendatur in odontalgia 217
*iridis florentinæ* a carie præſeruat dentes 218
*ipecacoanhæ* præter virtutem emeticam ventriculum etiam roborat 873
- laudatur in dyſenteria a diæta inordinata inducta 639.642
- quando locum habeat in hæmorrhoidibus ſuppresſis 101
*Leuiſtici* commendatur in fluxu hepatico 103
- laudatur in ſuppreſſione menſium 123
*nigellæ* eſt ſubadſtringens 30
*oſtrutii* laudatur in fluxu hepatico 103
*petaſitidis* laudatur ad vulnera pectoris 317
*Radix petaſitidis* laudatur in ſuppresſione menſium 123
- in affectibus ſeroſis 250
*pimpinellæ albæ* valde temperata & tamen tenuium partium eſt ad penetrandum 693
reſoluit & diſcutit 179.250 537.630
- præſeruandi ſcopo in peſte laudatur 650
- pro morſu canis rabidi laudatur 943
*plantaginis* in peſte laudatur 650
- *aquaticæ* in hæmorrhoidibus tumentibus commendatur 84
*pyrethri* commendatur in odontalgia 217
*rhodia* egregie laudatur in cephalalgia & cephalæa 187.203
*rubiæ tinctorum* in paralyſi laudatur 898
- laudatur in carie dentium 213
*ſcrophulariæ* in hæmorrhoidibus cæcis facit quod poteſt 84.88
*ſymphyti maioris* laudatur in ſtaſibus repente congeſtis 174
*trifolii fibrini* ſpecifice laudatur in phthiſi 310
*valerianæ*: eius ſpecifica virtus

virtus in ophthalmia tanta non eſt 210
*Radix valerianæ* ab *Italis* ad pleraque venena laudatur 943
*vincetoxici* laudatur in adfectibus ſeroſis 250
*vuulariæ* laudatur in odontalgia 217
Naſe=Ader 939
*Raucedo* 250
differt a brancho 251
conſtrictio potius quam relaxatio arteriæ aſperæ in illa eſt 253
vnde oriatur ſecundum *Hippocratem* 554
prodromus eſt eroſionis faucium, vuulæ &c. 252. 783
feminarum menſium obſtructionem pro fundamento habet 254
infantum 1019
*Realgaris* ſeu ſandaracæ fumus in tuſſi tutus non eſt 310
*Recidiua tertianæ febris* quo modo præoccupanda 666
*Refrigerantia* hæmorrhagias narium ſupprimunt 40
reiiciuntur in hæmoptyſi 51
nocent in hæmorrhoidibus cæcis 87
in inflammationibus corruptionem poſt ſe trahunt 175. 375. 516
nocent in rheumatiſmis 158
in catarrho pectorali ad phthiſin & vlcera diſponunt 558
*Refrigerantia* in febribus lentis adhibita tumores œdematoſos producunt 566
in acutis ſcirrhos lienis cauſſantur 348. 357
*Refrigeratio repentina* poſt ſudores quid efficiat 481. 503
*Regimen diapnoicum* poſt V. S. in febre catarrhali maligna commendatur 599
*coactum* ſanguinem magis exagitat 11. 17
- in congeſtionibus nocet 144. 147
*Regurgitatio humorum* vehemens verſus caput quid efficiat 393
*Remedia calida & impetuoſa* damnantur 11. 17
- ad nimiam corpulentiam remouendam periculoſa ſunt 13
ſanguinem commouentia puerperis non ſunt propinanda 131
*Remedium domeſticum* in cephalalgia 187
*Ren ſiniſter* plerumque corrumpitur 372
*Renes & pulmones* inuicem ſibi prodeſſe & nocere poſſunt 312. 376. 382. 389
*calculoſi* ſemi-corrupti reperiuntur 379

*Renes* eorum conſpiratio cum vaſis ſpermaticis 62. 370
eorum læſio vnde dignoſcatur 568
eorum vlceratio vnde producatur 63
*Repellentia* præmature in hæmoptyſi adhibita phthiſin & hecticam inducunt 47
*acria* externa puerperis nocent 131
nocent in affectibus ſpaſtico arthriticis 407
*externa* in hæmorrhoidibus cæcis nocent 87
*Rerum non naturalium* cautus & ſcrupuloſus vſus fontem congeſtionum non attingit 148
*Reſina ialappæ* laudatur in tuſſi 271
*Reſoluentia* quænam conducant in inflammationibus externis 170
quid valeant in inflammationibus internis 546
commendantur in rheumatiſmis 156
poſt lipothymias conducunt 926
*Reſpirationis difficultas* vnde oriatur 8. 14
*interceptio* conuulſiones cauſſatur 451
*Retentio ſecundinarum* quo modo tractanda 998
*Retrouocantia* nocent in inflammationibus 178
*Reuellentia* in hæmorrhagiis commendantur 37. 48. 56
*Reuulſiones externæ* in fluxu menſium rebelli conceduntur 110
*Rhabarbarina* ad aluum ſoluendam in febribus infantum laudantur 1028
*Rhabarbarum* abſtergit & aliquid adſtringentis relinquit 338 641
reuocat dyſenteriam ſuppreſſam 643
poſt vomitum cruentum ordinandum 57
pro ſcopo purgante cholericis ordinandum 216
iracundis vt præſeruatiuum commendatur 517
ad aluum aperiendam in hæmorrhoidibus turgentibus laudatur 84
commendatur in fluxu hepatico 103
*Rhachitis* ab atrophia quo modo differat 361. 362. 364
quo modo tractanda 367
*Rhagades* 79
*Rheuma* quo ſenſu ab Hippocrate acceptum 150
*Rheumata arthritodea* quibus cauſſis ſuperueniant 479
*Rheumaticæ commotiones* iuratum receptum habent ad locum ſemel adfectum 156

*Rheumaticis congeſtionibus* viam ſternit apoſtaſis febrilis 552
*Rheumatiſmus* 140.142.149.241
eminus tantum hæmorrhagiam reſpicit 140.149.153
differt ab inflammatione 151
- ab arthritide 152.399
- a catarrho 152.241
- a ſtaſi mucido-ſeroſa 552
eſt congeſtio incompleta 140.142
febriculam qualemcumque habet comitem 241
non debet pro podagra interpretari 435
ex apoſtaſi febrili podagram inducere poteſt 429
ſimplex benignior eſt quam apoſtaſes febriles 156
non format abſceſſum ſtricte dictum 158
numquam eſt vtilis 149.150.155
ſtaſes pertinaciſsimæ indolis formare ſolet 151.155
frigoris & caloris volaticam variationem coniunctam habet 153
ſæpius a febribus oritur 154.156
ad interiora translatus periculoſi euentus eſt 155.156
*Rigores partium* podagricis eueniunt 431
*Riſus ſardonius* 391
*Riuerius* millefolii vſum in hæmorrhoidibus tumentibus per integrum menſem ſuadet 87
fumum realgaris ſeu ſandaracæ Græcorum pro tuſſi ſedanda laudat 310
eius exemplum de V. S. in pleuritico in dubium vocatur 536
*Rob diamoron* in angina ſanguinea laudatur 262
*Rob dianucum* in angina mucoſa laudatur 262
Röcheln auf der Bruſt 1019
Roſe 160.163
weiſſe Roſe 163
*Roſiones* vnde oriantur 143
Rothlauf 160
*Rubefacientia* in hæmorrhoidibus cæcis nocent 87
*Rubinus ſulphuris* non ad modum extollitur in tuſſi phthiſica 310
*Ructus* vnde exſiſtant 829
iis expoſiti ſunt hypochondriaci 327
in tympanite familiariter concurrunt 710
ſuppreſſi varia incommoda producunt 833
Ruhr: rothe und weiſſe 631

S.

S*Abina* ſpecifice laudatur in ſuppreſsione menſium 123
laudatur in tinnitu aurium 227

*Sabina* cachecticis non prodeſt 705
*Sabulum calculoſum* diſcerni debet a tartarea vrinæ concretione 377
*Saburra in primis viis* hypochondriacorum vt plurimum nulla eſt 336
*Saccharata* mucoſitatem augent & excretionem impediunt 277
in febribus non ita reiicienda ſunt 478
*Saccharum* : eius abuſus dentibus nocet 217
*roſarum*, vt anodynum laudatur in vomica pulmonum 319
*ſaturni* in aqua roſarum ſolutum laudatur in ophthalmia 210
- cum nitro in cryſtallos redactum laudatur in ophthalmia 208
*Sacculi carminatiui* puerperis ad flatus diſcutiendos conducunt 1009
*diſcutientes* laudantur in nephritide 375
- - in ſtaſi eryſipelacea 177
*Sal anglicanum* incidit & diſcutit 405
pro ſcopo laxante laudatur in malo pypochondriaco 333
laudatur in tuſſi hypochondriaca 273
ob virtutem reſoluentem & euacuantem in ictero laudatur 734
*Sal anglicanum* dolores dentium ſedat 218
*centaurii minoris* in clyſteribus laudatur pro ſtimulo 833
- flatus e ſuperioribus deriuat 841
*commune* phthiſicis immanem tuſſim prouocat 311
- ad adfectus faucium conducit 263
*digeſtiuum* mucoſitates in primis viis reſoluit, & diureſin promouet 197
Syluii non commendatur in febribus 665
*Sal*, quod lympham pinguem in obeſis coagulat, recentiores corrigere volunt 12
*marinum* de nitro participat 390
*vitrioli* diu in ventriculo hæret, & ſpasmos eo conuocat 828
- a *Langio* commendatur in apoplexia & catarrho ſuffocatiuo 905. 911
*volatile* externe laudatur in menſium ſuppreſſione 120
- ſiccum cum caſtoreo laudatur in otalgia 224. 225. 226
*Salia* in pectoris adfectibus caute debent adhiberi 278. 311

*Salia* cuiuis vlcerationi inimica ſunt 389
eorum generatio in corpore nihil ad morbos confert 19
*digeſtiua* in cardialgia interdum vomitum ſpontaneum excitant 828
*media* grauidis pro digeſtione commendantur 987
*vrinoſa* in angina exiguam opem adferunt 264
*volatilia* motum tonicum inducunt, & humores diffuſos in vnum locum comprimunt 198
- - non in humores, ſed in vias agunt 337
- orgaſmum ſanguinis & congeſtionem ad renes augent 375
- ſudores vel excitant, vel impediunt 483
- materiam acrem catarrhalem vehementius commouent 559
- in febribus adhibita tumores œdematoſos & aſciticos inducunt 31. 477. 489
- in acutis ſcirrhos lienis & hepatis cauſſari poſſunt 348. 352. 357
- in febre lenta periculoſa ſunt 566
- in hæmorrhagiis nocent 31
*Salia volatilia* ſuppreſſionem lochiorum cauſſantur 134
- in hæmorrhoidibus & menſibus ſuppreſſis prouide adhibenda ſunt 103. 122
- palpitationem cordis augent 294
- in adfectibus ſpaſtico-arthriticis dolorem oſteocopon relinquunt 407
- in rheumatiſmis & podagra ſtuporem inducunt 158. 896
- quid efficiant in cephalalgia 192. 198
- in hydrope viſcera indurata adhuc magis conſtringunt 718
moderate adhibita hecticis conceduntur 575
in vertigine commendantur 236
- poſt debitam humorum reſolutionem in cachexiâ ſunt adhibenda 706
- *vrinoſa* in ſpaſmis cum tinctura alca'ina mixta melius operantur 397
- - qua ratione in congeſtionibus exhibenda ſint 147
- - quid in coryza & grauedine faciant 246. 247
*Saliua*: eius reiectio præſeruatiue laudatur in peſte 650
*Saliuatio* quo modo inſtitueuda 785. 786. 787. 791. 792

*Saliuatio* quæ ſymptomata habeat 790
non poteſt inſtitui, vbi læſio viſceris adeſt ibid.
repeti poteſt in robuſtis 293
in hydrope nullo modo probatur 720
in malo hypochondriaco deteſtanda eſt 336
in ſcorbuto tamquam noxia prorſus reiicitur 759
in adfectibus arthritico-contractis fruſtra laudatur 409
ad corpulentiam nimiam remouendam temerarie ſuscipitur 12.13
commendatur in ſcabie venerea 743
*ſpuria Heluetii* periculoſa eſt 791
*Salmuthi exemplum* de copioſa excretione ſeri per nares adlegatur 243
*Salſa* in vlcerationibus maiorem vellicationem cauſſantur 311.324
*Sambuci cortex* fortiter euacuat 720
- medius laudatur in inflammationibus externis 170
*folia Weisbachius* commendat in hæmorrhoidibus cæcis 88
*Sanguis* ab *Helmontio* theſaurus & balſamus vitæ adpellatur 11
*Sanguis* eius penum natura non ex errore conficit 8
per cibos euchylos non ſervatur purus 20
eius impuritas differt ab illius corruptione 19
optimus & floridus per reſolutionem noxius euadit 22
eius mundificationes circa æquinoctia non ſufficiunt 21.22
transfuſio ſanguinis boni maſſæ ſanguineæ impuritates non remouet 22
a quibus cauſſis reddatur ſpiſſus 40
eius quantitas prius imminuenda, quam qualitas corrigatur 12.22.28
ſtagnans vel diſcuti vel exſiccari vel ſuppurari debet 167
eius adfluxus reſtaurationem apoſtematis facilitat 316
eius *orgaſmus* a quibus causſis inducatur, & quo modo tractandus 41.42
*craſis* quando peccat, quo modo corrigenda 41
- quantitas magis quam qualitas in congeſtionibus reſpicienda 146
- quantitas & ſpisſitudo peccant in palpitatione cordis 294

*Sanguinis craſis*, qualitas in hæmorrhagiis quo modo corrigenda 28
- ſpisſitudo ſæpius quam tenuitas & acrimonia eſt accuſanda 70
eius depletio vertiginis cauſſa 229.230.233.237
eius congeſtiones & reſtrictiones verſus caput quid deſignent 39
- translationes ad pectus quid deſignent ibid.
- excretiones extraordinariæ 24
- ſpisſitudo febres continuas rheumatico-inflammatorias profert 489
- euacuatio reliquis medicamentis in ſpaſmis præmittenda eſt 398
in pleuritide, peripneumonia, & hepatitide ad modum tenax eſt 537.546
*aſini* ad maniam ſedandam a multis commendatur 940
*criſtæ galli* quid efficiat 1030
*draconis* dentes a carie præſervat 218
- a *Volckammero* ſpecifice laudatur in dyſenteria 642
*hirci* vulgo exhibetur in paralyſi 898
- *exſiccatus* ad abſtergendum in hæmoptyſi laudatur 49
*Sanguis leporis* ſpecifice laudari ſolet in inflammationibus 179
*menſtruus* prima vice erumpens item ibid.
ægri toſtus } inſtar pulueris ſternutatorii in hæmorrhagiis effectum edere dicitur 30
*nigricans* in hæmorrhagiis vnde veniat 53
in vomitu cruento vnde veniat ibid.
*ἄνω* & *κάτω* ſimul reiectus periculum minatur 54.55
in ventriculum effuſus quando putreſcit dira ſymptomata adfert 55
*congrumatus* poſt vomitum cruentum in ventriculo reſtitans euacuandus eſt 57
neque optimus neque peſſimus per hæmorrhagias excernitur 31
*hæmorrhoidalis* æque bonus ac reliquus 68.75
per plures annos, ſenſim & perpetuo effluens in hæmorrhoidariis obſeruatus eſt 82
- cum vrina ſub forma vermiculari in mictu cruento excernitur 60.61
ex hæmorrhoidibus in mictu cruento proueniens vnde dignoſcatur ibid.

*Sanguis* eius iactura in mictu cruento non tam periculoſa eſt, vti in aliis locis 63
*menſtruus* non ſolum per vaſa vteri, ſed potiſſimum etiam per hæmorrhoidalia excernitur 111
non eſt venenoſus nec impurus ibid.
ex quo fundamento leges Moſaicæ eum impurum declarent ibid.
num grumoſitas eum cauſſetur 107
venenatæ eius qualitates pro cauſſa variolarum & morbillorum vulgo accuſantur 621
circa viſcera diu ſtagnans febrem quartanam, cachexiam &c. cauſſatur 839
*Sanguinei* quem modum edendi habeant 812
*Sanicula* colliquationem promouet, hinc in phthiſi & ad vulnera pectoris laudatur 312. 217
*Sapo purus* in reſoluendis & abſtergeudis mucoſitatibus efficax eſt 734
*Venetus* pro ſtimulo laudatur in clyſteribus ad paſſionem iliacam 851
externe laudatur in malo iſchadico 424
*Sapo Venetus* a *Boyle* in dyſuria laudatur 805
*Saponata* in œdematibus laudantur 696
*Sapores mille Hippocrates* cui conceptui anſam dederint 22
*Satietas repentina* ſub paſtu hypochondriacis euenit 327
*Saturnina* in inflammationibus externis circumſpecte ſunt adplicanda 173. 178
*Satyriaſis* 392. 396
*Scabies* 736
*humida* 736. 737
*ſicca* ibid.
*ferina* 738
*venerea* ibid.
*maligna* complicata dici mereretur 737
*repulſa*, quæ damna inferat 281. 451. 741
- quo modo expellenda 285. 744. 746
eius fermentalis indoles & contagii promtitudo vnde concludatur 748
in lue venerea & ſcorbuto eſt tantum ſymptoma ibid.
in ſenioribus cautiſſime tractanda 747
quartanæ ſuperueniens felicem febris decurſum promittit 670
*Scarabæi equini* ad procidentiam ani ab *Hartmanno* extolluntur 868

*Scarabæi maiales* a *Weikardo* in hydrophobia laudantur 943
*Scarificatio* in quibus ſubiectis & adfectibus adminiſtranda u ſucculentis ſcabioſis conducit 747
commendatur in aſthmate 287
laudatur in ophthalmia ſanguinea 208
tolerari poteſt in cephalalgia 192
*profunda* commendatur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 408. 425
eius omisſio rheumatiſmos cauſſatur 154
improbatur in hydrope 720
nullius vtilitatis eſt in malo hypochondriaco 335
in œdematibus facile ſphacelum inuitat 697
*narium* in apoplexia ſanguinea locum habet 903
- vel retro aures commendatur in phrenitide 524
- *Ægyptiaca* vbi locum habeat 190. 678
*Scelotyrbe* 751
*Scintillæ oculorum* quid deſignent 33
*Scirrhus* hydropem vel hecticam pro comite habet 356. 358
ad corruptionem magis ſphaceloſam diſpoſitus eſt 349. 358
*Scirrhus* dolorificus adhuc ſperare iubet 364
eius diſcuſſio vix exſpectanda 347. 349. 358
nonnumquam ex hepatitide & ſplenitide remanet 541. 550
*hepatis* 356
*lienis* 347
*ſanguineus* 350
*Scirrhi hepatis* vel *lienis* aſthma ſiccum ſuſtentant 285
*Scotodinia* 229
*Scorbutus* 749
natales ſuos debet plethoræ 34. 754. 758
quo modo differat a malo hypochondriaco & lue venerea 749. 750
occupat aliquando hypochondriacos & quartanarios 753
nomen ſuum in omnibus adfectibus ignotis dare debet 758
neque breuem neque continuam medicationem perfert 760
non admittit fortiora abſtergentia, ſed temperantia 758
*Scorbutici* nonnumquam vomitum cruentum incurrunt 53
Schaden erſtickte 178
Schaarbocks-Kraut nomini non reſpondet 88

Scharlach=Fieber 508
*Schellhammerus* venæ ſectionem in vomica pulmonum ſine læſione conſcientiæ non prætermittendam ſtatuit 319
opinio de V. S. ad ſtaſes inflammatorias diſſoluendas 174
eius obſeruatio de terreis abſorbentibus 600
*Schenckius* in mictu cruento commendat millefolium flore albo 65
Schielen 1023
Schlag=Waſſer in lipothymiis improbantur 760
Schmertzen, welche keine Federn vertragen können 182
Schwaden 961
*Scordium* præ omnibus alexipharmacis laudatur in febribus 473
*Scorzonera* delet venenum per morſum ſerpentum communicatum 599
*Scrofuli* de infarctu glandularum meſenterii teſtantur 363
*Scrofuloſi* tuſſi ſiccæ ſuccumbunt 269
*Scrophulariæ radix* ſpecifice a *Wedelio* laudatur in hæmorrhoidibus tumentibus 84. 88
*Scroti tumor* ſequitur hæmorrhoides externas turbatas 72
*Sebeſten* non conducunt in tuſſi 270
*Secundinæ retentæ* fluxum lochiorum excedere faciunt 125. 127. 128
quomodo promouendæ ſint 128. 998
earum *concretio* 983
*Secundinarum apertio* ab oſtetricibus non facile tentanda eſt 1001
- puluis vel ſpiritus a multis ad philtra celebratur 953
*Sedum vermiculare minus Weisbachius* commendat in hæmorrhoidibus dolentibus 88
in expeditione Danica vt emeticum in paralyſi ſcorbutica expertum eſt 760
See=Kranckheit 869
*Segmenta pinea* fornaci impoſita aſthmaticis leuamen adferunt 287
*Semen aquilegiæ* laudatur in ictero 731
*carthami* temperate euacuat 720
*cardui Mariæ* egregie temperat & inflammationes præcauet ac mitigat 560
- ad pectoris inflammationes ſpecificum eſt 1, 9. 316 535. 536

*Semen hyoſcyami* palliatiue odontalgiam ſedat 215
*lini* valde mucidam reddit conſiſtentiam humorum 844
*naſturtii* laudatur in ictero 731
*ſinapios* digeſtionem promovet 238. 841
*ſtaphys agriæ* commendatur in odontalgia 217
*violarum* in vrinæ vitiis a *Cratone* & *Hoffmanno* laudatur 805
*vrticæ vrentis Michaëlis* ſpecifice laudat in aſthmate 287
*Semina diuretica* in cachexia caute ſunt adhibenda 706
*frigida* nauſeam & ſpaſmos in febribus bilioſis augent 517
- phthiſicis non conducunt 311
*Senes:* eorum hæmorrhagiæ narium quo modo conſiderandæ 35
aſthmate humido plerumque laborant 281
ſalia minus tolerant 384
*podagrici* ad ſeram ſenectutem viuere ſolent 431
ad mictum cruentum contumacem procliues ſunt 62
*Senna* ad aluum ſoluendam infantibus poteſt adhiberi 1028
hypochondriaco - hyſtericis moderate adhibenda 338
*Senſibilitas* ſubiecti multum valet ad morbos fouendos 4. 367
inter cauſſas occaſionales mali hyſterici refertur 330
*animi* in parturientibus 995
*Septica* nocent in hæmorrhoidibus cæcis 87
*metallica chirurgorum* damnantur in lue venerea 793
*Serpigo hæmorrhoidalis* 79. 82. 83
*Serpillum* laudatur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 408
*Seruus podagricus* factus eſt, qui ocreas domini podagrici induit 435
*Setacea* veteres commendabant in cephalæa 201. 203
fluxus catarrhales cum incommodo intercipiunt 247. 248
in ophthalmiis conſtantem ſui vſum exigunt 209
neglecta congeſtiones cauſſantur 141
*Setæ ſuillæ* ad hæmorrhagiam narium prouocandam laudantur 189
*Sexus dignotio* in grauidis fallit 982
*femininus* num hæmoptyſi magis obnoxius ſit quam virilis 45
*Siccitas faucium*, mox poſt potum rediens, vnde veniat 164

*Sideratio* ſeu ſphacelus meningum ex phrenitide ſuccedit 522
*Sideritis* laudatur in paralyſi & pleuritide 536. 897
*Sinapi* fermentationem promovet, & viſciditatem ventriculi reſoluit 826
commendatur in tuſſi 278
*Signaturæ veterum* laudantur in hæmorrhagiis narium nimiis 37
*Sinapiſmi* commendatur in hæmorrhagiis 37. 48
*Sinapiſmus Sennerti* laudatur in ophthalmia 208
*Singultus* 443
rebus terrificis compeſcitur 444
*Singultus* per exſpirationem cohibitam ceſſat 445
in morbis acutis, præcipue circa dies criticos eueniens, lethalis eſt 445. 471. 512. 528. 542
- quo modo poſſit præcaveri 446
teneſmo ſuperueniens periculoſus eſt 865
colicæ ſuperueniens mali ominis eſt 445. 839
*chronicus* quo modo debeat compeſci 447
*Singultuoſa febris* 501
*Siriaſis* in teneris lethale ſignum eſt 1030
*Sitis* cur in malignis ſit moderata 588
*clamoſa* quid ſit 508
*Smaragdus vera* laudatur in animi pathematibus 293
*Soda* 820
*Soldanella* temperate euacuat 720
*Solitudinis amor* in feminis quid deſignet 114
*Solſtitia* hecticis periculoſa ſunt 571
Sommer-flecken 751
*Somnia anxia* vnde oriantur 7. 14. 33. 930
*Somnus* puerperis eſt concedendus 1007
*podagricorum* cum pauoribus coniunctus eſt 420. 427. 431
ei valde dediti ſunt hypochondriaci 327
*Saporiferum correctum* in mania locum habere poſſet 939
*Soporoſi adfectus* 913
in febribus periculoſi ſunt 471
*Sorbi* exſiccati in aluo nimis laxa & diarrhœa contumace laudantur 881
*aucupariæ* fungi in dyſenteria laudantur 642
*Spaſmus* 390
quo modo differat a conuulſione 393. 394. 448
repentinus & lentus 393
muſcularis & fibrillaris 393

*Spaſmus fixus Paracelſi* 393
- ex colica per opium tractata ſuccedit 845
*cynicus* facile degenerat in conuulſiones 391. 395
in *occipite feminarum* 391
in œſophago & ventriculo deglutionem impedit 392
*flatulentus* 392. 393
*thoracis* 392
*veſicæ* 392
*Spaſmi* in lumbis, circa ilia, inguina præcedunt mictum cruentum 60
*vehementes* in febribus periculoſi ſunt 471
- cum veris conuulſionibus conſpirant 394. 395
ſunt motus erronei, non tamen irrationales 394
in acutis & vulneribus ſunt periculoſi 393
in adfectus ſpaſtico - arthriticos ſæpe mutantur 395
*Spaſmi particulares* 391
in conuulſiones facile transmigrant 395
- ad ſcopum naturæ non perueniunt 395. 402
quo magis a loco excretionis ſanguineæ remoti ſunt, eo pertinacius inſiſtunt 402. 430
per anodyna opiata non ſunt tractandi 17
eorum obluctatio contraria in hemicrania obſeruatur 412
eorum confuſiones vulgo pro cauſſa febrium habentur 468
*Spaſtica ſtrictura* in inteſtino recto cannulam clyſticam non admittit 392
*Spaſticus dorſi adfectus* pro nephritico non eſt declarandus 409
*Spaſtico-arthritici adfectus* 394 398
*Spaſtico-conuulſiui adfectus* 394
*Spaſticus ſenſus* in thorace, ſcapulis & hypochondriis hæmoptyſin minatur 34
Speck-Beulen 783
*Species de hyacintho* in effera hæmoptyſi laudantur 48
laudantur in omni fluxu nimio 131
*diaturbith* cum rhabarbaro vehementer & incommode vermes expellunt 858
*ſpecifica* poſt generaliora ſunt exhibenda 397. 454. 459
*antepileptica* 460. 461
*antifebrilia* magis optanda quam ſperanda ſunt 478
*antiſplenetica* 343
in *colica* 846
quando in *congeſtionibus* locum habeant 148
contra *corpulentiam* nimiam nulla ſunt 12

*Specifica conuulſiuos motus* facilius compeſcunt quam ſpaſticos 398
*domeſtica* in variolis improbantur 628
in *hæmorrhoidibus* fluentibus quid faciant 86
- - cæcis, quid de iis obſeruandum 88
in *inflammationibus* effectui non reſpondent 179
in *melancholia hypochondriaca* 934
in *menſium fluxu* nimio adhibita nocent 112
in *phthiſi* 310
ad *ſpaſmos* nullius ſunt vſus 397
in *vrinæ incontinentia* 808
*Sperma ceti* in ſuffocationis periculo commendatur 286
laudatur in mictu cruento 64
*Spermatica* vaſa in nephritide ſimul adficiuntur 370
*Spermatis abundantia*, quæ conuulſiones cauſſatur 453. 442
*Sperniola Crollii* in phthiſi ſpecifice commendatur 310
Spey = Kinder, gedeyh = Kinder 814. 1028
*Sphacelus* 167. 169. 170
paſſioni iliacæ ſuperueniens, dolores quidem ſoluit, ſed mortem adfert 848
paralyſin plenariam excipit 891. 895
*Sphacelus* materiæ bilioſæ inſequutus quibus indiciis dignoſcatur 511
meningum ex phrenitide 522
eius corruptio rupta vnde dignoſcatur 543
ex eryſipelate natus 169
*Sphincteris veſicæ* ſtricturæ ſpaſticæ vehementer ſæuiunt 392
*Spina ceruina* ad aluum expediendam infantibus poteſt exhiberi 1028
*Spirituoſa* in ſpiſſitudine ſanguinis magis exagitant 17
poſt hæmorrhagias non conueniunt 20
*fortiora* vulgo in lipothymia adhibentur 925
*balſamica* in cephalalgia caute ſunt adhibenda 189
*Spiritus acidi* in febribus laudantur 477
*acidus formicarum* præcellens antiparalyticum eſt 897
- poſt principia in motibus ſpaſtico - arthriticis adhibendus 409
*ardens* poſt adſumtos cibos catarrhoſis in vomitu commendatur 250
*cochleariæ* nocet in ſcorbuto 760.
in ſtomacace externe locum habet. 761
*C. C.* in acutis copioſe ingeſtus

ſtus œdemata adducit 68. 691
*Spiritus fuliginis* vulgo exhibetur in paralyſi 898
*odoriferi* in ſiriaſi fruſtra adhibentur 1030
*oleoſi* in apoplexia laudantur 905
*nitri* lapides in pollinem reducere creditur 387
- *dulcis* potens diureticum eſt 804
- *acidus* in maiore copia corroſiuus eſt ibid.
*ſalis ammoniaci* laudatur in grauedine 557
*ſerpilli* laudatur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 408
- laudatur in paralyſi 897
- - in cephalalgia 189
*ſulphuris per campanam* non reiicitur in febribus malignis 590
*tartari* tartareas concretiones diſſoluere creditur 387
*vini* laudatur ad tuſſim ſtomachalem 277
- non roborat ventriculum, concoctionem autem promouet 958
- debet eſſe rectificatiſſimus in rheumatiſmis 158
- aquoſior adfectibus eryſipelaceis inſigniter nocet 1015
*camphoratus* qua cautela in inflammationibus adhibendus 177
*Spiritus camphoratus* commendatur in rheumatiſmis 157
- - laudatur in cephalalgia 187. 197
- - in cephalæa 203
- - ad oculorum pericula in variolis & morbillis auertenda 626
- - *crocatus* præ reliquis externis laudatur in motibus ſpaſtico-arthriticis 405. 408
- - laudatur in angina 261
in empyemate 323
*vitrioli* non reiicitur in malignis 590
- non prorſus reiicitur in ſtomacace 762
- minus ſecure adhibetur ad cauterisationem in carie dentium 215
*vrinoſi* ſtupidum rigorem relinquunt 407
*Spiſſitudo humorum* eſt cauſſa congeſtionum 142
& *acrimonia* non æque in vno ſubiecto conueniunt 754
*ſanguinis* 13
- paucis diebus non poteſt auferri 15
*Splen* in motibus hæmorrhoidalibus ſimul adficitur 76
*Splenitis* 500. 547
in ſcirrhum transmigrat 550

*Spodium* commendatur in ophthalmia ſeroſa 208
Spör=Aepfel 881
*Sputum cruentum* quo modo differat ab hæmoptyſi 43
quo modo tractandum 49
primarium ſignum peripneumoniæ eſt 45. 531. 534
*purulentum* diſcerni debet a materia pultacea in tuſſi ſimplice 288
- phthiſeos conſummatæ certiſſimum ſignum eſt 299. 304
*Squilla* humores ad euacuationem egregie præparat 275
*Stagnationes* & *ſtaſes* differunt a congeſtionibus 139. 144
*Stahlius* eius *mixtura tonico-nervina*, *puluis antepilepticus*, *pilula*, *eſſentia alexipharmaca*. Videantur ſuis litteris.
*Staſis inflammatoria* a congeſtione oritur 144. 167. 170
*mucido-ſeroſa* differt a *ſtaſi* virente, rodente, venerea, vlceraſcente 552
- liber manet a febre 553
*eryſipelacea* tota eſt diſcutienda 177
eius diſcusſio quo modo a natura inſtituatur 540
ſuppuratio ſymptomata reddit grauiora 540
quæ neque diſcuti, neque ad maturationem duci poteſt, per ſectionem aperienda eſt 174
*Steatomata* vnde 793
Stech=Körner 536
Stein: wenn es drückt wie ein Stein im Leibe 392
*Stercus gallinaceum* in ictero nullius vtilitatis eſt 734
*ſuillum* ſeu *equinum* in hæmorrhagiis commendatur 31
*Steriles* plerumque feminæ, quæ fluxum menſium non experiuntur 118
*Sterilitas* ſuccedit, quando vterus non ſufficienter purgatur 129
a fluxu menſium nimio 109
feminarum obeſarum thermis & acidulis nonnumquam adfertur 13
*Sternutatio*: quæ ſint eius cauſſæ 244
humiditatem immobilem fluidam reddere vult 251
deficiente niſu parturientibus ordinatur 995
*Sternutatoria* quando in adfectibus ſoporoſis locum habeant 918
in epilepſia adhibita cauſſantur dolores capitis & alia mala 462
*Stillicidium vrinæ* 806
*ſanguinis* per quinque dies obſerua-

ſeruatum eſt in hæmorrhoidibus externis 86
*Stimulantia*, in menſium ſuppresſione noxia ſunt 122
conceduntur in lochiorum ſuppresſione 136
damnantur in hæmorrhoidibus cæcis 87
*Stomacace* 752
*Stomachi* vitium vertiginis cauſſa 234. 235
*Stomachica* amara ad tonum roborandum efficaciſſima ſunt 827
*Strabiſmus durabilis* ex diſtorſione oculorum 458
*infantum* - 1023
*Strangulati* quando & quo modo reſtituendi 967. 968
*Strangulatio hyſterica* 328
*Stranguria* 798
& ſuppreſſio vrinæ temporaria in grauidis 981
*Stria ſanguinea* in excrementis quid denotent 68
*Stridor dentium* in febribus acutis mortem præſagit 215
*Strobili pini* laudantur in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 408
*Stulti* per vincula & verbera non curantur 933. 940
*Stupha Laconica* ad ſudorem eliciendum conducit 797
*ſicca* ad ſudorem commendatur 721
*Stuporis ſenſus* vnde oriatur 143. 144
*Styptica* hæmorrhagias narium ſupprimunt 40
*Subadſtringentia* in effera hæmoptyſi conceduntur 51
- in vomitu cruento 56
- in fluxu menſium rebelli 110
- in hæmorrhagia vterina 111
*Succinum* ſanguinem ſucceſſiue attenuat 123
habet aliquid tonici, eſt diuretico-diſcutiens 189
laudatur in fluore albo benigno 766
ſine ſeparatione ſuæ ſubſtantiæ commendatur ad motus ſpaſticos 397
eius adpenſio in coryza & grauedine nullius effectus eſt 247
*Succinata* in catarrhis ſimplicibus, non autem febribus conducunt 558
*Succus citri* vt ſpecificum contra nimiam obeſitatem fruſtra adhibetur 12
- *berberum, ribium* in hæmorrhagiis commendantur 28
*betulæ* ſcabiem corpori conciliat 748
*vrticæ* in mictu cruento ſpecifice laudatur 64. 65

*Succi aciduli* ad ſitim mitigandam commendantur 317
*Sudatio* non autem diaphoreſis, ſaliuationem impedit 792
in libero lecto, mit Spriegeln, in lue venerea præfertur 789
*Sudatoria* cura quo modo inſtituenda 785.786.789
*Sudationes moleſtæ* in ſcabie ſunt inſtituendæ 746
quibus remediis comode in hydrope promoueri queant 720.721
*coactæ* icterum exacerbant 734
- in febribus lentis vitandæ 566
frequentes in corpulentia nimia temere inſtituuntur 13
in paralyſi nocent 898
in tuſſi non habent locum, niſi materia ſit ſublata 274
*Sudor Anglicanus* 479.647
*frigidus* in febribus biliosis mali ominis eſt 512
in *fronte* poſt antepilepticorum vſum ſalutaris 462
*hæmorrhoidalis* 79
ad febris reſtitutionem omnino requiritur 470
eius retardatio protrahit febres ibid.
in febre tertiana ad modum ſalutaris 661
febris lentæ cum hectico ſudore non debet confundi 576
largus in febre ephemera hanc ſoluit 481
*ſanguineus* 24
*ſpontaneus* copioſus hepatitidem ſoluit 541
ſymptomaticus noxius eſt 470
*Sudoris vitia* 794
*Sudores* citius erumpentes turbant febrem 595
*infantum* repulſi conuulſiones cauſſantur 798
*hectici* paſſiui ſunt 795
- adſtringentibus & anodynis non ſunt adgrediendi 575
*colliquatiui* de phthiſi & hectica conſummata teſtantur 300.304.569.571
- in febre lenta quo modo tractandi 566
*nimii* per adſtringentia non ſunt tractandi 796
- in variolis non ſunt bonæ notæ 624
*ſuppreſſi* quæ damna adferant 795
*Sudorifera* ad venenatam malignitatem de corde propellendam non ſunt ordinanda 558.559
in plethoricis vertiginem & aluum adſtrictam cauſſantur 672
in angina ſymptomatica non conueniunt 265

*Sudoriferum regimen* in ſcorbuto nullius vtilitatis eſt 759
*Suffimigia* laudantur in hæmorrhoidibus tumentibus 84
- in ontalgia 225
- in adfectibus ſpaſtico-arthriticis 409
- in fluore albo effectum discuſſorium præſtant 768
*Suffocatio hyſterica* 108. 328
a lochiis ſuppreſsis 135
*Suffocationes cardialgicæ* feminarum 117
*vterinæ* a conuulſionibus vterinis differunt 449
*Sulphur* laudatur in inquinamentis repulſis 285
eius flores in receſſione ſcabiei commendantur 745. 746
laudatur in adfectibus pectoris catarrhalibus 275. 276
eius fumus laudatur pro tuſſi ſedanda 310
in inflammationibus internis ſub initium & in declinatione efficax eſt 547
pauca eius grana in hydrope non reiiciuntur 718
in manatione aurium prouide debet adhiberi 228
intertrigines repellit 1030
poſt variolas periculoſum eſt 629
nocet in hæmorrhoidibus cæcis 87
*Sulphur* nullum vlcus curat, hinc in phthiſi non quadrat 309
*antimonii auratum* mirifice & momentanee catarrhum ſuſpendit - 913
*crudum* in malignis non commendatur 590
*Sulphurea acria* infarctibus occaſionem præbent 336
*ſpirituoſa* in hydrope calorem hecticum inducunt 718
*Superfœtatio* 984. 990
*Suppreſſio* hæmorrhagiæ narium 39
*hæmorrhoidum* 90
*menſium* 116. 117
*lochiorum* 133
*febrium* intermittentium infarctus hepatis & lienis inducit 355
*Suppoſitoria* ſtimulantia nocent in hæmorrhoidibus ſuppreſsis 101. 102
*Suppuratio ſtaſeos* inflammatoriæ quo modo tractanda 265
differt a vomica 313
*Surditas* 219
in acutis delirium aut hæmorrhagiam portendit 223
ex metaſtaſi materiæ paraphreniticæ ad aures prouenit 228. 528

*Suſpiria hypochondriacorum* profunda quid intendant 330
lipothymicorum poſt excitationem quid velint 926
anheloſa *melancholicorum* quid velint 932
*Suſurrus aurium* 219. 224
*Sutorianum cauſticum* 172
*Sycoſis* 79
*Sydenham* hecticis & phthiſicis equitationem commendat 311. 565
tuſſim infantum & puerorum per purgantia expugnare docet 278
eius morbus, qui calculum mentitur 329
- obſeruatio de ſanguinis conſtitutione in inflammationibus 545
- methodus tractandi paſſionem iliacam 852
- - de V. S. larga & repetita in pleuritide & peripneumonia reiicitur 536
*Sympathetica* in odontalgia incerta ſunt 217
*cura* febrium per cancrum fluuiatilem ſine omni effectu eſt 666
- in ictero rarius effectui reſpondet 735
*Symptoma* quid ſit 1. 496
*Symptomata* medicum non debent deducere in errorem 476. 582
*Symptomata* febrium periculoſa 471
eorum diſſimulatio in malignis periculoſa eſt 582
*Synanche* 255
*Syncope* 919
quo modo ab appolexia differat 899
ab hæmorrhagiis periculoſa 923
in puerperis 1006
a lochiis ſuppresſis 135. 136
*Syncoptica grauidarum* debilitas 982
*Synochus putrida* 484
*Syrupus althææ* in vrinæ vitiis adhibetur 805
de *eryſimo Lobelii* & *liquiritiæ* laudantur in raucedine 253
*ſcelotyrbicus Foreſti* in ſcorbuto tutus eſt 761

T.

T*Abacus* vomitorium & alterantem effectum habet 911
eius vſus mediocris aſthmaticis commendatur 287
- ſuccus in ſtomacace traumaticum edit effectum 762
- - vel decoctum mundificandi ſcopo laudatur in ſcabie ferina 743
- folia maſticata contra nimiam obeſitatem fruſtra commendantur 12

*Tabacus*

*Tabacus*, fumus vulgo commendatur in odontalgia 218
- quid efficiat in coryza & grauedine 244. 247
eius extractum tuſſim pectoralem & chronicam ſedat 276. 297. 572. 307
*Tabes* fluxum menſium excedentem ſequitur 109
quo modò ei ſuccurrendum 573
Tacken 79. 981
*Tali leporum* in ſpaſmodica renum conſtrictione ſpecifice laudantur 805
*Tamariſci ligni pocula* num quid proſint in infarctu lienis 346
*Tarantiſmus* 941. 944
*Tartarea vrinæ concretio* non debet pro ſabulo calculoſo reputari 377. 382
*Tartarus tartariſatus* ad infarctum lienis ordinatur 342
*vitriolatus* ex puluere bezoardico remouendus, quando diarrhœæ adſunt 557
*Ταράξις* 205
*Temperamenti mutatio* fit per febres lenteſcentes 471
*Temperantia* poſt hæmorrhagiam male ſuppreſſam ſuadentur 30
in hæmorrhagia vteri pellentium vſum ſupplent 996
*nitroſa* in anguſtiis præcordiorum efficaciſſime eueniunt 827
*Temperantia nitroſa* faciliorem partus ſucceſſum promouent 1001
*Tempora morborum* ſemper reſpici debent 6
*Teneſmus* 863
ſpasmis adnumeratur 392
*hæmorrhoidalis* 68. 80
*Tenſiones* ſunt acerrimæ dolorum ſpecies 143
*Terebrationem* capitis veteres commendabant in cephalæa 201
*Terra catechu* in angina effectum habet adſtringentem 263
*Terræ bolares* nocent in hæmorrhoidibus cæcis 87
*ſigillatæ* in vomica pulmonum non conueniunt 319
*Terræ motus* peſtem cauſſari poſſunt 645
*Terror* conuulſiones prouocat 451
*Teſtæ ouorum* calcinatæ in vrinæ vitiis laudantur 805
*Teſticulus equinus* ad hæmorrhagiam vteri commendatur 1002
*Tetanus* 390
*Thee* nimis ſaturatum adſtringit 333. 862
num hæmorrhoides ſupprimat 94

*Thee* ordinatur in nephritide & calculo 374.385
*Theriaca* antiquorum diuinum remedium fuit in peſte 648
in febribus plus damni quam auxilii adfert 587
commendatur in vitiis ſudoris 798
pro ſcopo anodyno in cardialgia commendatur 826
in vlceratione œdematis ardorem excitat 697
in inflammationibus internis non conuenit 547
*cæleſtis* laudatur in cephalalgia 187
*Thermæ* obeſis ſalutares obſervantur 13
in ſpiſſitudine ſanguinis commendantur 17
laudantur in rheumatiſmis 158
in atrophia non contemdæ 367
in infarctu lienis quando ſuanendendæ 346
num phthiſicis ſuadendæ, medici disſident 311
in palpitatione cordis non reiiciuntur 294
aliquid præſtant in coryza & grauedine 248
in nephritide 375
in cacochymia circumſpectione indigent 23
in œdematibus cautelam poſtulant 696
earum abuſus aſcitem adfert 711.719
*Wolckenſteinenſes* ſcabiem inducere ſolent 748
*Thonerus* per iulapia acidulata magnam ſibi exiſtimationem peperit 590
*Thori vſum præmaturum* puerperis ſacra ſcriptura interdicit 132
*Thymus* 79
*Tinctura antimonii tartariſata* ad correctionem ſanguinis & lymphæ laudatur 58.396
adultis non autem infantibus conducit 1028
in rhachitide laudatur 368
*antiphthiſica Grammanni* nullivs boni effectus eſt 309.575
*Tinctura antiphthiſica* in febribus lentis & hecticodeis ſcirrhos hepatis cauſſantur 357
*bezoardica* camphora & opio inquinatæ inflammationibus internis non conueniunt 547.648
*Tinctura coralliorum* commendatur in effera hæmoptyſi 48
*lacca* in odontalgia laudatur 217
*martis aperitiua Ludouici* ad tonum ventriculi roborandum laudatur 566.827

*Tinctura*

*Tinctura martis aperitiua Ludouici* vt ſubadſtringens laudatur in mictu cruento 64
- - in hæmorrhoidibus internis 75
- - in hæmorrhoidibus albis 100
*odontalgica Mynſichti* 217
*opii Langeloti* laudatur in mictu cruento 64
ſalis tartari, vel antimonii laudatur in congeſtionibus 147
*terra catechu* vt ſubadſtringens laudatur in effera hæmoptyſi 48
- - in mictu cruento 64
*Tinea infantum* 1020
*Tinnitus aurium* 33.219
quo modo tractandus 225
*Tonica* cum lenibus anodynis laudantur in fluxu menſium nimio 110
- in hæmorrhagia vteri 111
*Tonica martialia* quando in hæmorrhoidibus ſuppresſis adhiberi debeant 102
*Tonicum optimum* eſt motus corporis 37
*Tonus veutriculi* per ſtomachica reſtaurandus eſt 437.827
*Topica* commendantur ad eryſipelas 173
- in cephalæa 203
- ad tumores pedum 706
in mictu cruento nullum effectum exhibent 66
*Topica* in pleuritide maiorem ſpem diſcusſionis faciunt quam in peripneumonia 531
in vomitu cruento ſunt fugienda 58
in incremento & ſtatu congeſtionum nocent 147
*emollientia* & roborantia in atrophia vitanda 367
*frigida* in ſimplice infarctu ſcirrhum cauſſari poſſunt 348.351.357
qua circumſpectione adhibenda in ſcirrhis 354.360
*ſicca* loco V. S. adhibenda in rheumatiſmis 158
*Tophi* differunt a vomica 313
*pulmonum* vnde exſiſtant 296. 300.301.304
peculiari folliculo incluſi mortem non accelerant 305.315
ex adſtringentium vſu 407
*Tortura* podagricos dolores ſuperat & profligat 143
*infantum* 1025
Todten=Brüche 178
*Tractiones* vnde oriantur 143
*Tragea veterum* quid præſtent in coryza & grauedine 249
*Transfuſio* ſanguinis boni inquinationes eius non remouet 22

*Transplantatio* odontalgiæ quo modo inſtituenda 217
*Tranſpiratio* placida commendatur poſt incongruam venæ ſectionem 175
vim vnitam materiæ peccantis latius diſſipat 584
*Traumatica* pulmones ſtringunt & materiam profundius infarciunt 278
febrem lentam in hecticam promouent 566
commendantur in vomica pulmonum 317
- in calculo 385
*Tremor artuum* 886
*Trepanatio* quando in cephalæa locum habeat 204
*Trifolium fibrinum* in ſcorbuto commendatur 761
*Triſtitia* ſanguinem reddit ſpiſſum, & ſimul naturam facit abiectam 40
*Trochiſci alhandali* laudantur in tuſſi 271
*de carabe* laudantur in mictu cruento 64
- in fluxu lochiorum nimio 129
*Tumor* dolores ſpaſtico-arthriticos mitigat 400
*abdominis* & *pudendorum* in puerperis 1006
*malarum* odontalgiam ſoluit 214
*Tumores bubonodei* cum ſcabie venerea & lepra familiariter concurrunt 739
*Tumores calidi* per incongrua diſcutientia in frigidos mutantur 691
*œdematoſi* poſt tertianas & quartanas 662. 665
- poſt febres per apoſtaſin formati 691. 692
- ex ſtaſi eryſipelacea 179
- phthiſi ſuperuenientes lethales ſunt 304
- hydropici a mictu cruento incongrue cohibito 63
*pedum* in grauidis 981
*phlegmonodes* poſt dolores dentium 177
poſt podagram quibus temperamentis eueniant 431. 432
*Tuſſis* 266
eius cauſſa 302. 312
differt ab aſthmate 379
non omnibus communis eſt 208
ob ſalutarem finem opiatis non eſt ſopienda 312
diuturna non ſemper phthiſeos ſignum eſt 270. 298
non ſemper & perpetuo 477
ad hecticam pertinet 569
a vitriolicis exaſperatur 466
certis horis ſe exſerens obſtructionem viſceris ſuſpectam reddit 270

*Tuſſis* eius ferocia quo modo compeſcenda 317. 318
*catarrhalis* ſeu *ferina* 266. 270. 600
*clangoſa* & *ſonora* eſt ſignum hæmoptyſeos 44
*habitualis* a phthiſica ſicca quo modo dignoſcatur 268
- eroſionem pulmonum inducere poteſt 270
- quo modo tractanda 277 278
poſt *hæmoptyſin* remanens 46. 49. 51
*humida* cum phthiſi ſolet confundi 303. 304
in ſiccam tranſiens non eſt boni ominis 270
- non ſemper totos pulmones occupat 276
- ſequitur hæmorrhoides ſuppreſſas 72
*hypochondriaca* 267. 273
vaga ſcirrhum in hepate ſuſpectum reddit 270
*infantum* 1019
- & *puerorum* quo modo ſecundum *Sydenhamum* expugnanda 278
pectoralis 266. 269
periodica 270
*phthiſica* 268. 272
*pulmonalis* cedit extracto tabaci 297
*Tuſſis* a *ſcabie repulſa* quo modo tractanda 275
*ſicca infantibus* ſub dentitione familiaris 269
- iuuenum diuturna ſuſpecta eſt 270
- *grauidarum* 975
- abit interdum in ferinam 270
ſicca & ſonora tophos pulmonum prodit 300
cum *ſputo colorato* in pleuritide & peripneumonia obſeruatur 530
*Stomachalis* humida & ſicca 267. 273
*Stomachico pectoralis* 273. 277
*valida* in febre catarrhali benigna quo modo mitiganda 556. 557. 560
*vehemens* hæmoptyſin non ſtatim cauſſatur 46
*vernalis* mitior quam *autumnalis* 270
*Tuſſiendi conatus* excuſſorius tuſſim magis introducit 276
*Turis vaporem Deckerus* in coryza & grauedine laudat 246
*Tutia* commendatur in ophthalmia ſeroſa 208
*Tympanites* 707
ſpasmis eam accenſere contra rationem eſt 721
a lochiis ſuppreſſis 135
*Typhodes* 500

V.

*Vapor* turis & aceti circumſpecte in coryza adhibendus 246. 247
*Vapores acres* irritant aſthma ſiccum 281
*corroſiui* minerales ſulphurei quæ mala producant 46. 47. 299. 960. 961
*Varices grauidarum* 980
interdum rumpuntur 24. 988
*Vaſorum lymphaticorum ruptio* quid ad hydropem conferat 712
*Variolæ* 617
non vno tempore erumpunt; poſteriores ſæpe conuulſiones cauſſantur 629
nonnumquam conuulſiones eas præcedunt 450
puſtulas ſesſiles exhibentes ſunt periculoſæ 623
deſiccatæ vitæ iacturam adhuc inferre poſſunt 622
confluentes periculoſiores quam diſtinctæ 623
copia earum plures enecat quam inopia ibid.
expulſio earum omni modo interdicitur 627. 628
a grauidis in fœtum propagantur 622
infantes eas felicius ſuperant quam adulti 630
*Variolæ*, reliquiæ earum aſthmati anſam præbent 281
earum transplantatio 630
Uberkolck 193
*Vellicationes* vnde oriantur 143
*Venaportæ:* ſpisſitudo præ aliis eam adficit 15
eius ſtructura inter cauſſas mali hypochondriaco-hyſterici refertur 330
*Venæ ſectio* vires non exhaurit, nec ſanguinem vappidum reddit 248
in qua corporis parte inſtituenda 11. 12
cur luna decreſcente inſtituenda 332
ad ſenium eſt continuanda 64. 122
natura ei facile adſueſcit 120
*ſtata* cæcitatem non cauſſatur 209
cur interdum nullum, immo ſiniſtrum, effectum exhibeat 895
commendantur in apoplexia ſanguinea 903. 904
- in catarrho ſuffocatiuo 910. 911
- in cephalalgia 192
- in coryza & grauedine 248
tempeſtiua in tusſi 274
- in conuulſionibus 455
commendatur in colica hæmorrhoidali 844. 845

*Venæ*

*Venæ ſectio* ante conceptionem vomitus grauidarum impedit 872
nouum abortum præoccupat 130
- in epilepſia 462
- in empyemate 324
- grauidis in pede 130. 192 985. 986
- in ipſo partus termino 130. 995
- in hæmorrhagiis 31. 42
- in hæmorrhoidalibus motibus 73. 87. 102
- in vertigine non ſolum inſtituenda ſed etiam iteranda 236. 238. 239
- in hemicrania 415
- in hypochondriaco malo 335
- ab initio inflammationis 171. 175
- in inflammationibus partium vulneratarum 180
- maniacis 938
- in melancholia hypochondriaca 934
- in lochiorum ſuppreſſione plenaria 136. 137
- poſt menſium ceſſationem 121. 120
- aut ſuppreſſionem 112. 120
- in raucedine a menſium ſuppreſſione 254
- in nephritide 374

*Venæ ſectio* in palpitatione cordis 291. 292
- phthiſicis 311
- in plethora 10. 11
- in ſoporoſis adfectibus 917
- ad ſudores promouendos 797

commendatur a practicis in vomica pulmonum 318. 319
in empyemate 323. 324
ad vomitum cruentum præoccupandum ſuadetur 57
item ad mictum cruentum 64. 66
in febribus directe non conuenit 475
- circa dies criticos inſtituta peſſimi eſt euentus 475. 598
incongrua in acutis anginam prouocat 258
quando in malignis inſtituenda 587
in febre catarrhali petechizante ſumme noxia eſt 598
ſub initium febris ſynochæ eſt inſtituenda 487. 488
poſt vrinam coctam inſtituta graues hæmorrhagias inducit 488
in febre ephemera ſuperuacanea 483

*Venæ ſectio* in adfectibus biliofis non eſt inſtituenda 515
in intermittentibus typum in continuam mutat 666. 673
num in febribus compoſitis inſtituenda ſit, Medico relinquitur 677
num in febre lenta proſit 566
in paroxyſmo inſtituta adfectum reuocat 50. 147. 415. 441
particularis poſt vniuerſalem commendatur in febribus compoſitis 678
item in angina 259. 262
in fronte vel ſub lingua in angina & phrenitide quæ incommoda inuoluat 262. 525
in ſpaſmis caute inſtituenda 102. 407. 408. 415
in hydrope non probatur 720
in gonorrhœa non neceſſaria 776
in infarctu lienis non æque neceſſaria 344. 350
in otalgia debet eſſe præſeruatoria 228
in multis morbis præſeruavatoria vtilior quam curatoria 104. 374
curatoria in rheumatiſmis non habet locum 158
*Venæ ſectio*, eius omiſſio rheumatiſmos cauſſatur 154
num in fluore albo ſit inſtituenda 669
in aſthmate ſicco quando inſtituenda 287. 287
num in pleuritide & peripneumonia inſtituenda 535. 536
in ſuperioribus corporis partibus non conuenit in infarctu hepatis 355
*Vena ſaluatella* ſecanda commendatur in ſcirrho lienis & ſplenitide 350. 550
*Veneficia* conuulſiones prouocant 451
*Venena* ſanguinem inſpiſſant, & morbos funeſtos inferunt 15
cur deſtruant œconomiam vitalem, nulla ſuppeditat ratio 941
*Venenum* quid ſit 959
*Venerea vlceroſa conſtitutio*, quæ cephalæam excitat, cum carie oſſium coniuncta eſt 201. 202
*Venereæ viſcoſitates* podagram inducere valent 429
*vlcerationes* quo modo ab hæmorrhoidalibus diſtinguendæ ſint 79. 81

*Venerei adfectus* conſpirant cum brancho 251
*Venereis impuritatibus* adfecti experiuntur vlcerationes circa orificium ani 81
*Venus* grauidis eſt fugienda 990
eius abuſus apud ſenes mictum cruentum cauſſari poteſt 62
*Ventoſarum adplicatio* in hæmorrhagiis narium non adprobatur 38
*Ventriculus* in motibus hæmorrhoidalibus ſimul adficitur 76
conſenſum habet cum capite 184. 190. 234
eius fata dolenda ſunt 817
- adroſio pro phthiſi non reputanda 211
ab hypochondricis accuſatur 336
eius prægrauatio incubum cauſſatur 437. 438
nephriticis nocet 375
- inflammatio a ſtupefactis externis doloribus in motibus hæmorrhoidalibus 77
- - quo modo tractanda 551
ſpaſtici rigores deglutitionem impedientes 392
*Verbera* & *vincula* ſtultitiam non ſuperant 933
Verbrechen 1024
*Vermes* 852
e putredine oriri probabile eſt 854
quos motus inducant 855
cauſſantur conuulſiones 450. 855
- cardialgiam 825
- interdum tympanitem 711
atrophiam inducunt 362
non raro palpitationem cordis fouent 291
in variolis turbas ſolent concitare 630
necati, ſed non ſtatim expulſi, paſſionem iliacam cauſſantur 849
infantum 1023. 1029
*Vermiculi dentium* num in odontalgia accuſari poſſint 214
*Veronica* ſpecifice ad clyſteres commendatur 338. 383. 842
vt traumaticum in vomica pulmonum laudatur 317
eius decoctum in raucedine cum effectu adhibitum eſt 254
*Verrucæ* 79
Verſchlenckung der Gedärme 848
*Vertigo* 8. 36. 229

*Vertigo* ægris reſtitutis familiaris 231.233
caduca 230
- facile tranſit ibid.
eius vera & nouiter detecta cauſſa 231.232.233
ſine cauſſis materialibus 234. 235.237
non ſtatim apoplexiam producit 235
hypochondriacorum & hyſtericarum cur difficulter curetur ibid.
methodus tardior in graui malo obſeruari non poteſt 239
a vomitu anxio 240
*Veſicatoria* veteres commendabant in cephalæa 201
in aſthmate commendari ſolent 287
prope flexuram cubiti commendatur in odontalgia 216
in otalgia caute ſunt adhibenda 228
in ophthalmiis incommodo non carent 209
in obeſis exiguum emolumentum adferunt 13
in apoplexia ne veſiculam quidem excitant 905
in catarrho ſuffocatiuo præſentem effectum exhibuerunt 913
*Veſicatoria* neglecta congeſtiones & rheumatiſmos cauſſantur 141.154
*Veſicæ aqua calida repletæ* ad ſudorem eliciendum commendantur 721.798
quid in variolis efficiant 629
*Veſicæ ſtrictura ſpaſtica* in ſtranguria & calculo vehementer ſæuiunt 392
*Vibices* in peſte erumpentes 644
*Vigiliæ nimiæ* quo modo oppugnandæ 601
*Villanouanus* millefolii vſum per integrum menſem ſuadet 87
*Vinoſa diæta* hæmorrhagias narium reſtituit 40
*Vinum:* eius abuſus ad hæmorrhagias narium anſam dat 34
eius potus inſolitus congeſtiones cauſſatur 142
grauidis & puerperis conceditur 131.138.989.1007.
*generoſum* laudatur in lipothymia 925
- in dyſenteria 640
rubellum ſubadſtringentis efficaciæ in ictero commendatur 736
*medicatum* laudatur in hæmorrhagiis 28

*Vinum medicatum* laudatur in cephalalgia & cephalæa 188. 203
*calidum* cum melle laudatur in angina 261
*aromatiſatum* ſummas álterationes & fermentationem facit in primis viis 826
ad inflammationem diſcutiendam laudatur 171
in palpitatione cordis ſuadetur 294
epilepticis non conducit 462
*Virga aurea Geſneri* ſpecifice commendatur in vrinæ vitiis 804
- in mictu cruento 65
- in vomica pulmonum 317
- ad reſoluendum calculum 387
*Virgo* cœnobio incluſa e furore vterino maniaca 936
*Vires amiſſæ* & *omiſſæ* inter ſe differunt 883
earum proſtratio ab hæmorrhoidibus nimiis 72
- decrementa extrema in febribus periculoſa 471
*Viſceris* deſtructio reparari non poteſt 4
abdominalis labes in hæmorrhoidibus nimiis diiudicanda 72
*Viſcerum læſiones* maioris ſunt conſiderationis quam humorum vitia 519
*infarctus* ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis 72
*Viſcus inflammatum* quo nobilivs, eo perículoſior ſtatus 503
*Viſus hebetudo* 207
*amiſſio plenaria* 206
*Vita otioſa* ad morbos plurimum confert 20-22
*longa* hæmorrhoidariis propromittitnr 72
*Vitellus oui* commode clyſteribus additur 844
laudatur in diarrhœis 881
ex gallina mactata exſectus laudatur in fluxu menſium rebelli 110
*Vitium* primarum viarum vertiginis cauſſa 229. 230. 235
*Vitriolica* adſtringentia externa in hæmorrhagiis reiiciuntur 38
*Vitriolum* ex minera martis Haſſiaca in mictu cruento laudatur 63
eius caput mortuum laudatur in dyſenteria 642
*album* laudatur in ophthalmia 208. 210
- - in coryza & grauedine 249

*Vlcera*

*Vlcera antiqua* conſolidata vomitum cruentum cauſſantur 54
*venerea* quo modo tractanda 787
*ani fiſtuloſa* ſunt contagioſa 83
*manantia* : eorum repulſio conuulſiones cauſſatur 451
quo modo tractanda in cephalæa 203
*Vlceratio vteri* interna a fluore albo differt 762
in gonorrhœa per tres annos durare & tamen curari poteſt 777
febri catarrhali malignæ ſuperueniens 596
*Vlceroſa diſpoſitio* in pulmonibus 296
*Vlcerum* expurgatio & mundificatio Paracelſi 310
*corruptio* 140
*Vlcus* ab apoſtemate differt 297
*pulmonum* differt ab empyemate 320
*phthiſicum* ſegnius eſt quam apoſtema 297
*Vmbilici* profunda retractio in hyſtericis obſeruatur 328
*hæmorrhagia* 24
*Vnguentum alabaſtrinum* laudatur in cephalalgia 187. 188. 197
*de arthanita* externa vnctione laxat 856
*Comitiſſæ* laudatur in iſchuria 803
- in mictu cruento nullum effectum habet 66
*infrigidans Galeni* ibid.
*linariæ* quid præſtet in hæmorrhoidibus tumentibus 84. 83
*mercuriale* in ſcabie quo modo adhibendum 744
- infantibus ſcabioſis tuto non adhibetur ibid.
- facile nodos ſub brachiis cauſſatur 746
*Paracelſi* ad bubones reſolvendos laudatur 793
ex floribus *verbaſci* 867
*Vnguinoſa* obſtruunt poros 277
*externa* maxime nocent in inflammationibus 175
damnantur in rheumatiſmis 158
pinguia reiiciuntur in cephalalgia 188
*rancida* damnantur in hæmorrhoidibus cæcis 87
*Vnguis* vnde naſcatur 206
*Vnguium liuor* in febribus bilioſis inflammationem & mortem indicat 512

*Vnicornu* num ſit alexipharmacum 586
*verum* motus hæmorrhoidales ſupprimit 102
*Volatilia* impetuoſe agunt 17
in atrophia caute adhibenda 367
*Volckammeri pulvis* in calculo antiſpaſticam habet efficaciam 389
*Voluulus* 848
*Vomica pulmonum* quo modo differat a phthiſi 297. 313
ad febres vulnerarias referenda 319
phthiſi ſuperueniens febrem lentam in acutam tranſmutat 299
differt ab empyemate 313. 315
rupta degenerat in vlcus 315
vnde eius reparatio facilior ſit 316
*Vomitoria* quem effectum exſerant in corpore 475. 515
hypochondriacis, melancholicis, maniacis maxime nocent 826. 828. 834. 934. 939
in ictero maiores effuſiones bilis cauſſantur 734
in hæmorrhoidibus periculoſa 101
*Vomitoria lenia* quando locum habeant ibid.
iis non conducunt, qui ſemel vomitu cruento correpti fuerunt 59
ad ruptionem apoſtematis non ſunt adhibenda 265
in aſthmate ſpaſtico non conceduntur 442
in aſthmate ſtomachali vſurpanda ſunt 285
in febribus rariſſime ſunt vſurpanda 475
num in malignis admittenda ſint 583
in febribus intermittentibus num conducant 475. 656
febrem quartanam continuam in acutam inducunt 684
num in apoplexia locum habeant 904
quando locum habeant in lipothymia 936
in vertigine non ſemper locum habent 238. 239
in catarrho ſuffocatiuo commendantur 910. 911
expoſcunt conuulſiones per philtra inductæ 453. 454
*Vomitus* 868
*ſimplex, periodicus*, in tertianis & accutis critice contingens, ſalutaris 870

*Vomitus* num per vomitum curandus ſit 873
interdum ſponte euenit ſcorbuticis 759
*pertinax* quo modo ſopiendus 871
anxius vertiginem plerumque habet coniunctam 240
*Vomendi conatus* in feminis vomitus cruenti metum adferunt 839
in colica ſemper ſuſpecti ſunt 838
quo modo tractandi 873
*Vomitus bilioſos* in hepatitide 539
*catarrhoſi* ad vomitum procliues ſunt 249
dyſenteriæ interdum conducit 634. 636. 639
in febre tertiana ſalutaris 658. 661. 664
nonnumquam in febre ephemera oritur 480
in febre continua obueniens non reprimendus 494
maturus & copioſus in febribus bilioſis optimæ terminationis ſignum 510. 511
*Vomitus* intempeſtiuus in febribus ſymptoma periculoſum 471
*grauidarum* raro per totam geſtationis periodum durat 977. 978
– rariſſime abortum cauſſatur 988
– quo modo tractandus 872. 978
*infantum* 1020
*Vomitus niger* vnde oriatur 55
in acutis ſignum lethale eſt 542. 870
in febribus inflammatoriis præſagium mortis 542
*Vomitus* verſus dies criticos ſplenitidem ſoluere dicitur 549
paraphreniticis euenit 527
*Vomitus cruentus* 52
quo modo differat ab hæmoptyſi 43
cur tam periculoſus 55
– – *periodicus* 52. 55
in iunioribus puellis facile repullulat 53. 55
nonnunquam ſcirrhum in feminis ſoluit 349
ſequitur hæmorrhoides ſuppreſſas 53. 72
*Vomitus* cruentus ex malo hyſterico prouenit 53. 331
a cauſſis violentis ortus deterioris conſecutionis eſt 55
*vacuus* maiorem metum eruptionis ſanguinis incutit quam repletus 332
*Vrina* calida ad clyſterem extemporaneum commendatur 259. 440
nonnullis arcanum eſt in ſtaſibus inflammatoriis 174
hæmorrhoidariorum & arthritico rheumaticorum granula, ſabuli inſtar, deponit 377. 400
– a ſabulo calculoſorum diſcernendum 400
phthiſicorum varia eſt 299
nephritidis ſimplicis arthriticorum ſimilis eſt 369
nephriticorum cum filamentis mucidis procedit 370
hypochondriacorum limpida 327
impraegnatarum atomos exhibet 972. 973
aurantii coloris hecticam indicat 344. 351. 357
*Vrina* craſſa & rubicunda in hydrope hecticæ complicatæ ſignum eſt 714
eius excretio in hæmorrhoidibus externis ſæpe turbatur 80
– – larga in morbis quibusdam critice eueniens non eſt confundenda cum diabete 809
eius emiſſio hyſtericarum cum ſenſibiliſſimis doloribus 329
cruda vel cocta cum ſurditate in acutis quid portendat 223
in febre diaria primo die cocta adparet 480

*Vrina*

*Vrina* eius frequens ſtimulus in grauidis 980
nigra in cauſo lethifera eſt 512
eius mutatio in omni febre requiritur 470
in malignis & epidemicis non multum alteratur 587
purulenta renum vel veſicæ læſionem accuſat 325
ſalſedo eius in mictu cruento 61
ſuppreſſio eius temporaria in grauidis 981
ſana, pulſus ſanus, æger moritur 470. 644
eius vitia cum podagra coniuncta ſunt 432
in calculo concurrunt 379
*leporis* vulgus vtitur in ſurditate 228
*Vrtica minor*: eius ſuccus ſpecifice laudatur in hæmorrhagiis narium & hæmoptyſi 38. 48
*Vrtica vrens* ſpecifice laudatur in aſthmate 287
*mortua* in fluore albo 768
*Vteri cancroſa adroſio* ex lue venerea 783
*coagula, concrementa, vlceratio* a lochiis ſuppreſſis 135
- quo remedio præoccupari poſſint 977
*expurgatio* quando neceſſaria 128. 130
vitio remoto feminæ interdum denuo concipere poſſunt 109
conſenſus cum hypochondriis & primis viis 111. 116
*inflammatio* quomodo tractanda 551
*prolapſus* in parturientibus 998
localis tranſlatio nulla eſt in malo hyſterico 330
*Vterina* in hyſtericis exſulare debent 338
nocent in lochiis plane ſuppreſſis 137
*Vtricularis hydrops* 707
*Vuulæ erosio* 783

## W.

Waſſer kucipen 995
iſt geſprungen 991
*Wedelius*: eius arcanum duplicatum catholicum in peſte 650
rad. ſcrophul. & fabar. ſpecifice laudat in hæmorrhoidibus tumentibus 48
Wehen, welche ſich in die Höhe ziehen, und in den Kopf ſteigen 992
*Weisbachius* commendat folia ſambuci & ſedum vermiculare in hæmorrhoidibus dolentibus 88
eius collyrium 211
- encheireſis de balſamicis immediate pulmonibus adplicandis 307
Wiebel-Sucht 608. 1004
Wieſen-Bad 748
*Wildeganſii pilulæ* motus febriles infringunt, & ſudorem excitant 663
*Williſius* hirudinum adplicationem venæ iugulari commendat in epilepſia infantum 462
Wind- und Waſſer-Pocken 618
Wurm-Stöcke 854
Würgen 873

## Z.

Zacken 79. 981
*Zibethi* odorem hyſtericæ auerſantur 330
Ziehe-Glas 1014
*Zingiber* corrigit materiam & incidit ſeroſam viſciditatem 719
vt ſtomachicum laudatur 238
phlegmaticis commendatur in cibis 249
*Zvvingeri cauſticum* 172
*Zvvölfferi* crocus martis aperitiuus vt mitius adſtringens in mictu cruento laudatur 64

# CORRIGENDA.

PAg. 6. lin. 4. leg. exſtimulant. ibid. l. 5. l. analeptica. p. 10. l. 32. l. tractanda. p. 19. l. 3. l. in ibid. l. 4. l. uti p. 20. l. 10. l. ſalina. p. 37. l. 6. l. adplicatio. ibid. l. 28. l. ſanguinis. p. 54. l. ult. tota deleatur. p. 58. l. 30. l. topica. p. 62. l. 4. l. ſanguinei p. 73. l. 27. l. poplitis. p. 79. l. 11. l. ficus. p. 106. l. 19. l. relinquens. p. 107. l. 18. l. ordinati. p. 111. l. 38. l. genitalibus. p. 127. l. 31. l. potius. p. 143. l. 26. l. oriuntur. p. 162. l. ult. l. augmentum. p. 189. l. 18. poſt tam l. in. ibid. l. 19. l. quam. ibid. l. 35. l. comas. p. 241. l. 18. l. ſomnolenti. p. 384. l. ult. tota deleatur. p. 388. l. 14. l. effecturæ. p. 389. l. 1. l. commendantur. p. 397. l. 25. l. medio. p. 423. l. 14. l. extenuatio. p. 426. l. 19. l. exoritur. p. 431. l. 25. l. ſiue p. 435. l. 29. l. exagitantur. p. 460. l. 23. l. cranii. p. 567. l. 24. l. cholerico. p. 468. l. 5. l. rationali. p. 469. l. 24. l. impedito. ibid. l. 26. l. febre. p. 480. l. 19. deleatur non. ibid. l. 32. l. inſolitis. p. 484. l. 8. l. imminuere. p. 487. l. 3. l. facilis. p. 509. l. 20. l. ventriculo. p. 528. l. ult. add. interpoſitis potionibus diapnoicis, itemque emulſionibus ex nucleis pinguibus paratis. p. 530. l. 7. l. naturalem. ibid. l. 25. l. vera. p. 531. l. 3. l. illæ. p. 534. l. 22. l. vtilitatis. p. 535. l. 18. l. camphoratus. p. 542. l. 14. l. res. p. 543. l. 35. l. emulſiones. p. 546. l. 22. l. ſubſtantia. ibid. l. 35. l. conuenit. p. 547. l. 8. l. compoſita. ibid. l. 9. l. conueniunt. p. 556. l. 8. l. antimon. p. 568. l. 1. l. manifeſte. Ibid. l. 23. adde ſigna cadant in ſubiecta, quæ ſenſibilia ſunt ab aura. p. 585. l. 4. l. hæc. p. 587. l. 9. deleatur in. p. 589. l. 25. l. diſcernenda. ibid. l. 33. l. craſſo. p. 598. l. 12. l. anginodeis. p. 599. l. 13. l. damno. p. 614. l. 25. l. receſſionem. p. 618. l. 17. l. diſtinctæ. ibid. l. 18. l. & confluentes. p. 619. l. 11. l. tolerabilis. p. 621. l. 4. l. de reliquo. p. 622. l. 11. l. ſuppuratoria. p. 623. l. 27. l. ſuppurationis. p. 625. l. 24. l. medicamentis. p. 634. l. 33. l. conuerſa. p. 636. l. 25. l. liquidi. p. 637. l. 22. l. conuulſionibus. p. 639. l. 5. l. quater per diem. p. 244. l. 24. l. potiſſimum. p. 650. l. 35. l. legi. p. 656. l. 32. l. ſpecimina. p. 666. l. 25. l. fluuiatilem. p. 668. l. 6. l. Sydenhamo. p. 674. l. 11. l. duabus. p. 680. l. 20. l. ratione. p. 684. l. 35. l. vſurpet. p. 687. l. 18. l. auctius. p. 689. l. 10. l. adiicimus. p. 690. l. 17. l. ſeminis. p. 691. l. 30. l. rubore. p. 692. l. 29. l. originem. ibid. l. 35. l. oedematoſi, ſi. p. 693. l. 28. l. ſaſſafras. ibid. l. 29. l. tartariſata. p. 695. l. 12. l. deliteſcat. p. 704. l. 4. l. inſtituatur. p. 713. l. 21. l. particularum. p. 717. l. 9. l. præcipue. p. 718. l. 30. l. ſulphurea. p. 720. l. 26. l. coagulatam. p. 722. l. 7. l. minoribus. p. 724. l. 15. l. probe. p. 727. l. 24. l. colore. p. 728. l. 31. l. colorem. ibid. l. 36. l. ſcrobiculum. p. 731. l. 16. l. remedia. p. 734. l. 33. l. colorem. p. 742. l. 28. l. amalgama. ibid. l. 33. l. oxylapath. p. 749. l. 18. l. ſcorbuto. p. 754. l. 12. l. coagulationem. p. 755. l. 15. l. rubentes. ib. l. 21. l. catarrhalia. ib. l. ult. l. antiſcorbutica. p. 757. l. 28. l. lubricantia. p. 758. l. 1. l. volatilia. ib. 26. l. falſo. p. 759. l. 26. l. palpitationes, ib. l. 28. l. licet. p. 761. l. 34. l. ſtomacace. p. 766. l. 13. l. remedia. p. 780. l. 12. l. remedia. p. 783. l. 17. l. inſtar. p. 789. l. 27. l. accenſo. ibid. l. 36. l. omnia. p. 795. l. 20. l. inducunt. p. 802. l. 26. l. Syrup. p. 803. l. 25. l. abſumatur. p. 808. l. 28. l. exſiccatus. p. 857. l. 35. l. hinc. p. 875. l. 11. l. paullulum. p. 886. l. 16. l. deficiente. p. 890. l. 8. l. reliquiis. ibid. l. 34. l. materiales. p. 892. l. 20. l. paralyſeos. p. 900. l. 1. l. ſentiatur. ibid. l. 15. l. Stupido-grauatiua: p. 905. l. vitrioli. p. 923. l. 5. l. ſomno. p. 942. l. 29. 30. l. pili vulneri illigati efficaces. p. 945. l. 35. l. explicandum. p. 074. l. 30. l. venæ ſectione. p. 981. l. 8. l. inflationes. p. 989. l. 11. l. diuretica. ibid. l. 26. l. plethoricam. p. 995. l. ult. l. expoſcunt.